✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 257.

D. D. IOANNIS

CARAMVELIS,

THEOLOGIÆ

FVNDAMENTALIS.

Tomus Tertius & Quartus.

Est. 26
And Sa
Vol 6e

D. D. IOANNIS

CARAMVELIS,

THEOLOGIÆ FVNDAMENTALIS

Tomus Tertius & Quartus.

ILLVSTR. AC REVEREND.

D. D. IOANNIS CARAMVELIS,

SATRIANENSIVM NEC-NON CAMPANIENSIVM EPISCOPI.

THEOLOGIA INTENTIONALIS.

DE REALI, MORALI, ET VIRTVALI; DIVINO, ANGELICO, Et Humano; Proprietatis & Iurisdictionis Dominio.

Demonstrat illud à Productione oriri, & à Productore in res productas exerceri. Omnes adquirendi Dominium modos, esse Productiones diversas. A Iurisdictione Leges nasci, & universas esse liberas. Ante Legem nullam esse Theologicam obligationem: ante hanc intelligi non posse peccatum. Legem Tabulis & Conscientiæ scribi: illas obliterari, hanc obtenebrari; hinc Certæ, Probabiles, Dubiæ, &c. cognitu necessariam distinctionem oriri. Deum esse Deum: hoc est, summè liberum, summè absolutum, & summè independentem: caduca omnia, quæ juberi, aut inhiberi solent, nullam Divinis actibus imponere necessitatem, Legem Naturalem (Decalogum) esse liberè latam: Hominum cordibus, & Marmoreis Tabulis à Deo liberè insculptam: in ejus tota secunda Tabula, & in primæ saltem affirmativis Præceptis dispensare Deum posse, & in nonnullis dispensasse de facto: unde concluditur cum Thomistis, Scotistis, Nominalibus (adeóque cum universa Schola) si agamus, ut agere debemus, de malitia Theologica, Omnia esse mala, quia prohibita; & nihil esse prohibitum, quia malum.

EST THEOLOGIÆ FVNDAMENTALIS TOMVS III.

Primo & Secundo editis Romæ omninò consonans.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI.

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, & GVILLELMI BARBIER.

M. DC. LXIV.

CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

D. D. GASPARI DE BRACAMONTE ET GVZMAN,

EQVITI ORDINIS CALATRAVÆ,
COMMENDATORI ZARZVELÆ,
COMITI PEÑARANDÆ.

Catholicæ Majeſtatis Cubiculario & Conſiliario,
Supremi Indiarum Senatus Præſidi,

PROREGI

Neapolitano, &c. S. P.

DVM Scriptores dubitant, Principibus-ne, an Viris doctis Libri ſint conſecrandi? ſumo calamum, & Speculationes iſtas meas Viro, inter Doctos Principi, Heroï inter Principes docto, humili ſubmiſſione devoveo. Et hîc me ſtatim excipit Mercurius in bivio: ut Tuas vel fumoſas avitæ gloriæ Imagines, vel Scholaſticæ Palæſtræ laureas, extollere & laudare præſumam. Sed quoniam illæ ob alienam excellentiam, hæ ob propriam virtutem Tuæ ſunt: & quoniam illæ à multis laudatæ, hæ ab omnibus admiratione ſummâ cultæ, à paucis ſtylo celebratæ videntur, has Ego (quas, ſi dignè recenſere deberem, me tempus & vita deficeret) interlegam, libabo, & adnotabo; ut eaſdem olim poſſim proſequi, cum occaſio expeditior & liberior ſuccurrat. E multis igitur producam aliquas, ne ſilentii incriminer, ſi univerſas omittam. Et quidem Salmanticenſis Scholæ (quam meritò *Univerſitatem* vocamus, quòd nullam ſcientiam

non doceat; nullam gentem à lauru; nullum Doctorem à cathedra, qui mereatur, excludat) applauſus Tibi, vel cùm diſceres, vel cùm doceres, præſtitos, recenſere non debeo: Echo enim per cæteras Academias inſonuit; in quibus etiamnum, quæ olim Catonis fuerat, & à Cicerone ſuſpicitur, vocatur *Dialectica de Peñaranda*. Illam ego noſtro Herculi Logico adjeci; eſt enim robuſta & invicta, & Scholaſtico Iovi ſecuriùs & vehementiùs, quam Aquila à fulmine ſervire poteſt. Cenſebantur hæc olim futuræ gloriæ tyrocinia; & quia magna omnia & ſingula, erant in cauſa, ut in Te Spes Publica ſalutem communem præſagiret. Fratre altero & altero ſummâ Hiſpaniæ jacturâ in Cælum (ſic voveo; ſic ſpero) ſuſcepto, admovêris regimini, & ad Conſilia Regia tractus, ingenio, linguâ, manu labentem Rem, ſæpè eripuiſti, ſæpè præſervaſti à periculo. Cùm Prouidentia Tua, Hiſpaniâ major, conſiliis optimis, & ſtudiis aſſiduis, Barcinonenſem tempeſtatem ſedarat, pacem Germaniæ dederat, Gallos Hiſpanóſque, quos affines Natura, conſanguineos communis Providentia fecerat, veteri, & jam æternæ, (ſic optamus) amicitiæ reddideras; ut eſſet extra Hiſpaniam, unde creſcere poſſes; victoriis & meritis plenus, Ferdinandus Auguſtus, hujus nominis Tertius; Imperator feliciſſimus & invictiſſimus (cur etiam hoc non adderem? eruditiſſimus) ante diem ſanè, Cæſareis Divis accerſitus, Leopoldum Hungariæ & Bohemiæ Regem; ſi ætatem conſiderem, nondum aptum Imperio; ſi virtutem & gloriam, Imperiis multis ſublimiorem, reliquit. Hoc fato Politicus procelleſcit Oceanus; & dum ſinguli non tam ſtatui Publico communem Patrem, quàm privatæ ambitioni utilem, quærunt, Eminentiſſimorum & Sereniſſimorum Principum Electorum vota diſſentire dicuntur: & quod graviùs periculoſiúſque, ne ſuſpicio eſſet caſſa, poſt paucos dies palam diſſentiunt. Qui nimbus ſub initium fuerat, abit in tempeſtatem. Tollunt diem cælúmque Heterodoxi Potentatus, & priora diſcrimina periculis novis intendunt. Tunc, quis aut immortalis Pollux, aut mortalis Caſtor, jus Germaniæ Elementis diſſentientibus diceret, & undas ſuperbientes legémque recuſantes ſedaret? Comes de Peñaranda. Veniſti, vidiſti, viciſti. Veniſti quidem, tempore valde importuno; ſed nulla tuæ virtuti via fuit invia; nulla Prudentiæ tuæ importunitas fuit importuna. Vidiſti Principum interiora conſilia, inviſa cæteris, qui ſub verbis dignis vota latere indigna nondum ſuſpicabantur. Ingraveſcenti morbo extemporanea adhibuiſti remedia, tam providâ fælicitate, ut ſequuta fuerit improviſa tranquillitas; quam, dum authoritate & ratione reſilientes animos malaciſſas & ſubigis,

ſubactos

ſubactos benignitate & ſuavitate pellicis, neſcirem an *malaciam* veriùs an verò *pellaciam* vocarem. Reſtitutum fuit, Te conſiliorum Arbitro, ſerenitati Imperium; & in Germania tota, illo die, erat omnis terra, omne cælum, *labii unius, & ſermonum eorundem.* Omnium denique votis, nemine vel abiturien-te, creari & coronari vidimus Germaniæ delitium, Orbis Spem, Leopoldum I. quem ad ſui majorem gloriam, & Romani Or-bis bonum, ſalvum & incolumen Deus conſervare dignetur multis annis. Te ab hoc *Patrem* vocari ſæpè audivimus: nec nimiùm fuimus Auguſtam dignationem mirati; nam, ſi Ferdi-nando Cæſari debuerat, quòd potuerit; debuit Tibi, quòd eſſet Imperator. Hîc me abripit Philoſophia, & inquirere auderem, quid nobilius, quid grandius, quid perfectius, *facere*, an *fieri? creare* an *creari?* judicandum? Sanè creari ſicut & Angeli, ſic etiam Muſeæ poſſunt: creare verò, ſupra Humanas Angelicáſ-que vires ſe ſubrigit: Divinum eſt: Ergo ſicut creare realiter Divinitatis veritatem, ſic creare virtualiter in Agente Divini-tatis poſtulat ſimilitudinem, vi cujus Te veneror tantò Cæſari-bus Eminentiorem, quantò præſtantius eſt Cæſarem feciſſe, quàm eſſe. Hîc Tuæ modeſtiæ excellentiam, hîc Germanorum nunquam ſatis dilaudatam ſuſpeximus ſinceritatem. Illi omnes gratias Tibi, quoniam ſinceri, referebant: Tu omnes cauſæ meritis referendas ſummâ modeſtiâ ſucclamabas. Abiit in Au-ſtriam Cæſar, Tu in Italiam, ut in Parthenopæo Regno Phi-lippi Magni vices ageres. Me tunc, quem ſervum poſſes; &, ſi Genium meum conſiderem, etiam deberes; delegiſti in itineris ſocium, ut adhærerem Tibi; eſſémque ut loquimur Hiſpani, *Camarada.* Nunquam fui totâ vitâ honoratior; nunquam fæ-licior: nam gloriæ Tibi debitæ & præſtitæ, etiam in ſocios de-rivatæ. Erat Rheda, quâ Francofurto vecti Neapolim, Vniver-ſitas quædam portabilis; in qua binæ quotidie Diſputationes habitæ. Nihil theſaurizat Hiſtoria vetuſtate decrepitum, & lo-corum diſtantiâ à Iuniorum cognitione ſecretum: nihil Natura peregrinum, & à notitia Peripatûs ſejunctum: nihil Reſpublica ob divortium ſententiarum ambiguum: nihil Legum Volumi-na ob Interpretum incurſiones tumultuans: nihil Generalium Conciliorum & Antiquorum Patrum Tabulæ humani ingenii tenuitate lucidius: nihil Scholaſticorum Gnomæ Palympſeſtis obliteratum, labyrinthis obſcurum, Proteis anceps: de quo non fuerit actum, quod non fuerit diſcuſſum, & ſub præſidio Tuo dilucidatum. Qui omnia complecti ſtylo vellet, ſcientiarum omnium ſcriberet Encyclopædiam; &, quæ paucis menſibus diſputata, non poſſet multis annis ad ordinem & lineas reducere.

EPISTOLA DEDICAT.

An-ne peribunt omnia? Non permittam. Adlaborabo igitur, ut mihi ſera debeat Poſteritas, eripuiſſe ex tam opulenti & divitis theſauri naufragio flaviſſas aliquas. Meminerim interdum placuiſſe Tibi, quæ de Præterintentionalibus Hominum actibus, quibus qualiacumque de bello, de pace, de fœderibus, de publico regimine, &c. dicuntur, ſubnixa. Hæc, ut opinor, graviſſimis difficultatibus illam præbere poterunt, ſi lucem ſubeant. Hæc reponit hic Liber. In ipſo me, imò etiam Te non rarò Leges: & licèt multa non præ ſe ferant Tuum nomen Dogmata, mentem tuam ebibunt, & ex hoc ipſæ charactere noſcuntur. Me igitur, & Te Tibi reſtituo: nam & Ego Tuus ſum, & ſiquid in hoc Libro ſubtiliùs diſputatum, Tuum eſt. Accipe igitur tantâ dignatione Reſolutiones has, quantâ ſubmiſſione offeruntur; & diligere & honorare perge.

Humillimum Excellentiæ Tuæ ſervum IOANNEM, *Satrianenſium, nec-non Campanienſium Epiſcopum.*

LAMINA PROOEMIALIS.

Ne Sim Typographo molestus, omnia quæ charactoribus, qui vulgò reperiuntur; exprimi nequeunt, in Laminâ præsenti delineo.

اه يا اغى تغشى من بقش الآ ❀ ولا تغشى حين تشفى السما ❀

Ah ia ochei tagsci men bokbok almaa: vala togsci hin tassfochi al damaa.

Adagium in eos, qui in levibus scandalizantur; et Gravia non curant *Vide Proœm. lit. I.*

ف وصاياه الله

انا ❀ هو الرب الهك ❀ لا يكن لك غيري ❀ لا تحلف باسم الله بالباطل ❀ احفظ ابابر الاعياذ ❀ اكرم اباك و امك ❀ لا تقتل ❀ لا تزن ❀ لا تسرق ❀ لا تشهد بالزور ❀ لا تشتهي امرأة قريبك ❀ لا تشتهي مقتنا قريبك ❀ س ❀ من وضع هذه الوصايا ❀ ح ❀ وضعها الله

Exp li caneur in Theol. Intent. à num 1507

De Præceptis Dei.

EGO *sum Dominus Deus tuus. Ne sit tibi Deus præter me ❀ Ne jures per nomen Dei fal. So. ❀ Observa dies festos. ❀ Honora patrem tuum et matrem tuam. ❀ Ne occidas. ❀ Ne forniceris. ❀ Ne furaveris. ❀ Ne juves falsum. ❀ Ne concupiscas mulierem (uxorem) proximi tui. ❀ Ne concupiscas possessionem proximi tui.* INTERROGATIO. *quis posuit hujusmodi præcepta?* RESPONSIO. *Posuit ea ipsemet Deus. [Stat igitur scoti doctrina[*

Lapidis Memphitici Inscriptio.

Ορρεσο ⲥⲟⲩ + Ορεσο κⲁⲃⲱ

Actρε ⲥⲟⲩ + Actρε κⲁⲃⲱ

Πεσο ⲥⲟⲩ + Πεστοτο κⲁⲃⲱ

Τεττε ⲗⲁⲃⲉ + κε ⲉⲧ ⲟⲩⲭⲉ

Adducitur; exponitur; in Progymnasmate à num. 15. et in libro à num. 3287 et literæ et lingua sunt Copticæ.

Eivsdem Lapidis Explicatio.

Cœlum sursum: Cœlum deorsum.

Astra sursum: Astra deorsum.

Quod sursum, omne id deorsum.

Hæc cape, et prosperare.

MOR ISAAC Serm. 2. cap. 2 *Mercurium* Τριμεγιστον, ⲁⲗⲁⲓ ⲗⲁⲗ Ternam Majestatem *appellat.*

Ideæ Concreti Substantialis.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
N	S N	N S	M F S	M F S	M F S	N M F S

X	XI.	XII.	XIII.	XIV.
M	M F C	M F C F V	M F C F V F L	M F C F V F L F S

Vide Syndromum Logic. num. 57. 59 62. 68. 74. 75. 97.

N. *significat Naturam:* M. *materiam:* F. *formam.* S. *subsistentiam:* FC. *formam corporeitatis:* FV. *formam vegetativã:* FL. *formam loco-motivam:* FS. *formam sens.* FR *form. rationalem.*

Adnum. 1492

Aureum Argenteum. Purpureum. Cœleste. Viride. Puniceum. Violaceum Nigrum.

Hi sunt colores Virtuales, de quibus dissero in Progymnasmate á num. 143.

QVANTITAS VIRTVALIS.

A GRADVS INTENSIONIS IN SCHOLA LOCALI.

I II III IV V VI VII VIII

D *Numer* 140. C B *Vide Progymnasma á num.* 165.

ف	F	Fe..	فلوض Feludh
ق	Cq	Cqaf.	فلوض Fe luss
ض	Dh	Dhad.	فلوضيث Fe ludhio
ص	Ss	Ssad.	فلوصيث Felussio

محبت كورمكدن ظهر ❀ بر اوق ايكى قو نى الماز

Muhhabet ghiormekten doghar ❀ Bir ocq iki cusci almaz

Amor ex vissone nascitur ❀ Una sagitta duas aues n'capit

Pertinent hi characteres ad Epist. LXV. et num. 4038

F. Cars. Sc.

THEOLOGO MORALI.

VTHORVM quos amo & veneror Libris interdum careo, quod illorum inſcriptiones ignorem, & utrum ſint editi neſciam. Hanc ob rem (Amice Lector) cui fortè ex noſtris unus aut alter Tomus Ethicus in manus venit, propter amorem & honorem , quibus Speculationes meas proſequi placuit , gratias habeo , & ut poſſis omſimul Libros Morales procurare ſi velis. Nomina & Argumenta paucis lineis inſinuo.

PRÆCVRSOR MORALIS.

IAcit Theologiæ Fundamentali infima fundamenta. Agit de Moralibus ſcientiis in genere. Philoſophiam ſecundum dici , ſine qua Ethica addiſci nequit , tradit : Logicam Moralem ſcientiam univerſis neceſſariam Iudicibus , à nemine tractatam ediſſerit. Phyſicam, Metaphyſicámque examinat realiter & moraliter , ſemper huic Fundamento inſiſtens , *Oportet , ſicut de realibus realiter , ſic etiam de Moralibus moraliter philoſophari.* Et poſtea de Politica , Re nummaria , Somno & Vigilia , &c. realiter & moraliter diſputat. *Nondum eſt editus.*

TOMVS PRIMVS.

Theologia Fundamentalis Pars Prior.

TRactat ſcholaſticè de Legibus & Iuris (Pontificii, Cæſarii, Regii, &c.) Regulis.

TOMVS SECVNDVS.

Theologia Fundamentalis, Pars Posterior.

DE Decalogo, Sacramentis & Sacramentalibus differit. Hi duo Tomi prodierunt primò Francofurti, secundò Romæ, tertiò Lugduni, & nunc quartò iterum Lugduni correctiores auctioréſque.

TOMVS TERTIVS.

Theologia Intentionalis.

DE Modo adquirendi proprietatis & Iurisdictionis dominium: de Authore & Tabulis externis (lapideis) internis (conscientiâ dubiâ, probabili evidenti) Decalogi.

Edita fuit Lovanii, sed nunc iterum prodit Lugduni duplò auctior.

TOMVS QVARTVS.

Theologia Præterintentionalis.

DE his quæ materialiter contra Decalogum & quidem sine peccato, quia licèt plenè prævisa, nihilominus præter-intentionem eveniunt.

TOMVS QVINTVS.

Theologia Regularis.

SAnctorum Benedicti, Augustini & Franciſci Regulas dilucidat, & ex ipsis cursum Philosophicum & Theologicum in gratiam Monachorum concinnat. Vidit primam lucem Brugis, secundam Francofurti, tertiam Venetiis, nunc tandem quartam Lugduni duplò auctior.

TOMVS SEXTVS.

Theologia Epistaltica.

EPistolas Morales ad Viros Illustres, & illorum ad Authorem complectitur. In hac multæ Quæstiones, quæ vel obiter tantummodò tactæ, vel breviùs erant aliis in locis resolutæ uberiùs tractantur & dilucidantur.

TOMVS SEPTIMVS.

Theologia Sacramentalis.

EST Liber Physico-Ethicus ; omnia quæ in Philosophia Naturali juxta Scholas diversas traduntur, in Ecclesiæ Sacramentis investigat & reperit, docétque Ethicos, quanto possint & debeant ingenio in quibuscumque Moralibus Tractatibus philosophari.

TOMVS OCTAVVS.

Hyperaspistes Logicus.

IN Illustrissimum DD. Borgiam Episcopum Plasentinum est. Ille Theologiam Caramuelis impugnat ; at, ut Caramuel ostendit, infirma & cespitante Logicâ. Huc etiam Liber pertinet, quem de eodem argumento doctissimo calamo Clarissimus D. Franciscus Verde Lugduni hoc anno 1662. apud Laurentium Anisson in lucem emisit.

TOMVS NONVS.

Hyperaspistes Physico-Ethicus.

IN Illustrissimum DD. Boonenium Archiepiscopum Mechilinienſem est, defendit Authorem hæretico calamo invasum, Hæresimque Ianseniana ab ipso defensam impugnat.

TOMVS DECIMVS.

Hyperaspistes Theologicus.

IN varios Theologos, qui in diversis Provinciis ex oppositis interdum principiis contra Theologiam fundamentalem scripserunt.

CENSVRA

CENSVRA PRIORIS Editionis.

TAMETSI boni mores multùm illis omnibus debeant, qui Reſolutiones Ethicas ediderunt, plus illis videntur debere qui benignas; inter quos Eximius Vir IOANNES CARAMVEL viſus excellere, cùm ſuavitatem ſententiarum potuit ad clariſſima, ſolidiſſima, eáque purè naturalia fundamenta reducere, quod pauciſſimis conceſſum eſt: adeóque judico hunc Librum non Prælo modò, ſed Doctiſſimorum oculis dignum, ut ſciant homines non ſolùm qui debeant privatim vivere, ſed etiam quî poſſint publicè in Gymnaſiis veræ vitæ inſtitutiones, tametſi ſuaves & benignas, ſeverè & ſecurè propugnare. Sic cenſeo Ipris Kalendas Iuliis M. DC. XLIV.

ANTONIVS SANDERVS ſacræ Theologiæ Licentiatus Canonicus & Scholaſticus, Eccleſiæ Cathedralis Iprenſis, Librorum Cenſor.

HIC Liber eodem filo ac doctrinæ conſequentia eſt conſcriptus quo Commentarius & Scholion; eiſdem ipſe Syntheſibus ſubſtruitur, adeóque omnium etiam illorum fulcitur judicio, quorum duo Libri nominati quamobrem ſuperfluum videretur reſcribere ſingulorum Nomina & Cenſuras.

In ſecunda hac Editione multa adduntur, & ideò debuit Opus hoc iterum à Theologis relegi & examinari: quamobrem adduntur ſequentia hæc Virorum clarorum Iudicia.

Prodiit primò iſte Tomus Lovanii Typis & ſumptibus Petri Zangrii anno 1645.

ERNESTVS DIVINA MISERATIONE S. R. E. Tit. S. Praxedis Presbyter, Cardinalis ab Harrach Archiepiſc. Pragenſis, Princeps Legatus natus, Sacræ Cæſar. Regiæque Majeſtatis, Intimus actualis Conſiliarius; Regni Bohemiæ Primas; Provinciarum Regnorumque Hæreditariorum, ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Comprotector; necnon Ordinis Crucigerorum cum rubea Stella per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, & Poloniam, Supremus ac Generalis Magiſter.

Vniverſis & ſingulis præſentes Literas noſtras inſpecturis, lecturis, pariter & legi audituris S. in Dño. ſempiternam.

OFFICII noſtri debitum, réſque ipſa monet, ut eos qui ad Eccleſiaſtici Status in Archiepiſcopatu noſtro conſervationem, tum ſponte, tum ſingulari requiſitione aut Majorum ſuorum juſſu ac imperio ſtudia ſua conferunt, omnémque movent lapidem, ut & vocationi ſuæ graviter incumbant, & Religionis negoria ſarta tectáque conſervent, favore noſtro ac benevolentia complectamur, muneríſque egregiè, ac cum laude perfuncti teſtimonium feramus, quo ſi non majus ſaltem rerum benè geſtarum gloria commendati dignum laborum ſuorum præmium ferant. Cùm itaque Reverendiſſimus Dominus IOANNES CARAMVEL Monſerratenſis Abbas, noſtérque Officialis & in Spiritualibus Vicarius Generalis, pronunc verò à Sacra Cæſarea Regiáque Majeſtate diſtrictus Reginohradenſis nominatus Epiſcopus, ob Monaſterii ſui negotia Romam proficiſcatur, voluimus eum Literis iſtis comitari, & ſummam ejus in expediendis negotiis publicis, curam, diligentiam, ſinceritatem & fidelitatem teſtari, & commendare, & ideò maximè, quod dum Conſilio Theologico, de Reformatione præſideret, tanto zelo & fervore in materia Religionis ſupra viginti quinque hominum millia, ad Fidem Catholicam fuerint converſa, unde & ſummam apud omnes bonos Catholicæ Religioni addictos promeritus eſt laudem, & nos ſibi, Fide hac ſua induſtria, & integritate ita devinxit, ut præter alia humanitatis, ac benevolentiæ officia, ei à nobis tanquam de Eccleſia optimè merito exhibita, etiam pro horum omnium evidentiori Fide ac teſtimonio præſentes Literas, manu noſtra ſignatas, ſigillóque noſtro conſueto muniri juſſimus. Datæ Pragæ in Ædibus Reſidentiæ noſtræ Archiepiſcopalis, 11. die April. 1654.

ERNESTVS Cardinalis ab Harrach.

loco † ſigilli

Franciſcus Viſentainer Cancellarius Aſſeſſ.

CENSVRÆ.

CENSVRA

EXIMII ET CLARISSIMI DOMINI IOANNIS CAROLI MARTII, *sacræ Theologiæ & Juris Vtriusque Doctoris, &c.*

AMice Lector, & inimici noſtri ſint Iudices. Doctrinam de probabilitate, quam ſine temeritatis & ignorantiæ nota nulli, ſine hæreſeos Ianſenianæ ſuſpicione pauci hodie rejiciunt aut condemnant; hujus ſecundæ claſſis aliqui in Generalibus Gallici Cleri Comitiis improbabilitatis appellarunt: & licèt omnium aut ferè illa ſit, Caramuelem, velut hujus cæleſtis doctrinæ Atlantem invaſerunt, his verbis, *Principes & ſuites de la Probabilité expliquez par Caramuel l'vn des plus celebres entre les Caſuiſtes nouveaux, dans un Livre imprimé en* 1652. *intitulé* Theologia Fundamentalis. *C'eſt eſcrit comprend le principe general de la nouvelle Morale, qui eſt la Doctrine de la Probabilité. On l'a tirée d'un ſeul Autheur, afin que l'on voye mieux, que ce ne ſont pas des Maximes détachées, qui ne ſoient ſoutenuës que ſeparement, & qui ne ſe doivent pas allier enſemble. On a choiſi pour cela l'un des plus celebres, & des plus ſçavans de ces Caſuiſtes nommé Caramuel, qui eſt encor vivant, & que les autres regardent, comme le flambeau des beaux Eſprits de ce temps*, Ingeniorum facem; *& qui eſt en telle eſtime parmy eux, qu'ils ne croyent pas que ce que le Grand Caramuel, comme ils l'appellent; auroit approuvé; puiſſe eſtre condamné de perſonne, on ne peut pas douter auſſi, qu'il ne ſoit bien inſtruit dans la Doctrine de ces nouveaux Autheurs*, &c. Et quidem, ſi his verbis Caramuelem accuſant, quibus quæſo laudarent? Sanè, ſi ex aliis Libris potuit colligi Caramuelem eſſe felicium ſpirituum Solem, ſublimium ingeniorum facem, dignúmque qui celeberrimis & doctiſſimis anteferatur: neſcio quid grandius colligetur ex hoc bipertito Volumine, in quo actus Humanos, vel ex intentione elicitos; vel præter intentionem extortos, mentis acie medullitùs contemplans & penetrans, ſe ipſum Caramuel ſuperat, & ſemetipſo major eſt. Habebunt in parte Intentionali Theologi multa, quibus conſcientias dirigant: Iuriſperiti multa, quibus Veterum Prudentum Reſponſiones reforment: multa Medici, quibus neglectum corporis cum cura conſcientiæ componant: & in Præterintentionali multa ſinguli, quibus doceantur actionem materialiter malam, non eſſe imputabilem & formaliter malam quà à ſenſibus corporeis elicitam; non quà præviſam & præſcitam; ſed quà realiter aut virtualiter intentam ſeu volitam: adeóque omnes, quæ contra aut ſaltem præter intentionem eveniunt, etſi materialiter peſſimæ, formaliter carere malitiâ. His Martini Lutheri, Ioannis Calvini, & tandem Cornelii Ianſenii hæreſis enervatur: non enim involuntarii concupiſcibilis motus, nec iraſcibilis impetus, ſunt Theologicè mali, & formaliter peccaminoſi, etſi præviſi; quoniam contra hominis intentionem eveniunt. Ergo, ut Lutheranæ, Calvinianæ, & Ianſenianæ hæreſeos tenebræ doctrinæ Orthodoxæ ſplendore fugentur, poterit in lucem prodire hoc Volumen, Authoríſque licentia concedi, quam petit. Sic ſentio, & meum nomen ſubſcribo. Viennæ in Auſtria Nonis Iuliis M. DC. LVII.

IOANNES CAROLVS MARTIVS
Sacræ Theologiæ & Iuris Vtriuſque Doctor.

CENSVRA

REVERENDISSIMI ET EXIMII Domini, P. LAVRENTII MAYERS, *ſacræ Theologiæ Magiſtri & Profeſſoris, in Ordine Sanctæ Mariæ de Mercede, Redemptoris: per Italiam, Siciliamque Provincialis, &c.*

NIhil in Theologia Morali facilius, quàm Lectores terrêre, conſcientias ſine cauſa aggravare, & mortalis criminis quaſcumque Humanorum actuum exorbitantias incuſare. Sed quo fructu, aut conſilio? Vt placeant illi, qui dixit, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve?* Non puto. Diverſam viam inierunt omnes Sancti. Suavitatem amarunt, & non niſi coacti rigidè reſolverunt: ergo illos Theologiæ Moralis Inſtitutores imitentur; & niſi neceſſarium ſit, conſcientias fragiles lethalis culpæ vinculo non obſtringant: quæ ſanè conſcientias condemnandi neceſſitas, quamdiu hinc inde rationes probabiles militent? non reperietur. Sanctus Benedictus in Proœmio Regulæ, quam Sanctus Gregorius Pontifex vocat, *diſcretione præcipuam.* non approbare nimis rigidas Legum expoſitiones clariſſimè definiit his verbis. *Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici Schola ſervitii, in qua inſtitutione nihil aſperum, nihilque grave nos inſtituturos ſperamus; ſed & ſi quid paululùm reſtrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conſervationem Charitatis proceſſerit, non illicò pavore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi angusto initio incipienda.* Legiſlatoris ſuavitatem exeſſe nonnulli juſſerunt Interpretes, docendo Regulam obligare Monachos ſub mortali. Potuiſſet eos Bernardus in ſua opinione relinquere, ſed hanc ille doctrinam judicans morum puritati nocivam, ſtatuítque non videri mortale violare Regulam ſine contemptu. A Religioſis Carnotenſibus conſultus reſpondet Libello de præcepto, & *cap.* 29. ſic inquit. *Non ergo qualiſcumque mandati præteritio criminalium facit inobedientiam, ſed repugnare, ſed nolle obedire. Cæterùm quanti abſque illa peſſima & rebelli voluntate non obediunt? Quomodo ergo Monacho crimen inſidiatur inobedientiæ* [criminis nomine intelligit peccatum mortale.] *Si toties ſine crimine tranſgreditur, quoties in tranſgreſſione defuerit hujuſmodi recalcitrans & contentioſa voluntas.* Et Sanctus Dominicus in ſuis Conſtitutionibus litera I. exponens, quæ ſalutem Animarum impediant, aítque. *Declaramus, quod tria ſunt præcipuè, quæ ſalutem impediant Animarum.* Omitto duo priora, quæ non ita videntur noſtro intento ſervire, ultimum pono. *Tertium eſt*, inquit, *nimia auſteritas in conſiliis & opinionibus: terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut ſalutem propriam negligant; quapropter & relaxanda eſt (quantum fieri poteſt) rigiditas & auſteritas in conſiliis, ac homines benignè tractandi ſunt.* Veſtigiis ſui Sancti Patriarchæ inſiſtendo P. Sierra doctiſſimas Reſolutiones edidit, quas ſuas fecit P. Acacius March de Velaſco, qui in Prologo Tomi I. ſic infert. *Ofreſco ſacar luego otro Tomo, y en el, como en eſte, ſeguir las opiniones mas benignas y favorables, o no contradezir ſu probabilidad: por no cerrar á muchos las puertas del cielo*, Ne plurimis claudam cælum, ſed omnibus viam Domini faciliorem demonſtrem *(como dixo el Doctiſſimo Maeſtro Fr. Marco Sierra Valenciano, hijo deſte Convento de Predicadores de Valencia, perſona muy obſervante y temeroſa de Dios, cuyas obras ſon muy aplaudidas en todas partes, por ſu mucha claridad, agudeza de ingenio, y acierto en los dictamenes, á quien yo, como á Maeſtro mio, procuro ſiempre ajuſtarme) antes pretendo enſeñar los caminos mas faciles, para quitar tropiézos a los fieles, y porque no ſe acobarden los flacos.* Et quidem diligentiſſimus hic Author in utroque Volumine promiſſis ſatisfacit, illúmque & legendum & imitandum ſuadeo. Si omnia, quæ huc pertinent vellem hîc ponere, Librum totum tranſcribere neceſſariò deberem: dabo interim unam, aut alteram lineam, ut vel hinc Optimi Viri Ingenium Geniúſque cognoſcatur. Tomo illo ſecundo *Reſol.* 207. agit de Inceſtu: proponit diverſas ſententias, & illam eligit, quæ docet omnes Inceſtus ad unicam ſpeciem pertinere. Hanc tuetur, hanc ſuadet. Sed cur? Reſpondet, *Parece, que ſe debe ſeguir eſta Opinion, por facilitar la difficultad, que ay en confeſſar eſtos peccados*; Et poſteà

rationem

rationem generalem ſubjungit, dicens, *Y en materias Morales es razon, aliviar las conſcienicas, quando ay fundamento para hazerlo.*

Sicut D.Benedictum D.Bernardus, & utrumque D.Dominicus; & hunc tandem D.Thomas, P.Sierra, P.Acacius, & alii plurimi Viri doctiſſimi ſunt imitati, & magno Eccleſiæ fructu benignas ſententias ediderunt, ita etiam Illuſtriſſimus D. IOANNES CARAMVEL, Satrianienſium & Campanienſium in regno Neapolitano Epiſcopus, clementiam doctrinæ cum vitæ rigore conjungens: ſtatuit, ut mores conformet, *viro prudenti & pio in ſententiarum probabilium diſſidio, juxta ſtrictiſſimam vivendum, & juxta laxiſſimam ſentiendum eſſe,* quod & præſtitit, dum in Germania apud Monſferratenſes Abbatialem dignitatem obiret, à carnibus perpetuam abſtinentiam obſervans, & nihil ſibi indulgens, quod non eſſet commune cæteris Religioſis; eumdem vitæ tenorem etiamnum retinet, ob vitæ & doctrinæ merita ab Anſelmo Caſimiro, Archiepiſcopo & Principe Electore Moguntino ad Miſienſem; à Ferdinando III. Romanorum Imperatore ad Roſonenſem, & poſteà ad Reginohradenſem Epiſcopatum denominatus; & tandem à Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. ad Satrianenſem & Campanienſem favore ſpeciali promotus, in quo etiamnum victu tenui & amictu religioſo contentus, diu noctúque Libris inſiſtens, & Epiſcopatûs reditus pauperibus erogans, eſt ſubditis ſummo ſolamini, & magno aliis omnibus Prælatis exemplo.

Quantùm eſt ſibi rigidus & ſeverus, tantùm eſt cæteris benignus clemènſque. Sive jubeat aut conſulat, humanam conſiderat fragilitatem, & ita ſubditorum viribus imperia attemperat, ut nemo angi poſſit, vel conqueri. Hæc ipſa Genii ſuavitas ad ſtylum & libros tranſivit; omnes Viros doctos honorat; etiam illos, qui in ſe calamo inurbano ſcripſerunt: quos ipſos, ubi ratio poſtulat, laudat commendátque, affectibus nihil concedens.

Doctrina cujuſcumque Theologi, ut mereatur applauſum, eſſe debet brevis clara & ſecura; ab his prærogativis laudat Angelicum Doctorem Eccleſia. Ejus in choro dicitur, *brevis, clara, & firma ſententia.* Virtutes hæ maximè in Libris Caramuelis refulgent; in quibus omnia ſuccinctè, dilucidè, ſolidéque diſputantur. Siquando uberiùs funditur, id ratio poſtulat, nec longus cenſeri ille poteſt, qui nihil ſuperfluum ediſſerit. In Libri Retractationum Prologo Auguſtinus. *Abſit, ut multiloquium deputem, quando neceſſaria dicuntur; quantalibet ſermonum multitudine & prolixitate dicantur.* Tractat ubicumque ſubtilia, & in ſingulis ſummam claritatem & facilitatem miramur; & ejus fatentur Diſcipuli, tam in Philoſophia, quàm in Theologia ſub ipſo ſine labore profeciſſe; nam & mediocri ingenio prædíti lectionem antequam exiret è Gymnaſio didicerant, nec ulteriore relectione aut meditatione indigebant: tam enim clarè ſingula proponebantur, ut à nemine non intelligi poſſent; tantâ doctrinæ conſequentiâ, ut nemo deberet fatigare memoriam, ſed qui unam Theſim ſciret, cæteras non poſſet ignorare. Hæc eſt prærogativa catenatæ doctrinæ; nam, qui unum tenet annulum, totam catenam poſſidet; unus enim alterum neceſſariò conſequitur. In Libris editis etiam hæc prærogativa relucet. Mirabilis & nunquam ſatis laudata fuit AVDAX GRAMMATICA, quæ inſiſtit huic Principio, *Sicut de Grammaticis, grammaticè, ſic etiam de Philoſophicis philoſophicè, & de Theologicis theologicè eſt philoſophandum.* Et uſa Grammaticis exemplis ſolummodò, pueros è Rhetoricæ claſſes egredientes & alias ſcientias ignorantes, profundè edocet; nempe ſublimium ſubtiliúmque Controverſiarum deciſionem, meliùs, liquidiùs, clariùs, quàm multi alii numeroſo verborum & ratiociniorum apparatu: vel qui dubites, ibi Ideas Dei, Creaturarum poſſibilium, & Vniverſalitatis aſſertæ à Fonſeca perpende, quæ Viris doctiſſimis perplacent. Vt in Philoſophia procedere poſſet clariſſimè, ARTIFICIALEM præmittit, in qua curioſa experimenta & artefacta ediſſerit, quæ & inſtituant & recreent, & ad Naturam tranſiens, huic Axiomati innititur, *Oportet, ſicut de Artificialibus artificialiter, ſic etiam de Naturalibus naturaliter philoſophari.* Poſtquam Phyſicam Materialem abſolvit, ingreditur Libros de Anima, & de Animo Rationali & Angelo diſputaturus, ait, *Oportet, ſicut de Materialibus materialiter, ſic etiam de ſpiritualibus ſpiritualiter philoſophari.* Et tandem ad Deum ſubrigens oculos, eadem dirigitur analogiâ dicens, *Oportet, ſicut de Humanis humanitùs, & Angelicis angelitùs, ſic etiam de Divinis divinitùs philoſophari.* Non erat illi ſub initium animus tractandi Ethica: videbat enim à multis

ſine ingenio tractari, multóſque Authoritates numerare ſolere, rationes ponderare aut non ſcire aut non velle: at debuit vel invitus à multis amicis conſultus multa ſcribere, quæ poſteà reducta ad ordinem Libros componerent; in omnibus verò hoc ſibi Fundamentum propoſuit, *Oportet, ſicut de Realibus realiter, ſic de Virtualibus virtualiter, ſic de Moralibus moraliter philoſophari:* & ut meliùs omnibus hujus Axiomatis ſecuritas conſtare poſſet, PHYSICO-ETHICVM ſcripſit, qui Theologiam Fundamentalem Moralem debet præcurrere, necnon Scholaſticam ſequi. Et hæc de Caramuelis doctrinæ claritate & ſecuritate adnotaſſe ſit ſatis.

Vt ut illa ſit brevis & clara, non eſt firma, occlamant Anticaramueles: eſt nova, ergo falſitatis ſuſpecta: eſt ex unius ingenio nata, non ex Authorum conſenſu uniformi deſumpta. Reſpondeo modum quidem tradendi novum eſſe, non doctrinam. Quid, ſi hæc eſſet? Reſpondebo cum Plinio Minore lib. 6. Epiſtola ad Caninum. *Sum ex his, qui miror antiquorum, non tamen ut quidam ingenia noſtrorum temporum deſpicio; neque enim quaſi laſſa & effœta natura, nihil jam laudabile parit.* Multa ſunt, de quibus non diſſeruerunt; multa, in quibus nihil reſolverunt Antiqui; multa, in quibus communi conſenſu erraverunt; nec meo judicio poteſt erroris ſuſpicione carere, quod à multis ſupponitur, & à nullo in examen vocatur. Magna olim fuerunt in Mundo ingenia, & natura, ut oſtenderet ſe etiamnum Platones & Ariſtoteles poſſe producere, Orbi Literario Caramuelem indulſit, cujus immortalem memoriam venerabitur ſera poſteritas. Platonis & Ariſtotelis Placita, quæ nunc decrepita, fuerunt olim novitia; & quæ in Caramuele hodie novitatis arguuntur, vel invitâ perennabunt invidiâ, & antiqua olim erunt. Patriarcha Abrahamus multos puteos in arida regione foderat, ut aquam hauriret, quâ familiam, pecudes & armenta nutriret, & hortos & campos foveret. An ideò non licuit (Gen. 6.) Iſaacho novos puteos fodere, & novas aquas quærere & invenire? Ergo & Caramueli cum Ruperto in Prologo ſuper Apocalypſim liceat dicere, *Nobis quoque concedant poſt illos puteos, quos fecerunt Patres & Priores noſtri, & alios facere, dummodò vivam aquam reperire poſſimus.* Sigillatus erat ſapientiæ theſaurus in Divino illo Libro, cujus Revelationum quinto Ioannes meminit. Reſerata ſunt ſigilla, ſed non ſimul; ut ſciret præſens ætas, non fuiſſe omnia ſigilla olim aperta; ſupereſſe, quæ hodie aperiantur; ſupereſſe, quæ cras: & cui injuria facta, ſi ſapientiæ ſigilla, quæ per alium potuit, aperiat Deus per Caramuelem?

Sanè in hoc Theologiæ Moralis bipertito volumine, in cujus priori Parte de Actibus ex intentione elicitis, in poſteriori de contra aut præter intentionem abortis ingeniosè diſſeritur, res valde obſcuræ & ſubtiles tractantur; at omnes ad ſummam claritatem & facilitatem reducuntur. Res fortè videbitur nova, ſola adquiri productione Dominium: fortè & res nova, bonorum diviſionem fieri ipſo Iure naturæ: fortè etiam nova multa, quæ de Conſcientia Probabili & Dubia dicuntur; ſed quid mali? Modò ſint vera & certa, ſunto antiqua vel nova, ſuſpici debent, non contemni. Igitur, ut de Deo religiosè & etiam generosè loquamur, ut ſciamus illum eſſe Dominum, & nos obedire debere; ut benè cognoſcamus Theologicas Moralitates, potest Tomus iſte in lucem ſecundam prodire, quem fore Lectoribus gratum prima ſuadet Editio, cujus Exempla paucis menſibus fuerunt exhauſta; &, quia adhuc ſitis Lectorum non videtur extincta, debebit iterum iterúmque recudi. Sunt multa addita, quæ in prima Editione non erant; quæ Authori Tomum hunc relegenti viſa ſunt neceſſaria, ut meliùs Lectori prodeſſet. Orandûſque Deus eſt, ut Authorem multis annis conſervet: Authorque, ut omnia, quæ quadraginta annis ſolidis elaboravit, tandem aliquando Orbi Literario communicet. Datum Neapoli apud Sanctam Vrſulam die 20. Ianuarii. 1661.

FR. LAVRENTIVS MAYERS.

Idem judico, & meum nomen ſubſcribo, apud S. Angelum de fractis poſtridie Calendas Martias M. DC. LXII.

D. IOANNES CHRYSOSTOMVS DE ACVNTIIS
Iuris Vtriuſque Doctor, &c.

CENSVRA

CENSVRA

Illustrißimi Domini P. BENEDICTI ROCCI.

LIbrum hunc Illustrissimi Domini CARAMVELIS perlegi, & jussus meum Iudicium & sententiam exponere, subrexi ad Cælum oculos, & ut dignè Divini Ingenii conceptus & ideas celebrarem, illam periodum protuli, quam Emanoël de Faría in suæ Aganippes Prologo num.43. *Divinam* vocat, & sic dixi:

Ludovicus Camoës.

Dayme huma voz grande e sonorosa,
e nam de agreste avena, ou frauta ruda,
mas de tuba canora, e belicosa, &c.

nam si Clarissimo Passerino teste, *Non omnes eo pollent ingenio, quoad ingeniosas Caramuelis ratiocinationes percipiendas opus est.* nec omnes eâ pollebunt facundiâ, quâ opus est ad earumdem ratiocinationum virtutem & efficaciam celebrandam. Profectò in hoc Volumine, cujus Partes sunt duæ (Intentionalis, Præterintentionalísque) omnia sunt grandia, omnia sublimia; & singula, aut quoad rem, aut saltem quoad tradendi & disputandi modum, sunt subtilia, & digna quæ à Viris ingeniosis legantur. Assertiones Fidei Orthodoxæ confirmant: de Dei Omnipotentia, Majestate, & Imperio generosè discurrunt; mores ad solida fundamenta reformant; & per benignas vias Lectores ad Conscientiæ tranquillitatem & apicem Virtutum conducunt. Est ergo hoc Opus luce publica dignum; Authórque orandus ut in aliorum Librorum, quos Literarius Orbis impatienter exspectat, Editione & Publicatione festinet. Sic sentio; & meum nomen subscribo, Neapoli Nonis Ianuarii M. DC. LVIII.

FR. BENEDICTVS ROCCVS.

CENSVRA.

Lycium laudatur.

EST Lycium nobilißima Civitas in Italia, ad Neapolitanum Regnum pertinens: quam non tam reddit illustrem populus numerosus, quàm doctrina & nobilitas. Hinc ortæ Familiæ excellentißimæ, quæ alias Civitates honorant: hinc Martes, qui in sago multas Patriæ & Regi obtinuerunt victorias; Mercurii, qui in toga in tribunalibus Iustitiam propugnarunt, & in negotiis arduis Ius dixerunt. Ibi pleræque Religiones habent Collegia; inter quæ illud, in quo Patres Carmelitæ Excalceati Philosophiam & Theologiam tradunt, celeberrimum est. Ibi anno M. DC. LXI. sub Eruditißimo & Eximio Patre Eugenio de S.Iosepho S.Theologiæ Professore, Cæsareo Concionatore, &c. habita fuit Disputatio, Typis edita, quam utiliter legent, qui fortè Patres Salmanticenses interlegerunt. His satisfaciunt omnium tam Hispanorum, quàm Italorum vota; his P.Gabriel de S.Vincentio, Romæ apud S.Mariam de Victoria Prælector, Theologus acutißimus & ingeniosißimus Tomo de Censuris disp.3.num.218. *his alii: his etiam Caramuel* Theologiæ Moralis Tomo X. *Theses ergo Lycii defensas proponamus.*

Dedit optimos milites: claros Iurisperitos: & eximios Theologos.

Salmanticēses Carmelitæ contra Caramuelē scribunt: hūc Romani, & Lycienses defendunt.

CARAMVELI

a Ovid.

TOta domus duo sunt, dicebat ille. *a* Doctrinæ nostræ tota domus THOMAS CARAMVEL (illum dedit Mater Religio, hunc Pater Eugenius) ergo duo

b Thes.

sunt. Imò unus, EST & CARAMVEL THOMAS. *Vtrique convenit eruditi* b *Elogium de Augustino: Nullius honoris avidus, omnium capax:* Æquè scribenda faciens, ac legenda describens, Moribus suis fidem ornavit, *stylo defendit.* ac Theologi *c* de Basilio: *Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximiè versatus, quasi in eo solo elaborasset? Sic nimirum omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam: singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præter ea didicisset?* Vtrique debetur cognomen Angelicum. ANGELVS CARAMVEL Natalibus, ingenio, scientia, dignitate, virtute, beneficiis. Igitur si titulis abundat Angelicis, à

c Nazianz. or.19.

natalibus

natalibus Nobiliſſimus, ab ingenio Singulariſſimus, à ſcientia Ornatiſſimus, à dignitate Illuſtriſſimus, à virtute Spectabiliſſimus, à beneficiis Colendiſſimus, cur ſine titulis veneramur? Quia Angelus & ſupremus à Platonicis Deus nuncupatus. *d* Deo (docuiſti nos Caramuel *e*) tituli non ſunt adjungendi. Thomam, qui Angelicus eſt, & Divinus, ſequimur quocumque ierit: & te quoque CARAMVEL: unde primo loco (datúrque omnibus argumentandi locus) has defendimus Theſes, ſecundò Thomiſticas.

Quidquid CARAMVEL *docet, bene docet*
Quidquid CARAMVEL *dicit probabile, eſt probabile.*

Si alii aliter ſentiunt, vel non legerunt, vel non *f* penetrarunt Fundamenta CARAMVELIS, cujus gloriamur eſſe

Humillimi Famuli, ac perpetui Diſcipuli
Theologi Carm. Diſcalc. Collegii Lycienſis.

d Apul. lib. ſcripſit de Deo Socra.
e In Theol. Fundam.
f Paſſerinus. Non omnes pollent ingenio, quoad ingenioſas Caramuelis ratiocinationes percipiẽdas opus eſt.

APPROBATIO D. D.

THeologiæ Fundamentalis Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. IOANNIS CARAMVELIS Satrianenſis & Campanienſis Epiſcopi Partem Tertiam & Quartam attentè perluſtravimus, omniáque ſubtilibus ſimul ac ſolidis innixa fundamentis animadvertimus: nihil verò deprehendimus in hoc præclaro Opere, quod Fidei Catholicæ aut probis moribus adverſetur, vel ejus Editioni moram aliquam interponere debeat. Actum Lugduni die 11. Iulii anno reparatæ ſalutis 1664.

FR. CYRILLVS MOREL Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, necnon Carmeli Lugdunenſis Prior.

FR. ÆLIAS VIAL. Carmel.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS XIV. Dei Gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Privilegio ſanxit, ne quis per univerſos Regnorum ſuorum fines, intra decem annos à die finitæ impreſſionis computandos, imprimat, ſeu Typis excudendos curet, & venales habeat Librum, qui inſcribitur, *Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi* CARAMVELIS *Theologiæ Fundamentalis Tomus III. & IV.* præter PHILIPPVM BORDE Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit: prohibuit inſuper eadem auctoritate Regia, omnibus ſuis ſubditis eundem Librum extra Regni ſui limites imprimendum curare vel quemquam, ubicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti PHILIPPI BORDE. Idque omne ſub Librorum confiſcatione aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 2. Decembris 1663.

De mandato Regis.

ſignatum GVITONNEAV.

Hæc prima Editio deſiit excudi die XXX. Iulii 1664.

IOANNES

IOANNES CARAMVEL

In Hiſpania
ſublimium Ingeniorum Matre
non ad unius Vrbis
ſed ad totius Orbis ſplendorem & magiſterium
naſcitur.
Madriti animam : Compluti & Salmanticæ ſcientiam :
ſpinæ cucullam ; Lovanii Lauream
ſuſcipit
ob Virtutum , & Doctrinæ merita
Militaris Ordinis Calatravenſis
Magnus Prior:
poſteà
in Scotia , Palatinatu , Auſtria , Bohemia ,
Melroſenſis , Diſenbergenſis , Monſſerratenſis , Emauntinus ,
Abbas denominatur.
Ab Anſelmo Caſimiro , Principe Electore Moguntino ,
ad Miſienſem in Servia ;
à Ferdinando III. Cæſare , ſemper Auguſto ,
ad Roſonenſem in Hungaria ,
& Reginohrazenſem in Bohemia ,
ab Alexandro VII. Pontifice Optimo Maximo
ad Satrianenſem & Campanienſem Epiſcopatum
in Regno Neapolitano promovetur.

AQVILAS LEONESQVE

Ex Stemmatibus ad Libros tranſtulit.
Antiquis Opinionibus jubet eſſe antiquatis.
Artéſque & Scientias ritu Aquilarum innovari
ſubtiliſſimis Speculationibus.
ut has propugnet , ut contrarias expugnet ,
tametſi Leo fortiſſimus ſit ,
non rugit , ſed tonat ;
non mordet , ſed fulminat ;
teſtor Analogiſmos ,
quos Theologia Fundamentalis
toti Orbi Literario propoſuit ,
qui non potuerunt ſolvi ,
noluerunt frangi ,
quandiu voluit
CARAMVEL.

D. Franciſcus Mayers Pragenſis : Eccleſiæ Campanienſis Canonicus, & Illuſtriſſimi D. D. Caramuelis Secretarius.

HIC LABOR : HIC LIBER

Sicut de Phyſicis phyſicè,
ſic de Moralibus moraliter
philoſophatur.

Eſt LEO ; eſt AQVILA
apertos habet oculos , etiam dum dormit.
Solem illæſo obtutu ſuſpicit , quamdiu vigilat,
fortiter volat , altè diſcurrit.
Plutarchus Parallella compoſuit:
etiam Caramuel
ſed hic ingenioſiùs & doctiùs.
Mores cum Moribus ille compoſuit,
hic cum Realitatibus Moralitates,
& tamen dum Solis inſtar omnia illuminat,
caret Parhelio,
& dum Phyſica Ethicis,
Realia Virtualibus,
Cæleſtia Terrenis,
Divina Humanis,
Suprema Infimis,
confert , conſerit , conciliátque
caret Caramuel Parallelo.

Sic judicat , ſic aſſeverat D. Dominicus Platus , S. Theologiæ Profeſſor , Abbas Diſenbergenſis Ordinis S. Benedicti.

EPIGRAMMA.

Eſt Aquila atque Leo : ſcandit ſuper æthera , ſolo
Terret & Hæreticos nomine Caramuel.
Auſi ſunt lepores inſultare aliquando Leoni;
Aſt illi lepores , manſit & iſte Leo.
In Magnum audeſcant aliqui. Quid at inde ? manebunt
Illi Pygmæi , Caramuélque Gigas.

Fridericus d'Auſtein
Liber Baro in Auſtriberg.

IOANNES

IOANNES CARAMVEL

Aureis ſapientiæ vinculis animos vinciens,
Ferreis Virtutum obſervántiis ſe ipſum vincens,
Monachi, Abbatis, Epiſcopi;
Norma, Idea, Archetypum.

DISCIPLINAS,

appoſitus ad omnes, pronus ad ſingulas.
Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëſeos, Muſicæ;
Arithmeticæ, Geometriæ, Logarithmicæ, Aſtronomiæ;
Dialecticæ, Philoſophiæ, Theologiæ.
Harmonia, Expolitio, Exornatio, Illuſtratio,
Evidentia, Dilucidatio, Demonſtratio.
Lux, Splendor, Nitor.

OMNIVM ARTIVM SCIENTIARVMQVE

ORNAMENTVM.

Vt alter Hercules
Stymphalides Volucres labio & calamo fugans
Solem Scientiis reſtituit, ſcientias Soli:
ut major Hercule
Silentium Arcadicis Philomelis indîcit.

VERITATEM

Adeò æſtimat, colit, amat,
ut illam ſemper anteferat
Honoribus, Dignitatibus, Vtilitatibus;
Cæſarum, Regum, & Magnatum Favoribus:
ut ob illam nunquam moretur
Invidorum obtrectationes,
Æmulorum livorem,
aut Zoïlorum Cenſuras.

Sic Caramuelem ſinceritatis
penicillo imaginabat

P. Eugenius à S. Ioſepho Carmelita
Excalceatus, Sacræ Theologiæ
Profeſſor. Cæſareus Concionator,
&c.

IOANNES CARAMVEL BENEDICTINVS.

ANAGRAMMA.

In mundo elucens Arca Scientiæ. *b, in c.*

In Anagramma.

In mundo elucens *Sophos* Arca Scientiæ *Iberus*,
Innumera ingenii dat monumenta ſui.
Quænam Caramuel ſcripſit, ne quære doceri:
Tu potiùs, quæ non ſcripſerit ille, petas.
Nam quæ non ſcripſit (tam paucula ſcribere omiſit)
Tu citiùs, quam quæ ſcripſerit ille, ſcies.

CAROLI ANCONITANI
à S. Ant. Patavino, Sacerdotis
Scholarum Piarum.

SERIES

SERIES

Titulorum omnium, qui in hoc tertio Tomo continentur.

Prior numerus paginam, Secundus verò numerum marginalem indicat.

LIBER PRIMVS.

De Lege Naturali, seu Physica.

HANC *Theologiæ Moralis Partem* INTENTIONALEM *dicimus, ut à* PRÆTERINTENTIONALI *distinguamus: in altera enim de actibus, qui ex intentione fiunt: in altera de his, qui præter intentionem fiunt, differimus.* p. 1. n. 1

IN PROOEMIO.

Author deliberat, quasnam debeat opiniones amplecti? novas, an veteres? benignas, an severas? has æquè ac illas esse murmurationi & detractioni obnoxias probat; monétque Censores, interdum indoctos & intolerabiles esse. p. 1 n. 1.

EPISTOLA I.

Bernavvellii ad Autorem, in qua conqueritur has Propositiones I. Incertum est tempus animationis fœtûs, II. Incertum est tempus nativitatis, *esse deletas, & improbabiles & morum directioni nocivas judicatas à Censore imperito conqueritur.* p. 5. n. 1

EPISTOLA II.

Authoris ad Bernavvellium, has ipsas Propositiones esse certissimas, nec sine temeritatis & ignorantiæ notâ negari posse evidenter ostendit. p 6 n. 1.

EPISTOLA III.

Ad R. P. Hieronymum Florentinium; de initio & fine humanæ vitæ differit: nec fœtum nondum animatum baptizari, nec hominem vitâ destitutum sacramentaliter posse absolvi supponit: interim statuit nesciri instans, quo embryo vivere incipiat; nesciri instans, quo homo incipiat non vivere: & concludit in omni dubio aut probabilitate debere illum baptizari, hunc absolvi. p. 13. n. 1

EPISTOLA IV.

Ad Bernavvellium de eodem argumento. Exhibet & examinat P. Alcantaræ Theologi eruditissimi de eadem doctrina Censuram. p. 15. n. 1

EPISTOLA V.

R. P. Francisci de Vietri, qui Authoris Libros intolerabili pretio redimi quæritur, & ut illos recudi jubeat in Italia persuadet. p. 17. n. 1

EPISTOLA VI.

Ad eumdem R. P. Franciscum de Vietri, esse Herculi similem & multos & graves debere superare labores, qui Libros scribit & mittit in lucem persuadet. p. 18. n. 1.

EPISTOLA VII.

Ad D. Franciscum Verde, in qua Author se indoctis nolle scribere protestatur. p. 19. n. 1.

EPISTOLA VIII.

Ad Doctorem Dialecticum, quæ aliquas Quæstiones proœmiales, necessarias omninò proponit & decîdit. p. 20 n. 2

Lectori Dialectico. Quales Quæstiones hic Tomus tractet. ibid.

Quos Lectores invitet? quos arceat. ibid.

An Geometriæ ignarus poſsit ſcientias ſublimiores addiſcere. ibid.

An liceat laxè vivere, & ſubditos ſtrictè regere. ibid.

Intellectus humanus eſt quædam Divini luminis participatio. ibid.

Objectum Theologiæ Moralis. Iuſtitia quid? Dominium duplex: proprietatis & juriſdictionis p. 20. n. 3

Reale & morale. p. 20. n. 4

Principium Metethicum fundamentale. ibid.

An dominium productione adquiratur. p. 20. n. 5

De dominio Vſuario, & Vtili. ibid.

An Decalogus ſit latus liberè? An in illo poſsit Deus diſpenſare. p. 20. n. 6

An & quomodo cordibus inſcriptus ſit? De conſcientia. p. 21 n. 7

De textu Hebræo, Arabico, Græco, Latino, &c. p. 21. n. 8

An ſint multæ peccatorum ſpecies? An circumſtantiæ maximè aggravantes ſint in Confeſsione explicandæ. ibid.

De Anticaramuelibus. p. 21. n. 10

Cur Boonen in Caramuelem arſerit. ibid.

An Ianſeniſtæ ſint Hæretici. ibid.

Boonenii decretum in Caramuelem à Sancta Romana Inquiſitione condemnatur. ibid.

Cur Borgias ſingulares ſententias dicat eſſe communes: & contra. ibid.

Quomodo probabilitas ſit impugnanda. ibid.

De Tertia, Quarta & Quinta Theologiæ Fundamentalis parte. ibid.

Cur tardo calamo Caramuel ſuis adverſariis reſpondeat. p. 21. n. 11

An eos contemnat. ibid.

An illos timeat. p. 21. n. 12

An impatienter legat, quæ ſine Dialectica ſcripta. p. 21. n. 13

Aliter vulgus, & aliter loquuntur docti. p. 22. n. 14

Caramuel non ſcribit vulgo: nec à calamo vulgari poteſt tangi. p. 22. n. 15

Tempus non debet prodigi. p. 22. n. 16

An hæc Editio reſpondeat Anticaramuelibus. p. 22. n. 17

Libri Authoris edendi. p. 22. n. 18. 19

PROOEMIVM.

Lex in communi ſumpta definita, diviſa.

MVlti Legem dici à legendo volunt, quod ipſa potiùs, quàm alia ſcripta debeat legi; ſed cùm multæ ſint Leges agraphæ, videtur hoc etymon excellentioribus non convenire. p. 23. n. 21

Cicero illam à legendo, hoc eſt, eligendo dictum judicat; omnis enim Lex ſaltem elicita, eligitur à Principe, & inter multa, quæ jubere poſſet, eligit utiliora. p. 23. n. 22

Apud Latinos legere, ſicut etiam apud Græcos γραφεῖν, picturam conſiderare eſt, & ideò occaſio nomini; Lex enim dicitur, quæ legitur; hoc eſt, actuum humanorum imago, quæ à ſubditis conſideratur. p. 23. n. 23

Quod ſi legere littora ſit eadem præterire, Lex à prætereundo ſeu legendo dicatur; nemo enim prudens Legiſlator, qui non contempletur præterita, & in iis cavenda & promovenda Legis pronuntiatione aut inhibeat aut jubeat; nam de nunquam contingentibus, tametſi poſsibilibus, leges non dantur. p. 23. n. 24.

Dici etiam à ligando Lex poteſt, quod & liget & obliget. p. 23. n. 25

Imò etiam à legando, quod ſint feciales contra Leges legatæ. p. 24 n. 25

Quod ſi legare teſtamentum & ultimam voluntatem concernat, Lex à legando aptè diducitur, debet enim ferri ultimâ, hoc eſt, irrevocabili Principis voluntate. Ideò Sanctorum Benedicti, Bernardi, & Franciſci irrevocabilia monita, Teſtamenta, Legata, & in eadem omninò ſignificatione Leges dicta. p. 24. n. 26

Græcè NOMOS Lex dicitur, à νεμεῖν hoc eſt, à tribuendo: quod ipſa debeat unicuique tribuere, quod ſuum eſt. p. 24. num 27

Hebraïcè TORA, hoc eſt, Ordo Lex dicitur, quod debeat omnia benè ordinare & in Reipublicæ utilitatem diſponere: unde etiam DATH, ab amicitia dicitur, quod non debeat eſſe inimica aut tyrannica. Et quidem materialiter eſſet tyrannica ſi injuſta & nociva præciperet; perſonaliter, ſi aut ferretur ab intrinſeco, aut imponeretur hominibus liberis non acceptantibus: Iuſta enim Lex, debet licita & utilia præcipere à legitimo ſuperiore ferri, & à populo, ſi liber, acceptari. p. 24. n. 28

Eſſentia Legis exponitur. ibid.

Lex ſumpta in communi, eſt Regula agendorum aut omittendorum. Vel aliter, Regula ſecundum quam aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. p. 24. n. 29

Hinc

Hinc patet, cur ſubſtantiales & conſtitutivæ Religioſorum Leges vocentur ab Eccleſia Regulæ. *ibid.*

Platonica Legis diviſio. *p.14.n.30*

Iuxta quam Legis ſpecies ſunt, Lex Divina, Cæleſtis, Naturalis, Humana. ibid.

I. Expoſitio. *Fortè Divina & Cæleſtis, eadem quæ Theologa & Phyſica, quæ Moralis & Realis: mores enim Deus ut abſolutus Princeps regit, res movendo cælos, qui elementa alterent, & eorum interventu viventes. p.14.n.31*

II. Expoſitio. *Qui Deum & Creaturas Legi communi ſubdiderunt, quà jus Deo diceret Divina, & quà Aſtris & mediis his creatarum rerum univerſitati, Cæleſti nominata, diſipuerunt. p.14.n.32*

Deus enim & ejus actibus nullius dominio, nullius juriſdictioni ſubſunt. p.14.n.33

Non enim eſt Deus artifex, qui in conditione rerum teneri aut cogi Legibus aut Regulis poſſit. p.15.n.34

Quoniam tamerſi in Deo extrinſecè ſecundùm diverſa connotata actus diverſos liberos diſtinguamus, in imperatos & imperantes non dividimus, omnes enim creaturis imperant, nulli imperantur. p.15.n.35.

Nec actus morales Dei debent dici à divino dictamine imperati, quoniam ante actum liberum voluntatis Dei non intelligitur moralitas, unde actus Dei liberi ſunt activè non tamen paſſivè morales: ipſi enim ſunt cauſa omnium moralitatum humanarum. p.15.n.36

Nec imperati à Lege innata, hæc enim non imperat ſed infert. p.15.n.37

III. Expoſitio. *Aliqui Platonem ſpiritualia vocaſſe* Dîa *ſive* Divina, *& Corporea* Cæleſtia *crediderunt, & probabiliſſimè potuerunt progredi. p.15.n.38*

IV. Expoſitio. *Alii putant ſupernaturalia intellexiſſe Divinorum vocabulo, Cæleſtium verò Naturalia. Inclamant contra aliqui Platoni neganti ſupernaturalium notitiam, ſed immeritò; nam ab Ægyptiis & Hebræis doctus potuit illam habere. Putant alii ſupernaturalia omnia eſſe moralia, ſed hoc nec verum, nec contra Platonem. Non verum, quia & dantur multi actus ſupernaturales indeliberati, qui liberi non ſunt; & ſi Decalogus latus non eſſet, nec evangelica conſilia propoſita, etiam ſupernaturales carerent culpâ & meritò. Non contra Platonem; quia mens ejus obſcura eſt, quam tametſi rimari poſſis, nil contra objicere aut probare. pag.15.num.39*

V. Expoſitio. *Scitè alii Divinorum nomine miracula, & Cæleſtium curſum naturalem intelligunt. p.15.n.40*

VI. Expoſitio. *Videtur potiùs Lex æterna quà creaturas neceſſarias (Aſtra, Elementa, &c.) Cæleſtis dicta, quà liberas (Angelos, Homines) Divina. p.16.n.41*

Sed cur hæc omnia? *Vt videamus Authorum teſtimonia eſſe obſcura, poſſe quoquoverſum torqueri; adeóque decernamus inſiſtere rationibus, & non authoritatibus. ibid.*

Vera Legis diviſio. *p.16.n.42*

Eſt quà dividitur in Increatam & Creatam, non ut genus in ſpecies, ſed ut Ens in Increatum & Creatum diviſione merè ſyſtematica. p.16.n.42 & 43

Lex increata, eadem ac divina, aut à ſe. p.16.n.44

Creaturas reſpicit quà domina, quà rectrix; & eſt entitativè infinita ſimpliciter, eſt enim ipſe Deus; at terminativè eſt infinitas ſyncategorematicè, id eſt, indefinita. p.16. & 17. n.45.46.47.48

Ingenita dicitur, Deus enim quà unus jus creaturis dicit, & qua unus (imò quà trinus) ingenitus eſt; ſola enim ſecunda Trinitatis perſona eſt genita. pag.17. n.49. & 50.

Entitativè etiam æterna eſt terminativè temporanea. æterna eſt. æternùm eſt. & hoc nunc æternitatis creaturis omnibus præteritis & futuris coëxiſtens; non enim dantur præterita aut futura reſpectu Dei. p.17.n.51

Hæc ipſa æterna Lex, cùm moralis non ſit, non indiget promulgatione. p.18.n.52

Eſt libera, ſed divina; adeóque ſicut omnes actus Dei liberi alia eſſe poſſet, at mutari non poteſt. p.18.n.53

Lex Princeps. *Eſt omnium humanarum Legum Lex, omnium Iudex, & ideò Princeps nominatur. p.18.n.54*

Lex Creata *è contrario, eſt finita, producta, limitata; aut humana aut angelica; temporanea, ſubdita, dependens, & participata. p.18. & 19. n.55. & 56*

Proderit

Proderit Legis respicere Categoriam.



Considera Legis Physicæ & Moralis summam analogiam, per eadem omninò membra per quæ Lex physica per eadem omninò Lex moralis dividitur; ut docearis frustra mores velle discutere, qui naturam ignorant, Oportet enim (*nota bene*) ut de Naturalibus naturaliter, sic etiam de Moralibus moraliter philosophari. *Dabo definitiones.*

A *Lex* est Regula agendorum aut omittendorum. *Et aliter*, Est id vi cujus aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. *Et quidem tametsi non reperiamus discrimen inter has duas definitiones, posteriorem clariorem, adeóque retinendam censemus. Lex igitur physica in Divinam aut & Creatam dividitur. Illa in Deo & hæc in Creaturis reperitur.*

B *Lex physica*, est Lex, quæ non in consideratione aut præceptis aut suppositione alicujus personæ intellectualis; sed ipsa rerum veritate consistit. *Et definiri potest*, esse aliquid physicum, vi cujus aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. *p. 29 n. 57*

D *Lex physica innata*, est sympathia & inferendi necessitas, quæ in ipsis rebus reperitur, ante omnem mentis operationem. *Et definietur* esse aliquid physicum vi cujus aliquis ad agendum innatè inducitur, aut ab innatè agendo retrahitur. *In divinis enim una persona infinito appetitu innato postulat alias, & gradus intellectivi infinitè infert volitivum. & actus promissorius infinitè infert impletorium. Ita etiam in humanis, Anima appetitu innato corpus postulat, accidentia subjectum, finitè tamen, & ideò*

appetitu

appetitu vincibili. [*Inferre eſt innatè operari.*]

E *Dominari phyſicè*, eſt phyſicè & liberè producere; *Dominium actuale ſeu dominatio*, eſt productio phyſica libera & actualis. *Dominium habituale*, eſt productio phyſica libera & habitualis. *& dici ſolet* Conſervatio, *hoc eſt*; Productio permanens. *& definiri poteſt ſic*; Dominium eſt cauſæ intellectualis libertas, vi cujus ad agendum efficienter inducitur, aut ab agendo efficienter retrahitur, *& reperitur propriiſſimè in Deo, qui omnes creaturas phyſicè, liberè, permanenter, & poſtivè conſervat. Reperitur etiam in Hominibus, qui à ſe productos effectus aliquando poſitivè, & aliquando etiam ſolùm negativè conſervant: actum enim mentis aut etiam voluntatis conſervant influxu poſitivo; at picturam aut alia à ſe facta negativo, hoc eſt, non deſtructivo.* p.3.n.58

F. *Eſt dominus phyſicus uſuarius*, qui producit phyſicè & liberè rei ſubſtantiam. *Et res dicitur ſubeſſe huic dominio, quando entitativè ita producitur, ut non produci queat.* p.30.n.60

G. *Dominus utilis phyſicus, ille* qui phyſicè & liberè non producit entitatem rei, ſed aliquod ejuſdem accidens. (*illud* non *ſumitur, aut negativè, aut præciſivè*) *Et huic dominio ſubeſſe res dicitur, quæ non producitur entitativè, ſed alteratur, hoc eſt, accidentibus novis ornatur.*

Ex Dominio phyſico uſuario & utili reſultat dominium perfectum & adæquatum, & dicitur Dominus perfectus phyſice, qui phyſicè & liberè producit non ſolùm rei ſubſtantiam, ſed etiam illius accidentia & ornamenta. *& hujuſcemodi dominio ſubeſſe res, quæ non ſolùm quoad accidentia ſed quoad entitatem producitur.* p.30.n.63

Dominium utile ſubdividitur in Reale & Perſonale.

H. *Dominus phyſicus utilis realis,* eſt qui alicujus rei non producit phyſicè & liberè ſubſtantiam ſed accidentia.

I. *Perſonalis verò*, qui alicujus perſonæ (*hoc eſt, creaturæ intellectualis*) non producit ſubſtantiam, ſed accidentia perſonalia, eáque phyſicè & liberè. *Conſultò perſonalia dico, quia homo habet accidentia etiam realia, quæ ad hanc claſſem non pertinent. Dominium igitur perſonale,* Iuriſdictio *dicitur; & ſupponit perſonas conſervandas; & in hunc ipſa finem earumdem actiones liberas (iſtæ ſunt perſonales) indicendas aut interdicendas, reſpicis; illáſque phyſice cauſat aut phyſice impedit, prout judicat intento conducere.*

LEGI *opponitur exlex, Regulæ Irregularitas, ſed quia diverſas Leges dedimus, exleges etiam operationes & entitates contemplemur.*

K. *Legi innatæ, ſeu neceſſitati conſequentiæ, nullus actus opponitur, qui* violentus *aut* vim inferens *vocari ſolet. Hic in divinis locum non habet, quia appetitui innato infinito vis inferri non poteſt; inferretur tamen infinita, ſi impediretur Verbi æterni proceſsio, aut voluntatis efficacia. At violentia in creaturis reperitur, cum finitus ille appetitus quo inficiuntur ob extrinſecæ cauſæ potentiam frui termino deſiderato non poteſt.*

L. *Militant phyſice contra phyſicum uſuarium dominium omnes actus, qui ſunt phyſico impedimento domino ne rei ſubſtantiam conſervet poſſidendo phyſice, aut phyſice deſtruat, ſi voluerit.*

M. *Si hæc phyſica violentia, ſeu phyſicum impedimentum non jam ſubſtantiam rei ſed fructus aut accidentia afficiat, opponetur dominio utili.* (*ſumo illud* non, *aut præciſive, aut negative.*)

N. *Si operationes liberas & perſonales, phyſicæ juriſdictioni.*

AD MORALIA ſeu VIRTVALIA & commutatis tantùm vocibus (Phyſicæ legis) in (Virtualis) eadem à principio reſcribo.

A. *Lex abſtracta à phyſica & morali eſt* regula agendorum aut omittendorum; *aut clariùs*, eſt id vi cujus aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. *Hanc ultimam definitionem elegimus, & ſi virtualitatem addamus, erit Legis virtualis; ſi realitatem, legis realis aut phyſicæ.*

B. *Res virtuales dicuntur, quæ realia & phyſica non ſunt, ſed à liberâ perſonarum intellectualium ſuppoſitione ita conſiderantur ac ſi eſſent realiter & phyſice quales dicuntur. & quia hæc ipſa hypotheſis mores concernit ſolet vocari etiam* Moralis. *Lex igitur moralis ſeu virtualis*, eſt aliquid virtuale vi cujus aliquis virtualiter ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur virtualiter.

D. *Lex virtualis innata, eſt virtualis ſympathia, & virtualis conſequentiæ neceſſitas, vi cujus dato uno neceſſariò debeat*

dari etiam aliud. Definietur esse aliquid virtuale, vi cujus aliquis ad eliciendum aliquam actionem innatam virtualem inducitur, aut ab illam eliciendo retrahitur.

E. *Dominari virtualiter est rem virtualiter producere, & definitur Dominium virtuale* est virtualis agentis libertas vi cujus ad agendum virtualiter inducitur, aut ab agendo retrahitur.

F. *Si operationis terminus sit rei substantia permanens, erit dominium usuarium virtuale.*

G. *Si sint substantiæ accidentia seu fructus, erit dominium virtuale utile,*

H. *Reale si actus necessarios respiciat;*

I. *Personale, si liberas operationes. p.* 30. *num.*61

K. *Legi innatæ virtuali opponitur virtualis violentia.*

L. *Et virtuali dominio opponitur quodcumque impedimentum ratione cujus dominus non potest dominari, seu operari virtualiter*, L. *aut circa substantiam rerum*; M. *aut circa accidentia realia*, N. *aut circa actus liberos.*

Sed has omnes virtualitates & moralitates uberiùs & explicatiùs libro secundo resumemus.

Caput I.

Dominium in communi sumptum definitum, divisum; membrorum ingenia breviter explicata.

Membra dividentia dedimus cum categorema depinximus, analogiam dominii physici & moralis ibidem evidenter ostendimus, & definitiones adjunximus.

*Sanè ideò Ethnici homini vitæ & mortis libertatem cesserunt, quia non percalluerunt proprietarii dominii naturam. p.*30.*n.*64

Dominus utilis est verus dominus. p. 30. *num.*65

*Qui horti est utilis dominus, fructuum est dominus directus & perfectus. ibidem. & p.*44.*n.*122

*Perfectus dominus est qui ius habet conservandi & destruendi tam substantiam rei, quàm accidentia. Materia hujus dominii est substantia & accidens. ergo si hoc jus materialiter dividas, constitues duos dominos imperfectos. Alterum, habentem jus conservandi aut destruendi substantiam conservatis fructibus aut accidentibus; alterum, habentem jus conservandi & destruendi fructus, illæsa rei substantiâ. Primus dicetur Vsuarius, secundus Vtilis. p.*29.*&* 30.*n.*57.58.*&* 59

*Operationes dominii perfecti sunt conservatio & destructio, & secundum ipsas potest iterum dividi in jus conservandi & non destruendi, & in jus destruendi & non conservandi. Primum jus competit pupillo, p.*31.*n.*67

*Secundum illi, qui ad tales reduceretur angustias, ut invasorem occidere posset, conservare non posset. sed hoc jus esset indirectum à jure se conservandi subortum. Qui caret jure vendendi, tametsi conservandi & possidendi jus habeat, est imperfectus dominus, & rem non solùm illicite venderet, sed etiam invalidè. p.*31.*n.*67

Caput II.

Possessio ut sic, definita explicata, distincta.

Possessio est vera rei detentio. & dividitur in justam & injustam. Hæc est vera rei detentio jure contradicente. *illa*, vera rei detentio jure concurrente, aut saltem non contradicente. *unde in positivam & negativam subdividitur. p.*31.*n.*68

*Possessio reperitur in dominio innato, in proprietate, & jurisdictione; vitam enim, divitias, & subditos de facto possidemus. p.*31.*n.*69

Possessio moralis habetur etiam per alium, ut si Petrus nomine Pauli rem possideat; at naturalis & physica possessio personalis est. ibid. b

Filius, Servus, & Religiosus, multa & in multis casibus non possunt nomine proprio possidere. ibid. c

*Nemo possidet nomine alterius inviti. p.*32 *num.*70

Quæ injustè adquirit servus domino invito, nec ad servum pertinent nec ad dominum servi, sed ad dominum, à quo illa servus habuit. ibid.

Quæ justè, aut sunt ejusdem domini à quo illa habuit servus, aut nullius. ibid.

Hinc patet possessionem esse duplicem; nimirum, aliam juris, aliam facti; ex quibus componitur perfecta. Possidet jure, qui habet jus in re & non in rem; possidet facto, qui de facto rem habet

sine

jure; poſſidet jure & facto, qui rem de facto habet bono titulo. ibid.

Quando Equum Petri Paulus retinet nomine Petri, non eſt dicendus retinere nomine proprio, tametſi habeat animum retinendi ſibi & non Petro, modò extrinſece nomine Petri illum poſſideat, quia de occultis non judicat Eccleſia. In tali caſu Paulus non furatur, ſed vult furari; non retinet nomine proprio, ſed vult retinere. p.32.n.71

Poſſeſſio non adquiritur invito; adquiritur ignoranti ſi acceptaturus præſumatur. non tamen ſi recuſaturus. ibid.

CAPVT III.

Innatum dominium naturale ab innata Lege naturali proveniens.

INnata Lex eſt innatus quidam appetitus, & innatum dominium. p.32.n.74

Innato hoc appetitu omnis ſubſtantia amat exiſtere, & omne accidens connaturale appetit non eſſe. ibid.p.69.n 215

Inatus appetitus finitus eſt in creaturis, infinitus in Deo. Deus enim infinite appetit eſſe, & Pater infinite appetit producere Filium, & ſic in aliis. p.33. n.76. & 78

Et ſi inquiris, An iſte immenſus appetitus debeat lex *aut* dominium *vocari? reſpondebo debere taliter hæc nomina accipi, ut nullam imperfectionem importent.* p.30.n.58

Nomen quaſi legis *imò* legis *admittit S.Thomas.* p.33.n.77

Alii nomen dominii negativi.p.30.n.58

CAPVT IV.

Proprietatis naturale dominium definitum, expoſitum, diviſum, controverſum.

DEfinitiones in præmio dedimus. Dominium Vſuarium ab Vtili poteſt ſeparari; ſive morale ſit, ſive phyſicum. Nam qui locat agrum, eſt dominus utilis moralis, & ego realiter loquendo, ſum mei ipſius dominus uſufructuarius perſonalis, non verò uſuarius. pag.36. num.89

Canis nonnunquam hominibus in Regem datus. p.36.n.90

At irrationalis creatura volentibus & permittentibus præfecta dementiam ſubditorum arguit; at invitis præpoſita, tyrannidem inhumanitatémque Victoris. p.36.n.91

Dominium proprietatis libertatem requirit. & hæc eſt triplex, terrena, moralis, & theologa; & quacumque ad morale ſufficiens. p.36.n.91.&p.62.n.180

DISPVTATIO I.

Vtrum dominium phyſicum in Deum creaturæ competere poſſit.

Reſpondetur nullam eſſe creatam aut creabilem cui poſſit. p.37.n.94

Nec obſtat, quod Beati expreſſam cognitionem Dei producant, & hæc ſit intentionaliter Deus. tum quia non eſt certum aliquid in intellectione & præcipuè Beatorum produci; ut producatur, cognitio & res cognita non ſunt idem phyſicè ſed intentionaliter; & hoc in Thomiſtarum opinione. ut eſſent idem phyſicè poſſet una formalitas concipi altera non concepta, adeóque & produci altera non producta, non enim verum Quæ ſunt eadem uni tertio, eſſe eadem inter ſe. *tametſi obtinuiſſe videatur.* p.37.n.95.96. & 97

Fateor tamen Chriſtum dici filium Ancillæ, Dei ſervum, Mariæ & Ioſepho ſubditum, productum, natum, & occiſum. *addo tamen omnes hæ denominationes competere divinæ perſonæ propter humanitatem; Chriſtus enim quà Deus non eſt capax nativitatis, ſervitutis aut mortis.* pag.37. & 38. num.98 & 99

DISPVTATIO II.

An dominium phyſicæ proprietaris in Deum, Deo ipſi competat.

Sive conſideretur Deus ut unus, ſive ut trinus, non competit. p.38.n.100

Sanè ille proprietatis dominus, qui productor, Deus tamen nec ſe quà unum, nec ſe quà trinum produxit aut producere potuit, tametſi contrarium videatur ſentire Lactantius. p.38.n.101

Deus enim cùm dicitur eſſe à ſe, dicitur in ſenſu negativo. dicitur enim à ſe, non quòd à ſe fuerit productus, ſed quod non fuerit ab alio. ibid.

Nec urgebunt hæretici, qui Patrem cauſam & dominum Filii dixerunt, aut etiam Spiritus-Sancti, quoniam & ipſi docuerunt procedentes perſonas divinâ naturâ carere; hic enim ſecundus error cum primo neceſſario connectitur. p.102. num.103

Sanè Pater non eſt cauſa Filii ut eſſet (nam & Graci eum cauſam *nominant) non eſſet dominus, nam dominii proprietas conſiſtit in productione libera, & in diuinis productiones & proceſſiones neceſſariæ ſunt.* p.39.n.104

DISPVTATIO III.

Vtrùm Deus in creaturas habeat dominium phyſicum? & cur.

Reſpondeo Deum eſſe rerum dominum phyſicum. p.39.n.105
Non tamen quà intelligentem p.40.n.106
Non quà volentem, ſi voluntas Dei ab omnipotentia diſtinguatur. p.40.n.107
Sed quà omnipotentem. p.40.n.108
Oſtenditur, quia dominium in libera actione conſiſtit. ibid.
Sed & ipſa ſacræ Paginæ teſtimoniis firmantur. p.39.& 40.n.105.& 108

DISPVTATIO IV.

Solúſne Deus, an etiam creatura habeat dominium phyſicum in creaturas.

Authores, qui negant creaturis phyſicam authoritatem, conſequenter negare debent dominium phyſicum. p.41.n.110
Illos tamen convincit humana libertas ſi in phyſica actione conſiſtit. non tamen ſi in paſſione. ibid.
Auguſtus & Tiberius noluerunt dici Domini. p.40.n.109
Caligula & Domitianus ideò volebant dici Domini, quia & Dii. ibid.
Malunt Iudæi mori quàm Veſpaſiano Domini titulum deferre. ibid.
Dominium proprietatis eſt duplex, infinitum & limitatum. Omnium rerum creatarum dominus, ſolus Deus. Homo etiam aliquarum. p.41.n.110.b.
Noſtrum dominium divini eſt participatio & ſyncopa. ideò Deus dicitur IEOVA, *hebraïcè*, MORIO *ſyriacè*, KYRIOS *græcè*, DOMINVS *latinè*, SEIGNEVR *gallicè. Et homo tametſi Rex, tametſi magnus in eiſdem linguis per ſyncopem & abbreviationem* IA, MORO, KYROS, DOMNVS, SIRE. *Sed & hæc ipſa nomina ſuas habent proprietates, quas non vacat exponere.* ibid.

DISPVTATIO V.

Quale Dominium naturale Deo competat.

Convenit actuale & habituale, conſervatio enim eſt productio permanens. pag.41. num.111
Convenit omnium rerum nullâ exceptâ. p.41.n.112
Cauſarum viventes actiones entitativè totæ ſunt Dei, quia totæ producuntur à Deo. p.42.n.113.& 114
Sed qua vitales debent provenire ab intrinſeco, & ſanè provenirent ab extrinſeco, ſi à Deo. p.42.n.114
Appoſitiſſima verba Vaſqueſii. p.42.n.115
Dominus idem ac liber productor. dominus immediatus, inter quem & rem poſſeſſam nullus intereſt dominus, tametſi interſit cauſa efficiens. p.42.n.117
Hortum habes, & in eo malum pomis plenam tu es illorum dominus, nam tametſi ipſa à malo ſint producta & non immediatè à te, tibi immediatè ſubſunt, non malo; hæc enim arbos dominii eſt incapax, adeóque inter te & poma nullus dominus mediat. ibid.
Deus liberè comproducit noſtras actiones liberas, non tamen vult noſtrâ voluntate ſed ſuâ, nec eſt liber noſtra libertate ſed ſuâ; adeóque noſter actus liber ſpecificativè totus Dei eſt, cæterum reduplicativè ſumptus non eſt Dei. p.42.n.118

DISPVTATIO VI.

De rebus in quas non habet homo phyſicæ dominium proprietatis.

Sane cum dominium in productione conſiſtat, non erit homo rei dominus, quam non produxerit. Et quidem nec produxit Deum, nec Angelum; ſed forte hunc producere poſſet ſi vellet Deus. p.43.n.119
Ob eamdem omninò rationem cæli, ſydera, naturalia meteora & elementa non ſubſunt homini phyſice, poſſent tamen. ibid.
Sui ipſius homo non eſt dominus uſuarius aut perfectus, bene tamen utilis & uſufructuarius. p.35.43.44.51.n.87.120. 122.& 147

DISPVTATIO VII.

De rebus in quas homo habet proprietatis naturale dominium.

Habet, in omnes, quas libere produxit, nullâ exceptâ. Eſt enim verus & proprietarius dominus operationum immanentium quæ à ſua libertate dependent. p.43.n.121
Vtilis an uſuarius? Sane qui eſt arboris dominus utilis, pomorum plenus directus & perfectus dominus eſt; unde homo humanitatis ſuæ eſt utilis dominus, at actionum liberarum plenarius. pag.44. num.122

Sui ipsius est dominus utilis moralis positivè, nos enim nobis hac lege & limitatione dedit Deus. & post parentum mortem est utilis physicus negativè, quia nullius hominis positivè est. ibid.

Homo est proprietarius suarum actionum substantialium naturalium dominus. p.44.n.123

(Imò etiam artificialium. p.45.n.124)

ac propterea etiam terminorum. pag.45. num.123

Ergo & filiorum. ibid.

Filiorum tamen qualis p.55.58.n.155.174

Quicumque artificialiter ex corpore non alieno produxerit novam substantiam (putà metallum, lapidem, aquam, ignem, ex hypothesi quod hæc specie substantiali differant) est verus proprietarius naturalis dominus substantiæ illius productæ. p.45.n.125

Qui corrumpendo corpus, quod suberat dominio alterius eduxit novam formam substantialem, est verus & naturalis dominus substantiæ genitæ; at tenebitur satisfacere proximo pro damno illato. p.45.n 125

Quicumque arte & industriâ produxerit animantes aliquas ex corpore non vivente, donando illæ formâ substantiali sensuali, erit naturalis dominus earumdem; quod si corpus corruptum fuerit alterius domini, tenebitur damnum resarcire. p.46.n.128

Si ova à pullis distinguntur specie (quod non puto) qui illa donat animâ sensitivâ substantiali & industriâ convertit in aves, est illarum naturalis dominus. p.46.n.130

Si semina specie differant à plantis, qui seminat, segetum vel etiam arborum, quæ enascuntur, est physicus proprietarius dominus directus; agri autem, si is alterius non fuerit, redditur dominus naturalis indirectè & per accidens; nempe quamdiu segetes aut arbores illæ permaneant. p.47.n.132

Si ager sit alterius, nullum in eum ne indirectum quidem dominium seminator adquirit. ibid.

§. Si ager. *Si elementa distinguuntur specie substantiali, quicumque physice & libere produxit partem alicujus elementi, dicēdus est illius physicus dominus.* ib.

Qui in fundo suo domum erexit, etiam est illius physicus dominus. p.47.n.133

Hinc patet, quî homines adquisierint Provinciarum dominia. p.47.n.134

Qui in aliena re produxerit aliquod accidens corruptivum (nempe, vel nocivum physice, quales sunt morbi & indispositiones; vel nocivum moraliter, quale esset si produceretur ejusdem rei domino juste invito) non est illius accidentis producti physicus dominus. p.48.n.135

Qui in re aliena, cujus usufructum habes, accidens quod nullum inferat nocumentum, producis, non adquiris dominium rei alienæ, in qua producis tale accidens. p.47.& 48.n.132.& 136

Bene tamen in ipsum accidens productum. p.48.n.136

DISPVTATIO VIII.

De potestate destructiva directa.

Latiùs patet Potentia, *quàm* Potestas. *nam equum tuum occidendi, v.gr. potentiam habet unusquisque, (imò etiam illâ habent leo, lupus, & bruta alia) at potestatem solus tu, qui solus ejusdem es dominus.* p.48.n.137

Destructio alia physica, & alia moralis. ib.

Physica explicatur. p.48.n.138

Potestas destructiva indirecta à dominio nascitur. Qui enim est dominus, potest re uti tanquam suâ, & si invadatur, nec aliter rem suam defendere possit, potest indirectè invasorem occidere, sed tunc illa invasoris occisio esset præter aut forte contra intentionalis. p.49.n.139

Vide inferiùs initium Theologiæ præterintentionalis.

DISPVTATIO IX.

An possit Deus hominem morte damnare sine causa.

Respondeo dari pœnas & pœnalitates. illæ correlativæ sunt, & culpæ correspondent, sicut & præmia meritis. Pœnalitates sine demeritis inferre potest Deus, favores sine meritis concedere potest; at pœnas & præmia nan potest. p.51.n.146.

Hinc patet posse Deum cælum negare, & calum cuicumque concedere si à promissione præscindamus, & omnipotentiam nudam consideremus. p.50.n.143

Posse eodem sensu quemcumque addicere æternis cruciatibus. p.50.n.144

Non tamen facere ut reus esset peccati non commissi, aut pœnam lueret. p.51 n.145

Hanc doctrinam horrendam vocavit Ianſenius, sed horrenda est hujus boni viri censura; errat enim, nescio an blasphemat, asserendo Deum de potentia absoluta, non solùm non potuisse Adamum antequam peccaret occidere, sed ne quidem digito privare: necessario dicturus Virginem non caruisse peccato, nam mortua est. Sed de hoc uberius in meo Augustino disputabo.

DISPVTATIO X.

De hominis naturali dominio in ſemetipſum.

Sitne vitæ ſuæ dominus proprietarius? Partem aſſerentem tenuerunt Ethnici. quorum obvia ſunt illuſtriſſima exempla. p.51.n.147

At quia uſuarium proprietatis dominium in productione ſitum eſt, tale homini dominium non competit, Dominus enim fecit nos, & non ipſi nos. p.53.n.148

Samſonem aliqui condemnant. pag.53. num.150

Alii dicunt illum ſe occidiſſe præterintentionaliter & indirectè. p.54.n.151

Veroſimilius tamen eſt illum ſe occidiſſe directè petitâ & obtentâ diſpenſatione divinâ. p.54.n.152

Nec damnandus eſt filius Prophetarum, qui dixit Percute me, *quoniam loquebatur à Deo iuſſus. p.54.n.153*

Sicut nec Martyres, qui ſe in medios ignes aut fluvios inſiliiſſe dicuntur; nam vel id fecerunt ex divino præcepto, aut ex ignorantia invincibili putantes ſe bene operari, aut ex perturbatione mentis, quæ in extremis conſilius accidere poteſt & ſolet. p.55.n.154

DISPVTATIO XI.

De authoritate patria, poſito quod generatione activâ adquiratur dominium proprietatis in filios.

Tota eſt hypothetica, nec noſtri ævi moribus accommodata, ſed utilis actionibus Veterum intelligendis. p.55.n.155

DISPVTATIO XII.

An parentes ſint prolium veri directi & proprietarii domini? an mortis & vitæ jus habeant.

Putarunt aliqui Catholici authores. p.58. & 59. n.174. & 175

At nos negativè reſpondemus, & dicimus, Patres, ſi propriæ vitæ eſſent domini uſuarii, etiam prolium dominos uſuarios futuros. p.59.n.179

Si homo filium ex materia externa (putà, ligni, terræ, &c.) ſuo arbitrio proprietariè ſubjectâ produceret, eſſet illius vitæ dominus. Non ſecus, ſi animam filii produceret. p.59.n.179

Quia corpus filii eſt pars corporis paterni deciſa, in quam parens non habebat dominium proprietatis directum, ante deciſionem, ideò nec poſt deciſionem illud habet. ibid.

Quia anima, filii pars eſt, quam pater non genuit, & cujus non habet dominium directum ante unionem, ideò nec illud habet poſt unionem; nam unire non eſt dominium adquirere. ibid.

CAPVT V.

De Dominio Phyſicæ Iuriſdictionis.

PHyſica Iuriſdictio, eſt dominium naturale utile perſonale; vi cujus homo habet in hominem authoritatem, indirectam in ſubſtantiam ipſam at directam in liberos ſubſtantiæ fructus, hoc eſt operationes. p.62.n.180

Sanè omnis phyſica prædeterminatio, quæ libertatem non involvit, ad innatum appetitum pertinet, & non ad phyſicam gubernationem; quia hæc ſine libertate intelligi non poteſt. ibid.

Cum cauſa liberè prædeterminat, id eſt, cooperatur exiſtentiam aut non exiſtentiam ſubſtantialis effectûs, datur prædeterminatio, præmotio, cooperatio, quæ ad dominium uſuariæ proprietatis pertinent. nam juriſdictio non producit aut deſtruit directè ſubſtantias. ibid.

Cùm cauſa libere prædeterminat, non jam ſubſtantiæ exiſtentiam aut non exiſtentiam, ſed operationem aut non operationem, dicitur illam phyſicè gubernare, & actum Iuriſdictionis exercere. ibid.

Major libertas requiritur pro dominio juriſdictionis quam pro poſſeſſionis. Infantes & amentes res poſſident. p.30. & 37. num.67. & 91

Deſtruere non poſſunt. p.30.n.67

At perpetuò amentes gubernare non poſſunt. p.63.n.181

Summus Pontifex dignitate excidit, ſi in perpetuam incidat amentiam. pag.63. num.181

DISPVTATIO I.

An in Deo reperiantur paſſivæ prædeterminationes phyſicæ.

Non reperiuntur illatæ ab extrinſeco. Omnes formalitates divinæ ſe ſe exigunt appetitu innato infinito: omnes etiam operationes neceſſariæ. pag 63. n.182. & 183

Nullus actus Dei liber prædeterminatur à creaturæ tanquam à domina. pag. 63. num. 184

Dantur actus multi liberi in Deo, quibus poſitis

positis alii necessariò debeant poni; sed hi secundi à primis nec imperantur, nec prædeterminantur, sed inferuntur infinitâ necessitate consequentiæ, ut videre est in libera gloriæ donatione quæ posita promissione, & conditionibus impletis, negari non potest. p.63.n.186

DISPVTATIO II.

An Deus creaturas physicè prædeterminet.

Deus est hominis perfectus dominus; adeóque usuarius, quia potest substantiam destruere; utilis realis, quia potest illo uti, & actibus ejus necessariis; utilis etiam personalis, quia potest illum physicè & naturaliter dirigere, ut infallibiliter operaturus sit, quod Deus voluerit, illæsâ tamen humanâ voluntate. p.64.n.187

Sed quid ipsa physica prædeterminatio? forte auxilium, fortè cooperatio. p.65. num.191

Lex divina physicæ jurisdictionis definitur, Regula, vi cujus agens ad agendum infallibiliter inducitur, & ab agendo infallibiliter retrahitur; posita à Deo sine intentione obligandi moraliter. p.46.n.129

Vnde tametsi bene cognoscatur, obligandi rationem non habet. p.66.n.199

Differt ab idea, quod hæc actus sit mentis, & illa voluntatis. p.65.n.193

Hæc æterna Lex, hoc æternum dominium, est ipsa Divina providētia. p.65.n.195

Legi æternæ præceptivæ, morali sæpe non obeditur: nemo est qui non obediat legi physicæ. p.65.n.196

Omnes providentiæ, seu leges æternæ, intrinsecè sunt una formalitas; extrinsecè multiplicantur secundùm terminos diversos quos concernunt. Eadem enim voluntas Dei, prout non necessitatur, vocatur libertas, *prout res creat & gubernat* omnipotentia, *prout favet pauperibus* misericordia, *prout punit peccatores* justitia. *& tamen intrinsecè est una & indivisibilis formalitas.* p.66.n.197

Necessaria quà talia (divina humana) physico regimini Dei non subsistunt. p.24 38. & 63.n.33.100. & 182

Bene tamen contingentia: an omnia? libera & non-libera à Deo gubernantur. sed utrum hæ gubernationes eodem debeant nomine insigniri controversia est grammatica. dicamus dari regimen non liberarum rerum, & jurisdictionem liberarum. p.67.n.203

DISPVTATIO III.

An creatura possit creaturam physicè prædeterminare.

Potest. Nam homo intra se prædeterminat actiones omnium potentiarum, quæ obedientes vocantur, & omnibus actibus imperatis jus dicit. & extra se multa movet alterat applicatione & arte. p 67.n.204

Sicut homo prædeterminat imperando, sic agentia non libera inferendo, & hæc prædeterminatio sympathia nominatur; cujus vires quia satis sunt notæ, & obvijs exemplis illustratæ, non debent ampliùs dilucidari. p.67.n.204

Dico nihilominus primo. Quotiescumque res prædeterminata non est causata à prædeterminante (physice aut moraliter, negative aut positive) illa prædeterminatio physica ad innatum appetitum spectat. Secundò. Quotiescumque causa prædeterminans non est libera in prædeterminando, illa prædeterminatio ad eumdem innatum appetitum spectat. Tertiò, Cùm homo aut Angelus rem à se causatam physice prædeterminat ad existendum aut ad non existendum exercet actum veri & directi dominii physicæ proprietatis. Quartò, Cùm homo aut Angelus, sibi, aut rei à se productæ non jam existentiam sed operationem libere prædeterminat, elicit actum physicæ jurisdictionis. ibid.

DISPVTATIO IV.

An aliquando peccetur contra legem divinam realiter & physicè prædeterminantem.

Respondeo negativè. p.66.n.199

Auxilium est duplex. nimirum, efficax & inefficax. p.68.n.206

Non differunt intrinsecè & entitative. p.68.n.207

Auxilium efficax ad unam partem contradictionis, est inefficax ad alteram. p.68 n.208

An debeat vocari auxilium *regas. Respondeo non omnem prædeterminationem aut cooperationem, sed quæ ad bonum* auxilium *nuncupari.* p.58.n.209

Bruta infallibiliter tantur ad unum, quia suo ipsa ingenio determinata ad unum sunt; non enim sunt agentia libera. p.68. & 69.n.210.& 211

Positâ physicâ prædeterminatione, decret aut præscientiâ audiendæ Missæ, illam non audire, & tamen possum / non possum *resistere*

reſiſtere Deo, fruſtrare decreto, & reddere ſcientiam fallacem, quia hæc ipſa potentia ab auxilio decreto & præſcientiâ exigitur, à quibus non prædeterminor ut audiam neceſſariò Miſſam, ſed ut liberè, ita ut poſsim illam non audire ſi velim. p.69.n.212

Hic eſt verus modus defendendi phyſicas prædeterminationes, in quo videntur præcipui Thomiſtæ hallucinari. ibid.

APPENDIX

De Angelorum Dominio.

ANgelus nomen eſt officii communis, non naturæ. p.69.n.214

Sed & officii ſpecialis ſunt nomina Michaël, Gabriel, Raphaël *& alia, quæ propria putantur. Angeli igitur, innati appetitus lege ſuam exiſtentiam deſiderant & poſsident, & ſuam non-exiſtentiam odio habent.* p.69.n.215.

Multa ſunt in quæ Angelus habet dominium proprietatis. p.69.n.216

Sunt ſui domini utiles & indirecti; in ſuas actiones juriſdictionem habent. pag.69. num.217

Sunt directi domini omnium ſubſtantiarum, quas producunt. p.69.n.218

Indirecti omnium quas deſtruunt in genere cauſæ principalis. p.69.n.219

Multas leguntur ut cauſæ inſtrumentales deleviſſe. p.70.n.220.221

Veroſimile eſt, etiam aliquas ut principales. p.70.n.122

Si Angeli eſſent mortales, probabiliùs dicerentur legibus obſtricti & privilegiis quibus nos. p.71.n.225

LIBER II.

De Lege Morali ſeu Virtuali.

DIVISIO Legis virtualis aut moralis in Infinitam & Finitam eſt ſyſtematica, & ſimilis diviſioni Entis in Increatum & Creatum. p.75 n.234

Categorema utriuſque Legis, & in ipſo analogiam propoſuimus in hujus Compendii Proœmio Libro primo; ſyſtema Legis phyſicæ. p.28.n.55

Legis moralis exactè parallelum & ſimile. p.75.n.234

Vnde apertè colligitur oportere de moralibus moraliter philoſophari, ut de phyſicis phyſicè. p.75.n.235

Violentia opponitur legi innatæ. ibid. k

Furta, latrocinia & rapinæ dominio reali directo aut indirecto. ibid. l. m.

Dominium perſonale fert legem quæ bifariam explicari poteſt. Hæc Lex, Ama Deum, ama proximum, *vel æquivalet huic*, Volo, quòd ames Deum & Proximum, *vel huic*, Ego ſtatuo ut nullus amet Deum aut' proximum propter Deum ſine merito; & nullus hunc amorem omittat (contrariè) ſine peccato. *Si primo exponas modo, violari ſolet, ſi ſecundo non poteſt.* ibid. n.

CAPVT I.

De Lege innata virtuali ſeu morali.

INnata hæc Lex in innato morali appetitu conſiſtit, nam ſicut dicimus corpus phyſicum humanum innato appetitu partes ſuas & illa ſine quibus eſſe nequit appetere, illa renuere quibuſcum nequit eſſe, ſic etiam in corpore myſtico & morali tenemus moraliter appetere ſuas partes & omnia ad ſuam conſervationem requiſita, & carentiam omnium illarum rerum quæ ſuæ poſſunt conſervationi & incolumitati nocere. pag.75. num.234

CAPVT II.

De Dominio proprietatis moralis ſeu virtualis.

NAturale rerum dominium, ſi actuale, in libera vera & phyſica productione conſiſtit; adeóque ſervata analogia conſiſtet morale dominium in morali. Ille moraliter produxiſſe rem dicitur, qui tametſi rem non produxerit vere & realiter, ita ſe habet ac ſi realiter illam produxiſſet. p.78.n.240

Productioni opponitur deſtructio, & eſt actus perdendi dominium. ibid.

Modi igitur adquirendi & perdendi morale dominium ſunt, Inventio & Amiſſio. p.78.&79.n.241 & 263

Servatio & Manumiſſio. p.78.n.242

Curatio & Corruptio. p.79.n.245

Adoptio & Exfiliatio. p.79.n.246

Naturalizatio & Proscriptio. *ibid.*
Repræsentatio. *p.77.n.247*
Receptio & Donatio. *p.77.n.248*
Emptio & Venditio. *p.78.n.249*
Mixtio. *p.78.n.250*
Præscriptio. *p.78.n.251*
Amortizatio. *p.78.n.252*
Mutua res tibi ita traditur, ut dominium adquiras, sed cum obligatione tantundem mutuanti reddendi. *p.agina 78. num.253*
Depositi nec habes proprietatem, nec usum. *ibid.*
Commodati habes usus non proprietatem. *p.78.n.254*
Spe dominium non adquiritur, sed speratur. nec tenetur ad restitutionem qui facit ne habeas quæ ab aliena liberalitate speras, peccabit tamen contra charitatem si ex invidia id faciat. *pag.78. num.255*
Non adquiritur gratiæ paritate, hic enim non est bonus syllogismus, [Petrus legavit Paulo centum, ego eram gratior illi quam Paulus, ergo possum supponere mihi alia centum legata, & illa clandestinâ compensatione subripere.] *p.78.n.256*
Non adquiritur promissione etiam acceptatâ. *p.78.n.257*
Nec voto aut juramento facto Deo, aliud enim est Ego do tibi, *aliud, & omninò diversum,* Ego dabo *unde qui obtinuerit dispensationem à juramento aut voto facto Deo, homini non manebit obstrictus.* *p.79.n.258*
Non adquiritur voluntario servitio; qui enim suis expensis Regi servit, quia se exponit periculo perdendi quæ impendit, habet promotionis spem, quæ damno præsenti æquivaleat. *p.79.n.259*
Non adquiritur titulo legi quoad substantiam aut quoad modum contrario; nimirum legi non solum inhibenti sed annullanti. dantur enim leges quæ tales contractus interdicant, dantur quæ dirimant. *p.79.n.260*
E quibus constat clarè dominium non in fide ut putavit Hostiensis. *pagina 79. num.262*
Non in gratia ut VVicleffus & Husius. *p.79 num.260*
Non in Charitate, ut Gerson & Conradus. *p.79.num.261*
Sed in sola productione fundari. *pag.79. num.262*

DISPVTATIO I.

De inventione, primo titulo adquirendi dominium morale.

Sanè inventio est moralis productio Gemma in mari antequam inveniretur erat quidem physice, at quia ignorabatur, non erat humanitus, quoad nos enim ita se habebat, ac si verè non esset. Invenisti illa, & fecisti quod esset humanitùs; Ergo te movente transivit ex non-esse humanitùs ad esse humanitùs, ergo à te humanitùs & virtualiter producta est. *p.79.n.264*
Occupatio, non est adquisitio dominii, sed possessionis sumptio, dominium jam ante adquisitum supponens, nemo enim potest capere quæ sua non sunt. *pag.80. num.266*
Dominium perditur amissione, & derelictione. *p.80.n.267.268*
Invenisse & non occupasse, adquisivisse & rem adquisitam dereliquisse est. *pag.80. num.266*
De rebus quæ nullum unquam habuerunt Dominum. *pagina 81. numero 271*
Tria genera rerum inveniuntur; lapilli, gemmæ, metallorum venæ, quæ nullum unquam habuerunt dominum. Thesauri, qui habuerunt quidem dominum, ignotum tamen & antiquum. Et res quæ de facto habent dominum sed adhibita diligentiâ non comparet, ut aureus annulus qui in platea reperitur. *p.81.n.271*
De primis igitur nunc est agendum. Dico igitur, quod abstrahendo ab humanis legibus gemmæ lapides pretiosi & id genus alia, quæ in fluminibus aut marium littoribus reperiuntur sunt inventoris. quia ipse illa produxit humanitùs & moraliter. *p.81.n.272*
Si Franciscus à te conductus ut arenas marinas examinet & gemmas aut lapides pretiosos quærat, nobilissimum lapillum repererit, tibi reperit; tuo enim nomine quærit, non suo; unde tu illum invenisti ut quod, ille ut quo. *p.81. num.273*
Rex aut Magistratus non potest sibi reservare dominium gemmarum in suis littoribus inveniendarum invito populo; & eodem prorsus modo de thesauris erit philosophandum. *pagina 81. num.274.*

Supponit hæc Concluſio Leges acceptatione indigere, p.81.n.274

& inventorem eſſe gemmarum dominum, nec poſſe invitum exſpoliari. pag. 81. *num.*274

Poteſt Rex aut Magiſtratus interdicere ne exteri proprio nomine gemmas in ſuis oris perquirant, imò & inventas ab exteris mandare fiſco & hoc inconſulto populo; & eodem modo de theſauris philoſophandum. Et ratio eſt, quia hæc lex non præjudicat populo: quod ſi aliquando per accidens præjudicaret, per accidens deberet ferri ex conſenſu populi. p.81.n.277

Leges circa rerum inventionem obligant ſi fuerint acceptatæ. nimirum in eo gradu rigoris quo fuerint in uſu & non aliàs. p.81.n.278

Stando Iuri naturæ & à Legibus humanis abſtrahendo lapis pretioſus, qui in tuo campo Fridericus invenit illius eſt. p.82. *num.*282.

Nec valet dicere illum lapidem eſſe campi fructum, non enim ad campum pertinere potuit antequam eſſet, & antequam à te moraliter produceretur, hoc eſt, inveniretur, moraliter & humanitus ipſe non fuit. p.82.n.284

De authoritate Regum in gemmas, auri venas, & metallorum fodinas. p.82.n.285

Sunt qui hæc omnia adſcribant Regibus, ſunt qui nihil: at nos dicimus ex natura rei omnia pertinere ad Inventorem; quod ſi Rex legem ferat vi cujus aliquid horum aut totum ſibi adpropriet, & illam populus acceptet, juſta erit, conſentienti enim non infertur injuria. ibidem.

De rebus, quæ olim habuerunt dominum, jam non habent. *pagina* 83. *num.*286

Ex dictis conſtat, quid dicere poſſim aut debeam. Sanè omnes theſauri veteres in terra ſepulti, qui ab univerſis ignorantur, nullius ſunt. Patet, quia humanitus non ſunt, ita enim ſe habent quoad nos, ac ſi verè non eſſent pagina 83. *num.*287

Stando nudo Iuri naturæ, à legibus humanis abſtracto, omnes illi theſauri ſunt Inventoris, qui nihil tenebitur dare Regi, nihil Reipublicæ, nihil domino fundi, in quo reperti: quia à ſolo Inventore humanitùs producti ſunt. p.83. *num.*287. b

Operarius conductus ut puteum effodiat, non tamen ut theſaurum quærat, ſi aurum inveniat ſibi invenit ut quod, adeóque dominium adquirit; ſolam enim aquam fodiendo quærit ut quo. p.83.n.288

Rex aut Magiſtratus non potes ſibi reſervare dominium theſaurorum invenien-dorum populo invito niſi ſit hæc reſervatio ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem Reipublicæ. volente & conſentiente populo poteſt. p.84.n.289

In Iure communi, *hæ Leges latæ.*

I. *Theſaurus caſu aut induſtria inventus in fundo proprio Inventoris eſto.*

II. *Inventus caſu in fundo alieno, ab Inventore & fundi Domino in partes æquales dividitur.*

III. *Inventus in fundo alieno ex induſtria non ſuperſtitioſa ſed naturali inſcio tamen & inconſulto fundi domino, totus domini fundi non tamen inventoris eſto.*

IV. *Inventum arte diabolicâ fiſcus habeto.* p.84.n.290

Non definitivæ ſed purè pœnales leges ſunt, adeóque ante judicis condemnationem inventor illum poteſt tutâ conſcientiâ retinere. p.85.n.296

Si tamen fundus habeat plures poſſeſſores, inventor habebit quod aliàs, & in partem quæ fundi domino ex lege deberetur, illi habebunt talem modum poßidendi & dividendi qualem in ipſo fundo. p.85.n.298.ad 303

Qui ſcit theſaurum latere in tali domo poteſt illam emere currente pretio, & totum ſibi retinere. p.87.n.307

Theſaurus inventus in loco ſacro eſt inventoris. p.87.n.308

Iura particularia *etiam conſideranda ſunt, hæc enim limitant aut interpretantur communia, Hiſpanica aliqua dedimus numero* 304. *ut Lectorem curioſum moneremus patrias etiam Leges examinare.*

De lignis inundatione tranſlatis. p.87. *num.*309

Vt benè philoſophemur debemus præſumere eorum dominum prudentem eſſe. ibidem.

*& tenere, quod quotieſcumque ligna tot leucis ſunt inundatione provecta, ut rebus omnibus conſideratis dominus in quærendis extrahendis, & ibi vel in proximo loco vendendis tantas expenſas faceret, ut nihil lucraretur, cenſeri debent derelicta. non aliàs. pag.*87. *num.*310

Civitas inferior non potest capere quæ fluvius à superiore rapuit, nisi titulo compensationis, aut vi legis publicæ latæ à communi Principe. p.88.n.313
Potest regnum inferiùs, quia leges unius ab alio non dependent. p.88.n.315
De bonis naufragis. p.88.n.316
Bullâ cœnæ excommunicantur, qui rapiunt aut furantur naufraga bona. p.89.n.321
Non erit fur aut raptor, qui illa capiat ex lege. Potest Respublica talem ferre, quæ omnia naufragorum bona fisco adtribuat. Et hæc lex nemini erit injuria qui enim non velit illam acceptare, poterit in suo portu manere. p.88.n.317
In diversis portubus leges sunt variæ; communiores dedi. p.88 n.316
De rebus, quæ habent de facto dominum, sed inventori ignotum, *agens dico esse inventoris, si juri naturali stetur.* p.89.n.322
Possunt tamen dari leges particulares humanæ, quæ de illis disponant. quæ si acceptentur erunt obligatoriæ. p.89.n.323
Imò de facto dantur. p.90.n.326
Moralésne, an pœnales? Reliquæ, tametsi thesauros integros respiciant, pœnales sunt, nec obligant ante sententiam. p.85. num.296
Ergo à fortiori hæ, non enim credenda est Respublica graviùs inhibere minora. p.90.n.329
De amissione destructiva moraliter. p.91.n.330
Vt res amissa credatur, debet inventor feciſſe diligentius congruentes ut dominum rei inventæ cognosceret. ibid.

DISPVTATIO II.

De servatione secundo modo adquirendi dominium morale.

Hispanis, Italis, & aliis omninò nationibus, quæ servos habent, hæc disputatio necessaria est. p.92.n.334
Hostis publicus antequam capiatur, amicus non est: cum capitur, non fit amicus, sed hostis captus; eo jure quo oppugnare potuit, potest dominum suum occidere & fugere. p.93.& 97. n.337. & 357
Antequam capiatur, cùm capitur, & postquam fuerit captus, ni pactum interſit, occidi potest. p.93.n.335
Pactum solet esse publicum vel privatum; illud servari omninò debet, etiam hoc ni contra publicum. p.93.n.337
Nomenclator. *Mancipium est homo captivus, qui redigi in servitutem potest; hic est, qui occidi aut servari, hoc est fieri servus potest. Servus est homo jam servatus; homo homini, ut proprietario domino in omnibus excepta vita, realiter & personaliter subditus; nimirum, ut res & ut persona. Captus sive captivus dicitur, qui jure publico aut personali pacto, ita arma cedit & capitur, ut occidi non possit.* p.93.& 100 n.337 & 367
Si hostes violent pactum & aliquem nostrum contra promissionem occidant, poterimúsne nos aliquem recompensationis jure etiam tametsi sub salutis pacto captum occidere? Capiendum poterimus sine ulla controversia; imò videmur posse captum, nam omnia pacta creduntur esse conditionalia, & hostibus fidem violantibus non subsistere. pag.93. num.338
Petro concessum fuit, ne capto hosti salutem concederet. Ioanni illam se strenuè defendenti obtulit, & hac fraude victoriam obtinuit. hominem cepit, lythrum extorsit, & vitæ pretio accepto illum occidit. Petitur, quî Petrus peccaverit? Et respondeo non substitisse illud privatum pactum, debuisse Ioannem occidere; spoliare potuisse. non tamen potuisse decipere. Peccavit igitur mentiendo, non tamen tenetur ad restitutionem vitæ aut pecuniarum. Et mendacium illud cùm vergat in perniciem Reipublicæ videretur mortale. p.94.n.339
Ecclesiastici capti solent sine lythro remitti, solent redimi, at inter Catholicos occidi non solent. p.94.n.340
Possémne? Minimè, ni fuerit necessarium; necessitas enim lege caret. p.95.n.341
De servis captis. p.95.n.342
Si victor injustum bellum gerat, nequit victus servitutem incurrere. Servatio ut sit valida debet esse utrique (victori & victo) voluntaria. ibidem, & pag.96. num.347
Privatum & publicum aggressorem, si aliter vim repellere nequeo, occidere possum. Non semper teneor cùm occidere possum. p.95.n.344
Contingit ut militiæ Princeps teneatur multos hostes occidere, sed & tunc non tenetur Petrum in particulari. ibid.
Si bellum sit utrimque probabile validam servitutem incurrimus; hostes enim sæpè non occiduntur in pœnam, sed in tutelam, eo modo quo delirus, qui invaderet, si non aliter evadere quam occidendo posses. p.96.n.345

Ius quod habemus occidendi hostes, non est dominium directum usuarium, sed authoritas indirecta quæ oritur ex jure nos conservandi & defendendi, quod habemus. p.96.n.346

Sanè ex jure naturæ bello justo capti, possunt servari; si serventur, potest ita illis vita concedi ut incidant in servitutem. p.96.n.347

Tenetur homo occidendus servitutem oblatam acceptare, ni fuerit morte pejor. ibid.

Consuetudine inter Christianos introductum est, ut captivi qui servantur, servi non fiant. p.96.n.348

Quâ non obstante possit quicumque Princeps supremus contrarium statuere, ut fecit olim Clodovæus Galliarum Rex. ibid.

Potest Respublica ut nulla sint mancipia, nulli servi, decernere. Imò id multæ illustres decreverunt. p.96.n.349

Sed hæc ipsa publica pietas contra bonum publicum militaret, si Reipublicæ nonnulli servi facti non possent commodè redimi, tunc enim expediret hostes vicissim servos facere. ibid.

Hispanorum mancipia, quæ in Belgium intrant, libertate donantur. p.97.n.350

Sunt postea libera etsi in Hispaniam redeant; nam si à suis dominis manumitterentur in Belgio, non incurrerent secundam servitutem, si in Hispaniam redirent; ergo nec incurrent illam manumissa à Respublica, penes quam jus supremum est. p.97.n.351

Nemo potest donari veniâ ad tempus, nec libertate ad tempus, nec occidi ad tempus. Si amicus Dei es, æternum eris, ni peccato novo inimicus reddaris: si liber, æternùm eris liber, ni novo titulo servitutem incurras; si occidaris, manebis mortuus usque ad diem judicii, ni nova Dei misericordiâ susciteris. p.97.n.352 & 353

Potest decernere Respublica, ne servi sint totaliter servi, sed habeant tales & tales immunitates. p.97.n.354

Non potest tamen concedere mortis & vitæ potestatem in servos, qui de facto sunt capti. p.97.n.355

Sed in capiendos potest. p.97.n.356

Sed illi mancipia essent, servi non essent. p.97.n.357

De servis condemnatis. *Olim ob crimina aliqui servitute damnati, quibus videntur hodie esse similes, qui mitti solent ad triremes, aut ad metallorum fodinas.* p.98.n.359

De servis natis. *Plus subsunt filii mancipii domino, quàm suo patri, quia plus illud domino subest quam sibi. occidi à domino illud potest, à se non potest. & hinc constat plus authoritatis dominium in mancipii filios adquirere, quàm adquireret pater si esset liber.* p.98.n.361

Servus igitur jure nativitatis hodie, qui ab ancilla natus. sic leges humanæ disponunt, nam mater ostendi clarè potest, pater non semper potest. p.99.n.363

At stando jure naturæ, deberet è servis natus ad dominos utriusque parentis pertinere. & natus ex ancilla & libero, aut ex libera & servo, esset semiservus & semiliber. domino suo ex parte tantum teneretur. Et si dicerentur parentes totalitate effectûs sed causæ partialitate concurrere, esset totus servus, totus liber; in quo contradictionem nullam, sed graves difficultates Legislatores reperientes, omnia publico decreto limitarunt. p.99.n.362

In favorem prolis concedentes ut si à conceptione inclusive ad nativitatem inclusive mater in aliquo instanti fuerit libera, filius sit liber. p.99.n.363

Si ancilla prægnans venditur, cujus est proles? primi an secundi domini? forte neutrius. videtur omninò res dubia. p.99.n.364

De servis emptis. p.100.n.365

Venditor non potest plus alienare quàm habet; unde nec servi emptor plus jus adquirit, quàm qui vendidit. ibid.

Homo non potest se vendere in verum servum, ita ut filios domino suo generet, non sibi: nec potest vendere filios in veros servos. p.100.& 112.n.366.& 429

Nec potest in ludo perdere libertatem. p.114.n.438

Servos esse incapaces dominii, *certum est.* p.101.n.369.& 371

At æque certum mancipia esse capacia. violentia enim non mutat rerum naturas, sed exercitium impedit. pag.101. num.370

His tamen nõ obstantibus in res unico actu consumptibiles adquirunt verum dominium mancipium, servus, famulus, filius, religiosus. quia in rebus talibus usus non differt à dominio. p.102.n.379

Vbi domesticis dantur cibi determinati (Hisp. *quando se dan raciones*) *potest mancipium, servus, famulus, filius, religiosus sibi aliquid detrahere, & dare pauperi aut amico.* p.102.n.380

Vbi cibi non determinantur, non peccarent contra justitiam eadem personæ, si id quod aliàs essent comesturæ & possent decenter

decenter non comedere, darent alicui pauperi aut amico: cæterùm si ad satietatem comederint, nihil donare poterunt. p.103.n.381

Eadem personæ, si ex cibis ordinariis domûs suæ soleant clandestinè aliquid sumere, & hoc frequentissimè, ut consumant in actualem usum sui aut aliorum domesticorum, non peccabunt in furti materia. p.103.n.382

Possunt horis vacantibus. si sine officii sui detrimento possint, servire amico; putà, pingendo, scribendo, cælando. pag.103. num.383

Qui venditur, posset sub aliquibus articulis vendi, & tunc isti essent omninò servandi. p.103.n.384

In res permanentes, nec servus (adæquatè talis) nec religiosus solenniter professus, habere aut adquirere dominium potest. p.103.num.385

Nullus casus dabitur, in quo aut servus aut religiosus solenniter professus (quin illorum status alteretur aut mitigetur) possit alicujus rei permanentis dominium adquirere. p.104.n.386

Nec in hoc potest dispensare solennis religiosi aut servi superior. p.114.n.439

Aliter, quàm totalem illorum statum (monachatum, servitutem) in partialem vertendo. p.114.n.437

Possunt-ne servi fugere? *Qui se in servum verum vendidit, verus servus non est, & fugere potest.* p.106.n.398

Venditus à patre in verum servum verus servus non est, sed fugere potest. p.106. num.399

Mancipium, seu servus potentialis, vi detinetur, licite fugere potest. pag.107 num.402

Si probabiliter existimet se justam causam defendisse, non solùm potest licitè fugere, sed & dominium suum occidere aut spoliare. ibid.

Servus actualis, hoc est, jam servatus amicus domini sui est; & sicut nec lædi, ita neque lædere potest. debet domino suo adsistere, nec habet aliam fugiendi potestatem, quam leges civiles concedunt. p.107.n 403

Ipsæ (mancipiis ut probabiliùs puto; servis ut alii existimant) ut ad suos revertantur indulgent. p.107. & 108.n.401. & 405

Servus suos positivè *vocat homines suæ patriæ, suæ factionis,* suos *etiam suorum confœderatos & amicos;* suos negativè, *homines naturales, homines qui hostes aut confœderati non sunt.* pag.108. num.405

Servi vernaculi habent patriam suæ matris. pag.109.num.407

Servo, qui potest fugere, licite fuga persuadebitur. p.109.n.408

Non semper est clemens manumissio: improbæ enim indolis homines, si dimittantur, scelera committunt, & tandem chordæ etiam mitti solent in cruce. p.109.n.409

De omnibus juri alieno subditis. *Ancilla sollicitata à domino, ut periculum illud effugiat, potest fugere, nec tenetur reverti, nisi cesset periculum, & dominus paratus sit nullam illi pœnam & nullum gravamen inferre.* pag.109. num.414

Sed inquiris, An possit etiam fugere Ancilla, si ipsa inordinate amet suum dominum, eúmque sollicitet, & experiatur se continentiam moraliter servare non posse? An quæcumque altera persona cohabitandi alteri necessitudine obstricta, si videat proximum peccandi periculum? An Confessarius, qui cogitur audire Confessiones, & tamen scit solere consentire & peccare occasione à sordibus auditis desumptâ? An & Monialium pater propriæ fragilitatis conscius? An monialis quæ à suo Abbate aut Confessario sollicitarentur? Respondeo ex Sanchez posse, quando datur ipsi scandalum ita grave, ut continentiam servare non potest; addo dari scandalum, quando positive sollicitatur. At quando scandalum non datur sed recipitur; quando alii sanctè procedunt; qui vult scandalum recipere, fugere non potest, sed debet suam malam voluntatem corrigere, & corpus suum castigare, idque jejunio, disciplina, cilicio & oratione in congruentem servitutem redigere. p.110.n.415

An licite aliquis possit malle mori, quam servitutis miseram conditionem admittere? Respondeo hominem non posse sibi mortem conscisere, at non semper teneri ponere omnia media positiva, ut mortem evadat. p.111.n.422

Potest Carthusianus abstinere à carnibus etsi necessariæ credantur; fœmina non ostendere verenda Medico, tametsi aliàs sine remedio moritura; potest homo non uti pharmaco pretiosissimo; imò potest nullo: ergo & potest non uti servitute, si hæc negatio duos effectus habere contingat. Et ne ex propriis terminis egrediamur. Comiti de Fontane seni, ægroto, sed Duci generali,

rali, jubet hostis, ut manum ætate tremulam & arma quæ ponderi illi erant submittat. At ille non submittendo & suos militet animat, & hostem irritat. Priùs illud intendit generosus, abstrahit à posteriore. & ideò suorum animositatem ex intentione confirmavit, & fuit ab inurbano & ignobili milite præter intentionem occisus. Sed hæc omnia in Præterintentionali Theologiæ Moralis parte retractabuntur. p.111.n.425

Vocum aliquot significatio. *Servitus libertati opponitur, & quia peccatum gratia hoc est libertate consilii & jure ad libertatem beneplaciti, gravis peccati reus servus dicitur.* p.110.n.416

Cui etiam nomen id competit vitiorum & passionum mancipio, in rogos æternos servato. p.112.n.428

Natura fecit prudentes & indoctos, illos ut regant, hi ut regantur, unde servitus latè sumpta pro obediendi conditione, est secundum naturam. p.110.n.418

Strictè sumpta non est contra naturam sed præter. p.112.n.426

Pro Mercatoribus *notandum est, Lusitanos legitimè posse emere Indos captos ab Indis justo bello.* p.114.n.439

Item injustè captos, si aliàs occidendi ipsi sint, tunc enim in extrema necessitate constituti pretio libertatis juvantur. p.114.n.440

Libertas recuperari potest. *Si manumittatur servus à domino.* p.115.n.441

Si à Republica in virtutis præmium. p.115. num.443

Aut in domini peccantis supplicium p.115 num.444

Morte domini non recuperat libertatem est enim bonorum pars, & transire debet ad hæredes. p.115.n.442

Moribundus potest servum libertate donare. p.116.n.450

Dominus tenetur alere servum, vel manumittere. p.116.n.451

Servus invitus manumitti non potest. p.116 num.451

Servus & Famulus *sic comparari debent, sic distingui.* p.113.n.434

Neuter occidi potest. Vtrique victus & amictus debetur. servo juxta discretionem domini, famulo juxta contractum.

Salarium datur famulo, non servo. Famuli tempus vel est arbitrarium vel determinatum. alterutrum sit finitum est. si determinatum, nec egredi sine licentia, nec dimitti involuntarius potest, modo bene servierit. at servitus perpetua est, & transit ad posteros ad quos famulitium non transit. p.113.n.434

Potest unus & idem homo in uno loco esse dominus, in alio famulus, in alio servus. p.138.202.n.565.880

De servitute reali. *Duplex est, realis-personalis, quæ mixta, & realis-realis, quæ pure-realis appellatur. Illa est quæ à re personæ debetur, & in Vsumfructum, Vsum, & Habitationem dividitur. Hæc est, quæ debetur rei à re, ut transitus hominum, animantium, aquarum.* p.118.n.467

DISPVTATIO III.

An Curatio & Corruptio legitimus sit titulus adquirendi & perdendi dominium.

Corruptio est rei humano usui servientis pejoratio; Curatio est pristinæ perfectionis restitutio. p.118.n.469

Corruptione dominium amittitur, partialiter partiali, totaliter totali. pag.118. num.471

Mercator, si ipsi mercium dimidium corrumpatur, non potest reliquum vendere pretio majori sumo, sed debet currente. p.118.n.474

Si Respublica non determinet pretium, illud augetur raritate, cum rebus multis corruptis, paucæ manent. p.118.n.475

Cibos corruptos & nocivos, etsi gulosi homines sint qui velint emere, mercator vendere non potest. p.118.n.476

Qui scit vinum curare (idem de rebus aliis dico) potest corruptum vili emere pretio, recurare, & vendere pretio competenti. p.119.n.477

Quod si non sit ad id publico aut privato stipendio conductus, non tenetur suam artem docere. p.119.n.478

Servum ægrotum potest quis emere minori pretio, ut eum recuret, & vendat majori. p.120.n.480

Homo Christianus curatione servitutem incurrere non potest. p.120.n.481

Barbarus fortè potest. p.120.n.482

Qui feras capit, & aut cicures detinet, aut vinculis cogit, earum dominus est. p.120 num.483

Si ipsæ in sylvam redeant, iterum ad neminem spectare incipiunt. [*Pono sylvam esse communem nec interdictam venationem.* ibid.

DISPVTATIO IV.

An per Filiationem & Cognationem rerum adquiratur dominium.

Hæc conſequentia, Eſt filius, ergo & hæres, *eſt bona ex natura rei, aliàs Paulus Romanos non urſiſſet.* p.123.n.490

Varii fuerunt & ſunt ſuccedendi mores in diverſis Provinciis. p.123.n.492

Et in aliquibus filiis fratres videmus anteponi. p.124.n.498

Stando æquitati, Petro ſuccedit filius, ſi careat filio pater. p.125.n.504

Poſtea frater, cui uxor debet poſtponi p.125. num.505

Conjuges ſunt duo in carne una. non tamen id competit amaſiis. ibid.

Nulla hæreditas ab intrinſeco & eſſentialiter petit dividi, aut petit non divtdi. p.128.n.523

Reſpublica innato appetitu morali petit ſuam conſervationem, adeóque omnia quæ conducunt ad illam. Ergo nec nimium extendi, nec decircinari & diminui ibid.

Vidimus Imperium dividi. p.125 n.507

Galliam, Hiſpaniam. p.127.n.517

& experientia docuit fuiſſe has diſtributiones perniciosas. ibid.

Indiget Reſpublica hominibus nobilibus & potentibus, adeóque in ipſa opulentæ aliquot debent hæreditates ſine diviſione conſervari. p.128.n.523

Abſtrahendo à civilibus legibus mortuo Patri omnes filii in hæreditate ſuccedunt diviſibiliter tamen. p.130.n.536

Conſanguinei *dicuntur*, quorum alter ab altero, aut uterque ab eodem proceſſit. p.130.n.538

In conſanguinitate phyſica nulli ſunt termini; neceſſariò ſunt ponendi in morali. p.93.n.337

Matrimonia inter avum & neptem, aviam & nepotem, fratrem & ſororem, ſunt valida jure naturæ; invalida tamen jure humano. p.131.n.543.& 544

Communis ſententia tenet patris & filiæ, matris & filii matrimonia jure naturæ invalida. p.132.n.545

Alii erat graduum conſideratio in Lege veteri. p.133.n.546

Imò & in nova olim, nam moralis conſanguinitas ad ſeptimum gradum extendebatur. quæ jam ad quartum incluſivè. hodie enim cognati qui quinque diſtant gradibus poſſunt inire matrimonium. p.133.n.548

Affinitas eſt propinquitas perſonarum proveniens ex carnali copula perfecta (*talis eſt, in qua uterque decidit ſemen intra vas*) licitâ aut illicitâ. p.133.n.549

Licita dirimit matrimonium in quarto gradu, ut etiam conſanguinitas. illicita autem non ſe extendit ultra ſecundum. p.143.n.591

Impedimentum Affinitatis eſt dirimens, ſed Eccleſiaſticum. ibid.

Cognatio ſpiritualis *definitur*, Propinquitas quædam perſonarum ex Baptiſmo aut Confirmatione conſurgens, & hoc ante ipſum matrimonium. p.143.n.592

Conjungit baptizatum cum baptizante & cum patrinis: & baptizantem & patrinos cum parentibus baptizati. Violatur copulâ, ſed non transfunditur. Patrini poſſunt fieri conjuges, & conjuges eſſe patrini. p.134.n.552

Cognatio legalis *definitur*, Propinquitas ex adoptione proveniens. p.135 num.553

Adoptans non poteſt contrahere cum adoptato, nec cum ejus poſteris uſque ad quartam generationem: nec cum adoptati uxore. ſicut nec adoptantis uxor cum adoptato. Filius adoptantis non poteſt ducere adoptatam, nec filia nubere adoptanti, quouſque vel moriatur adoptans, vel ipſi emancipentur. pag.135 num.554

Conſanguinitas in ordine ad hæreditatem. p.145 n.555

Deficientibus, aſcendentibus, deſcendentibus, fratribus, & eorum filiis ſuccedunt propinquiores per capita uſque ad decimum gradum incluſivè. p.135.n.556

An hæc Lex locum etiam habet in coronis & ſucceſsione Provinciarum? Non puto. p.135.n.557

Sanè in legitima inſtitutione Monarchiæ poſſunt leges qualeſcumque ferri de hæreditate; nimirum, excludentes, aut admittentes notos & fœminas. vocantes proximiorem Inſtitutori aut ultimo Poſſeſſori. & hoc pro arbitrio ſine ullo limine aut gradibus determinatis p.136 num.558

Poſt Monarchiæ inſtitutionem, ſi jura de ſucceſsione alterentur, ſolum obligabunt ſubditos, & hos ſine præjudicio juris jam adquiſiti: non verò illos, qui coronæ non ſubſunt. p.137.n.560

DISPVTATIO V.

An naturalizatione adquiratur dominium.

Indigenæ ſunt qui in loco nati; Naturalizati,

zati, qui nati alibi obtinuerunt privilegium, vi cujus ita se habeant, ac si Indigenæ essent. p.137.n.562
Polygenii (vulgò Genisari) qui ratione parentum ad unam ratione nativitatis ad aliam patriam pertinent. p.137.n.563
Summis solent donari privilegiis, & nihilominus utrobique miseri sunt; nam natus ex Hispanis in Belgio, in Belgio Hispanus, & Belga in Hispania putatur. ibid.
Exnaturalizatur aliquis, cum obtinet privilegium vi cujus ita se habeat, ac si in tali loco natus non esset. p.138.n.564
Potest homo physicè nasci in duobus aut pluribus locis, potest moraliter. pag. 138. num.565
Vasalli alii tenentur dominis realiter, alii personaliter; illi ratione rerum, hoc est, bonorum, hi ratione personarum. illi possunt cedere bonis & excedere, isti remanere tenentur. at ipsi modo non discedant, videntur posse donari alicujus civitatis privilegiis, non enim repugnat hominem in uno loco servum & in altero liberum. ibid.
Dominium Naturalizatione adquiritur, Exnaturalizatione perditur in sylvas, fontes, pascua, & loca indigenis universis communia. p.137.n.562

DISPVTATIO VI.

An repræsentatione rerum dominium adquiratur,

Assertivè respondeo, quia ejus vi filius in omnia Parentis, quem repræsentat, succedit. p.138.n.566
Et tribus modis probabiliter & plausibiliter potest explicari vel per modum unionis moralis hypostaticæ, aut moralis idemtificationis, aut tandem moralis transsubstantiationis. p.138.n.567
Explicatur tamen per moralem transsubstantiationem probabiliùs. p.139.n.570

DISPVTATIO VII.

An etiam dominium legitimatione adquiri possit.

Legitimatio est privilegium exercens potentiam moralem in præteritum; & nothi parentes fortè jam mortuos virtuali matrimonio conjungens. p.139.n.571
Potentia moralis ad præteritum in legitimatione, in adoptione, in venia & in aliis multis reperitur. p.139.n.572
Legitimationis virtute nothus qui revera illegitimus est, ita se habet, ac si verè legitimus esset; adeóque potest, ut legitimi solent, succedere. ibid. b.

DISPVTATIO VIII.

An dominium transferri in adoptione possit.

Adoptio, ut placet vulgo, est extraneæ personæ in filium adsumptio. pag. 140 num.573
At stando rigori est quædam productio moralis. ibid.
Adoptanti olim vitæ & mortis authoritas in adoptivum. p.140.n.575
Adoptio duplex est: Mancipatio & Arrogatio. In illa pater naturalis filium cedit adoptanti. in hac homo sui juris ab adoptante adsumitur. p.140.n.576
Adoptare potest homo, familia, civitas. ibid.
Vt quispiam possit adoptare debet esse vir, sui juris, major viginti quinque annis, & adoptatum octodecim excedere, & habere potentiam ad generandum tametsi morbo impeditam. p.141.n.579
Sed cur hæc omnia? Sanè stat pro ratione voluntas. p.141.n.582
Vt aliquis per mancipationem adoptetur requiritur realis præsentia; nihil aliud. adoptari enim potest puer, puella, spado, fatuus, & alius qualiscumque. p.141. num.575
Sed cur realis præsentia requiritur? quia sic legislatori placuit, penes quem est jubere ut moralis sufficiat. p.141.n.582
Vt tamen arrogetur debet habere usum rationis politicum. p.141.n.580
Adoptivus ita se habet ac si esset filius, adeóque fit hæres adoptantis. pag.141. num.582. in fin.

DISPVTATIO IX.

De donatione de futuro, seu de promissione.

Donatio definitur, contractus de præsenti quo liberaliter & nemine cogente aliquid alteri confertur. & si sit defuturo nominatur Promissio. p.142n.584.
Donare ille potest, qui habet dominium directum cum potestate alienandi p.142 num.585
Donatio est verus contractus, sed promissio non est contractus verus, & æquivocè contractus vocatur. p.143.n.589
Aliud est dicere Ego do tibi pecunias quas recepturus sum cras; *aliud & omninò diversum,* Ego dabo *in prioribus verbis est donatio, in posterioribus promissio.*

promiſsio. Promiſsio etiam acceptata non obligat in conſcientia. p. 142. & 125. *num.* 588. & 504

Qui promittit ſine animo promittendi, item ille qui cum animo promittendi, ſed ſine animo ſatisfaciendi, mentitur; adeóque peccat venialiter ante omnem acceptationem. p. 143 *n.* 592

Notandum tamen eſt verba non eſſe intelligenda in rigore grammatico ſed in politico. dantur enim promiſsiones comminatoriæ. p. 143. *n.* 593

Symbolicæ. p. 144. *n.* 597

Et exaggerantes. p. 144. *n.* 599

Quæ omnes minus ſignificant, quam ſonant. p. 144. *n.* 598

Gravitas mendacii non ſumitur à ſola re quæ dicitur, ſed etiam à perſona cui. ut ſit mortale debet eſſe in materia magna viro magno & ſuperiori legitimè roganti dictum. p. 145. *n.* 601

Qui promiſit homini vel Deo, ſine animo promittendi, etſi habuerit animum faciendi, non tenetur. p. 145. *n.* 603

Qui defloravit virginem promittens ſe illam in uxorem ducturum, ſublato omni voto aut juramento tenetur ſtare promiſsis. p. 146. *n.* 605

Promiſsio acceptata, quæ aliàs non obligaret, ſi roboretur juramento obligat moraliter. p. 146. *n.* 606

Sed ſolum ratione juramenti. unde violator non eſſet rei alienæ detentor ſed perjurus. p. 146. *n.* 607

Unde ſi impretet juramenti diſpenſationem etiam invito promiſſario liber erit. ibid. b.

Qui contractu promittit ſe daturum Petro mille aureos die Paſchatis, ſi die ſtatuto non perſolvat, peccat contra fidelitatem præſtitam, non tamen liber poſtea eſt, ſed debet ſolvere. p. 146. *n.* 608

DISPVTATIO X.

De Donatione de præſenti.

Donationem diſputatione præcedente definivimus, non dividimus in phyſicam moralémque vel ut Iuriſtæ loquuntur in perfectam & imperfectam. illa traditur res præſens, iſtâ abſens. pag. 147. *num.* 610

Utraque dividitur in Remuneratoriam, Præparatoriam, Oneroſam, Liberalem, Prodigam, & Illegitimam. pag. 147. *num.* 611

Item in eam quæ eſt inter vivos, & eam quæ eſt causâ mortis. pagina 147. *numero* 611

Donatione legitimâ transfertur dominium, quia ipſa moralis quædam transſubſtantiatio eſt. p. 147. *n.* 612

Donationes interdicuntur jure prodigo, impuberi, minori abſque curatoris licentia, filiofamilias, & ille qui incapax dominii eſt, nimirum ſervo & religioſo. p. 148. *n.* 613

Poſſunt donari omnes res, quæ poſſidentur, ſive phyſicæ ſint (ut domus, loca, plantæ, animantes) ſive morales (ut jura.) p. 148. *n.* 614

Omnium bonorum tam præſentium quàm futurorum donatio probabiliter valida eſt. p. 148. *n.* 615

Donatio quæ alias eſſet invalida aut probabilis, ſi firmetur juramento, non transferet certò dominium, ſed manebit ut antea, at obligabit ratione juramenti.

Poteſt tamen Reſpublica jubere ut omnis donatio firmata juramento ſit valida. imò videtur aliquando juſsiſſe. p. 151. *n.* 629

Donare-ne Pater filio poteſt. *pag.* 151. *num.* 630

Non eſt intelligibile filium eſſe nullatenus emancipatum & tamen eſſe proximè capacem alicujus dominii directi. p. 151. *uum* 631

Donatio enim facta vel à parente filio, vel à domino ſervo imbibit aliquam ſaltem inadæquatam emancipationem. pag. 152. *num.* 632.

Emancipatio imperfecta poteſt à patre revocari. ideóque donatio facta à patre filio ſub ejus authoritate conſtituto firma non eſt, ſed revocari poterit p. 152. 153 *num.* 633. 636

Poteſt lege humanâ interdici parentibus, ne aliquid filiis ſub authoritate ſua conſtitutis largiantur. & hoc bifariam, nimirum aut merè præcipiendo, aut etiam illos inhabilitando, & quodammodo amortizando. p. 152. *n.* 634

Sunt leges civiles quæ inhibent donationes notabiles factas à Parentibus filiis ſine inſinuatione: ſunt quæ quantitatem determinant, quæ dari poſsit p. 152. *n.* 635

Qui plures habet filios ſubditos poteſt pro libitu majores expenſas facere in victum omictúmque unius, quàm alterius; nec in hæreditate erit pejoris conditionis ille quicum plus ſit in ſumptum. pag. 154. *vum* 637

Donationes matris & aviæ nullo jure infirmantur. p. 154. *n.* 640

Factæ illegitimo filio validæ ſunt. pag. 154. *num.* 641

Poteſt interdici Parentibus ne revocent donationes legitimè factas; & poſſunt revocationes

vocationes ab ipsis facta irritari. p.154. num 642.

Donatio facta Patri à Filio valida est. p.155.n.645

Quando valet donatio inter conjuges valet etiam inter Patrem & filios. p.155. num.647

Sicut donatio purè liberalis facta à patre filio sub potestate sua constituto est valida & revocabilis, sic etiam facta conjugi à conjuge est valida & revocabilis. p 155.n.648

Sicut dantur leges civiles interdicentes parentibus ne tantam vel tantam quantitatem filiis sub sua potestate constitutis largiatur. & hoc bifariam, nimirum, aut merè præcipiendo, aut inhabilitando, & quodammodo amortizando. Sic etiam possunt dari quæ donationes inter conjuges eisdem duobus modis interdicant. p.155.n.649

Vt donatio facta à parente filio, tametsi revocabilis sit, firmatur vel donantis morte, vel donatarii (putà naturali aut civili: nimirum exilio solenni professione. &) sic etiam donatio inter conjuges, morte naturali aut civili firmatur. p.155.n.650

Vt parentibus sic etiam conjugibus interdicere potest Respublica, ne donationes revocent. p.158.n.652

Et ibidem enumerantur septem casus in quibus non potest donatio revocari. Inter quoscumque homines donatio in qua non est physica vel moralis traditio non est de præsenti, adeóque neque donatio valida, sed promissio. p.158.n.653

Petrus dedit aliquas gemmas uxori, & ipsa dubitat, an proprietatem illarum dederit an merum usum. Respondeo. p.158 num.653

Petrus habebat bonâ fide Antoniam in uxorem, multa illi dedit; successu temporis competit matrimonium fuisse invalidum, & de valore donationum inquirit. Respondeo p.155.n 633

Quid debeat aut possit fieri juxta Castellæ leges. p.155.n.657

Insinuatio est manifestatio ordinario & legitimo judici in scriptis exhibita à donatore aut ab ejus procuratore exhibita quâ declaret tantam quantitatem tali personæ à se liberè dari. pag. 158. num 663

In ipsa requiritur præsentia judicis non secus ac in matrimonio præsentia parochi. p.158.n.664

Enumerantur casus in quibus insinuatio non requiritur. p.158.n.665

Inquiris, An donatio causâ mortis facta, insinuationem requirat? utrumque probabiliter defendi potest. p.158.n.666

Donationem sine insinuatione factam, firmatam tamen juramento esse validam Camera Imperialis affirmat. pag.158. num.669

Data sine insinuatione ante sententiam judicis securè retineri possunt. pag. 159. num.672

Quæ quingentos solidos non excedit, insinuationem non requirit. Solidus est nummus aureus, constans septem Iuliis, seu Regalibus Italicis, 85 stupheris Belgicis, 42 ½ baßiis Germanicis. ibid.

Revocari possunt donationes stando juri naturali si donator sibi revocandi authoritatem reservet, aliàs non. p.160. num.670

Donatio duplex est. Alia inter vivos, & alia mortis causâ. Illa dat rem à tali die possidendam absolutè: hæc conditionatè, si mori donatorem contingat. pag.161. num.679

Exponitur in quibus casibus possit revocari donatio inter vivos; & in quibus non possit. p.161.n.680

Facta causa mortis sine causa potest revocari. p.161.n.682

Donatio facta in codicillis & testamentis, est-ne mortis causa? Videtur mera quæstio de nomine. & Authores utrumque judicant probabile. ibid.

DISPVTATIO XI.

De Mutuo & Precario.

Tota differentia in eo est, quod in mutuo dominium, non autem in precario transferatur. p.161.n.683

Precarium definitur contractus, quo quis concedit alteri rei dominium reservans sibi potestatem repetendi cum velit. Mutuum verò, est contractus quo quis concedit alteri rei dominium, reservans sibi potestatem repetendi illi æquivalentem cum voluerit. p.162.n.685

Si datur pactum non repetendi rem ante tale determinatum tempus; nec mutuum purum, nec precarium purum contractus est. p.162.n.686.& 687.

Qui moritur physicè moraliter vivit in hærede, adeoque existimo rem à te Petro mutuò aut precario concessam concedi hæredi nisi contrarium moneas; & rem tibi à Paulo concessam eo mortuo concedi etiam ab hærede nisi ab hoc concessio revocetur. quia sciens & permittens moraliter concedens est. pag.162.n.688. ad 691

DISPVTATIO XII.

De Commodatione & Locatione.

Commodatum (*aut fortè meliùs Commodatio* est contractus quo quis gratuitò concedit alteri rei usum determinatum ad tantum determinatum tempus. *p.*163.*n.*692

Si res non jam liberaliter sed pretio commodetur dicitur Locatio *aut* Conductio, *prout res fuerit inanimis aut animalis.* *p.*163.*n.*696

Re commodatâ aut locatâ non potes uti alibi nec aliter nec alias nec diutius quam sonat contractus. *p.*163 *n.*694

Non tamen peccabis mortaliter, has temerando circumstantias nisi rei dominus tuâ culpâ grave damnum incurrat. *p.*163.*n.*695

Vbicumque sit lex, quæ concedat commodanti aut locanti rem concessam resumere, si talis causa suboriatur, standum legi est. *p.*164.*n.*698

Vbi non datur talis lex (*consuetudo lex est implicita*) *ob nullam causam potest commodator aut locator rem concessam resumere; modò alter illâ bene utatur.* *p.*164.*n.*699

Commodatarius aut etiam locatarius rem potest tam commodare quam locare alii, sed prudens vir imponat rei traditæ conditionem, quia multa sæpè suboriuntur incommoda ex secundariis istis commodationibus aut locationibus. *pagina* 165. *num.*702.

Si res perierit apud morosum detentorem quæ non esset peritura alias, detenter, seu commodatarius seu locatarius sit, tenetur ad restitutionem: non tamen si res æquè aut potius esset apud dominum peritura. *p.*165.*n.*703

Potest Respublica præcipere, ut morosus restitutor rem apud se qualitercumque perditam teneatur restituere. *pag.*165. *num.*703

De reparationum expensis solet fieri contractus, & sic tolluntur dubia. aliàs videretur extraordinarias & quæ à temporis inclementia exiguntur debere fieri à domino, à locatario verò solùm rerum, quæ suâ culpâ aut negligentiâ fuerint fractæ. *pagina* 165. *num.*704

DISPVTATIO XIII.

De Deposito.

Deposita res dicitur, quæ custodienda alicui fide digno traditur. *pagina* 166. *num.*705

Illâ uti non poteris domino prudenter invito. *p.*166.*n.*706

Non tamen esset justè invitus, qui nec levem jacturam illo usu pateretur. *p.*166. *num.*707

Depositarius debet reddere eamdem rem quam recipit, plerumque physicè: pecuniæ solent reddi moraliter, nempe in æquali valore & materia æquè bona ad satisfactionem depositoris. *pag.*166. *num.*708

Depositarius non potest locare rem depositam, quod si faciat, & res detrimentum patiatur tenetur ad restitutionem. *p.*167.*n.*712.716

Proderit ut tametsi aliqua possent benignius speculativè dici, Respublica non permittat, quod depositarius res depositas locet, aut commodet. *p.*167.*n.*715

Pecuniæ valor politicus & inconstans est; solet diminui aut crescere. Sed cui? non depositario, sed depositori. *p.*168.*n* 719

Depositarius pro suo labore possent aliquod pretium exigere. at cum pecunia deponitur, quia illius usus conceditur, solent canones dare. *p.*168 *n.*721

Si res deposita ex gravi depositarii negligentia pereat, perit illi; aliàs depositori. *p.*169.*n.*722

DISPVTATIO XIV.

De Invidia & Vsura.

Vbi abest invidia usura reperiri non potest. *p.*169.*n.*723

Non est usurarius, qui cum damno proprio vult favere proximo, modò indemnis reddatur. *p.*169 *n.*724

Vsurarius est qui cum damno proprio vult favere proximo, modò plusquam perdiderit aut debeat habere lucretur. *ibid.*

Indemnis servatur, cui solvuntur omnia pretio æstimabilia, quæ expositi in favorem proximi. Item ille cui restituuntur debita quæ alias certò debebantur. *ibidem.*

Item cui debita quæ debebantur probabiliter. *p.*172.*n.*737

Non tamen, quæ dubio. *ibid.*

Non est usurarius, qui aliquam gratiam ex mera urbanitate alius sperat. *pag.*170. *num.*726

Esset tamen si illam poneret in contractu & redùceret verbo vel facto ad materiam justitiæ. *p.*169.*n* 724

Vsuram esse illicitam de fide est. *pag.*170. *num.*725

Valor publicus mouetæ minuitur mutuatario. p.171.n.728

Agens igitur de monetis inconstantis valoris statuo non repugnari naturæ mutui partium concordiam, de modo solutionis, nimirum an debeat reddi eadem quantitas, vel idem valor. p.171. num.731

Addo posse, imò prudentius debere, lege latâ hoc dubium tollere. p.171 n.732

Subjungo danti mutuos centum Iacobos aureos & exprimenti se velle sibi totidem Iacobos in specie restitui, non satisfacies si monetam argenteam aut aliam dederis, sed debes stare contractui. pag.172. num.733

Danti centum florenos mutuos in Iacobis aureis, si illi cautionem dederis pro centum florenis, debes centum florenos restituere etiamsi Iacoborum fuerit valor mutatus; etiam si mutuator non fuisset eis usurus. Patet, quia hic contractus æquus est, lucraberis enim si valor crescat, perdes si diminuatur. pag. 172. num.735

Qui mutuat sub onere quod sibi concedatur venia debita non est usurarius; esset si præter capitale indebitam veniam extorqueret. Debetur venia illi qui satisfecit, illi etiam qui nondum modo satisfaciat. p.172.n.736

Qui mutuat, onus remutuandi imponens ita ut alius etsi non habeat, aut habeat & indigeat, teneatur remutuare, usurarius est. p.173.n.740

Qui se obligavit dare tibi mutuas semper pecunias habeat non habeat, egeat non egeat, debeat quærere aut non quærere, grave onus in se suscepit & potest aliquid ultra sortem recipere. p.174.n.741

Non est usura dare pecunias mutuas Antonio sub onere quod tibi præstet obsequium aut officium aliàs debitum, quod ipse injustè omittebat. p.174.n.742

Qui mutuavit sub onere quod sibi daretur dignitas indebita usurarius est, non tamen si esset debita. Dantur etiam usuræ Ecclesiasticæ & spirituales. p 174.n.744

Qui debebas mille aureos post annum solvere, si anticipes solutionem quingentorum uno anno, sub onere quod pro aliis quingentis iterum spectaris alio anno (hoc est, duobus) usurarius non es. p.175.n.748

Solutio usuraria *etiam datur. nimirum quando Petrus solvit quod debet quando debet & nihil indebitum faciens, vi hujus solutionis aliquid indebitum à mutuante extorquet.* p.175.n.749

Lucrum cessans *sine suspicione usuræ considerari potest.* p.175.n.750

Apud illum, qui non erat negotiaturus lucrum non cessat. At non posse negotiari etsi detur occasio, est gravamen & vendi potest. p.176.n.754

Lucrum cessans potest recipi statim, modò non totum. quoniam majoris valet pecunia numerata numerandâ. p.176.n.755

Lucrum cessans dubium, incertum, probabile, futurum, potest vendi pro minori certo & præsenti. p.176. n.753

Damnum emergens *potest sine usura recompensari.* p.176 n.756

Vt compensatio sit licita debet revera saltem probabiliter prævideri, mutuatario exponi, & servari æqualitas. p.177. num.758

Damnum emergens bifariam poni potest, primo si dicatur, Pecunias habeo ut domum imminentem reparem, interim ut tibi faveam dabo tibi pro anno, modò si interim illa corruat tu erigas, nec ego plus debeam solvere quam modo pro reparatione. si non corruat non erigas. Secundò, si hoc periculum mutuans sumat in se & illum ab eo absolvat æquo pretio, ita ut si domus corruat mutuanti non tamen mutuatario corruat. p.177. num.761

De tempore determinato. *Dare pecunias pro anno integro, non repetendas etsi graviter egeas, etsi aliunde quærere sit opus & exorbitantes usuras solvere, tibi grave est, nec gratus hoc onus acceptare teneris.* p.178.n.766

De capitalis securitate. *Si est periculum amittendi capitale, aut si illud non subsit, si timeantur recuperandi aut molestiæ aut expensæ, potest tantum ultra sortem exigi, quantum valet periculi & illarum molestiarum aut etiam expensarum carentia.* p.179.n.769

Molestum est carere suis pecuniis, gratum habere possidere; & in hac materia audio aliquos esse tam fragiles, ut centies illas numerent recreationis & solaminis causâ. An & ista molestia siquidem dura est nonnullis vendi potest, præcipuè si diuturna sit? vendibilem puto, sed magno illam pretio non puto. Cùm enim quina aut sena juxta communes patriæ mores pro centenis annuis ceduntur, videtur omnibus istis difficultatibus & molestiis esse satisfactum. p.180.n.778

Morosus solutor *est qui potest solvere, quod debet & non vult. & ipse præter substantiam debiti tenetur recompensare damnum quod passus est creditor propter*

pter moram ipsius. satisfacere lucro cessanti, si creditor illis pecuniis aliquid fuisset lucraturus, & tandem luere pœnam impositam lege publicâ aut etiam privatâ. p.180.n.779

De pignore. p.181.n.781

Si feudi domino feudus in pignus detur, his legibus dirigi poterit. Nam feuda dantur nonnunquam pro obsequiis, & tunc sunt remuneratoria & videntur potiùs ad solutionem quam ad donationem spectare. Dantur nonnunquam sub onere obsequii & servitii præstandi & tunc habent rationem stipendii; dantur tandem propter meram benevolentiam, & tunc vere sunt dona. p.181.n.783

Feudi titulo pignoris ad dominum reversi dominium directum & utile non consolidantur, nisi fortè id expressè in institutione declaratum sit. p.181.n.784

Dominus feudi in tali casu posset sibi reservare omnes illos fructus qui aliàs cederent feudatario ratione servitii præstandi, modò illud feudatarius aut nequeat aut nolit præstare. p.181.n.785

Omnes expensæ, quæ aliàs à feudatario deberent fieri ad feudi conservationem, possunt à fructibus feudi desumi. p.181. num.786

Fructus industriæ si sine pignoris damno sint, pertinent ad dominum feudi. Ergo & ad mutuantem. p.167. & 181.n.715 & 786.

Si dominus feudi in conservatione cultu aut defensione feudi adlaboret non solùm potest impensas sumere, sed & suorum stipendia & congruam pro suo labore. p.181.n.787

Substractis ex fructibus hisce omnibus portionibus, siquid remaneat, ad mutui diminutionem computandum est. p.181. num.788

At posse omnes fructus recipere nec aliquid ad diminutionem sortis admittere etiam est probabile. p.181.n.782

Vestibus aut rebus aliis pignoratis quæ usu teruntur, uti non licet. p.182.n.789

Si pignora indigeant labore ut conserventur, non teneberis illa conservare & curare gratis. p.182.n.790

Si generò det socer agrum in pignus solvendæ dotis, non tenetur fructus ad diminutionem debiti computare. pag.182. num.791.

Sicut nec vidua, si hæredes mariti pignus dederint pro solvendæ dotis securitate. p.182.n.792

Sine usuræ labe ponitur pactum, vi cujus si mutuatarius debito tempore non solvat pignus vendatur justo pretio, satisfiat mutuatori, & reliquum mutuatario reddatur. p.182.n.795

Si pignus tale sit ut dubitetur an plus an vero minus valeat quam debitum, potest contrahi, ut si præfixo tempore mutuatarius non solvat illud vendatur & totum pretium detur creditori. sive quod idem est, quod illud creditoris fiat. p.182.n.796

Si pignus multò sit nobilius debito qui purè mutuam pecuniam tradit non potest obligare mutuatarium ut velit illi totum illud dare, si tempore statuto non solverit. bene tamen quod debeat vendere illud justo pretio & satisfacere. p.183 n.797

Si multo nobilius sit pignus debito, & tamen creditor acceptaverit onus non repetendi pecuniam mutuam etsi indigeat, poterit ponere mutuatario conditionem onerosam quod solvat tali die sub pœna aliqua perdendi pignoris. p.183.n.798

Non est usura recipere aliquid ultra sortem; est tamen recipere cum non debetur. p.183.n.799.& 801

Pecunia numerata est pretiosior pecuniâ numerandâ. p.183.n.799

Chirographa etiam secura futuræ tamen solutionis possunt emi minori pretio. p.183 num.800

Quaternos, quinos, aut etiam aliquando senos annuos in centenos tutâ conscientiâ accipimus à mercatoribus. pag.184. num.802

DISPVTATIO XV.

De Ludo.

Dantur ludi honesti, prohibiti, invalidi. nam & aliquibus honestè tempus teritur, aliquibus illicitè validè tamen pecunia perditur, aliis illicitè & invalidè. p.185.n.806

Nec puto istos teneri ad solutionem etsi dicant se jure non solvendi cedere; lex enim illa pœna est, privilegium non est. p.185.n.807

Ludi etiam aliàs liciti redduntur illiciti ratione personarum. p.185.n.808

Religiosus illa omnia potest ludo decenti validè perdere, quorum est verus dominus & potest dare. Verbi gratiâ. manuscripta, orationes, &c. p.185.n.809

Missæ, ni sit in modo abusus, in ludo exponi possunt. ibid.

Quando duo Religiosi ejusdem monasterii ludunt inter se, non exponunt substan-

tiam rei, ſed uſum. illa enim apud alterutrum ſit eſt monaſterii, nec videtur aliquid grave contra paupertatem, tametſi hujuſcemodi uſus concertationes ſi ſine Superiorum permiſſu contra obedientiam militent & in Regula expreſſè interdicantur. p.186.n.810

Ludus etiam honeſtus, ſi frequens eſt indecens, debet enim eſſe rarus, (hoc eſt ſemel in ſeptimana & tunc unâ aut alterâ horâ) ut honeſtus dicatur. p.186. num.811.& 812

Bona eccleſiaſtica nemo poteſt ludendo perdere, non enim in hunc ſunt finem data. p.186.n.811

Sed Eccleſiaſtici patrimonialia ludunt validè tametſi contingat aliquando ludere illicitè. ibid.

DISPVTATIO XVI.

De Venditione & Emptione.

Venditio eſt contractus, quo quis obligatur ad tradendum rem alteri pro tanto pretio. Emptio eſt contractus, quo quis obligatur ad tradendum tantum pretium (nempe determinatum, aut ab alio liberè determinandum, non tamen diſputandum & licitandum. p.187.n.816.

Alteri pro re. p.186 n.813

Ad venditionem requiritur argentum ſigillatum authoritate publica. Sed apud Hiſpanos maſſæ argenteæ illæ magnæ, quas barras *vocant, mercatoris & argentarii Iudicis (vulg.* contraſti) *ſigillo munitæ agunt pecuniæ vices aliquando.* 187.n.814

In omni venditione præſentia phyſica vel moralis contrahentiũ requiritur. p.187. num.815

Item traditio phyſica vel moralis. p.187. num.816

Quæ non traduntur ſaltem moraliter non dantur, non venduntur, ſed promittuntur. p.187.n.817

Rei emptæ & moraliter traditæ periculum pertinet ad emptorem, poſſet tamen argui venditor de gravi negligentia non ſecus ac depoſitarius. ibid.

Veræ venditionis natura non requirit ſcripturam; at ſolent aliquæ venditiones ſine ſcriptura factæ dici invalidæ, quod detur expreſſa lex illas adnullans. p.187 num.818

Archiducum lex illuſtrat doctrinam & illuſtratur. ibid.

In venditione non requiritur arrha. eâ poſitâ contractus obligat pœnaliter non moraliter; nimirum obligat ad arrhæ perditionem. p.188.n.821

Aliud eſt emere alienis pecuniis, aliud nomine alieno: ſi qua emeris nomine tuo meis pecuniis, erunt tua; & teneberis reſtituere mihi, non jam res emptas, ſed ipſam pecuniam quam dedi. pag. 188. num.823

Poteſt ex cauſa Reſpublica cogere hominem ſubditum ut bona vendat. p.189.n.824

Qui non eſt dominus non poteſt vendere. p.189.n.824

Sacra quæ talia, & ſupernaturalia vendi nequeunt, bene tamen materia & circumſtantiæ materiales; imò ſpirituales naturales, ut ſtudium, induſtria, examen, &c. p.190.n.829

*Vide de Simonia num.*864.

De Monopoliis & rerum pretiis.p. 190. *num.*830

Non ſemper dantur tria pretia in rebus venalibus ſummum, medium, infimum. poteſt enim & ſolet aliquando Reſpublica pretia determinare. p.190.n.831

Nemo etiam volens poteſt rem vendere pretio minore minimo aut majore maximo. etiam ubi hoc non cavetur lege publicâ. ratio eſt, quia qui vendit minori minimo, aliqua vendit, aliqua dat. Vnde ſi minimum pretium pileorum ſit aureus, & mihi quatuor pileos tribus aureis vendideris, ſupponam primo mercatori ſcienti & volenti non fieri injuriam; & ſecundò tres mihi pileos vendi unum donari. p.190.n.832

Quodcumque ex tribus pretiis eſt juſtum. p.191 n.833

Pretium juſtum creſcit & diminuitur. p.191.n.834

Cauſa Emptorum ſola raritas; nulla alia. p.191.n 835

Pretium infimum & ſummum videntur differre ut 4 & 3. præcipuè apud Bibliopolas. p.192. & 196.n.843.& 860

Quando venditor quærit emptorem (qui modus vendendi vendêrſe en lance *Hiſpanicè dicitur) ſi dederis duas tertias partes infimi pretii currentis, ſatis dederis in ferè omnium ſententia; imò ſi dimidium in multorum.* p.193.n.844

Poſſunt licitè convenire emptores ut nemo det ultra infimum pretium, & qui illos excitat ut hoc faciant non peccant. p.193 num.846

An centum mercatores, qui Francofurtum veniunt, poſſint ſic convenire, ut nullus forum adeat uſque ad ultimam diem, & tunc unus ſolus, qui omnium nomine res emat vili pretio currente? poſſunt. p.194.n.848

De

De Sartoribus. *Nemo vestibus carere potest; & quia à sartoribus nonnunquam non tam vestimur quàm exspoliamur & nudamur, proderit nonnihil ad prudentum institutionem subjungere. p.196. num.857*

Potest sartor nomine suo emere à mercatore materias pretio infimo, & tibi vendere summo currente. p.196.n.859

Potest etiam sibi emere pretio summo currente, hoc inito contractu generali quod mercator tantam partem pretii (quartam putà) remittat. p.196.n.860

Potest idem sartor emere tibi eamdem materiam tuo nomine pretio summo currente, hoc inito generali contractu quod mercator sibi (hoc est, sartori) partem donet. p.197.n.861

Non tamen invito contractu, ut remittat. Ratio est; quia donamus, cui volumus; remittimus illi, qui est debitor. & in tali casu non sartor sed tu debitor esses; nam materia tuo fuisse empta nomine & non nomine sartoris supponitur. ibid.

Si sartor has omnes subtilitates non posset capere, & tamen à te, cui vestes comparat, pretium summum currens acciperet, & mercatori infimum daret, sibi differentialem summam retineret, hoc formando dictamen [Doceor à patre meo spirituali quòd hoc sit licitum, si fiat nescio quo modo quem non bene intelligo, est tamen mea intentio contrahere ad mentem mei patris spiritualis.] non satisfaceret, sed teneretur ad restitutionem. p.197.n.863

DISPVTATIO XVII.

De Simonia.

Dicta est à Simone Mago primo omnium simoniaco. p.197.n.865

An Petrus potuerit condescendere Simonis petitioni, nimirum non jam vendendo Spiritum Sanctum, sed concomitantes circumstantias, sicut hodie innumeri faciunt, qui dicuntur simoniaci non esse. ibid.

Et respondetur negativè. p.199 n.870

Simonia est duplex, alia juris divini, alia humani. Illa est, contractus illicitus & invalidus quo supernaturalia pro naturalibus directè commutantur. Hæc autem est contractus quo res sacræ directè commutantur pro non sacris. pag 197. num.865

Crucium aut quarumcumque sanctarum Imaginum materiam, artem, laborem artificis, & expensas in ferendis & conservandis factas potes vendere sine simonia. p.197.n.866

Idem dicendum de Agnis Dei, modò modo nec picti sint nec auro infecti. pag.198. num.867

Excommunicantur non qui pictos habent, sed qui pingunt, aut pictos vendunt. Hanc excommunicationem non esse extra urbem receptam existimat Filliucius. Non peccant venialiter sæculares qui eos tangunt. ibid.

Sepultura qua sepultura vendi nequit, benè tamen qua honorificentior. pag.198 num.868

An possit vendi Episcopatus aut Canonicatus qua honorificentior. ibid.

Orationes & actus omnes spirituales licitè commutari solent inter se. p.198. num.869

Voces capitulares & dignitates ecclesiasticæ (beneficiis exceptis) sine simonia commutantur, illicitè tamen, subornationes enim sunt. ibid.

Potest Pontifex facere ne simonia ecclesiastica detur. ibid.

DISPVTATIO XVIII.

De Testamento.

Stando puro juri naturæ possunt condi valida testamenta. p.200.n.874.

Testamentũ civile definitur Vltima voluntas, de eo quod quis post mortem suam (physicam vel moralem; nam & Novitii testamenta condunt morituro mundo, nõ tamen physicè sed moraliter) fieri vult cum directa hæredis institutione in septem testium qui masculi & puberes sint, præsentiâ. Codicillus est ultima voluntas de eo quod quis post mortem suam fieri vult, testamentum corrigens, & aliquos articulos mutans addens aut subtrahens; nullum hæredem instituens, quinque testes, qui possint esse fœminæ & non rogati ad valorem requirens. p.200.n.876

Iura particularia multa disponunt aliter. ibid.

Militi conceditur ex privilegio ut in codicillo hæredem instituere possit. ibid.

Si detur Canon obligatorius, aut Lex civilis expressa, quæ dicat testamentum irregulare, hoc est, in aliqua solennitate deficiens, ad pias conditum causas esse validum, illud subsistit; & tamen tunc, siquidem est secundùm legem, non debet vocari illegitimum. p.201.n.877

Testari non possunt impuberes, pueri ante 14. annum, puellæ ante 12. defectu prudentiæ.

prudentiæ politicæ. pag.201.num.878
Nec damnari inteſtabilitate p.202.n.879
Nec filius, nec ſervus, nec Religioſus de bonis quorum non eſt dominus. pag. 204. num.890
Servus in uno loco eſt liber in altero & qua liber teſtari poteſt. ibid.& p.138.n.890 & 565
Mancipium non aliter quàm violentia tenetur; eſt homo liber, ſed violentia detentus, eſt hoſtis, ſed captivus. dominii eſt capax & teſtari poteſt. pag.138. num.890
De teſtamento Religoſi. p.203.n.884
Poteſt Pontifex concedere Patri cuicumque Franciſcano ut nomine ſuo (hoc eſt Pontificis) vel vivus vel moribundus quaſcumque donationes pias & validas licitè faciat. & fortè ut non pias. nimirum ex bonis ipſius Summi Pontificis, qualia plerumque bona Franciſcanorum dicuntur. p.203.n.887
Id ipſum poteſt Communitas concedere cuicumque Religioſo. p.203.n.888
Repugnat Monachum aut veram donationem facere aut teſtamentum condere. ibid.
Qui contrarium aſſerunt, non contradicunt nobis ſed tollunt caſum, & ſupponunt novam fieri à Pontifice Monachalem religionem in qua licitum ſit Religioſis habere pecuniarum dominium, quod non negamus. ibid.
Hæres non poteſt inſtitui hæreticus, apoſtata, nec hominum hujuſmodi fautor defenſor-ve; nec ſpurii. p.203.n.889
Sacerdotis aut conjugati filius ſpurius ex ſoluta videtur Leſſio poſſe ſuccedere ſaltem ſolutæ matri. p.204.n.890
Erga filios naturales benigniores ſunt leges. ibid.
Modi ſubſtituendi aliquem hæredem ſunt ſex; ſubſtitutio vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommiſſaria, reciproca, & compendioſa. p.205.n.891

DISPVTATIO XIX.

An jure naturæ omnia omnibus virtualiter & moraliter communia ſint.

Aſſeruerunt nonnulli, rem tamen non videntur ſatis intellexiſſe. p.205.n.892
Vide etiam numer.1149.ad 1160
Intellectualis perſona eſt domina omnium effectuum, quorum eſt principalis libera ac directa cauſa; nimirum phyſica vel moralis. p.206.n.898
Deus omnium terreſtrium rerum, quæ ab hominibus productæ non fuerant, dominium & uſum homini tradidit negativè, hoc eſt, non interdixit. ibid.
Deus vegetativa & ſenſitiva quæ ab hominibus producta non ſunt, homini conceſſit poſitivè; hoc eſt, Deus conſtituit poſitivè hominem uſufructuarium globi terreni. p.221.n.999
Proprietatem in elementa nulli mortalium dedit Deus, potuit tamen. pag. 207. num.904
De dominio maris. p.208.n.910
Totum mare non eſt capax dominii phyſici. imò nec moralis. p.208.& 209. n.913. & 919
Pars oceani determinata poteſt ſubjici homini ut virtuali, & fortè tanquam phyſico domino. p.208.n.914
Mare non poteſt ſubdi homini tanquam uſufructuario humano; bene tamen poteſt tanquam divino. hoc eſt, Mare pertinet ad Deum ut ad directum legitimum & uſuarium dominum; ad hominem verò indirectè tanquam ad divinum uſufructuarium, cui Deus uſum maris indulſit. p.209.n.922
Hoc maris dominium uſufructuarium non fuit perſonaliter datum uni & ſolo Adamo aut Noacho, ſed hominibus. p.205.n.892
Maris illud dominium, videlicet uſufructuarium & morale potuerunt homines inter ſe dividere pacto communi, aut lege lata à majoribus & ab inferioribus acceptata. p.209.n.922
Aliquot maria in particulari ſubjecit Deus populo Hebræo in Veteri lege Non conſtat authenticè eſſe nunc principem aut populum qui alicujus ſit maris dominus titulo donationis divinæ. p.209. num.924
Dantur in aliquibus parvis maris tractibus aliqui Principes, qui ſunt veri phyſici aut ſaltem virtuales domini. ibid.
Non poteſt negari Principibus dominium indirectum in maria, in quantum ipſa ſervire poſſunt, ut defendantur terræ aut ſaltem urbes, quarum habent directum. p.209.n.925
Ex hoc indirecto dominio indirectè & per accidens naſci debet uſufructuarium, & aliquando uſuarium. p.210.n.926
Reges, qui habent regionum remotarum dominium, poſſunt claudere maria indirectè, hoc eſt, quantum exigat ſuarum Provinciarum ſecuritas interdicere ne claſſes peregrinæ appellantur. p.43.210. & 251.n.121.926. & 1149

DISPVTATIO XX.

De honoris humano dominio.

Honos eſt triplex, Eſſentialis, Hæreditarius, Adquiſitus. p.210.n.927

Hæc conſequentia, Eſt filius, ergo eſt hæres, eſt legitima ex natura rei.pag.210. num.928

Honos eſt ſimilis animæ numericæ in multis indiviſæ.

Homo eſt abſolutus & proprietarius dominus honoris adquiſiti. ac ideò poteſt illum perdere & conſervare. pag.211. num.931

Et honoris à patria recepti eſt liberrimus depoſitarius. p.211 n.932

Nemo poteſt ſine injuſtitiæ crimine facere quòd Patria, Parentes, Fratres, Cognati & quicumque alii perdant honorem, quem non dederit. p.211.n.933

Honos accidentalis (adquiſitus aut hæreditarius ipſe ſit) ſupponi ut fundamentum eſſentialem. p.211 n.935

Nemo eſt honoris ſubſtantialis dominus ſed ſed uſufructuarius. p.211.n.936

Sicut nemo poteſt ſibi mortem naturalem conſciſcere, ſic nec moralem. Vtramque tamen ſalutem (phyſicam, virtualem; vitam, honorem) poteſt homo prudenter exponere, & expendere indirectè, directè bonum majus proſpiciens quod aliter adquiri non poſſit. p.211.n.937

Poteſt quicumque cedere jure conſervandi honorem adquiſitum & hæreditarium, non verò conſervandi eſſentialem; hunc tamen ipſum poteſt exponere ſicut & vitam phyſicam. p.211.n.938

Poteſt Deus jubere Petro, ut crimen alienum revelet. Petrus autem obediens Deo infamiam non incurreret, faceret tamen meritoriè, ut ille, cujus revelaretur crimen, redderetur infamis.p.213. num.948

Crimina Religioſorum (imò etiam ſæcularium) aliquando deferri poſſunt omiſſo ordine correctionis fraternæ. pag.211. num.938

DISPVTATIO XXI.

De dominio morali Dei.

Tametſi Deus ſemper ſit rerum omnium phyſicus directus dominus nec poſſit hoc phyſicè carere dominio, non repugnat eum etiam morale dominium adquirere in rerum conſecratione, dedicatione, &c. cum nos illi noſtra aut offerimus aut ſacra facimus. p.214.n.954

Poteſt Deus moraliter & virtualiter abdicare & exuere non ſolùm creaturarum dominium, ſed ſuam etiam omnipotentiam & reliquas omnes perfectiones. p.216 n.960

Dantur creaturæ, quæ ſubſint uni & ſoli Deo. p 217.n.972

Repugnat dari creaturam, quæ phyſicè non ſubſit Deo; non tamen repugnat quæ non ſubſit virtualiter. p.217.n.973

Poteſt Deus abdicare à ſe virtualiter alicujus rei dominium phyſicum directum; non tamen abdicare phyſicè. pag. 218. num.974

Poteſt Deus abdicare virtualiter ſua attributa; non tamen phyſicè. p.218.n.976

At illa nulli concedere poteſt. pag.218. num.977

Nemini ne virtualiter quidem ſubjicere. p.218.n.978

Poteſt Deus abdicare virtualiter dominium alicujus creaturæ, quin illud communicet creaturæ alteri. p.219.n.982

Confert nonnunquam Deus homini vel Angelo rerum aliquarum verum & directum dominium, quin illud à ſe abdicet. Quia ſicut cauſa efficiens ſecunda eſt vera cauſa tametſi in operando ſubſit primæ; ita etiam homo eſt verus multarum rerum dominus tametſi in dominando ſubſit Domino primo, hoc eſt, Deo. p.219.n.984

Dominium morale aut virtuale in Deum quà Deum homini aut Angelo competere non poteſt. p.219.n.988

Poteſt aliqualiter in Deum quà hominem. p.220.n.992

Chriſtus enim quà homo fuit patri ſubditus phyſicè. p.220.n.993

Etiam phyſicè Beatæ Mariæ. p.220.n.996

Moraliter BB. Mariæ & Ioſepho. p.221. num.997

Omnes illæ propoſitiones in quibus Chriſtus Dominus dicitur Servus, Creatura, Subditus, Temporaneus, Patiens, Moriens, Sepultus, *& his ſimiles, debent diſtingui, & ſecundùm humanitatem concedi ſecundùm divinitatem negari.* p.221.n.998

Nihil de morali Angelorum dominio; tametſi nonnulla de præſidio ſciamus. p.221.n.1000

CAPVT III.

De Lege Iuriſdictionis moralis aut virtualis.

DOminus directus, ſi dominetur rebus uſumfructuum habere dicitur juriſ-

dictionem ſi perſonis: illas enim poteſt & debet gubernare & dirigere ſalvâ illarum ſubſtantiâ. p.221.n.1001

DISPVTATIO I.

De Iuriſdictione creatoris & obligatione creaturæ.

Lex eſt menſura, norma, regula, vi cujus aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur. p.222.n.1006

Lex naturalis moralis ſeu Decalogus, qui nobiſcum naſcitur & in noſtris animabus inſcribitur digito omnipotentis Dei, eſt decretum Dei liberum circa creaturas intellectuales gubernandas ad actiones quas intendit, cum intentione obligandi conſcientias. p.222.n.1007

Diſcrimen utriuſque legis. pagina 223. num.1008.

Lex naturalis moralis nec conſiſtit in natura humana quæ corporeâ. pag.225. num.1017.

Nec in natura humana quà ſubjectum & fundamentum honeſtatis. pagina 225. num.1018

Nec in dictamine rationis. p.228.n.1033.

Nec in voluntate. p.229.n.1038

Sed in præcepto Dei poſitivo conſiſtit. p.230 num.1042

Decalogi Legiſlator eſt Deus. pagina 230. num.1043

Sanctio ſeu Legiſlatio eſt actus liber Dei. p.230.n.1044

Legis materia non eſt totus ordo naturæ, ſed aliqua ad quæ nos voluit Deus obligare. p.231.n.1046

Actiones humanæ malæ ſunt quoniam à Deo prohibitæ; non tamen à Deo prohibentur quoniam malæ. p.225.n.1019

Homines obſtringuntur Decalogo. p.231. num.1048

An & pueri? Sanè præceptis Eccleſiæ ante annum ſeptimum non obſtringuntur, licèt habeant uſum rationis. pag. 232. num.1052

At divinis cum primum diſcretionem habent. Qui puerum doli incapacem inſtruit ut blaſphemias, hæreſes, aut perjuria proferat; aut verba graviter alium infamantia dicat, aut publicet gravia ſecreta, peccat mortaliter. pag. 232. num 1053

Qui ſuadet puero ut hominem occidat, domum incendat, bona aliena gravia ſubripiat, aut faciat quæ ſunt in grave damnum proximi, peccat mortaliter. p.232.n.1055

De amentibus pariformiter philoſophator. p.232.1057

Peccat etiam mortaliter, qui curat amentem committere mollitiem fornicationem aut extra matrimonium ſemen vivum decidere quomodocumque. p.232. num.1058

Tabulæ Legis divinæ ſunt humanæ conſcientiæ. p.233.n.1059

Imò & ad majorem claritatem quæ in cordibus hominum ſcripſerat, id ipſum Deus in tabulis lapideis exſcripſit. pagina 234. n.1061

Lex hæc divina eſt præceptiva. pag. 234. num.1062

Intrinſecùs & entitativè una, extrinſecus multiplex, hoc eſt, multa reſpiciens connotata. p.235.n.1065

DISPVTATIO II.

Vtrum moralis iſta Lex, ſit omnibus æqualiter nota.

Ex hypotheſi, quod Deus produxerit intellectuales animos, non tenetur illis leges morales imponere, ſi moralitatem in vera ſignificatione ſumamus. pagina 235. num.1067

Ex hypotheſi, quòd Deus poſuerit moralem legem hominibus, non ſequitur eam debuiſſe illis manifeſtare. p.235.n.1068

De facto omnibus animabus Deus ſpecies ſeu notitias indidit repræſentativas ſuæ legis. nempe ejuſdem & totius. p.236. num.1071

DISPVTATIO III.

Vtrum Divina morali lege ordo rerum fuerit immutatus.

Nihil eſt indictum lege morali æternâ, quod ſit contra ordinem naturæ phyſicum. p.238.n.1075

Nihil interdicitur morali lege quod non ſit contra rerum phyſicam diſpoſitionem. p.238.n.1076

Nihil eſt indifferens phyſicè quod moraliter aut indicatur aut inhibeatur. p.238 num.1077

Non tamen omnia, quæ ſunt contra phyſicam rerum naturam moraliter ſunt interdicta. p.238.n.1079

DISPVTATIO IV.

An præcepta Decalogi ab extrinſeco mutari poſſint.

Mutarentur, ſi numero creſcerent aut decreſcerent. p.238.n.1081

Titulorum omnium.

PARS PRIOR.

De Consuetudine respectu legum humanarum.

Non à quibuscumque congregatis per accidens consuetudo introducitur, sed à communitate perfecta. p.239.n.1083

Si est vera hæc propositio [Communitas, quæ non habet authoritatem condendi leges, non potest consuetudinem obligatoriam introducere.] paucissimæ sunt consuetudines moraliter obligatoriæ. pag. 240. *num.* 1087

Si consuetudo introducatur à pluribus quã à septem partibus Communitatis tametsi alii reclament, à tota Communitate introducitur. p.941.n.1096

Vt igitur Consuetudo habeat vim legis, requiritur ut illud ponatur tacitè, virtualiter, aut interpretativè, quo expresse formalitérve posito obligatio esset certa & legitima ante omnem actum. p. 241. *num.* 1100

Non potest transire in virtualem legem si ex errore introducatur, nimirum à putantibus se jam esse obligatos. pag. 242. *num.* 1103

Nec si ex mera devotione, videlicet à scientibus se non esse obligatos, nec habentibus animum se obligandi. p. 242. *num* 1104

Consuetudo, quæ introducitur à Communitate habente animum obligandi se lege, si Communitas suprema est, & potest Leges condere; vel saltem licet suprema non sit, si habeat à suo domino condendi municipialia statuta licẽtiam potest esse conditio introducendæ obligationis. non tamen semper obligatio introducitur. p.242.n.1105

Communitas, quæ introducit consuetudinem cum intentione obstringendi se voto præstando, antequam id præstet non manet obligata. p.242.n.1106

Communitas quæ introducit mores vovendi expresse se servaturam illos esse, si sit capax vovendi, tenetur ex vi voti à prima die quâ illud expresse emisit independenter ab actuum frequentia, aut confirmatione Superiorum. pag. 243. n.1107

Voluntas acceptandi legem si ponatur, non obligat ad observantiam antequam ponatur illa lex. p.243.n.1108

Nec obligat hæc voluntas licet à Principe sit acceptata aut solicitata. pag. 243. *num* 1109

Obligabit tamen si legem Superior ferat. p.243.n.1110

Expresse aut implicitè. p.243.n.1111

Sicut lex potest implicitè ferri, etiam potest dari implicita acceptatio. p.244.n.1113

Consuetudo potest valide introduci contra humanum jus & illud abrogare. p.244. *num.* 1117

Quid ad hoc requiratur. p.244.n.1118

Potest introduci consuetudo, quæ habeat vim legis mere pœnalis. p.245.n.1120

Consuetudo quæ habet vim voti impliciti (si hæc dari potest) obligat in conscientia. p.245.n.1121

Vt consuetudo, quæ habet vim legis obliget certò conscientias debet id expresse declarari. p.245.n.1121.& 1122

Aliqua de consuetudine privata. p.245. *num.* 1123

PARS ALTERA.

De Consuetudine respectu Decalogi.

Consuetudines, quæ contra Decalogum in aliquibus regnis fuerunt introductæ, aut lege expressâ confirmatæ, nihil detraxerunt Decalogo. p.247.n.1133

Deus non habet actus implicitos; bene tamen nos ex effectibus possumus ignotos Dei actus rimari. p.247.n.1134

DISPVTATIO V.

An Decalogus lege civili humanitùs mutari possit.

Deus potest delegare authoritatem præcipiendi ea omnia quæ ipse potest præcipere. p.250 n.1144

Potest etiam authoritatem dispensandi, immutandi, alterandi, innovandi omnia illa quæ ipse potest. p.250.n.1145

Et concedere subdelegabilem authoritatem. p.250.n.1146

Sentio tamen illam nunquam delegavisse. p.250 n.1147

DISPVTATIO VI.

Vtrum Deus possit dispensare in præceptis Decalogi.

Non est quæstio de nomine, sed de re; & ut puto, gravissima, at multis nominalibus difficultatibus ipsa implicatur. p.257.n.1171.

Sane odium Dei dicit physicam & realem verámque relationem oppositionis inter se & Deum, qua illud Deus privare non potest, sicut nec facere quod Deo consonet realiter. at præter hanc deordinationem essentialem dicit inobedientiæ circumstantiam, quâ carere posset si Deus præceptum tolleret. p.257.n.1170

Nihil est distinctum à Deo quod à Deo non dependeat. p.257.n.1172
Ex omnipotentia Dei oritur creaturas esse possibiles. p.257.n.1173
Omnipotentia Dei est Dei voluntas. p.258 n.1174.
Ex decreto absoluto oritur absoluta creaturarum futuritio. p.258.n.1175
Ex conditionato conditionata. pag.258. num.1176
Creatura existens pendet à decreto Dei illam de facto conservante. p.258.n.1177
Ex eo quod ipse Deus fecerit nos & non ipsi nos, oritur quod ipse sit noster plenus & adæquatus dominus. pag.39. & 258. num.105. & 1178.
Non est creabilis homo aut Angelus qui non habeat obligationem obediendi Deo. adeóque si exlex *dicitur qui obligationem obediendi non habet, non potest Deus condere creaturam exlegem* p.258. n.1179
Decalogum Deus liberè tulit. pag.258. num.1180
In his legibus potest Deus dispensare, quas liberè tulit, quas potuit non ferre p.259 num.1183
Si omnes leges potuit Deus non ferre, in omnibus potest dispensare. Si in aliqua non potest dispensare, illam necessariò tulit, illam non ferre non potuit. ibid.
In omnibus articulis secundæ tabulæ potest Deus dispensare permissivè, contradictoriè, & contrariè, p.259.n.1184
In tertio præcepto Sabbati sanctificationem indicente Deus jam de facto dispensavit; nimirum permissivè, hoc est tollendo præceptum, nec præcipiendo contradictorium, nec contrarium. pag.260. num.1186
In eodem tertio præcepto prout cultum Dei positivum indicit, non dispensavit de facto, potest tamen saltem permissivè. p.260.n.1187
In duobus prioribus præceptis sumptis positive potuit Deus dispensare. pag.260. num.1188
Posse in eisdem sumptis negative, judicant Ochamus; Aliacus, Castelnovus, Gerson, Almainus, & Marchantius. p.261. num.1189
Evidens est Deum posse dispensare contradictorie in secundo præcepto Decalogi. Contradictoriè inquam, non sane præcipiendo perjuria, hoc enim esset dispensare contrariè, sed omnia interdicendo juramenta. p.261 n.1190
Putamus non posse Deum in primæ Tabulæ articulis dispensare contrariè. hoc est, contraria præcipiendo. p.261.n.1191
Et ex omnibus dictis unam regulam generalem inferimus, & statuimus, in omnibus Decalogi præceptis posse Deum dispensare contradictorie & permissive, & in secunda tota Tabula etiam contrarie. ibid.
Additur & exponitur opinio Marchantii. p.261.n.1192

DISPVTATIO VII.

An Bernardus nostram habeat sententiam

Respondeo illum tam clare stare à nobis ut probabiliter torqueri nequeat. pag.262. num.1200
Satisfit Ioanni Præposito. p.262.n.1201
Vasquesio. p.262.n.1205
Suario. p.262.n.1207
Sylvio. p.262.& 264. n.1201. & 1211

DISPVTATIO VIII.

An Bernardus Dei authoritatem libertatémque rationibus fortibus suadeat.

Respondeo illam illum persuadere fortissimis. p.265.n.1216
Expendo primam. p.265.n.1217
Secundam. p.267.n.1226
Tertiam. p.267.n.1229
Quartam. 267.n.1232

DISPVTATIO IX.

De aliarum rationum efficacia ad eamdem veritatem probandam.

Circa primum Decalogi præceptum. p.269. num.1241
Circa secundum. p.270.n.1250
Circa tertium. p.270.n.1252
Circa quartum. p.271.n.1254
Circa quintum. p.271.n.1256
Circa sextum. p.272.n.1258
Circa septimum. p.272.n.1260
Circa octavum. p.272.n.1261

DISPVTATIO X.

Possimúsne Adversariorum objectionibus clarè & demonstrativè satisfacere.

Satisfit primæ. p.273.n.1264
Secundæ. p.273.n.1265
Tertiæ. p.273.n.1267
Quartæ. p.273.n.1271
Quintæ. p.274.n.1274
Sextæ. p.275.n.1177

DISPVTATIO XI.

Vtrum Decalogus possit esse merè pœnalis lex.

De facto non est mere pœnalis. pag.276. num.1282

Potuit Deus non lege mere pœnali obligare. p.276.n.1283

Potuit & mere morali. p.277.n.1285

DISPVTATIO XII.

Impossibiles aliquas supponit hypotheses,ut Decalogi examinet vires.

Supponitur Deum non esse. p.277.n.1287

Esse quidem non tamen cognosci. pag.280. num.1301

Eumdem esse & cognosci, non tamen habere jubendi authoritntem. p.281.n.1306

Deum esse & ferendi authoritatem habere nesciri tamen aliquam de facto tulisse. p.281.n.1308

Cognosci Deum esse hominum absolutissimum Legislatorem, at dubitari An aliquid præceperit. p.282.n.1310

Credi probabiliter nihil à Deo præceptum. p.282.n.1311

An si Deus nihil præcepisset adhuc esset malus iste actus, [Si Deus mihi aliquid pracipiat, non obediam] An in tali casu, dari posset peccatum ante omne præceptum. p.282.n.1312

Naturam ipsam Naturalium & Moralium obligationum in Fundamentali Theologia meditati Intentionalem explicandam aggredimur, in qua de Dei agemus Lege non quidem prout in se est, sed prout in nostra intentione; hoc est, prout in nostra mente, in nostra voluntate relucet.

LIBER III.

De Conscientiæ dictamine; seu Legis divinæ Tabulis spiritualibus.

OMNIPOTENS *digitus Dei bifariam Decalogum suum scripsit; nimirum in Hominum singulorum Conscientiis, & in Materialibus Tabulis; utrobique characteribus proportionatis. Nos in hoc Libro Tertio spirituales Legis Divinæ Tabulas explicandas suscipimus, in Quarto explicaturi Materiales. p.285.n.1321*

Conscientia est triplex; Dubia, Probabilis, & Certa. p.285.n.1322

Dubia negativè, est conscientia omni ratione destituta. Dubia positivè, armata ratione levi, nullâ gravi. Probabilis, quæ gravi ratione fulcitur. Certa, quæ fundatur tam securâ, ut ejus contradictoria non sit probabilis. hæc autem indubitata certitudo in Articulis Fidei, Metaphysicis Mathematicis aut etiam Physicis demonstrationibus, & in Moralibus Principiis invenitur. pag 285. num.1323

CAPVT I.

De Conscientia dubia.

AB *hac exordium sumo: communissima & ignoratissima: tanta enim est humana superbia, ut nonnunquam nobis ipsis demonstrativè videamur procedere, cùm vel positive dubitamus. p.288. num.1324*

DISPVTATIO I.

De dubio operationi prævio.

Dubium nonnunquam operationem præit, nonnunquam comitatur, nonnunquam sequitur. Vt prædium exponam, dabo tres fundamentales positiones. Prima sit, *Qui dubitat, An Quadragesimæ Dominicis, exempli gratiâ, possint comedi lacticinia, & tamen non vult ea comedere, non tenetur aut dubium deponere, aut doctiores consulere. pag.288. num.1326*

Secunda, *Idem homo eisdem diebus Dominicis lacticinia comedere non poterit, quin fecerit diligentias humanitùs sufficientes ad inveniendam veritatem; putà, examinando, interrogando. p.288 num.1327*

Tertia, *Factis debitis diligentiis (videlicet ordinariis, quoniam extraordinarias nemo tenetur vi legis ordinariæ facere) si adhuc remaneat dubium, standum est pro possessone certa quæ fuerat ante dubium. p.288.n.1328*

In dubio enim melior est conditio possidentis. ibid.

Ex his & præcipuè ex ultima propositione nascuntur Resolutiones subsequentes. Qui dubitat, utrum casus sit reserva-

tus, potest pœnitentem absolvere. p. 289. num. 1330

Sciens casum fuisse reservatum, dubitans verò, an possit absolvere, tenetur non absolvere. p. 289. n. 1331

Qui certò scit se emisisse verbis votum aliquod (castitatis, exempli gratiâ) dubitat tamen positivè aut negativè, aut fortè timet vel scrupulizat, an habuerit intentionem obligandi se, voto illo non obstringitur. p. 290. n. 1338

Qui dubitat, an votum emiserit, non tenetur illud implere. p. 290. n. 1339

Qui scit certò se emisisse votum Religionis, dubitat tamen an voverit ingredi hanc vel illam determinatè, tenetur Religionem quidem ingredi; non verò aliquam determinatè. ibid.

Qui certò scit se emisisse votum ingrediendi unam è duabus religionibus, nescit verò utram promiserit, non solùm tenetur religionem ingredi, sed unam ex illis duabus, non tamen tenetur ingredi alterutram determinatè. ibid.

Qui scit se emisisse votum castitatis, & dubitat, an virgineæ aut conjugalis, debet servare castitatem, & tamen satisfacit si alterutram. ibid.

Qui certe scit se vovisse castitatem, & dubitat an in perpetuum aut ad tempus, tenetur illam servare, non tamen tenetur in perpetuum. ibid.

Qui scit se vovisse ingredi religionem dubitátque an stabilitatem etiam voverit, satisfaciet quidem si ingrediatur, non tamen remanere tenebitur. ibid.

Qui vovit se lecturum Rosarium, & dubitat an parvum vel magnum, debet Rosarium legere, non tamen debet magnum, sed alterutrum. ibid.

Qui certò scit se vovisse, dubitat tamen an libere, non tenetur servare votum. p. 291. n. 1340

In dubio, An materia devota sit bona vel mala, teneri & non teneri juxta nostra principia probabile est. p. 291. n. 1342

Sciens certò legem, quæ excommunicationem, suspensionem aut irregularitatem imponit, latam fuisse, & dubitans an acceptata, aut usu recepta sit, prudenter non esse receptam, & esse receptam putabit temere & imprudenter. p. 292. num. 1344

In dubio, An detur impedimentum ante matrimonii contractum, potes libere contrahere sine dispensatione. pag. 292. num. 1347

Si quis dubitet, An die Iovis sit hora duodecima, adhuc potest edere carnes. pagina 292. numer. 1349

Qui dubitans, An esset hora duodecima, comedit & bibit, si die sequenti sciat nondum fuisse duodecimam, potest celebrare, aut sacramentum Eucharistiæ sumere. p. 292. n. 1350

Si quis putans talem pecuniam esse tuam, noluerit tibi restituere, & tamen postea re meliùs examinatâ repererit non esse tuam sed suam, non tenetur illam tibi tradere. p. 293. n. 1352

Qui dubitat, An post horam duodecimam biberit vel comederit, potest communicare. p. 293. n. 1353

In dubio, An expleveris vigesimum primum annum, non teneris jejunio. p. 293. num. 1354

Si quis dubitat, An hodie sit dies festus; & an sit jejunii, non tenetur Missam audire, nec jejunare. p. 293. n. 1355

Si quis dubitet, An hodie sit Dominica Ramorum, vel Paschatis, non potest credere esse Paschatis. p. 293. n. 1356.

Qui dubitat, An habeat ætatem sufficientem ut profiteatur aut promoveatur ad Ordines, neutrum potest facere. p. 294. num. 1357

Quando constat legem fuisse latam, & dubitatur utrum in tali casu obliget, erraret qui universaliter obligationem aut affirmaret aut negaret. p. 294. n. 1359

Dubius ob tenuitatem beneficii non tenetur recitare Officium divinum. p. 294. num. 1363

Commodatarius, Locatarius, & Depositarius, si dubii sint, an res sit suâ culpâ corrupta aut amissa, non tenetur ad restitutionem. p. 295. n. 1365

Quando duo dubitant uter illorum pater illegitimi sit, uterque tenetur contribuere, ut illegitimus nutriatur. pag. 295. num. 1368

Debitor certus de debito, & dubius de solutione, debet solvere. p. 295. n. 1370

Debitor dubius de debito, nil debet solvere. ibid.

Si debitor & creditor certi sint de contractione debiti, & dubii de solutione, debet debitor solvere. p. 296. n. 1371

Dubius utrum proximus extreme indigeat, tenetur veritatem sine mora investigare, aut statim succurrere. p. 296. n. 1373

Dubius, An incurrerit excommunicationem, non est censendus excommunicatus, nisi forte dubium in revocatione aut dispensatione consistat. p. 296. n. 1375

Si dubium sit circa jus, hoc est, An lex præcipiat sub excommunicatione, præsumendum est quod non sit affecta excommunicatione.

excommunicatione. ibidem.

Si dubium circa factum versetur, an commissa sit talis actio, cui annexa est excommunicatio, assero debere unumquemque stare pro suæ innocentiæ possessione, nec teneri credere se fecisse, quod fecisse non constat. ibid.

Qui sciens legem fuisse latam affectam excommunicatione, & dubitans de dispensatione si culpam commiserit, censendus est excommunicatus. ibid.

Eo casu quo quis potest se judicare non excommunicatum, potest etiam judicare alium non excommunicatum. pag. 297 num. 1375

Quando excommunicatio est conditionalis, & dubium an conditio fuerit imposita, censetur non obstringere. ibid.

Consulenda est sententia Filliucii tom. 1. tract. 13. cap 7. num 129. tametsi reducta ad limam scholasticam non videatur vera, est enim stricta & secura. Ipse loco citato, sic inquit. *Quando dubium esset de validitate actûs, ut si quis confiteri velit ei, quem dubitat esse denuntiatum, tunc abstinendum esset ne se exponeret periculo faciendi sacramentum irritum, modò absque scandalo vel alio periculo fieri posset.* ibid.

De interdicto, suspensione, & quibuscumque censuris & pœnis eodem prorsus modo philosophandum est. p. 297 n. 1376

Si certus sis de voto emisso, & dubites an in pubertate, an post minorem ætatem emissum sit, pater non poterit illud irritare. p. 297. n. 1377

Sacerdos, qui dubitat, An habeat absolvendi potestatem, debet supponere non esse in rerum natura illam circumstantiam in qua dubium fundatur, & stare pro possessione præcedenti. p. 297. n. 1379

Qui scit certò se vovisse castitatem, & dubitat an religiosam, hoc est, servandam ex vi voti solenniter emittendi, non tenetur ingredi religionem. p. 298. n. 1380

In dubio, An effectus proveniat à causa naturali, an à Dæmone, præsumendum est procedere à causa naturali. pag. 298. num. 1381

Qui vovit dare tot mensuras tritici, non debet dare majores. qui dare vinum, non tenetur dare optimum. qui unam partem auream, non tenetur dare maximam, qui calicem, non tenetur aureum dare, sed sufficit talem, qualem decenter Ecclesia recipit. p. 298. n. 1383

In bello eodem prorsus modo, ac in lite proceditur. Tunc licebit bella movere dubia, cũ jure dubio litigare. p. 298. n. 1384

In dubio, An puer, qui nondum complevit septem annos, habet usum rationis, debet non absolvi absolutè, potest conditionatè, imò & aliquando debet. p. 299. num. 1385

In dubio, an puer septennis aut major, habeat usum rationis, debet absolutè & sine conditione absolvi etiam extra mortis articulum. p. 299. n. 1388

In dubio, An Petrus innocens an peccator sit, censendus est innocens. Si sciatur esse peccatorem, & de pœnitentia dubitetur, si tamen sit casus possibilis, censendus impœnitens. Si sciatur esse impœnitentem & ambigatur, an secretè vel publicè, non est præsumendus publicus & scandalosus peccator, adeóque non debet arceri ab Eucharistiæ sacramento. p. 300. n. 1390

In dubio, an metus fuerit incussus, præsumendus non incussus. & si sciatur incussus, in dubio an fuerit magnus vel parvus, censendus parvus. p. 301. n. 1394

Cùm dubitatur, an abstinentia carnium illatura sit notabile nocumentum ægroto, non est necessaria dispensatio, sed peccabit ille si abstineat, peccabunt qui suadent, graviùs, qui cogunt. p. 301. n 1395

Cùm dubitatur, an consuetudo sit obligatoria, censenda est non esse. Si obligatoria supponatur, & dubitetur, morésne an commoditatem obstringat, censenda merè pœnalis & mores non tangere. p. 302. n. 1397

In dubio, An votum reservatum sit, censendum non esse reservatum, adeóque posse in eo dispensare inferiores Prælatos. p. 302. n. 1398

Qui dubitat, An incurrerit excommunicationem, debet præsumere se non esse excommunicatum; adeóque audire Missas potest, & omnia illa facere, quæ solent non excommunicati. ibid.

Qui dubitat, An fuerit egressus ex excommunicatione, debet præsumere se esse excommunicatum. ibid.

Cùm dubitatur, An puer sit baptizatus, si staremus puræ rationi & juri rigido, non deberet sepeliri in loco sacro; at consideratá Ecclesiæ benignitate debet, adeóque semper debet. p. 303. n. 1399

Dubius percussor Clerici non debet vitari. p. 303. n. 1401

Qui dubitat, An proximus peccaverit, adeóque an & ipse teneatur adhibere correctionem fraternam, non solùm potest, sed debet eam omittere. pag. 303. num. 1402

DISPVTATIO II.

De formulis verborum dubiis.

Quando lex habet duos sensus probabiles, potes sequi alterutrum, nisi sit altera quæ clarè determinet quisnam sit admittendus. p.303.n.1403

Quando habet duos sensus dubios consulendus est Legislator si commodè possit: aliàs favores sunt ampliandi, odia restringenda: Reo favendum, possidenti auxiliandum. ibid.

In dubio, An censura sit lata, vel ferenda; qualis debet præsumi. p.304.n.1404

In dubio, An verba contineant censuram, quid præsumendum est. ibid.

In dubio, An verba contineant vim præcepti paterni an religiosi? hoc est, An Superior jubeat ut pater ex vi quarti præcepti Decalogi, an ut Prælatus religiosus ex vi voti emissi. ibid.

In dubio, An sit præceptum morale vel pœnale? Dicendum est esse pœnale. ibid.

In dubio, An debeas obedire statim, an post aliquod tempus? Hoc ultimum dicendum est. ibid.

An, qui vovit jejunare in Quadragesima & dubitat, voluerítne vovere abstinentiam à lacticiniis, teneatur ab illis abstinere. ibid.

An in dubio, utrùm causa sit justa, possit Superior dispensare. p.304.n.1405

DISPVTATIO III.

De casibus, quos alii Doctores dubios, Author dubii incapaces judicat.

Impossibile est clari dubium, timorem, aut scrupulum, ubi intervenit prudentis Superioris mandatum. p.304.n 1406

An miles dubitans de justitia belli possit bellare. p.305.n.1407

An miles certò sciens causam belli esse injustam possit militare. p.306.n.1412

An miles, qui putabat sub labaro justo militare, si postea evidenter sciat sese gessisse bellum injustum, teneatur licentiâ militari sublata restituere. p.306 num.1414

An Ministri Principum, si dubitent de justitia sententiæ possint aut teneantur eam exequi. p.307.n.1418

An subditus, dubius de legitima Prælati potestate, possit non obedire. pag.307. num.1419

Vtrum subditus, si dubitet an res præcepta sit licita, teneatur obedire. p.307. num.1421

An teneatur obedire subditus, cùm ipse met Superior dubitat p.307 n.1423

An qui bonâ fide matrimonium contraxit, & postea dubitat de contractus valore possit reddere & petere debitum. p.308 n.1424

Si sint duo aut plura horologia, in quorum uno insonuerit duodecima noctis, & in altero nondum, inquiritur, An qui dubitat, utrum melius regulatum sit, possit comedere adhuc carnes die Iovis, aut incipere comedere carnes die sabbati: & si in horarum interstitio comedat aut bibat, possit non obstante (hoc dubio, die sequenti celebrare aut sacram Eucharistiam recipere. p.310.n.1434

Vtrùm factâ sufficienti diligentiâ, an res sit sua, possit possessor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere, & alienare. p.311. num.1444.

An possessor dubiæ fidei teneatur restituere, antequam certò sciat rem esse alienam. p.313.n.1452

An consulens homicidium furtum, aut ex quidpiam simile; dubitans tamen an ex tali consilio motus alter fuerit ad faciendum, teneatur ad restitutionem. p.315 n.1463

An debitor, si certus sit de debito, & dubius de solutione, teneatur solvere creditori petenti. p.315.n.1465

An subditus dubitans de justitia tributi, teneatur illud solvere. p.316.n.1466

Quid judex debeat aut possit facere in lite civili dubia. p.316.n 1467

An dubitans, utrùm dispensatio obtenta, sit valida, possit câ uti. pag. 316. num.1468

An quando dubitatur, utrùm casus indigeat dispensatione, possit Episcopus in lege Pontificis, judex inferior in Superioris lege dispensare. p.317.n.1469

An Advocatus possit patrocinari contra reum, si causa sit dubia. p.317.n.1470

An dubitans, utrùm ante quinquennium ratificaverit professionem invalidè emissam, maneat obligatus. pag.317. num.1471

An in dubio accelerationis usus rationis, præsumendum sit puerum peccavisse mortaliter, si ante septimum ætatis annum, aut Missam omiserit die festo, aut die veneris comederit carnes. pag. 318. num.1473

An dubitans, utrùm Pater sit in gravi necessitate, ingredi in Religionem possit. p.318.n.1474

An Pharmacopola, cùm dubitat, an emptor abusurus sit, possit venena vendere. p.319.n.1475

An qui dubit at, utrùm ſuffragium ſuum concluſerit rem injuſtam, teneatur ad reſtitutionem. p 319.*n.*1476
An contractus factus ab eo, quem minorem eſſe dubitamus, ſit validus. pag. 319. *num.*1477

DISPVTATIO IV.

[In hac Editione non extat, nam debuit augeri, & in Theologia Fundamentali poni. Interim, ut qui priorem hujus Libri editionem habent, vel Theologiam Fundamentalem legunt, quid in hac Diſputatione tractatur, ſciant, Lemmata ſcribo.]

An peccata dubia ſint in ſacramentali Confeſſione explicanda.

Peccata certò commiſſa, ſi gravia ſint, debent neceſſariò ſubdi Tribunali ſacramentalis Confeſſionis; &, ſi devia poſſunt. *n.*1479
Peccata certò non commiſſa, levia vel gravia ſint, non poſſunt ſubdi eidem Tribunali Confeſſionis. *ibid.*
Qui ſubſcribens communi Theologorum ſententiæ, aſſeruerit eſſe tutum ſequi opinionem etiam minus probabilem, aut inconſequentiâ laboraturus, aut dicturus peccata, quæ commiſſa fuiſſe aut non fuiſſe probabile eſt, non eſſe in Confeſſione neceſſariò explicanda; ſed poſſe pœnitentem alterutri parti, ſubſcribere, & ſequi ſuum arbitrium; nimirum, vel judicando eſſe commiſſa & confitendo, vel judicando non eſſe commiſſa & non confitendo. *ibid.*
Scrupuloſis optimè conſulitur, ut omittant in Confeſſione omnia illa, quæ non ſunt evidenter peccata mortalia. *ibid.*
Is qui dubitat de qualitate ſeu ſpecie peccati certus de gravitate materiæ, tenetur confiteri. *n.*1481
Is, qui dubitat de peccati commiſſione, quantitate, aut abſolutione, non tenetur confiteri. *ibid.*
Qui dubitat an commiſerit tale peccatum non tenetur illud confiteri. *n.*1539
Nec poteſt illud dubium peccatum ut certum confiteri. *ibid.*
Poteſt peccatum dubium ut eſt, nempe ut dubium clavibus Eccleſiæ ſubjicere; & Confeſſarius ni adjungatur alia materia certa, debebit conditionatam abſolutionem dare. *n.*1539
Confeſſus peccatum dubium ut dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id ut certum confiteri. *ibid.*

LIBER IV.

De Tabulis ipſis lapideis, ſeu de Textu Decalogi.

PARS PRIMA

Textum Hebræum expendens.

AN omnia expreſsè ſint poſita in Decalogo. *p.*325.*n.*1492
Primum Præceptum. *p.*322.*n.*1484
Secundum. *p.*324.*n.*1488
Tertium. *p.*325.*n.*1490
Quartum. *p.*329.*n.*1493
Quintum. *p.*329.*n.*1495
Sextum. *p.*329.*n.*1497
Septimum. *p.*330.*n.*1499
Octavum. *p.*330.*n.*1501
Nonum. *p.*336.*n.*1504
Decimum. *p.*331.*n.*1506
Quomodo Nonum & Decimum diſtinguantur. *p.*331.*n.*1505

PARS II.

Ediſſerens Textum Arabicum. p.332 num.1507

DE Catechiſmo Arabico. §. Romæ *ibid.*
An illa, quæ opponuntur Decalogo ſint mala, quia prohibita: an verò prohibita, quia mala. §. Scit Arabs. *p.*333
Si non eſſet Decalogus nullum eſſet peccatum Theologicum. §. Ecce Arabes. *ibid.*
Præcepta Divina reducuntur ad duo. §. Meditatur. *ibid.*
Cur dicatur Decalogus. §. Sanè. *ibid.*
Non datur perſona major Deo: nec alius Deus. §. Poſtquam. *ibid.*
An ſit poſſibile multitudinis, magnitudinis, intenſionis, &c. infinitas. *ibid.*
An opinio, quæ eam admittit, obſcuret exiſtentiam Dei. §. Mala. *ibid.*
An in Deo perſonalitates dicant perfectionem poſitivam. *ibid.*
De blaſphemiis, perjuriis, votorum violationibus, &c. §. Deum *ibid.*
An vovendi, an ſe obligandi, an & ſatisfaciendi intentio ad voti valorem requiratur. §. In voto. *ibid.*
Cur ab operibus ſervilibus jubeamur abſtinere die feſto. §. Præcedens *p.*334
An ceſſante fine adæquato legis in particulari, etiam in particulari ceſſet lex. *ibid.*

An finis tertii præcepti Decalogi ceſſare poſſit. §. Ab omni. *ibid.*
Strictiùs tenetur parenti homo, quam peregrino. *ibid.*
An qui patrem pauperem habet, poſſit ingredi Religionem. §. Hinc patet. *ibid.*
Cur Superioribus obedire debeamus. *ibid.*
An ſcire teneamur præcepta Eccleſiæ. §. Nomine. *ibid.*
Quot illa ſint. §. Hoc. *ibid.*
Quæ. §. Præcepta. *ibid.*
Orientales diebus Mercurii abſtinent : & jejunia ſeveriùs, quàm Occidentales obſervant. *ibid.*
An homicidia juſta divinitùs interdicantur. §. Arabs. *ibid.*
Cur milites & Iuſtitiæ miniſtri licitè occidant. §. Miniſtros. *ibid.*
De Luxuria clarior eſt Arabicus textus Hebræo. §. Hebræus. *p.* 335
De furto, rapina, & fraudibus. §. Temporalia. *ibid.*
An omnia mendacia ſint divinitùs interdicta. §. Omne. *ibid.*
An actus interni interdici poſſint humanitùs? An divinitùs. §. Nota. *ibid.*
An interdicantur de facto. §. Actus. *ibid.*

PARS III.

Græcam verſionem meditans & exponens. p. 335. n. 1508

CVr Deus vocetur Κύριος. *p.* 335. *n.* 1509
An habeat Dominium proprietatis in homines : & cur. *ibid.*
Eſt Tutor, Curator, Paſtor. *ibid.*
Eſt ſummus Princeps. *p.* 336 *n.* 1510
Eſt Dux, Auſpex, Author, Auctor, & eſt Dominus reconciliationis. p. 336 *n.* 1511
Bellorum Deus. Ens antiquiſſimum. Præexiſtens. Legiſlator. Deus eſt lex. p. 336. *num.* 1512
Quomodo Deus leges ferat? quomodo homines. *p.* 336. *n.* 1511
Sentiſcit in ſe homo leges inter ſe repugnantes. *p.* 336. *n.* 1512
Cur nec plantæ, nec bruta, nec Angeli, nec Deus diſcurrant. *p.* 336. *n.* 1514
An præcepta Dei ſint rationabilia? an immutabilia. *p.* 336. *n.* 1515
Vnde ſumatur peccatorum ſpecies. p. 337. *num.* 1516
Peccatum eſt quædam dementia libera. p. 337. *n.* 1517
An Deus in monte Sinaï fuerit loquutus immediatè. *p.* 337. *n.* 1518
An in rubo. *ibid.*
Deus loquitur per Angelos. Quomodo videantur Angeli, ſiquidem inviſibiles ſunt. *ibid.*
Cur Angeli vocentur Dii. *ibid.*

PROLOGVS.

Tollit Deorum pluralitatem. p. 337. *n.* 1519.
De Baptiſmo. *p.* 338. *n.* 1522
Cur ſervitus dicatur Domus. *pag.* 238. *num.* 1523
Omnis peccator, ſervus : omnis vir juſtus, liber eſt. *p.* 338. *n.* 1524

Præceptum I.

Dii alieni, Dii adverſarii, Dii ſecundum dici. *p.* 338. *n.* 1525
An primi Ethnicorum Dii fuerint ſydera. p. 338. *n.* 1526
An ſtatuæ. *ibid.*
Plantæ Ægyptiorum Dii. *p.* 339. *n.* 1527
An principium Idololatriæ fuerit timor?
Quomodo occæperint homines adorari ut Dii. *ibid.*
An homines poſſint adorari? Adorarunt Davidem Nathan & Bethſabee : David Saülem. *p.* 339. *n.* 1528
Pœni Regem adorant. *p.* 239. *n.* 1529
An ſubjectio ex inæqualitate naſcatur. p. 339. *n.* 1530
An homo poſſit dici Dominus. *pag.* 339. *num.* 1531
An genuflexio ſit latria. *ibid.*
An poſſit exhiberi Principibus. pag. 340. *num.* 1532
Cur Ægyptii animalia adoraverint. p. 340. *num* 1533
Dæmones ſub animalium ſpecie viſi. *ibid.*
An aliquando ſub Angelorum ſpecie. p. 340 *num.* 1534
An Angeli conſtent materia. *ibid.*
An Iudæi adoraverint Angelos? An Angelolatriam illos docuerit Moyſes. p. 340 *num.* 1535
An boni Angeli ſint adorandi pag. 340. *num.* 1536
An ab Abrahamo & Ioſue ſint adorati. ibid.
An genuflexione colendi. *ibid.*
Cur Angelus à Ioanne non voluerit ſic coli. ibid.
An Moyſes omnem artem Pictoriam & Statuariam interdixerit. pag. 341. *&* 342. *num.* 1538. *&* 1546
An homines pingere liceat? an etiam bruta. ibid.
An aliqui olim Dii ſine ullo ſimulachro fuerint. *ibid.*
Dæmones latebant in Idolis. p. 341. *n.* 1539. *&* 1541
Statuarum prodigia. *p.* 341. *n.* 1541

Statuæ

Statuæ loquentes. ibid.
An caput artificiale loquutum fuerit Divo Thomæ in Alberti Muſæo. ibid.
An loqui potuerit naturaliter. ibid.
Tabaræ in Hiſpania æreum caput loquitur. ibid.
Velillæ ſe campana pulſat. ibid.
Aſina loquitur Balaano. p.341.n.1542
Statuæ Marianæ Bernardo. ibid.
Crucifixus etiam aliis. ibid.
In Idolorum ſtatuis loquuti Dæmones: fortè non ipſi, ſed ſacrificuli. p.342.n.1543
De imaginibus Angelorum & Dei. p.342. num.1544
An Deus ſit ſphæricus? ſymbolum & imago differunt. ibid.
Iconomachorum argumenta. p.342.n.1545
Cur Herodis trophæa debuerint examinari. p.342.n.1547
Quas habuerint imagines. p.342.n.1548
An cælum veterum Hebræorum opinione ſit liquidum. ibid.
Deus intelligibilis, non autem viſibilis eſt. p 342.n.1549
An Iudæi, an antiqui Romani habuerint imagines Dei. ibid.
De Chriſti imagine. p.343.n.1550
Dei poteſt dari ſymbolum non imago. p.343 num.1551
Pictoria duplex: Realis, Moralis. ibid.
Deipara realiter fuit picta à Luca, ſed ab Iſaia moraliter. ibid.
Quomodo corporea & quomodo incorporea pingantur? Quo Deus trinus & unus? Quo Deus Pater? Quo Chriſtus? Quo Spiritus Sanctus. p.343.n.1552
Licèt Deus in ſubſtantia ſit inviſibilis, in ſuis effectibus videri poteſt. pag.343. num.1553
Omnes creaturæ ſunt imperfectæ quædam & inadæquatæ imagines Dei. ibid.
Symbolum Dei ignis, fumus, columna, ſerpens. ibid.
An Libii & Græci erraverint, pingentes Deum. p.344.n.1554
An Auguſtinus ſymbola Dei condemnaverit. p.344.n.1555
Accipiter ſymbolum Dei. Idola non audiunt. p.344.n.1554
Imaginum cultus defenditur Statuæ Imperatorum cultæ. Chriſti imago in labaro. p.344.n.1557
Archangeli Michaëlis laudes. pag. 344. num.1558
Quot & quantos favores illi debeamus. ib.
Militia eſt Schola; & contra. pag.345. num.1559
Michaël exercitus orthodoxos tutatur: magnis claret miraculis. p.345.n.1561
Cur apparuerit, & faverit Argonautis. pagina 345. numer.1562
Vellus aureum quid. ibid.
Amycus an amicus? Eadem eſt oppoſitorum ratio. ibid.
De Arte Pictoria. An ſicut librorum, ſic etiam eſſe deberent picturarum cenſores? An S. Michaëlis pictura ſit toleranda. p.345.n.1563
An Angeli in prædicamento collocentur? an habeant imagines, an ſymbola, an animæ inter ſe ponderentur. ibid.
Quo ſit pingenda modo ſtatera Archangeli? quomodo peccata ponderentur. pag.346 num.1564
Pœnitentiæ & orationis efficacia. p. 346. num.1565
Quid adorare ſit. p.346.n.1566
An ſit oſculari? an in terram proſterni. p 347.n.1568 & 1569
An Chriſtus in cælo nunc oret. pag. 346. num 1566
An filii peccata parentum luant. pag.347. num.1574
An ob parentum virtutes coronentur. p.348 num.1576
An obſervare Decalogum ſit impoſſibile? an illum aliqui obſervent de facto. pagina 348.n.1577
An Idola privatâ authoritate debeant dejici? an qui illa privatâ authoritate dejecerit, ſi ob id occidatur, ſit martyr. p.348.n 1578
Peregrinas linguas non benè callemus. Interpretes non ſemper punctum tangunt. p.348.n 1579
Conſtantinus Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, quia male verſus, graviſſimâ cenſurâ à multis inuritur: ſed à nobis defenditur. p.349.n.1580.& 1581
An Sanctorum imagines manutenendæ pagina 349. n.1582
Lutherus non fuit Iconomachus. ibid.
An campanæ ad hominum honorem pulſari poſſint? an ad honorem Deiparæ. p. 349. num.1583
An panis Cœnæ Calvinianæ poſſit porrigi cani? & cur non. p.350 n.1584
An in illo ſit aliquid præter panem? an quà imago colendus ſit. ibid.
Aula & labarum Cæſaris coli debet: ergo Chriſti etiam Aula (Eccleſia) & labarum (Crux) p.349.n.1583
An, & quomodo colantur ligna? an & quomodo imago à repræſentata diſtinguatur. p.350.n.1586
Lumen rationis à Deo eſt. p.350.n.1587
Hæretici laborant plurimis præjudiciis. ibid.

Quam ſit utilis linguarum cognitio p.350. num.1588
Imago non colitur propter ſe, ſed propter rem repræſentata. p.350.n.1589
Imago eſt hiſtoria viſibilis: & hiſtoria eſt imago audibilis. ibid.
Cultus imaginum, niſi ad rem repræſentatam tranſiret, eſſet idololatricus. ibid.
Imago eſt ſimilis ſigillo Cæſareo, quod non colitur propter materiam quam habet, ſed propter Cæſarem, quem repræſentat. In imaginibus Sanctorum memoria recolitur. Qui effectivè comburit ſtatuas Sanctorum, ipſos comburit affectivè. ibid.

Præceptum II.

Interdicit juramenta: ſed quæ. pag.351. num.1592
An aſſertoria ad octavum ſpectent. p.351. num.1593. & 1594
Quid juramentum ſit? cur fides ultima *dicatur. p.351.n.1595*
Quàm ſit gravis culpa perjurium? quàm graviter puniatur à Deo? quomodo à blaſphemia diſtinguatur. p.351.n.1596
Peccata contra primam Tabulam, ſunt gravior illis, quæ contra ſecundam, p.352.n.1597
An perjuria præcipiat Deus. p.352.n.1598

Præceptum III.

Cur Sabbatum inſtitutum ſit. pag.352. num.1599
An juſſerit obſervare Deus ipſum diem Sabbati, an verò unum in hebdomade diem. p.352.n.1600
An feſta malè obſerventur. pagina 353. num.1601
An liceat iteragere in Sabbato. pag.353. num.1062
Quomodo Sabbati obſervantia in diem Dominicam tranſierit. pag.353. & 354. num.1603. & 1608
Chriſtiani veteres utrumque diem (Sabbatum, & Dominicam religiosè obſervarunt: illud Creationis mundi, hanc Chriſti Reſurrectionis memoriæ conſecrarunt. ibid.
An Sabbato aut Dominica jejunare liceat. p.353.n.1604
An die feſto. p.353.n.1605
An creationis dies reales fuerint. p.353: num.1606
Deus ſine labore creavit hominem, at non ſine labore redemit. p.354. num.1606. & 1607
Cur creationis memoria conſervanda? an qui illam negent, poſſint negare Deum. pagina 354. numer. 1607
Quo die die creatus ſit mundus. pag.354. num.1608
Quo Sol quoad ſubſtantiam. Quo quoad accidentia. ibid.
Sol Chriſti imago. ibid.
Leo animal ſolare. ibid.
Non licet facere opera ſervilia die feſto. p,354.n.1609
An ſit opus ſervile pugnare. ibid.
An ægros curare. p.355.n.1610
An ſtudere literis. p.355.n.1611
An poſſis jubere amentibus, aut nondum uſu rationis præditis, ut laborent die feſto. p.355.n.1612
An ſervo Mahometano aut Gentili. p.355.n.1614
An brutis. p.355.n.1616
Cur molendina diebus feſtis quieſcant. p.356.n.1617
Servi ſunt tractandi benignè. pag.355. num.1612
Cur Proſelyti Sabbata obſervare debuerint. p.355.n.1615
De abſtinentia ab animatis. p.355.n.1616
An occidi poſſit bos arator. ibid.
An equus aut mulus, ſi ſervierit. ibid.
Puer ob crudelitatem in bruta relegatur. ibid.

Præceptum IV.

Quantum Deo, parentibus, & Magiſtris debeamus. p.356.n.1619
De parricidio, & inceſtu. ibid.
An furtum & mendacium, ſi contra parentes, addat novam malitiæ ſpeciem.
Quid ſit peccatum Abaïlardi ſententia. p.356.n.1620
Vitæ magnitudo à natura ſingulis determinata, propter peccata minuitur, & propter virtutes prolongatur. p.350.n.1622

Præceptum V.

An homicidium fornicationi & furto poſtponatur. p.357.n.1623
Quàm ſit grave peccatum. p.357.n.1624
Occidere alîus mancipium, quale peccatum ſit. p.357.n.1625
Homo alienus, quis. ibid.
Feudatarii & vaſalli tenentur realiter: ſervi perſonaliter. ibid.
An homicida in Rempublicam peccet. ibid.
An ſacrilegus ſit. ibid.
An omnis homicida ſit fratricida pag.357. num.1626
An omnes inceſtus ſint ejuſdem ſpeciei. ibid.

An homo, qui crearetur à Deo, posset alios occidere. ibid.
Cur non peccet Respublica sceleratos occidens. p.357.n.1627
An fur posit privatâ authoritate occidi. p.357.n.1628
De inculpata tutela. ibid.
An si cesset finis, cesset lex. ibid.
An fœmina oppressa posit oppressorem occidere. ibid.

Præceptum VI.

Quo loco constituendam sit. p.358.n.1629
An adulterium omnium sit criminum maximum, quæ in hominem committi possunt. p.358.n.1630
Quanti faciendus Philo. p.358.n.1631
An ira minora committat peccata, quàm voluptas. p.358.n.1634
An omnes Aristotelis & Peripateticorum opiniones sint certæ. ibid.
De essentiali & accidentali malitia. ibid.
An luxuries sit irâ periculosior. ibid.
Aliud est sibi mortem consciscere: aliud illatam ab alio patienter tolerare. p.359 num.1635
Parentum vitia in infantia addiscuntur, & quasi obibuntur à filiis. Virtutes etiam. p.359.n.1636
An volentis virginis defloratio sit fornicatio simplex. p.359.n.1638

Præceptum VII.

Quid sit furtum, & quotuplex. pag.360. num.1640. & 1641
An sint fures, qui fures protegunt. ibid.
An qui sine necessitate mendicant. ibid.
An Lydi sint fures. ibid.
An furtum sit peccatum mortale? an provinciale. ibid.

Præceptum VIII.

Quid & quotuplex mendacium sit. p.360. num.1642
An officiosum sit peccatum. p.361.n.1643
An mentiri ad vitandam miseriam, an saltem ad vitandam mortem liceat. ibid.
An liceat mentiri hostibus. ibid.
An mendacium posit præcipi. ibid.

Præceptum IX.

Quid scandalum sit. p.361.n.1644
Quotuplex. p.361.n.1645
An illud ad nonum hoc Præceptum pertineat. p.361.n.1644

Præceptum X.

Quid sit concupiscere. p.361.n.1647
An concupiscere peccatum sit. pag.361. n.1647
Cur furtum sit peccatum. ibid.
An de occultis judicet Ecclesia. pag.362. num.1649
An Deus. ibid.
Consensus mali, sunt peccata. pag.362. num.1650.1651. & 1652
An stuprum & incestus differant. ibid.
An adulterium cogitatione committatur. ibid.
Passio & Propensio quid sint, & quomodo distinguantur. p.363.n.1653
Epistolæ ad Demetriadem Author. ibid.
Malæ cogitationes fumo comparantur, & cur. p.363.n.1654
An illas coërcere impossibile sit. ibid.
Tryphonis Judæi error. ibid.
An Deus impossibilia præcipiat. ibid.
An semper gratiam det, ut legi suæ satisfaciamus. p.363.n.1655
Bona voluntas est meritoria licèt effectu careat. p.363.& 364.n 1656.& 1657

PARS IV.

Versionem Latinam edifferens. p.364.n 1658

CVr etiam textus Latinus sit exponendus. ibid.
Author brevitate delectatur. ibid.
Quænam brevitas accusari non posit. ibid.
An, & quomodo creverint præcepta Decalogi. p.364.n.1659
An Evulgatio sit de essentia legis? an ipsa ante promulgationem obliget. pag.364. num.1660
Adamus extra paradisum creatur: ad eum transfertur. Præcepto obstringitur. ibid.
An fornicatio sit contra legem naturæ. ibid.
An Præceptum illum interdicens, fuerit olim Judæis intimatum. ibid.
Quando fuit illud promulgatum? per quem. ibid.
An uxor marito dare licentiam posit, ut ad aliam accedat. p.365.n.1661
An matrimonii debitum per vicarium solvi posit. ibid.
An ante Moysem fuerit adulterium peccatum. ibid.
An vir esse posit adulter. p.365.n.1662
Abimelech ignorantiâ excusatur. ibid.
Legislatio & promulgatio differunt. p.365. num.1663
An in Sinaï Decalogus totaliter sit promulgatus.

mulgatus. *ibid.*
Cur ſucceſsivè creverit legis notitia & claritas. *ibid.*
An in materia levi lex humana poſsit obligare ad mortale. *p.*365.*n* 1664
An Divina. *ibid.*
An, ſi obligaret eſſet injuſta. *ibid.*
An authoritatem ſuam Deus poſsit hominibus communicare. *p.*365.*n.*1665
An lex poſsit leviter obligare, ſi materia ſit gravis. *ibid.*
An etiam votum. *ibid.*
An & pœnitentia. *ibid.*

Textus Decalogi.

Omnia præcepta, quæ ſucceſſu temporis fuerunt promulgata componens. *p.*366. *num.*1667
An totus Decalogus fuerit olim omnibus clarè notus? an totus totaliter inſcriptus Tabulis. *p.*368.*n.* 1670

Præceptum I.

An nobilior & potentior Imperatore ſit Dominus. *p.*368.*n.*1674
Quid ſit amandum? quid timendum *p.*369. *num.*1676
Lex Dei in præmio & ſupplicio fundatur. *ibid.*
An Deus ſit noſter Dominus. *page* 369. *num.* 1677
An ejus prima notitia ex fide ſit. *pag.* 369. *num.*1678
An hæc propoſitio, Deus eſt, *ſit de fide.* *p.*369.*n.*1679
An Braſili fuerint Athei. *p.*369.*n* 1680
Apparitiones non ſemper certitudinem ingenerant. *p.*369.*n.*1681
Cognitio obligationis incerta, quærendi veritatem certam obligationem inducit. *ibid.*
Poteſt homo cognoſci ex facie: poteſt ex voce. *p.*369.*n* 1682
Subſtantia vocis: ſignificatio vocis. *ibid.*
An ita loqui poſsit Deus, ut qui illum audiat, loqui Deum evidenter cognoſcat. *p.*370.*n.*1683
An vox materialis dari poſsit, quæ ſit ſignum naturale Dei. *p.*370.*n.*1685
An ſaltem vox ſpiritualis. *ibid.*
An evidentia & fides componi poſsint. *p.*370.*n.*1686
Signi entitas ſignificatione eſt prior. *p.* 370. *num.*1687
Neceſsaria ſunt priora liberis. *ibid.*
An Athei teneantur obſervare Decalogum. *p.*370.*n* 1688
An dari poſsit ignorantia invincibilis Dei. *p.*370.*n.*1689. *ad* 1693
Quomodo demonſtretur Deus. *pag.* 361. *num.*1693. *ad* 1696
Quid, ſi per impoſsibile eſſet falſa noſtra Religio. *p.*371.*n.*1696
An attributa divina poſsint demonſtrari? Quis loquutus ſit per os Sanctorum. *p.*371.*n.*1697
An Dei unicitas poſsit demonſtrari? & quomodo? An ſi eſſent plures Dii, rerum ordo confunderetur. *p.*371.*n.*1698
An Deum eſſe unum, ſit de fide. *p.*37.1373. & 374. *num.*1699.1708.1712
An fides demonſtratione ſit certior. *p.*371 *num* 1699
An Thomiſta demonſtrare poſsit Deum eſſe unum. *ibid.*
An poſsint dari plura infinita in diverſis generibus. *p.*372.*n.*1701
An perſona Divina oppoſitas relationes, quibus caret realiter, habeat æquivalenter. *p.*372.*n.*1703
An virtualiter. *p.*372.*n.*1704
An eminenter. *ibid.*
An Divinæ relationes in ſuo formali conceptu perfectionem importent. *ibid.*
Deus eſt realis compoſitionis incapax. *p.*372.*n.*1705
An uſus ſanctarum imaginum ſit interdictus. *p.*373.*n.*1709
An Catholici ſculptilia adorent. *pag.*373. *num.*1710
Latria duplex: ut quo *&* ut quod: *utra detur imagini.* *p.*373.*n.*1711
An Cœna apud Calviniſtas imago ſit, & adoretur. *ibid.*
An primum Decalogi præceptum ſit de re impoſsibili. *p.*374.*n.*1713. *&* 1714
Beata Virgo peccato veniali omni caruit: multi Sancti mortali. *ibid.*
Omnis homo tenetur obligationes ſui muneris examinare. *p.*374.*n.*1715.1716
Præſentia Dei in nobis duplex. *pag.*374. *num.*1717
Qui teneantur docere? An, *& quomodo filius parentem corrigere debeat.* *p.*374. *num.*1718
Quid ſit Deum tentare, & quantum peccatum illud ſit. *p.*374.*n.*1719
De peccandi periculo. *p.*375.*n.*1720
Filii parentum umbræ. Quomodo hi illos debeant corrigere. *p.*375.*n.*1721
Mantia triplex. Naturalis, Vana, Superſtitioſa. *p.*375.*n.*1722
De Chiromantia, Geomantia, Iudiciaria, &c. *ibid.*
Differt vanitas à ſuperſtitione: illa in hanc ſæpè tranſit. *p.*375.*n.*1723
An Sturmii & Trithemii libri ſint ſuperſtitioſi. *ibid.*

Peccatum mortale est recipere Eucharistiam in mortali. p.376.n.1725
An administrare sacramenta? an Epistolam aut Evangelium cantare. ibid.
An tyrannus authoritate privatâ occidi possit. An *Hæresiarcha.* p.376.n.1727 & 1728
Plus interdum calamus nocet, quàm gladius. ibid.
De Fide. p.376.n.1729
An ad eam præter credibilitatem requiratur credenditas. ibid.
An credibile possit esse falsum, & incredibile verum. ibid.
Duæ affirmativæ, contradictoriæ esse non possunt. p.377.n.1731
An ad actum fidei specialiter concurrat Deus. p.377.n.1732
An *Theologi* credibilitatis *voce intelligant* credentitatem. p.377.n.1734
Quomodo visio & scientia requirantur ad fidem. p.377.n.1735
Vt aliquis teneatur operari, non sufficit rem esse factibilem, sed requiritur esse faciendam: ergo, ut teneatur credere, non sufficiet rem esse credibilem, sed requiretur illam esse credendam. pag.378. num.1737
An esse simul possint Scientia, Opinio, & Fides. p.378.n.1738
An unus & idem actus simul esse possit scientificus, opinativus, & fidei. p.378. num.1740
An essentiam Divinam viderit S. Paulus? an S. Benedictus? an S. Theresia? an simul habuerit fidem. p.378.n.1741
An qui ideò caret fide, quia habet scientiam, perdat meritum fidei. pag.379. num.1743
An Viatori communicare possit Deus evidentiam Mysterii Trinitatis. pag.379. num.1744
An mundum non posse esse ab æterno, demonstrabile sit? An *Evidens & Inevidens contradictoriè opponantur.* p.379 num.1746
An in patria sit, aut esse possit fides. ibid.
An, & quomodo concurrat ad actum scientificum opinio. p.379.n.1747
Ad calorem nix. p.379 n.1748
Ad actum scientificum Fides. pag 380. num.1750
Cur Philosophus Christianus assentiatur huic propositioni Deus est. pag.380. num.1751.
An fides possit operari qua qualitas. ibid.
An omnis scientia sit simplex qualitas. p.380.n1752
An & fides. ibid.
An fides sit discursiva. p.380 n.1753
An hæc propositio, Deus est, *de fide sit.* p.380.n.1754
An actus naturalis sit ad supernaturalem dispositio. ibid.
Qui Deum remuneratorem esse credit, Deum existere credit. p.380.n.1755
An per omnem actum fidei Deum esse credamus. p.380.num.1755
Quænam credenda necessitate medii sint: quænam necessitate præcepti. pag 380. num.1756
De fide implicita & expressa. pag.381. num.1757
An ad salutem fides expressa Trinitatis aut etiam Incarnationis requiratur. ibid.
Quid sit credere expressè. p.381.n.1758. & 1759
An Cornelius habuerit fidem expressam de Christo? an de Trinitate? an antequam ageret cum Petro, fuerit justificatus? an fuerit Hispanus? an sanctus. pag.381. num.1760. & 1761
An post baptismum habuerit fidem expressam. p.382.n 1762
Quod ad justificationem requiratur? an Decalogus sit latus liberè. p.382.n.1763
An possit invincibiliter ignorari. pag.382. & 383. n.1764. & 17665
Quid de illo fieret, qui nutritus in sylva totam legem naturalem servaret. pag.383. num.1766
Quacumque hora potest peccator ad Deum converti. ibid.
Quo possit modo barbarus à peccato (originali, aut etiam actuali) liberari. p.383.n.1757
An habeat obligationem Deus dandi concionatores? Deus loquitur per creaturas. p.383 n.1768
Aliud est idioma humanum, aliud Angelicum, aliud Divinum. p.383.n.1769
An cæli & stellæ loquantur. ibid.
Deus aliquando loquitur humanitùs, aliquando angelitùs, & aliquando divinitùs. ibid.
Christum Pastoribus Angelus, *Magis stella adnunciat.* p.384.n.1770
An Angelus sit animal rationale. p.384. num.1771
Deum per prodigia & miracula in Calvario loquentem audivit & intellexit Centurio. p.384.n.1772
Quomodo Deus Apostolicam doctrinam confirmet. ibid.
Quid fieret de illo, qui invincibiliter ignoraret, Deum esse remuneratorem. p 385. num.1773
Quid de baptizato, qui Deum ignoraret. ib.

*Quid ſit credere quoad ſubſtantiam.p.*385. *num.*1775
Ignorantia vincibilis eſt virtualiter ſcientia : non excuſat à culpa : quo debeat modo confiteri, qui ignorantia peccavit. ibid.
*An ignoret invincibiliter, qui magiſtros non habet. p.*385.*n.*1776
An, qui ignorat neceſſaria, abſolvi poſſit. ibid.
*An & ſub quo onere parochus ſuos docere teneatur. p.*386.*n.*1777
Quomodo Credere Deo, Deum, *&* in Deum *diſtinguantur. p.*386.*n.*1778
Quid ſit fides ? cur vocetur ſubſtantia? *an ſit argumentativa? de formata & informi. p.*386.*n.*1779
*An ſit virtus intellectualis ? an moralis? an an theologica. p.*386.*n.*1780
*An creetur. p.*386.*n.*1781
Quid ſit educi. ibid.
An formæ educantur. ibid.
Quomodo Fides à ſcientia & Opinione diſtinguatur. ibid.
An dubitans de fide ſit hæreticus. ibid.
Dei revelatio. Eccleſiæ authoritas. ibid.
*An privatæ revelationes ſint de fide.p.*386 *num.*1782
De S.Brigittæ revelationibus. ibid.
*De S.Auguſtini teſtimoniis, quæ à Conciliis ſunt Canonica facta p.*387.*n.*1783
*De Infidelitate. p.*387.*n.*1784
Quid & quotuplex ſit. ibid.
Quomodo privatio & negatio diſtinguantur. ibid.
An Angeli materialium accidentium capaces ſint. ibid.
An odium Dei eſſe bonum poſſit. ibid.
*An ignorantia in materia fidei ſit peccatum ? an diſtinctum ab actu infidelitatis ? an excuſet à violatione legis humanæ. p.*387.*n.*1786 *&* 1787
*An, & quando nolle ſcire præceptum, peccatum ſit. p.*388.*n.*1788
An ſe exponere periculo, & poſteà peccare, ſint duo peccata diverſa. ibid.
*An detur præceptum directum ſciendi præcepta. p.*388.*n.*1789
An omnes hæreſes ſint ejuſdem ſpeciei.ibid.
An ab hæreſi differat Apoſtaſia? *An debeat in Confeſſione explicari. pag* 388. *num* 1791
*An Judaiſmus, Mahometaniſmus, & Hæreſis differant ſpecie. p.*389.*n.*1792
*An & cur debeant in Confeſſione declarari. p.*389.*n.*1793
*De Spe. p.*389.*n.*1794
*Eſt filia Fidei. Humana omnia gubernat. Homo illa carere non poteſt. Eſt generalis virtus. p.*389.*n.*1795
*Eſt anchora.p.*389.*&* 390.*n* 1796.*&* 1797
An à Deo poſſimus, quæ non meremur, ſperare. ibid.
*Cur hæc virtus vocetur Theologica ? an creetur ? an educatur ? an infundatur. p.*390.*n.*1797
*In quibus ea conſiſtat. p.*390.*n.*1798
Pelagianiſmi & Calviniſmi differentia. De Divino & humano concurſu. ibid.
*An Chriſti paſſioni aliquid deſit? An illud adimplere poſſimus. p.*390.*n.*1799
*An ſpes ſit amor concupiſcentiæ ? quid per illam amemus. p.*390.*n.*1800
*An omnes actus ſpei ſint ejuſdem ſpeciei. p.*390.*n.*1801
*Aliud eſt deſperare, & aliud non ſperare. p.*390.*n* 1802
*De deſperatione hæreticali. De infinitate peccati : an hæc cum infinitate Divina poſſit componi. p.*390 *n.*1803
*De præſumptione. p.*391.*n.*1804
*De diſtinctione ſpecifica. p.*391.*n* 1805
*An deſperatio & præſumptio coincidant. p.*391.*n.*1806
An affirmatio & negatio ? an volitio & nolitio? an timor & ſpes. ibid.
*An cui revelata fuerit propria condemnatio, ſperare æternam ſalutem teneatur. p.*391.*n.*1807
Prophetiæ & revelationes aliæ definitivæ, & aliæ comminatoriæ ſunt. pagina 391. *num.*.1808
*Adducuntur hiſtoriæ.p.*392.*n.*1809.1810
*Impoſſibilitas quid,& quotuplex ſit p.*392 *num.*1815
*Inter Divinos actus poſſibiles, ſunt multi incompoſſibiles. p.*392.*n.*1816
*An & quando poſſit, & quando non poſſit Deus propriam condemnationem revelare. p.*393.*n* 1817
*De Charitate. p.*393.*n.*1818
Quid ſit? an prima? an ſit virtus ? an Theologica? an infuſa? quid præſtet. ibid.
*An ſit practica. p.*393.*n.*1819
*An ſit nobiliſſima ? an ſine illa eſſe poſſint aliæ virtutes. p.*393.*n.*1820
*An materia exiſtat exiſtentiâ formæ ? an accidentia exiſtentiâ ſubjecti pag.*394. *num.*1821
*An corruptâ formâ ſubſtantiali fiat reſolutio uſque ad materiam primam p.*394. *num* 1822
An Charitas in medio conſiſtat ? amandi Deum modus. ibid.
*An odium Dei ſit poſſibile. p.*394 *n.*1823
Aliud eſt velle malum proximo, & aliud velle facere mulum proximo. pag. 394 *num.*1825

An

An in primo instanti, quo aliquis habet usum rationis, teneatur amare Deum super omnia. p.394.n.1826
An hoc peccatum, si fortè illud commisisti, debeas confiteri. p.395.n.1828
An peccata dubia sint in Confessione explicanda. ibid.
An peccata contra Fidem, Spem, & Charitatem sint ejusdem speciti. pag.395. num.1829
Quæ materialiter specie differunt possunt convenire formaliter. Hoc in furto, violatione jejunii, & temeratione voti relucet. ibid.
Vnde sumatur specifica Præceptorum distinctio. p.395.n.1830
Divisio & subdivisio Decalogi. pag. 395. num.1831
An Religio sit virtus generica. ibid.
Prima & secunda Tabula sunt analogæ. ibid.
An idem sit negare Deum, quam multos admittere. p.396.n.1832
Quid si nullum præceptum de fide, Spe, & Charitate posuisset Deus. ibid.
Quid si hæc præcepta tulisset ejusdem virtutis intuitu? putà ob meram obedientiam. p.396.n.1833
De Idololatria. p.398.n.1834
Omnes hæreses sunt ejusdem speciei. ibid.
Idolum est nihil. obsidetur à Diabolo. ibid,
Fornicatio distinguitur ab homicidio. pagina 398.n.1835
An Idololatria ab Atheismo. ibid.
An unicitas sit de essentia Dei. ibid.
An liceat mendaciis populi devotionem augere. p.398.n.1836
An Biblia Lutherus corruperit. ibid.

Præceptum II.

An per alios Deos jurare liceat. pag.397. num.1837
An jurare sine necessitate? an sine veritate. p 397.n.1838
Quale esse juramentum debeat, ut actus virtutis illud sit. p.397.n.1839
Per caput Dei. p.397.n.1840
Per Deum. Coram Deo. Per vitam meam. Per vitam Cæsar p.397.n.1841
Per meam fidem: per meam conscientiam. p.400.n.1842.& 1843
De juramentis provincialibus. pag.400. num.1844
Cuerpo de Dios. Sacrament. Bestia curva fia, ibid.
Voces similes juramentis, quæ tamen expertes significationis sunt. Voto a Dies: Iuro a Chrispo. Sallament. Esticura fi. Hercle, Ædepol, Medius fidius, &c. p.400.n.1846
De voto. p.400.n.1847
An & quando differri possit. ibid.
De Blasphemia. p 400.n.1848
Cui Præcepto opponatur. ibid.
Quid sit assumere nomen Dei in vanum. p.400.n.1849
An Index iniquus in vanum nomen Dei adsumat. p.400.n.1850
An perjuria distinguantur specie. pag.401. num.1851

Præceptum III.

Quid indicat, interdicátque. p.401.n.1852
An diebus festis possimus gratis operari? an pro opere pio. p.402.n.1856
Quam sit necessaria dierum festorum discretio & institutio. p.401.n.1853
An Iudæorum observantiæ sint superstitiosæ. ibid.
An spectet ad Ecclesiam determinare dies festos. p.402 n.1854
An & loca sacra. p.402.n.1855
An violentur festa actibus mentis? an disputatione aut scriptione. p.402.n.1856
De Typographis: de Coquis. ibid.
De pictoribus: de militibus. p.402.n.1857
An præcepta Decalogi materialiter crescere possint. p 403.n.1859
Quò pertineat blasphemia. p.403.n.1860
Quid & quotuplex sit? An blasphemiæ distinguantur specie. p.403.n.1861
An signis committi possint. p.403.n.1862
An quæ in Deum, & illæ quæ in Sanctos distinguantur specie. p.404.n.1863
An in blasphemia detur materiæ parvitas. ibid.
De Voto. p.404.n.1864
Quid illud sit. ibid.
An differat à proposito. An intentionem se obligandi requirat ibid.
An & satisfaciendi. p 404.n.1865
Quantâ advertentia & libertate emitti debeat. p.404.404.n.1866.1867.1868
An solenne & simplex distinguantur. p.404.n.1869
An omnes voti violationes sunt ejusdem speciei. ibid.
De diebus festis & jejunii. p.405.n.1870
An omnia festa sint ejusdem speciei. ibid.
An violare festum non audiendo Missam, & violare laborando sint peccata distincta specie. p.405.n.1871
An violare jejunium comedendo carnes, & comedendo pluries, sint peccata distincta specie. p.405.n.1872
An abstinentia sit virtus generica; & habeat sub se plures species. p.405.n.1873

De violatione Ecclesiarum. p.406.n.1875
Quomodo violationes inter se distinguantur. ibid.
Nota de Sabbato. p.406.n.1877.& 1878
An Sabbatum significet diem septimum. An hebdomadem. ibid.
An Iudæi jejunent in Sabbato. pag.406. num.1877
De dierum septimanæ nominibus. Cur à Planetis dicti? cur tali ordine? Quando incipiat dies. p.406.n.1878
Quibus horis sit usus Christus. pag.407. num.1879
Nota de ordine præceptorum Occisio & Fornicatio in prima Tabula coïncidunt. p.407.n.1880
Mendacium furto præponitur in prima Tabula, & postponitur in secunda: & cur.p.407.n.1881.& 1882.
Blasphemiarum genera. p.407.n.1883
An dentur perjuria hæreticalia. ibid.
De peccatis cogitationis, loquutionis, & operis. p.407.n.1884
De hæresi purè vocali. ibid.
De peccatis oris. p.407.n.1885

Præceptum IV.

Quinam Deorum nomine intelligantur. p.408.n.1888
An hoc præceptum sit morale. pag 408. num.1889
Qui illud violent. p.408.n.1890
Quid jubere filiis possit pater. ibid.
An Principes leges morales ferre possint? & cur. p.408.n.1891
De Præpositis malis. p.408.n.1892
Prælatus est Minister Dei. An sit necessarius. ibid.
Quomodo Parentes honorandi. An in Parricidio sint gradus. p.408 n.1893
Dantur in genere luxuriæ: an & in genere homicidii. p.408.n.1894

Præceptum V.

An occidi homines possint publicâ authoritate. p.409.n.1897
An solummodò occidere innocentes interdicamur. p.409.n.1898
An adulteria possint publicâ committi authoritate.p.409.n.1899
An quintum præceptum omnes obliget. p.409.n.1900
An scelerati licitè plectantur capite. ibid.
Privatus potest invasorem occidere: potest Respublica. p.409.n.1901
Qui peccant contra hoc præceptum. p.409. num.1902
Homicidium interdictum à Deo & à Respublica non differunt specie 410.n.1903
Occidere Clericum & occidere laïcum sunt diversæ speciei. ibid.

Præceptum VI.

De adulterio: de incestu: de meretricibus, de sodomia: de bestialitate.p.410.n.1905
Augustii sententia de sexto præcepto Decalogi. p.410.n.1906
An matrimonialis copula esset peccatum, si aliter homines generarentur. pag.410. num.1907
An Deus dispensaverit in hoc sexto præcepto quoad aliqua cum Christianis.p.410 num.1909
De Luxuriæ speciebus *p.411.n.1910.1911*
Quid sit simplex fornicatio. ibid.
Quid stuprum. p.411.n.1912
An sit species politica. ibid.
An fœmina teneatur in Confessione explicare, an sit virgo? an teneatur hoc explicare vir. p.411.n.1912
Violentia in quocumque peccato explicanda. p 411 n.1913
Si defloretur per vim puella, debet explicari virginitatis circumstantia. ibid.
An ad raptum requiratur abductio. p 411. num.1914
Violentia in raptu triplex. p 412.n.1915
Raptus volentis an differat à simplici fornicatione. ibid.
De raptu sponsæ. p.412.n.1916
An raptus sit species rigorosa luxuriæ.p.412 num.1917
Copula cum conjugata etsi maritus consentiat est in foro Divino adulterium: an etiam in foro Politico. p.412.n.1918
Quis sit maritus, qui in adulterio consensit. ibid.
An accusare uxorem queat. ibid.
Quid incestus sit. p.413.n.1920
Ad quos gradus se extendat. ibid.
Adoptio duplex: perfecta & imperfecta. ibid.
Cessante fine legis in particulari cessat lex. p.413.n.1921
An adoptio imperfecta inferat impedimentum impediens. ibid.
An incestus differant specie.p.413.n.1922
An circumstantiæ aggravantes debeant in Confessione exponi. ibid.
Quid sit sacrilegium, & quotuplex. p.413. num.1924
An malitiæ, quæ in duplici sacrilegio, aut duplici adulterio inveniuntur, differant specie. p.413.n.1925
An duæ formæ puro numero distinctæ in eadem materia esse possint. ibid.
An duæ malitiæ puro numero distinctæ in eodem actu. p.413.n.1926

At ſpecies luxuriæ naturalis, ſint metaphyſicæ & veræ p.414. & 415. n.1927. 1930. & 1932

Differentia vera, debet omni & ſoli competere. p.414.n.1928

Defloratio & raptus puellæ conſentientis non differt à ſimplici fornicatione. ibid.

Sacrilegæ & ſimplicis fornicationis differentia. ibid.

Genus morale: an habeat ſpecies morales. p.414.n.1929

Quomodo debeat genus dividi. pag.414. n.1930

An Irrationale bene per alatum & non alatum dividatur. ibid.

An poſſit aliqua res duas ſpecies habere. p.415.n.1931

Quales differentiæ eſſe debent, ut per ſe genus, contrahant. p.415.n.1932

De peccato contra naturam. Quid ſit? & quotuplex. p.415.n.1934

An naturalis copula contra naturam reddi queat. p.415.n.1935

An fornicatio frigidi & Eunuchi ſit contra naturam. p.1415.n.1936

An incipere intra vas, & abſolvere extra, ſit contra naturam. p.415.n.1937

An fœmina, ſi ſemen effundat poſt copulam peccet contra naturam. ibid.

An menſtruatam cognoſcere ſit contra naturam. p.416.n.1938

An gravidam. p,416.n.1939

An ſterilem. p.416.n.1940

An in copula exſpectare alter alterum debeat. ibid.

An ſemen muliebre concurrat ad generationem. ibid.

An fœmina poſſit non concurrere. ibid.

An convenire poſſint conjuges, ſi proles non edatur viva. ibid.

Quâ fœtui die anima rationalis infundatur. ibid.

An copulam inceptam abrumpere liceat. p.416.n.1941

An poſt ſeminis deciſionem copulam continuare liceat. ibid.

An fœmina, ſi non ſeminaverit, poſſit copulam complere tactibus p.416.n.1942

De tactu pueri nondum doli capacis. p.416. num.1943

An permittendus ſit ingredi in monaſteria Monialium. ibid.

De tactu fœminæ dormientis. pag.417. num.1944

De copula cum fœmina dormiente. p.417. num.1945

Quomodo confiteri reus debeat. ibid.

De copula cum fœmina mortua: An hoc crimen ſit rarum. p.418.n.1952

Fornicatio eſt mala, quia prohibita. p.420. num.1963

Vbi ſit prohibita. p.420.n.1964

Mollities eſt mala, quia prohibita? Quid ſemen ſit. An ſi mollities liceret, matrimonia non eſſent. p.420.n.1966

Cur matrimonium bonum ſit. ibid.

An dari caſus poſſit, in quo mollities eſſet obligatoria? In morbo nemo diminuere poſſet ſanguinem, ſi interdiceret Deus, p.420.n.1967

Eſum pomi interdixit Adamo Deus quia voluit. ibid.

An poſſit mater contra fœtum procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ. p.421.n.1968

An peccata contra naturam ſint ejuſdem infimæ ſpeciei? cur ſint peccata. p.421. num.1969

An, & cur furtum peccatum ſit. ibid.

An debeant in Confeſſione explicari. p.421. num.1970

Præceptum VII.

Varia furtorum genera. p.421.n.1972

Injuſta retentio: extorſio: iniqua vectigalia: ſubornatio. p.422.n.1973

An huc ſpectet honoris detractio? honos duplex: ſubſtantialis & accidentalis: ille vitæ, iſte divitiis comparatur. pag.422. num.1974

Præceptum VIII.

An mendacia officioſa ſint peccata. p.423. num.1975

An ſancti homines mentiti fuerint. ibid.

Opinionum probabilitas ſuos caſus & occaſus habet. p.423.n.1976

Deipara nunquam venialiter peccavit. ibid.

Vnde gravitas peccatorum ſumatur. p.423. num.1978

Quæ repugnant eſſentiæ nec per ſe, nec per accidens poſſunt alicui competere. p.423 num.1979

An veniale & mortale diſtinguantur ſpecie. p.423.n.1980

An fingere inſtrumenta: an mentiri Regi ſit mortale. p.424.n.1981

Præceptum IX. & X.

Primus Atheus & blaſphemus Cain. Cham ejus errores renovat. p.424.n.1982

An Decalogus ſit lex merè pœnalis. p.424. num.1983.

An animas eſſe immortales omnes Hebræi crediderint. p.425.n.1985

An de actibus occultis judicent homines? an Deus. ibid.

De

De Præceptorum Ordine.
pag.407.422.& 426. num.1880.1971. & 1987.

An in Cælis expressus. p.426.n.1988
VVendelini sententia. ibidem.
In Decalogo peccata graviora prius interdicuntur, minus gravia posterius. p.426. num.1991
An fornicatio sit præponenda homicidio? an postponenda furto. p.427.n.1992. & 1994
Vnde sumatur peccatorum gravioritas? an Iustitia sit virtus nobilior castitate. p.427.n.1993
Non semper Aristoteles veritatem invenit. An prudentia sit specialis virtus? an justitia sit specialis virtus. p.427. num.1995
An omne peccatum sit inobedientia? an omne sit injustitia? an genus sit specie nobilius. p.427.n.1997
Cuinam injurius sit homicida, lascivus, fur, & mendax. p.428.n.1998
An fieri injuria possit creaturæ possibili. In quem peccat lascivus? Integritas virginea, quid sit? Licet excidere digitum ad vitam servandam. licet decidere semen in matrimonio ad prolem suscipiendam. ibid.
An si aliter filios generarent homines possent licitè commisceri. p.428.n.2000
An præscindendo à voto peccasset S. Ioseph, si consummasset matrimonium. ibid
Augustini sententia. ibid.

LIBER

LIBER PRIMVS DE LEGE NATVRALI, SEV PHYSICA.

OMNIBVS.

Author deliberat, an debeat Opiniones novas an veteres, benignas an severas tradere: an stylo superbo an humili, an subtili & dialectico, an Rhetorico & amplo scribere? Quidquid & quomodocumque scribat, se habiturum Detractores ostendit. Opiniones veras, & stylum Dialecticum eligit: invidos & zoilos non moratur; nam in plurimis hodie locis (Doctos, de quibus non querimur, manet sua laus) Sapientiæ ignorantia jus dicit; quod demonstrat binas addendo Epistolas, ex quibus constat duas Propositiones primo veras, quæ à nullo Viro docto negantur, in Universitate N. fuisse ab imperito Revisore damnatas.

NVM. I. A

Deliberat Author de modo, quem debeat in scriptione observare.

QVEM *vitæ sectabor iter?* inquit Ausonius; & meritò Vir magnus dubitat: nam omnes sunt vitæ huius semitæ periculosæ. Discrimina transiverunt ad calamos, & Morales præcipuè; & Ego Librum hunc scripturus, *Quem calami sectabor iter?* quoniam, si Resolutiones consideremus, aliæ rectæ, aliæ acclives, aliæ inflexæ, aliæ faciles, aliæ difficiles: si autem modum tradendi, aliæ sunt subtiles, aliæ crassæ; aliæ ingeniosæ, aliæ rudes; aliæ Dialecticis fundamentis substructæ, aliæ Scriptorum placitis. Quid ergo faciam?

NVM. I. B

El Conde de Lucanor, *Liber curiosus & utilis.*

Idioma est, quali utebantur Hispani ante trecentos annos.

Historia ingeniosè cogitata. Egrediuntur pater & filius cum uno equo.

Dum animum agitaret hoc dubium, incidit in meas manus Liber Aureus, qui inscribitur, *El Conde de Lucanor*, ab excellentissimo Principe D. Ioanne Emanuële, Infantis Emanuëlis filio, & sancti Regis Ferdinandi nepote, anno salutis 1310. illius ævi Dialecto compositus; in quo præter styli antiqui puritatem & gravitatem, & ab hodierno differentiam, multa Moralia Monita prudenter ponderata reperio; inter quæ me instituit & sedat, quod Capite XXIV. proponitur. Illud, ut me juvem, exscribo. *El hombre bueno, y su fijo eran labradores, e moravan cerca de una villa, y un dia que se fazia hi mercado, dixo a su fijo que fuessen amos allà para comprar algunas cosas que auian menester, y acordaron de lleuar una bestia en que lo traxessen, el yendo amos al mercado, lleuauan la bestia sin ninguna carga, y iban amos de pie, y encontraron unos omes que venian de aquella villa do ellos iban: e desque fablaron en uno, y se partieron los vnos de los otros, aquellos omes que encontraron, començaron a departir ellos entre si, y dezian que no les parecian de buen recaudo aquel ome bueno, y su fijo, pues lleuauan la bestia descargada, ir entrambos a pie: y el ome bueno que aquesto oyò, preguntò a su fijo, quel parescia de aquello que dezian aquellos omes, y el fijo dixo que le parescia que dezian verdad, que pues la bestia iba descargada, que non era buen seso ir entrambos a pie: y entonces mandò el buen ome a su fijo que subiesse en la bestia: e yendo assi en la bestia por el camino, fallaron otros omes, y desque se partieron dellos començaron a dezir, que loco era mucho aquel ome bueno, porque iba el de pie, que era viejo y cançado, y el moço que podria sofrir la lazeria iba en la bestia. Preguntò entonce el ome bueno a su fijo, que le parecia de aquello que aquellos dezian, y el dixo, que le parecia que dezian razon, y entonces mandò a su fijo que desendiesse de la bestia, y subio en ella: y a poca pieça encontraronse con otros, y dixeron, que fazian muy desaguisado de dexar el moço, que era tierno, y non podria andar y sofrir lazeria, e ir de pie, y el ome bueno que era usado de parar se*

Neuter equitat, & reprahenduntur.

Filius solus equitat, & reprehenduntur.

Pater solus equitat, & reprehenduntur.

Vterque equitat, & reprehenduntur.

rarse a las lazerias, ir cauallero en la bestia. Entonces preguntò el ome bueno a su fijo, que le parescia desto que estos dezian: el moço dixo, que segun el cuidaua, que dezian verdad. Y entonces mandò el ome bueno a su fijo, que subiesse en la bestia, porque non fuesse ninguno dellos de pie, e yendo assi encontraron otros omes, que començaron a dezir, que aquella bestia en que iban era tan flaca, que mala vez podria andar bien por el camino, y pues assi era, que fazian gran yerro en ir amos caualleros en la bestia. El ome bueno preguntò a su fijo, que le semejaua aquello que aquellos omes dezian, y el moço dixo a su padre, que le semejaua verdad aquello que dezian. Entonce el padre respondio a su fijo desta manera: Fijo bien sabes, que quando salimos de nuestra casa, que quando veniamos de pie trayamos la bestia sin carga ninguna, dexiste que te semejaua bien, e despues fallamos omes en el camino, que nos dixeron que no era bien, y mandète yo subir en la bestia, y finquè yo en pie, y tu dixiste que era bien: despues fallamos otros omes, que dixeron que aquello non era bien, y porende decendiste tu, e sobi yo en la bestia, e tu dixiste que aquello era lo mejor: y porque los otros que fallamos dixeron que non era bien, mandète subir en la bestia conmigo, y tu dixiste que era lo mejor, que non fincar tu de pie, y yo ir en la bestia: y aora estos que fallamos dizen, que fazemos yerro en ir entrambos en la bestia, y tu tienes que dizen verdad: y pues que assi es, ruegote que me digas que es lo que podremos hazer en que las gentes non puedan trabar, e ya fuimos entrambos de pie, y dixeron no faziamos bien, y fu yo de pie, y tu en la bestia, y dixeron que erraramos, y fue yo en la bestia, e tu de pie, y dixeron que era yerro, y aora imos ambos en la bestia, y dizen que fazemos mal, pues en ninguna, guisa no podemos ser que alguna destas cosas no fagamos, ca ya todas las fecimos, y todas dizen que son yerros.

Omnia possibilia sunt facta, & reprehensa.

Ergo carpetur homo quidquid faciat.

C

An aliqua alia combinatio possibilis sit?

Accedat, qui Combinatoriam Artem meliùs sciat, & inter propositi Tetralemmatis membra, reperiat medium. Erant Senex, Puer & Equus: si neuter equitat, rident homines: si uterque, occlamant: si Puer solus, Patris imprudentiam: si Senex solus, Patris inclementiam accusant: & incriminantur quidquid fieret.

Monitum Politicum.

An homo debeat aliorum censuras curare?

Hinc Author Monitum œconomicum opportunè deducit: aitque, *Esto fiz yo, porque tomasses exemplo de las cosas, que te acaesciessen en tu fazienda, que cierto soy que nunca fagas cosa, que todos digan bien; ca si fuere buena la cosa, los malos e aquellos que se les non sigue pro de aquella cosa, diran mal della; y si fuere la cosa mala, los buenos, que se pagan del bien, non podran dezir que es bien al mal que tu fezíste: y porende, si tu quieres fazer lo mejor, y mas a tu pro, cata que fagas lo mejor, y lo que entendieres que te cumple mas, y sol que non sea mal, non dexes de lo fazer por rezelo del dicho de las gentes; ca cierto es que las gentes a lo demas siempre fablan en las cosas a su voluntad, y non catan de lo que es mas a tu pro.*

D

An sit possibilis liber, qui omnibus placeat?

Hinc Ego hoc Scholasticum. In cor altum ingredior, & sic inquam. Impossibilis est Moralium Resolutionum Liber, qui omnibus placeat: impossibilis, contra quem non multi occlament & insurgant.

Hanc ob rem Ego Principis de Esquilache ingenio & verbis utens, alloquor hunc Librum, & aio,

El que sabe estimarà,
si algun estudio tenéis,
à mas gloria no aspiréis,
ni mas el tiempo os dará.
Quien defenderos podrá,
serà quando mas alguno;
y si es docto, basta vno;
que en las Reglas y los Modos,
querer contentar a todos,
es no agradar a ninguno.

Et quidem licèt hæc Politica Axiomata de omni omninò libro verificentur, certiùs securiúsque obtinet in Moralibus. Si viam ineant benignam, dicuntur corrumpere mores, & in conscientiæ perditionem deducere: si severam, terrere pusillanimes & in desperationem propellere: si mediam, laborare Dialecticâ, nam opiniones mediæ omnes, quò magis difficiles, minùs sunt probabiles, carent enim ratione forti, & utriusque extremæ partis argumentis respondere tenentur: & dum utramque conantur ad concordiam diducere, Æthiopem lavant, & ignem cum aqua conciliant. Si quis stylo scribat humili; dicitur Rhetoricam aut etiam nescire Grammaticam; si culto, esse occultus, obscurus, & illuminare alios non posse, qui luce caret. Si Scholasticum rigorem observet; objicient æmuli in iure omnes subtilitates reprobari, Moralia differre à Realibus, & sicut hæc subtili, sic illa pingui Mineruâ esse tractanda: si Scholasticum rigorem negligat; dicetur Author non vereri Lectores, & contemnere posteritatem. Et tandem quidquid & quomodocumque scripserit, erit reus, & ab Academico vulgo in classes summâ confusione distincto accusabitur.

An opiniones mediæ possint bene defendi?

An stylus debeat esse humilis, an altus?

An rigor Scholæ observandus?

Hæc cùm vera sint, Lector candide,

Quod calami sectabor iter; nam plena periclis
Sunt cuncta, & nulli nunc via tuta patet?

Obediam Principi D. Ioanni Emanuël i dicenti,

Por el dicho de las gentes sol que non sea a mal,
a la pró tened las mientes, non façades ende al.

Scribam igitur quod judicabo verum, hominibus placeat aut non placeat. Ament alij antiquas opiniones quà antiquas, alij novas quà novas: deligant alij sententias benignas quà benignas, alij severas quà severas: singulos nos in sensu suo abundare sinamus, dum nobis illi otium quærendi Veritatem indulgeant. Vt ut cæteri tolerabiles sint, qui benignis insectantur sententiis, non placent.

Nova sunt opiniones benignæ, & ideò rejiciendæ, succlamant, & se nec Historiam, nec Logicam percallere demonstrant. Sanè in Logicam peccant: non enim est bona consequentia: *Est nova hæc sententia: ergo falsa.* Peccant in Historiam clarissimè; nam opiniones, quæ hodie, aut benignæ, aut laxæ ab illis nominantur, sunt strictissimæ, si cum doctrina, quæ ante annos centum erat in Ecclesia & Schola, conferantur. Hæ positiones, *Diebus jejunij in collatione octo vnciæ sumi possunt. Eisdem diebus extra Quadragesimam ova comedi*

Quales opiniones Veterum fuerint?

comedi possunt. Diebus festis laborare vnâ aut alterâ horâ non est mortale. Qui audit unam Missam ab eleuatione ad finem, aliámque ab initio ad eleuationem, præcepto satisfacit: & aliæ similes, quas esse probabiles asserunt multi recentiores, illi qui volunt sanctiores videri, laxas nominant, & novitatis appellant. Fatebor esse novas; nam Veteres aliter philosophabantur. Et quid dicebant illi? *Leges omnes Ecclesiæ, nisi per contemptum violentur, non obligare ad peccatum mortale.* Ita ergo opinione Veterum qui die jejunij cœnaret, carnes etiam in quadragesima comederet, diebus festis operaretur totâ die, nunquam audiret Missam, & hoc absque contemptu, non peccaret mortaliter. Expresè S. Bernardus *lib. de præcept.* Citari pro hac solet sententia Valerius, Cajetanus, Almainus, La Cruz. Vide Compendium Dianæ impressum Antuerpiæ ann. 1660. *verb.* Leges. *num.* 8. Martinus Cromerus *lib.* 2. *Colloquiorum.* sic inquit. *Hoc videtur esse discrimen inter Christi, Apostolorúmque & Ecclesiæ præcepta: quòd illa citra omnem exceptionem reos tenent transgressores: hæc non item, si absit contemptus, & offendiculum sive scandalum.* Consonat Alfonsus de Castro *adversùs hæreses, verb.* Ecclesia, *hæres.* 3. *in fin.* Eius verba subscribo. *Dicamus ergo iuxta Catholicam Fidem Ecclesiæ statuta non esse contemnenda. An autem quæcumque illorum transgressio sit mortalis, non differo; quoniam video quosdam, & non ex infima Theologorum sorte, qui asserunt transgredientes præcepta Ecclesiæ, modo id non committant ex contemptu, sed ex infirmitate quadam, aut fortè negligentiâ, non peccare mortaliter: alios autem scio docere oppositum. Cùm autem ego in hoc Opere solam fidem pertractare statuerim, de Opinionibus hominum variè sentientium disputare nolo.* Alfonsus ergo utrumque judicavit probabile. P. Leander de Sanctissimo Sacramento, Author diligentissimus, aliquos Theologos citat pro Alfonsi de Castro sententia. Porrò hæc Quæstio est digna, ut secundo alibi calamo retractetur: hæc pauca impræsentiarum sufficiant, ut clarissimè Lectores videant Veterum Theologiam Moralem fuisse laxissimam, & à Iunioribus non relaxatos fuisse mores, sed ad terminos strictissimos redactos.

Præceptorum Dei & Ecclesiæ differentia.

An obligent ad mortale?

An juniores relaxaverint mores?

De opinionũ delectu. An, & ad quid multi utantur opinionibus strictis?

Moneo obiter Opinionum delectum apud aliquos ab utilitate dependere. Cognosco homines, qui laxissimè vivunt, & omnes clementes Opiniones condemnant: imò, qui dicant, esse in Republica valde utiles opiniones strictas, non ut suos mores summates dirigant, sed ut subditorum sub ferula mentes coërceant. Et hæc hominum monstra non aborta sunt heri, sed ab usque initiò cæteros irritarunt. Contra illa Christus Dominus variis in locis declamavit: omnia recensere non possumus, unam ergo periodum ex Concione quam Matth. 23. ad turbas & discipulos habuit, ponamus. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt: Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere: Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.*

Opinionum strictarum abusus.

Porrò Moyses Professor fuit Theologiæ Moralis, institutus à Deo: & in Catholica Vniversitate Primarius; nemo enim ante ipsum scripsit Canonico calamo. Obiit jubente Domino: vacavit Cathedra, ad quam prout tempora tulerunt, fuerunt Viri probi & docti promoti: at quia successu temporis fatiscunt omnia, Christi ævo illam Sedem invaserant Scribæ & Pharisæi; homines improbi & indocti, alienâ infelicitate felices, & alienâ ignorantiâ eruditi; & tandem alienâ impotentiâ superbi.

Moyses fuit Theologiæ moralis Cathedraticus.

Eius Successores in Cathedrâ.

F

De ipsis Christus Dominus hunc diuinum syllogismum conformat.

Christi syllogismus.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.

Dicunt enim, & non faciunt: &c. Sed in qua figura, in quo modo hunc Christus syllogismum construxit? In nulla Aristotelica; non enim erat dignus Ethnicus, ut ejus Logicam Christus sanctissimo suo labio honoraret. In qua ergo? In obliqua Transfigurante. Porrò de Dialecticæ Transfigurationibus differo in Philosophia Rationali *à num.* 872. & de Obliquitatibus *à num.* 1029.

Ad quem ille modum & figuram pertinet?

G

Sed cur facere debemus, quæ dicunt; omittere verò quæ faciunt: quia supra probabilitatis terminos sunt laxi, ut vivant; severi, ut imperent: cùm intra probabilitatis terminos esse deberent in imperando benigni, & in operando severis; ipsis musca est elephas, elephas musca: nam aliorum vel leviſſimas culpas ceu sacrilegia incriminantur: & à se commissa scelera, aut censui virtutum adscribunt, aut saltem levibus negligentiis accensent. Horum hypocritarum exactam & perfectam Imaginem nobis idem Princeps D. Ioannes Emanuël ubi supra Cap. 11. proponit: & eamdem, quia universis prodesse poterit, ad paucas periodos perstringo.

Qualis Tyrannus esse soleat?

Qualis superior esse debeat?

H

Erat Comiti Lucanorio frater, (vocari Arfilius poterit) natu major, cujus genium ipse Comes sequentibus verbis describit. *Yo he vn hermano, que es mayor, que yo,* &c. *y cada que yo e menester su ayuda, o que faga por mi alguna cosa, dame á entender, que lo dexa de fazer porque sería peccado, y estrañamelo tanto, fasta que lo parte por esta manera: y algunas vezes, que á menester mi ayuda, dame á entender, que aunque todo el mundo se perdiesse, que no devo dexar de aventurár el cuerpo y quanto tengo, porque faga lo que a el cumple.* Tædebat Comitem sui fratris, & Patronius, qui erat ei à consiliis, turbari non debere, ait, sed respondere eidem personæ, *A haya hati, tassa niboa, valo tassa ni fortuheni.* Et ut vim apophthegmatis calleas, hanc recensebo historiam.

Modus se excusandi quando aliquid amicis non vult facere.

Adágium Arabicum.

I

Vn moro avía una hermana, y era tan regalada (hodie diceremus *y era tan melindrosa*) *que de quier que veía, o le fazían, que de todo daba a entender, que tomaba recelo y se espantava: y tanto avía a esta manera, que quando bevía agua en unas terrazuelas, que la suelem bever, que suena el agua quando beven con ellas, quando aquella Mora oía aquel sueno, que fazia aquel agua en aquella terrazuela, dava a entender, que tan gran miedo avia de aquel sueno,*

Regalada olim, hodie Melindrosa vocatur Terrazuela, hodie Butata

que se quería amortesçer. Ecce qualis erat Fatima (vocetur sic) & qualiter rebus minimis perterrebatur. Sed in magnis? animum habebat intrepidum: semel enim exhumavit cadaver, ut spoliaret vestibus, *y quando vió, que si non quebraſe el peſcueſo del muerto, avía de romper los paños, y que perdería mucho de lo que valian, fué tomar con las manos muy sin duelo y sin piedad, de la cabeça del muerto, y deſcoyuntolo todo, é ſató los paños, que tenía veſtidos*, &c. Mira res! ibi trepidabat timore, ubi non erat timor: & ubi immensi horroris succurrebat occasio, sese objiciebat discrimini timoris nescia. Et frater? cùm eam ad sonum aquæ in scypho motæ trepidare videret, admiratione in iram versâ exclamat,

Sunt, qui in rebus minimis (& alienis præcipuè) magnos scrupulos moveãt & in magnis & propriis præcipuè, nullum conscientiæ remorsum sentiant.

A ha ya hati, taſſa niboa: valo taſſa ni fortuheni. Sic ante annos trecentos loquebantur Arabes in Hispania, qui hodie puncta paulò aliter efferunt; pronunciant enim,

Ah ia ochti tagoci men bokbok almaa: vala togſci hin tasfochi aldemaa.

Characteres Arabicos, ne gravemus Typographum, in lamina Proœmiali exprimimus: sententiam verò Princeps Ioannes sic reddidit.

A ha hermana, eſpantadeſvos de ſonido de la terrezuela, que faze butu, butu: e non vos eſpantades del deſcoyntamiento del peſcuezo del muerto!

K

An sint laudandi, qui duplicem habent Theologiam?

Quam tanti Mauri historiam faciunt, ut verba illa in adagium transiverint, & cuicumque hypocritæ opportunè dicantur. Sic iussit Comiti fratri respondere Patronius: sic & ego cuicumque personæ, quæ duas Theologias habere velit, alteram (& hanc laxam) pro se; alteram (& hanc rigidam seu crudelem) pro aliis: hi enim Arsilio Fatimæque assimiles,

Ad folij ſtrepitum turbato corde tremiſcunt; Fulminis ad tonitrum ſæpè timore carent.

His igitur exesse jussis, habeamus unicam Theologiam: vel si duas; ut imperemus & doceamus, benignam; ut autem vivamus, severam. Sed habeamus (sic consulo) unicam: sed qualem? rigidam, an clementem? novam, an veterem? Alii rigorem quærant, clementiam alii: nil placeat aliis, nisi novum; aliis, nisi decrepitum: non moror ista; non enim rigores aut clementias, non novitates aut antiquitates inquiro, sed Veritatem.

Sola est quærenda Veritas.

Realitatum & Moralitatum analogia.

Duplex hæc Realis, Moralisque: & frustra hæc posterior quæretur, quamdiu non inveniatur illa prior. Hinc patet primò, *sicut de Realibus realiter, sic etiam de Moralibus moraliter esse philosophandum.* Hinc secundò, *Vbi non habet demonſtrationes Phyſica, nec ibi habere demonſtrationes Ethicam.* Pono exemplum. Quærit Physicus an duæ formæ reales, distinctæ puro numero, in eodem subjecto esse possint? & consequenter inquirit Ethicus, an duæ formæ morales (bonitates, malitiæ) puro distinctæ numero, in eodem subjecto (actu) esse possint? & quid respondet Ethicus? se expectare, quid dicat Physicus, ut ipse consequenter resolvat: affirmaturus, si ille asserat; negaturus, si neget. Et quo, quæso, modo Physicus quæstionem decidit? Vtrumque videri probabile: nam negatricem partem Angelicus Doctor tutatur: affirmatricem Scotus; quos suæ Scholæ sequuntur. Ergo alteram partem certam dicere Theologus Moralis non audebit; nulla enim certitudo esse poterit, quæ probabili fundamento innitatur.

Vbi demonſtratione caret Physica, nil demonſtrabit Ethica.

De duarum formarum in eodem ſubjecto coëxiſtentiâ.

Rem exemplo dilucido. Petrus furatus est rem sacram de loco non sacro: Paulus non sacram de sacro: & Anselmus sacram de sacro. Petrus & Paulus commiserunt duo peccata distincta puro numero, (sic tenet communis opinio) quia præcepta quæ violarunt, eamdem numero Religionem respiciunt, nimirùm reverentiam debitam rebus sacris. Sed quomodo peccavit; & in sacramentali confessione conscientiam suam Anselmus aperire debebit? Dicere debebit Scotista in illo actu duas malitias numero distinctas reperiri; & differentiam illam, quæ interest, esse purè materialem: nam, sive sanctitas, quæ violatur, rem furto ablatam, vel locum unde auferitur, afficiat, perinde est. Addet hanc differentiam per se explicari in confessione non debere: sed debere per accidens; nempe in casu, quo verborum defectu nesciat pœnitens explicare peccati sui speciem, quin explicet differentiam illam materialem & accidentalem. Et subjunget, illum Anselmi actum (furtum) tametsi sit realiter simplex, virtualiter duplicem esse: & hoc in confessione esse explicandum: nam aperire numerum peccatorum tenemur. Sic Scotista. Sed Thomista? Duas formas reales puro distinctas numero idem subjectum informare non posse: adeóque duas malitias puro distinctas numero (sunt enim quædam formæ morales) inficere non posse eumdem actum; & hanc ob rem furtum illud Anselmi non habere duas malitias, sed unam; majorem tamen illâ, quæ in furto Petri vel Pauli reperitur: adeóque esse circumstantiam aggravantem, nec necessariò in confessione explicandam. Scotistas multi viri docti sequuntur: Thomistas Fagundez & Diana: nàm Antonius Cotonius, qui Dianæ Opera ad Summam magno & utili labore reduxit, *verbo.* Circumstantia. *num.* 84. sic inquit. *Similiter, qui furaretur rem ſacram de loco ſacro, unum ſacrilegium committeret, nec teneretur utrumque explicare in confeſſione, ſed tantùm alterutrum. Ita Fagundez* part. 2. lib. 4 cap. 5. n. 21. *& Diana* part. 1. tract. 7. resol. 22. in fin.

L.

An, qui rem ſacram de loco ſacro furatur, duo peccata committat?

An vnicum?

M.

Moralium Scholaſticum

Amice igitur Lector (ut omnia, quæ hucusque dixi, ad unicam periodum reducam) si vis in Theologia Morali proficere Dialecticam & Philosophiam Naturalem addisce; frustra enim vel unam Moralem Positionem mediteris, si fundamenta nescias, quibus illa innitatur. Ne in opinione clementiam aut severitatem, novitatem aut antiquitatem, sed solam Veritatem quæsieris: nec Propositionem, quæso, aliquam, aut certò veram, aut certò falsam, vel (quod in idem recidet) improbabilem dixeris, quamdiu demonstratione (reali, aut virtuali) destituaris; est enim temerarii judicii reus, qui certam eam conclusionem pronunciat, quam inferunt præmissæ probabiles. Hac providentiâ ductus sume calamum, si consularis; certúsque sis te omnibus placere non posse, quidquid dixeris, quidquid scripseris. Displicent benignis severa,

Quomodo proficere debeat qui voluerit Moralē Theologiam docere?

ſevera, & ſeveris benigna: repentia ſublimibus, & repentibus ingeniis ſublimia. At hi naturâ peccant; & naturalia, quamdiu liberum arbitrium præveniunt, meritoria aut demeritoria eſſe non poſſunt. Sunt & alii, in quibus cenſurandi prurigo morbus eſt: habent quodlibetica ingenia; negant, ſi aſſeris; ſi neges, aſſerunt: ipſis enim aſſerere aut negare, modò contradicere poſſint, perinde eſt. Si hos priſtinæ ſanitati reſtituere volueris; nil repone; quidquid voluerint, dicant. Doce verbo & exemplo: &, ſi duplex Theologia placeat, juxta ſeveram vive, & juxta benignam inferiores guberna. Et quia leges, quas tibi præfigo, obſervare deſidero; ſicubi, quod humanum eſt, vel in Logica hallucinor, vel in Phyſica ceſpitem, vel imperitorum obloquutiones & contradictiones morer (nam Viros ſemper doctos ſuſpicio) vel ineam viam benignam, & te in ſeveram propellam, me mone: nam impugnationes, ſi modeſtæ, patientiſſimè tolero; ſi acutæ & ingenioſæ, libentiſſimè lego.

Defectus naturales non ſunt demerita moralia.

Quodlibeticũ ingenium.

Autoris votum.

NOTA.

Ut videat prudens Lector, non ſine cauſa me dixiſſe eſſe varia judicia hominum, & nihil omnibus placere poſſe (doctè enim dicta indoctis, indoctè effuſa doctis diſplicent) Literas ſequentes adjungo, ex quibus liquidò conſtabit, Principum errore indoctos ſæpè Viris doctis jus dicere, juberéque ut errores & ignorantias ſuas, ut doctrinæ certæ & indubitatæ admittantur.

EPISTOLA I.

Ioanni Caramueli ſuo Bernavvellius S. P. D.

Feſta felicia apprecatur. Imperitiam cuiuſdam Cenſoris recenſet, qui Opiniones communes, quas docti ſuſpectas de errore judicant, infallibiles eſſe pronunciat: oppoſitas, quæ certiſſimæ ſunt, non poſſe tolerari ſtatuens.

N.

DEOLITVS omnia illa det Deus, quæ meum cor Dominationi veſtræ Illuſtriſſimæ deſiderat, pro utroque nomine bona. Præſentes ſolennitates tantâ bonorum redundantiâ affluant, quantam Deus ſuâ nativitate, Mundo contulit univerſo.

Tempus conceptionis & animationis eſt incertum.

Communicabo amicorum dilectiſſimo, cui vivo, quæ cor gemens ad calamum revolat. Diſputationi publicæ tradere deſtinaveram, inter alia duo aſſerta. Primò, *Incertum eſſe tempus animationis fœtus.* Secundò, *Incertum eſſe tempus nativitatis hominis.* Reſtitit Reviſor: & obtruſit hinc ſequi, incertas irregulatitates in abortu, ſi anceps ſit animationis tempus. In quo, maximâ hallucinatione ſe captum, debuiſſet ingemiſcere potiùs, quàm triumphare. Quo ex dogmate Fidei, aut Legis ille ſcito, ſuo ponderoſo ingenio expreſſit tantam temporis certitudinem, ubi nulla ſcientia, & ſumma opinionum diſcordia? Addidit commune eſſe inter Doctores animationem in 40. incipere: ego. (intulit) eſt certum. Ergo omnis ſententia communis eſt certa, infero ego, quod ab ipſo eſt admittendum, ſed eſt conſequens indignum homine philoſopho. Inſuper, quæ bona Logica; eſt irregularis procurans in effectu abortum rei animatæ. Ergo eſt certum tempus animationis. Cum ergo omnia fictilia, & nihil ſolidi pro ſe adduxiſſet, placuit, cum aliis, etiam prædicta ad inſtar Apologiæ plurimis, & maximi nominis munita Authoribus Romam imprimenda tranſmittere. Sed nunc audio, neſcio quæ ibi retardantia impreſſionem. Expectabo anxietatum reſolutionem; & certiorabo Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, cui diuturniſſima ſemper feliciora tempora, ut precor, ita Deus annuat. Vale Domine mi dilectiſſime, & vtere, &c.

An hæc accidat 40. in maribus, & infœmellis 80 die?

An Cenſor ignoret Logicam?

An certæ ſint opiniones communes?

EPISTOLA II.

Bernavvellio ſuo Ioannes Caramuel.

Cur olim docti indoctis, cur nunc indocti doctis præſint? Quomodo eruditorum compeſcatur elatio? Quàm certæ ſint opiniones communes? Quando fœtui anima rationalis infundatur? Auenionenſis Vniuerſitatis opinio. An conceptionis dies ſciri poſſit? An abortus ſit duplex: alter fœtus animati, & alter fœtus inanimati?

O *D. Ambroſii Carrillo apoſthegma.*

DOM. Ambroſius Carrillus, noſtri Ordinis Abbas, Concionator egregius, cùm in Comitiis Generalibus Evangelium exponeret, quia indoctos aliquos viderat promoveri, dixit paucas periodos, quæ multis ſæculis perennare debebant; ſunt enim, quæ inſcribi poſſint tabulis æternitatis.

P *Cur olim docti indoctis præfecti.*

Genus humanum, inquit, ita eſt ſuperbum, ut debuerit compeſci; ita eſt durum, ut debeat flecti, aut etiam ad humilitatem torqueri: &, quia continuò in pejus ruit, ſemper indiget potentiori remedio. Viſa fuit Regis Davidis ævo medicina ſufficiens; ſi doctis ſubeſſent indocti, unde ille exclamat, *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra:* At cum ætate, hominum elatione creſcente, crudius debuit adhiberi remedium, & ideò docti ſunt indoctis ſubmiſſi: unde hodie qui colunt ingenium exclamant, *Impoſuiſti Philomelas Arcadicas ſuper capita noſtra.*

Cur hodie indocti doctis?

Philomela Arcas.

Quomodo doctorum ſuperbia compeſcitur?

Sanè ſuperbiunt docti; & providè cum illis agitur, quando jubentur ab indoctis doceri: & facilius erit loqui cum indoctis Cenſoribus, quàm illos ad viam veritatis reducere. Multi errore amicorum ſunt promoti, & tamen nihil ſciunt: & quod miſerabilius, etiam ſe nihil ſcire neſciunt, & tamen cenſeri docti volunt, & à doctis aſſerta, dextrorſum ſiniſtrorſum cenſere. Sunt indocti, ſed cauti; & quia videri docti volunt, quærunt aliquem virum illuſtrem & clarum, quem corrigant, deprimant & impugnent; illius inſiſtentes veſtigiis, qui cùm aliunde eſſe notus non poſſet, Epheſiæ Dianæ Templo ignem admovit, ut unâ horâ dejiceret, quæ tota propemodum Aſia annis ducentis conformarat. Aut illius etiam, qui in Homerum fuit auſus, unde Ὁμηρομαστὶξ voluit dici. Adquiſivit laudem apud vulgus, quis dubitat? at apud doctos magnóſque? confuſionem æternam. Ptolemæum Regem Ægypti teſtor, qui hunc indignum ſtipe priùs, & poſteà datâ occaſione indignum vitâ judicavit.

Quàm ſint cauti imperiti? ſemper in magnos audent.

Templi Dianæ deſtructor.

Homeri calumniator.

Q *De Cenſore qui Aſſerta evidenter vera approbare non voluit.*

Vnus ex his ille videtur eſſe, in cuius arbitrium inciderunt tuæ Theſes. Non poteſt ob doctrinam propriam, gloriam quærere: & ideò cautè Dianam & Homerum invaſit: hoc eſt, in te direxit oculos, ut te judicaretur doctior, ſi in te ſæviret. Apud vulgus minuitur authoritas his nænijs; id non nego: at docti, at magni, ſunt Ptolemæo ſimiles, & ſciunt quanti Homeri, & quanti faciendi maſtiges.

Quantam gloriam adquirat apud doctos?

Glorietur ille apud Plebæos, quod ſit Bernavvelliomaſtix, at linguæ Græcæ rigor maſtigas acceptione paſſivâ verberones appellat: vnde Bernavvelliomaſtix, non jam illum, qui Bernavvellium flagellat, ſed qui à Bernavvellio flagellatur ſignificat. Ita eſt, doctiſſime Vir: ſufficit enim illi, ut à doctis judicetur ignorans, accuſaſſe de obſcuritate Solem, de falſitate aſſerta, quorum veritas clarior eſt ipſo Sole. Loquamur in particulari. Sanè quanti illa debeat fieri conſequentia,

Eſt doctrina communis,
Ergo eſt certa.

jam ſæpè luculenter oſtendi. Et, ut rem præſentem ediſſeram, *Aſſero primò*, non poſſe ſententiam communem à particulari diſcernere, qui ſuo Breviario contentus, alios libros non legit; qui fortè ſcit quid domi ſuæ dicant ſui ſocij, non quid in vicina eruditi: qui nunquam Veterum ac Iuniorum; nunquam Theologorum, Iuriſperitorum & Medicorum, nunquam Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Germanorum, &c. opiniones compoſuit, ut concordiam & diſcordiam addiſceret. Hinc eſt, quòd multi Scriptores interdum eas vocent ſingulares ſententias, quas communes; eas verò communes, quas omninò ſingulares deberent. *Aſſero ſecundò*, Enthymema præmiſſum nil concludere; quoniam ex illo antecedenti, *Eſt doctrina communis*, non bene infertur illa conſequentia, *Ergo eſt certa.*

Μάστιξ *non tam* eum qui verberat, *quàm*, qui verberatur *ſignificat.*

An vnuſquiſque poſſit ſcire quanam ſit communis ſententia?

De doctrina communi an ſit certa?

R *An ſuſpectas?*

Hoc quidem in Theologia Fundamentali num. 341. evidenter probavi. Sic ibi incipio. Acturo de opinionibus communibus, quæ vulgò judicantur probabiles; quæ tamen merâ indoctorum ignorantiâ ſubſiſtunt, primò ſuccurrit illa, quæ horologia tuetur, quâ nulla falſior eſt & indignior. Profectò, ſi ſunt certæ opiniones communes, quod oculis caremus, eſt certum. Non flectit genua Elephas, Leo Gallum fugit, nihil edit Chamæleon, olim nulli fuerunt antipodes, Cæli ſunt duri & ſolidi, Planetæ convolvuntur per circulos: &c. quæ omnia communia, & nihilominùs tam vera, quàm quòd non ſunt Latinæ, ſed Arabicæ Literæ, quas ſcribo. Imò auſus moncre fui, omnes opiniones communes, hoc ipſo nomine, eſſe de falſitate ſuſpectas.

S

Porrò hæ duæ propoſitiones. I. *Incertum eſt tempus animationis fœtûs.* II. *Incertum eſt tempus nativitatis hominis*, ſunt manifeſtiſſimæ: & utinam tuus ille Cenſor eſſe falſas

evidenter

evidenter ostenderet. Vix est ulla materia, in qua tam diversæ & adversæ sint Doctorum sententiæ: ab Antiquis Iuniores, à Theologis Medici, Iurisperiti ab utrisque dissentiunt. Nullum est instans à seminis decisione ad partum, de quo non possimus disputare & dubitare, an in illo infusio rationalis animæ contingat? Omissâ enim Averroïs opinatione, tunc animam infundi statuente quando patrem & matrem pueri discernunt, & nominibus ætati suæ consentaneis appellant: videtur enim nimis tarda, & probabili fundamento carere: duas extremas assertiones invenio, inter quas Philosophi, Theologi, Medici, & Iurisperiti vias diversas aut etiam adversas aperiunt.

An in primo instanti (hoc est, in ipsa seminis decisione) infundatur anima rationalis?

In primo instanti (videlicet, quando semen deciditur) infundi animam Daniel Sennertus Medicus non vulgaris affirmat. Cui asserente Carranza *lib. de partu, cap. 1. §. 2. num. 11.* consonant Franciscus Vallesius *lib. 2. controverſ. cap. 9.* Ioannes Argenterius *super arte parva. tit. de temperamento teſtium.* Christophorus Vega *lib. de arte medendi. cap. 5.* Peramatus *lib. de animæ facult. cap. 5.* Ioubertus *in comm. in lib. 1. Galeni de facultatibus natur. cap. 5.* Mercadus *lib. 1. Physiolog. part. 4. claſſ. 1. quæſt. 98.* Consonat Vopiscus, Fortunatus, Plemplius, *lib. 2. de Fundam. Medicin. cap. 6.* à quibus non multum abest Thomas Fienus *lib. de formatrice fœtûs, quæſt. 5. fol. 50.* Hanc fuisse opinionem Hyppocratis persuadere videntur illa verba, quæ in libro de Diæta leguntur: videlicet, *si quis non credit animam animæ miſceri, vehemens eſt.* Quo sensu hujus sententiæ Authores intelligi jubent Aristotelem *lib. 1. de generat. cap. 18.* & *lib. 2. cap. 1. & 3.* & Galenum *lib. de Marasmo*, & *lib. 1. de facult. natur. cap. 5.* & *lib. 1. de semin. cap. 7.* dicentes, tria esse viventium genera, scilicet Animantes, Plantas, & semina.

An in ultimo instanti, hoc est, in partu? Vide Theologiam nostram Fund. num. 1623. §. Tertia.

Sicut hi Authores in primo instanti existimant animam rationalem infundi, sic alii in ultimo, nempe in ipsomet partu. Hæc est Domini Ioannis Marci, Bohemiæ Physici, & Archiatri Cæsarei sententia: quam aliqui olim Veteres propugnasse censendi sunt: illam enim refert & refellit S. Thomas *1. part. quæſt. 118. art. 2. ad 2.* nam vitæ opera, qualia sunt augeri, nutriri, & sentire, à principio extrinseco esse non possunt, cujusmodi sunt tam matris anima, quàm virtus formativa seminis.

Plutarchi opinio.

An aliter de masculo, aliter de fœmella philosophandum sit?

Inter has duas opiniones extremas cæteræ fluctuant; quarum rationes & fundamenta, si qua sunt, quantâ potero brevitate percurram. Empedocles asserente Plutarcho *lib. 5. de Placit. Phil. cap. 21.* hominum membra incipere conformari ait die trigesimo sexto, perfici quadragesimo nono. Et ut vides, eodem modo de masculi ac fœmellæ conformatione philosophatur. Asclepiades distinguit, quia mares calidi sunt, fœmellæ frigidæ: & ideò affirmat membrorum conformationem initium auspicari vigesimâ sextâ die: aut etiam interdum maturiùs: perfici verò quinquagesimo. In fœminis verò conformationis initium accenset diei sexagesimo, perfectionem verò centesimo vigesimo, ob inopiam caloris. Aliter Hyppocrates; *libro* enim *de Nat. pueri*, statuit masculos trigesimo die; fœminas autem quadragesimo secundo conformari. Hyppocrati subscribunt Henricus de Gandavo, Peramentus *lib. de hom. procreatione cap. 3.* Mercadus *lib. Physiolog. part. 5.* Andreas Laurentius *lib. 8. de hist. Anatomiæ, q. 18.* & alii. Et, si interroges, utrùm hæc Regula sit inviolabilis & generalis, respondet *in lib. de Diæta text. 7.* Hyppocrates, se tempus exactum nescire, nec in omnibus eamdem legem indivisibilem observari; fœtus enim aliàs citiùs, aliàs tardiùs formatur, prout plus minúsve caloris & alimenti fuerit nactus. Sed quantum fidere possimus Hyppocrati, demonstrat ratio; quâ ille sententiam suam persuadere conatur. In arena ædificat; & si quid altius subrigit, ab aëre pendet. Argumentum ab expurgatione desumit, hæc enim in masculo trigesimum attingit diem: quadragesimum in fœmina excedit. Ejus verba sunt hæc: *Iam verò genitus eſt infans, eóque pervenit, ut fœmina quidem primam concretionem duobus & quadraginta diebus cùm longiſſimè accipiat, mas verò triginta diebus, quod longiſſimum. Nam & purgatio à partu fit mulieribus ut plurimum, iis quidem, quæ fœminam ſuſceperunt, duobus & quadraginta diebus, in maſculo verò purgatio diebus triginta contingit.* Et mox. *At verò purgationes à partu eâ de causâ mulieribus contingunt, quod primo tempore ad duos & quadraginta dies in fœmina; in maſculo verò ad dies triginta: pauciſſimus ſanguis in pueri alimentum cedit, ex eo verò ad partum vſque copioſior.* Et infrà: *Pleræque autem jam mulieres fœtum maſculum paulò ante trigeſimum diem abortione reddidere, ſed is diſtinctus conſpectus eſt. Qui verò paulò poſt, aut eo ipſo die rejecti ſunt, omnes diſtinctis membris viſi ſunt.* Inque horum illustratione multa adducit Andreas Laurentius *lib. 8. de hiſt. Anatom. c. 5. q. 19.* Ergo tota Hyppocratis ratio potest ad hanc formam reduci. [Tanto tempore puerpera expurgatur post partum, quanto fœtus conformatur in utero. Sed illa post nativitatem masculi triginta; post nativitatem fœminæ expurgatur quadraginta diebus. Masculus ergo triginta, fœmella verò quadraginta diebus in utero conformatur.] Incerta est consequentia, quia minor non respondet experientiis exactè, sed plus minus: & major esse falsa videtur, aut saltem ab Hyppocrate ne quidem probabiliter persuadetur. Aliter omninò philosophatur Aristoteles, qui *lib. 7. de hiſt. animal. cap. 3.* mares circa quadragesimum diem, fœmellas circa nonagesimum conformari putavit. Et quidem illud *circa* incertitudinem innuit, quam asserimus. Hinc occasione sumptâ Medici abeunt in tres classes: alii enim Hyppocrati subscribunt, alii Aristoteli, alii utrumque conciliare conantur. Vide Lælium Biscio-lam *lib. 18. hor. ſubſecivar. cap. 21. tom. 1.* apud quem Feder. Bonavent. *lib. 3. de octomeſtri partu cap. 92. & ſeqq.* imperfectam à perfecta conformatione distinguentis, ita ut Hyppocrates de altera, Aristoteles de altera intelligendus sit, ingeniosam opinationem doctissimi Viri rejiciunt. Viam longè diversam inivit Avicena *lib. 16. de animal. cap. 1.* magis exorbitantem Averroës *in libris de anima.* Soranus Medicus Ephesius *in suæ Isagoges cap. 17.* circa nonagesimum

Ejusdem probatio.

An quanto tempore purgatur puerpera, tanto fœtus hæreat in ventre matris antequàm donetur anima rationali?

Dubito, an Hyppocrates experientias sufficientes habuerit, ut tam confidenter concluſionem ſuam poneret.

Ratio Hyppocratis examinatur.

Aristotelis opinio.

Medici dividuntur in tres claſſes.

Avicena opinio.

Soranus opinio.

Hyppocratis opinio.

nageſimum diem judicavit animam rationalem infundi, tam in maſculis, quàm in fæmellis. Elias Venetus *in Scholiis* tertio à conceptu menſe (hoc eſt, poſt 90. diem) mares; fæmellas quarto (hoc eſt, poſt 120. diem) animari opinatur. Ochamus *lib. 2. de gener. animal. cap. 3.* Fernelius *lib. 7. Phyſiolog. cap. 13.* & alii hærent ambigui, putantes poſt tertium, aut etiam poſt quartum menſem fœtum anima rationali donari. Lævinius Lemnius *lib. 1. de occult. nat. miracul. cap. 11.* maſculos quadrageſimo quinto die, fæmellas quinquageſimo animari ſtatuit, quod probat authoritate Hyppocratis *in lib. de natura fœtûs*: ſed hanc ſententiam, ut aſſerit Alphonſus Caranza *lib. de partu cap. 1. §. 2. num. 29.* & ex ſuperioribus manifeſtè colligitur, Hyppocrati ille adfingit & imponit.

Veneti opinio.

Ochami, Fernelij & aliorum opinio.

Lemnii opinio.

V

Eodem dubio laborat Franciſcus Valleſius, *qui lib. de ſac. Philoſ. cap. 18. & lib. 2. Controverſ. cap. 10.* à ratione, ab Hyppocratis authoritate, & ab experientia argumenta deducens, nunc trigeſimo, nunc trigeſimo quinto, nunc quadrageſimo, nunc tandem quinquageſimo die fœtum animari aſſeverat.

Valleſii opinio.

Federicus Bonaventura *lib. 7. de part. octomeſt. cap. 90.* marem trigeſimo tertio die, fœmellam ſexageſimo ſexto animam recipere ſtatuit, idque perſuadere conatur *ex cap. 12. & 15. Levitici.* Verba hæc jubet conſiderari: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octavo circumcidetur infantulus. Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Et mox: *ſin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Sed vacillat hæc ratio: primò enim ex purificatione ad animationem inefficax argumentum deſumitur, non enim ratio gravis ſuccurrit, quæ hæc duo intervalla eadem ulna debere menſurari, perſuadeat. Secundò Federicus hallucinatur in computu, negligit enim ſeptem priores dies, qui triginta tribus additi conſtituunt quadraginta. Vnde fortè Iudæi & Græci illorum ritu ad quadrageſimum diem convertunt oculos. Cenſorinus *lib. de natali. ad Q. Cærelium cap. 11.* ſic inquit. *In Græcia dies habent quadrageſimos inſignes, namque prægnans ante quadrageſimum non prodit in fanum, & poſt partum pleræque fœtæ* (videlicet quadraginta diebus) *graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent.* Has opiniones tametſi à multis defendantur & propugnentur ſingulæ, non eſſe apud Medicos communes opinatur Barboſa, qui à Medicis quoad hoc maſculos à fæmellis diſtingui non dicit, & pleroſque omnes in hac putat convenire ſententia, ut poſt quintum menſem ſeu diem 150. vel 153. aſſeverent animam rationalem infundi. Verba Barboſæ hæc ſunt; *Inter Medicæ Artis Profeſſores eſt communis ſententia* (nota vocem, *communis*) *quòd tanquam homicida puniendus venit, qui abortum procurat, aut poculum præbet prægnanti in quocumque tempore poſtquam à quinto menſe egreditur: fœtus nam ut* (lego, *tunc*) *vitalis eſt; & toto anno ex quinto menſe legitimè naſcitur per Horatium Augen.* in tract. *quod homini non ſit certum tempus ad naſcendum.* lib. 1. & 2. *Ioannem Schenk* tom. 2. Obſervat. Medic. lib. 4. tit. de partu vitali præcoci. Obſervat. 153. *Peramatum* lib. de hominum procreat. c. 9. *Ferdinandum Bonavent.* in tract. de partu octomeſtri, lib. 2. cum tribus ſequentibus; *Ludovicum Mercadum* lib. 4. de affectib. mulierum, cap. 1. *Franciſcum Valeriolum* Enarrationum Medic. lib. 3. cap. 7. *Franciſcum Valleſium* lib. 2. Controverſ. cap. 10. *&c.*

Bonaventuræ opinio.

An in ſacra Pagina reſolvatur hæc Quæſtio?

An ex purificatione ad animationem argumentum procedat? Errat Federicus in computu.

Quadrageſimus dies notabilis.

Barboſæ opinio.

Multi Theologi agentes de maſculorum animatione Frederico ſubſcribunt: agentes verò de animatione fœminæ in ſectas & claſſes dividuntur, alii enim has eidem legi ſubjiciunt: alii verò (nempe Maldonatus *ad cap. 2. Lucæ*, Toletus *ibid. adnot. 34.* Suarez *tom. 2. in 3. part. diſput. 10. ſect. 2.*) expectant octuageſimum diem. Sed quis ſibi ſuadere poterit, inquit Caranza *lib. de part. cap. 1. §. 2. num. 32.* tam longè diverſam maris materiæ diſpoſitionem eſſe à fœminea, ut iſtius efformatio duplicato tempore abſumatur. Interim hos dierum numeros admittunt communiter Iuriſperiti *ex Gloſſa final. in ſumma 5. diſtinct.* Ita habent Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 3. num. 32. §. Et talis anima.* Petrus Plaza *de delictis. lib. 1. cap. 9. ex num. 7.* & alii, qui dicunt ſe Ariſtoteli & Plinio ſubſcribere, cùm tamen ab utroque abeant, & ut Caranza, *ubi ſuprà num. 33.* animadvertit, hanc ſententiam utrique imponant & adfingant. Gregorius Lopez *lib. 8. tit. 8. part. 7. gloſſ. 2.* maris animationem diei quadrageſimo, fœminæ octuageſimo adſcribit, Bartolum & Angelum ſecutus.

X

Maldonati, Toleti, Suarii opinio.

An duplo ante animationem tempore hæreat fœmina, quàm mas?

Antonii Gomezii, Petri Plazæ,

Lopezii opinio.

Antonius Theſaurus *deciſ. 2. num. 2.* trigeſimo die maris, quadrageſimo fœminæ animationem ſuſpicatur accidere.

Y

Antonii Theſauri opinio.

Cæteri Iuriſperiti dum vel Medicis præferre Theologos, vel Theologis Medicos exiſtimant, tam varia decernunt & ſcribunt, ut poſſimus aſſerere quot capita tot eſſe ſententias. Legere interim proderit Gothofredum *in Schol. ad l. 3. §. fin. D. de ſuis. & leg. hered.* & *in l. Ciceronem. D. de pœn.* & latiùs Zachariam *in Medico-legali. lib. tit. 2. quæſt. 9. & 10.* Lælium Zecchium *de caſibus reſervat. ſuper caſu 9.* Gambaruptam *in eodem tract. fol. 191. num. 6.* Quarantam *in Summa Bullarii, verb. Abortus, num. 5.* noviſſimè Auguſtinum Barboſam *de officio & poteſtate Epiſcopi, allegatione 51. numero 137.*

Plerique in hac materia potiùs dubitant, quàm aliquid audent reſolvere.

Hodie Peripatetici qui oculatiſſimi videri volunt, tametſi judicent fœtum maſculinum quadraginta diebus in utero conformari, in modo progreſſum explicandi diſſentiunt. Sex primis à conceptione diebus ſemen eſſe ſimile lacti, & omni carere vita & motu aſſeverant. Die ſeptimo animam vegetativam infundunt. Hinc jubent illud purpuraſcere, novémque dies, ut convertant in ſanguinem, & duodecim, ut in carnem, impendunt. Hîc animam ſenſitivam admittunt, quæ maſſam illam paulatim configuret, diſponátque, ut poſt quindecim dies ſuſcipiat animam rationalem. Non multum abeſt Ægidius, cujus hæc carmina circumferuntur.

Z

Ariſtotelicorum opinio. Quomodo ſemen in ventre matris alteretur & fœtum paulatim convertatur?

Ægidii opinio.

Sex in lacte dies: ter ſunt in ſanguine trini:
Bis ſeni carnem: ter ſeni membra figurant.

Hanc ſententiam Raynerus ad numeros ſequentes reduxit.

Rayneri opinio.

Suſceptum ſemen ſex primis crede diebus.

Fit

Fit quasi lac ; reliquisque novem fit sanguis : & inde

Consolidat duodena dies ; bis nona deinceps
Effigiat, tempúsque sequens producit ad ortum.

Eos leges apud Paulum Borgasium *de irregularitate 6. part. tit. de benef. num. 14.* Elegantiora sed obscuriora sunt Ausonii Galli carmina, qui *Edylio 12.* sic infit.

Ausonii opinio.

Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis
Scandit purpureo jam tertia sydera curru,
Obliqua exilem demittit linea lucem,
Adspirans tenues per inertia pondera motus.

Sensit ergo Ausonius animationem æquè in mari ac in fœmina contingere solere mense tertio.

Sed quomodo fit hæc motuum successio ? Perire Embryonis formam superveniente vegetabili : perire hanc ad præsentiam sensibilis : & tandem perire etiam hanc, cùm infunditur spiritualis, asseruit Aristoteles, ut putat Angelicus Doctor, & cum illo Thomistæ communiter. In Aristotele *lib. 2. de generat. animal. cap. 3.* legimus. *Conceptum inanimatum esse nemo statuerit, nec vita omnibus modis privatum : quippe cùm nihilominus semina & conceptus animalium vivant, quàm stirpes, & aliquando prolifica sint.* Ecce Philosophus in ipsomet semine collocat animam vegetativam: progreditur & suam explicat mentem his verbis. *Principio enim hæc omnia vitam stirpis* (vegetativam) *vivere videntur.* Quæ omnia repetit *lib. 5. cap. 1.* & sæpè alibi. Consonat Philosopho Galenus *lib. 1. de semin. cap. 9.* & *lib. de format. fœtûs cap. 3.* Vnde S. Thomas *lib. 2. contra Gentes. cap. 89.* sic discurrit. *Anima vegetabilis, quæ primò inest, dum embryo vivit vitâ plantæ corrumpitur, & succedit alia perfectior*, &c. Et eodem modo philosophatur de sensibili, quam corrumpi vult cum rationalis supervenit. Consonat sibi S. Doctor *1. part. quæst. vnic. de anim. art. 11. ad 1.* & *quæst. 79. art. 3. ad 3.* & *quæst. 118. art. 2. ad 2.* & *quæst. 3. de potent. art. 9.* Eum illustrat propugnátque Petrus Garcias *in Avicennam disput. 38. cap. 2. numero 13.* & *14.* Cardinalis Toletus *lib. 2. de Anim. c. 4. q. 7.* Fernelius *lib. 5. Physiolog. c. 18.* & *lib. 7. cap. 5.* Conimbricenses *lib. 2. de anima cap. 1. quæst. 4. art. 2.* qui omnes sequi videntur Hyppocratem *libr. de genitura*, cui omninò Chalcidius *in Timæum Platonis*, & Olerius *lib. 1. de morbis internis* consentiunt.

AA
An prior anima superveniente nobiliore depereat ?

An vivat semen ?

S. Thomæ & Thomistarũ opinio.

Hæc nihilominus animarum successio, tametsi à doctissimis Viris asserta, multis clarissimis Philosophis & Theologis semper displicuit : opinantur enim unam & eamdem animam esse, quam vocant, vegetativam, sensitivam & rationalem, quæ septimo die semini infusa incipiat vegetativas operationes exercere priùs, & materia meliùs post aliquot dies disposita sensitivas exercere posteriùs. Sic sentire videtur Ferdinandus Mena *in Comment. ad lib. de septimestr. partu, cap. 14.* Authoris libri *de carnibus* (quicumque ille sit) testimonio suffultus, quem frustra Alphonsus de Carranza *lib. de partu cap. 1. §. 1. num. 1.* impugnare conatur. Hanc opinionem tam esse certam judicat ipse Carranza, ut *num. 7.* oppositam, quæ ut vidimus, D. Thomæ & Thomistarum est, non esse tolerandam affirmet ; est enim, ut ait, absurdissima & Sanctis Patribus adversaria. Et ibidem adducit aliquos Authores, quos pro contrariâ allegaverat, ut constet, esse rem tam obscuram & incertam, ut Viri magni, dum de illa disserunt, non solùm non conveniant inter se, sed nec sibiipsis constent. Porrò unam & eamdem esse in fœtu animam, quæ priùs ut vegetativa, postea vt sensitiva, demum ut rationalis operatur, probabilius doctissimis Viris apparet, quorum sententiam dilucidè exponit Ioannes Poncius *disputat. 1. de subst. animæ quæst. 7. pag. 738. num. 107.* Eius verba sunt hæc : [Dices cum Ruvio animam rationalem esse perfectissimam formam, ac exigere perfectissimam dispositionem, quæ naturaliter non potest produci statim, sed paulatim, procedendo ab imperfecto ad perfectum ; unde cùm producatur aliquando dispositio illa in semine in tali gradu imperfecto, ut non sufficiat ad introductionem animæ rationalis, nec tamen possit naturaliter consistere cum forma seminis, debet hæc forma destrui & introduci alia forma, quæ non est anima rationalis ; & prima quæ producitur, est vegetativa ; deinde producuntur perfectiores dispositiones incompatibiles cum anima illa vegetativa, & insufficientes pro rationali, & propterea introduci debet alia forma, nempe anima sensitiva ; ac demum productis perfectioribus dispositionibus incompatibilibus cum hac forma, & sufficientibus pro rationali, introducitur anima rationalis.

Animarum successio exponitur & dilucidatur.

Contra : quia quamvis anima rationalis sit perfectissima, ac exigat perfectissimas dispositiones successivè producendas in materia seminis, non constat eas produci in illa materia in gradu aliquo incompatibili cum forma seminis, qui gradus non sufficiat ad introductionem animæ rationalis : sed nisi hoc constet, tota illa doctrina Ruvij corruit : ergo supponit probandum. Probatur major : quia, si id constaret, maximè ex perfectione animæ, sed inde non constat, quia quemadmodum anima vegetativa, licèt excedat omnes formas, quæ non sunt animæ, non tamen exigit, ut producatur in semine ante se dispositio requirens ullam aliam formam ; ita etiam anima rationalis, licèt excederet in perfectione alias animas, non tamen exigere deberet, ut priùs produceretur alia anima in materia seminis, quam ipsamet. Imò omninò absurdum videtur, quod aliqua forma completa substantialis ordinetur ex natura sua ad introductionem alterius formæ, quâ introductâ, destrueretur illa altera forma : hoc autem sequeretur in sententia horum authorum. Itaque respondeo aliter ad objectionem præmissam, distinguendo antecedens : priùs vivit vitâ plantæ, ac vitâ sensitiuâ in actu secundo, quàm rationali, hoc est, priùs habet operationes vitales ac sensitivas quàm rationales, concedo antecedens ; in actu primo, hoc est, priùs habet animam vegetativam, aut sensitivam, quæ anima est vita in actu primo, nego antecedens, & consequentiam. Prima igitur anima, quæ in semine humano per generationem humanam introducitur, est anima rationalis. Sed hæc, quia priùs invenit aut principiat dispositiones

BB
Eadem rejicitur & impugnatur.

D. Thoma (Ruvii) doctrina est incerta : ergo & opposita (Poncii) etiam est incerta.

An vna forma substantialis possit esse dispositio ad aliam ?

Anima rationalis in fœtu priùs operationes vegetativas, postea sensitivas, &c. exercet.

nes. Sufficientes ad operationes vegetativas quàm sensitivas, & ad has quàm ad rationales : propterea priùs constitutum per ipsam exercet operationes vegetativas quàm sensitivas, & has quàm rationales.]

CC
Citiùs infunditur, quàm vulgus credit.

Ecce Ioannis Poncii & Ferdinandi Menæ, & aliorum illustrium Virorum sententiâ nulla datur in fœtu animarum successio, sed citiùs illi infunditur rationalis anima, quàm vulgo putatur.

An anima organa conformet, aut conformata reperiat?

Hanc sententiam colligunt aliqui ex capite 1. Ieremiæ, ubi legimus, *Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de ventre, sanctificavi te.* Existebat igitur Ieremias, antequam membra ejus in utero conformarentur: embryoni igitur, non quia jam in membra distinctus & conformatus est; sed ut distinguatur, & conformetur, infunditur anima rationalis. Sic Augustinus *lib. de spiritu & anima*, quem frustra Thomistæ in propriam opinionem retorquere conantur. Ejus verba sunt hæc. *Habet anima vires, quibus corpori commiscetur; quarum prima est naturalis, secunda vitalis, tertia animalis.* Ecce non animas, sed ejusdem animæ facultates distinguit, & distinctionem explicat dicens. *Sicut Deus trinus & unus, verus & perfectus omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia superexcedit, omnia complectitur: sic anima his tribus viribus per totum corpus diffunditur, non locali distensione, sed vitali intensione. Naturalis namque virtus operatur in hepate sanguinem & alios humores, quos per venas ad omnia corporis membra transmittit, ut inde augeantur & nutriantur. Vis itaque quadrifariam est, dividitur namque in appetitivam, retentivam, expulsivam, & distributivam:* &c. Quibus verbis Doctor Sancta-Cruz *super text.* 44. animarum successionem in fœtu damnari ab Augustino existimat.

An in fœtu succedant plures animæ.

DD
An anima rationalis sit prima?

Quandonam infundatur?

Sanè, si prima, quæ infunditur anima rationalis est, & valdè citò infunditur, quo illa die creatur, & materiæ seminali counitur? Septimum designat Mena diem : sextum Hyppocrates *in lib. de natura pueri.* ibi enim Psaltriæ gravidæ suasit, ut intra sextum diem semen conceptum vehementiùs tripudiando excuteret. Sensit ergo illo saltem embryonem tempore anima rationali destitui.

At Thomas Fienus Medicus expertissimus, Primariúsque Professor Lovanii, ne septimum quidem diem expectat, sed primo, secundo, aut tertio ad summum die animam rationalem infundit. Fuit hæc opinio sub initium propugnata Lovanii, impugnata Duaci Thesibus & Libris impressis : at jam in Gallia & Germania à multis Viris doctis defenditur. Sanè prodiit Daniel Sennertus, qui doctissimè de Physica & Medicina scripsit; sed, quia nimis fusè judicarunt docti debere ad compendium reduci. Suscepit hanc spartam, & fœliciſſimè complevit Claudius Bonnetius in Avenionensi Academia Medicinæ Doctor & Professor, qui nec ad latum unguem à Sennerto discedit, quousque ad animæ rationalis infusionem venitur. Nam in Physica Hypomnemate IV. inter caput IX. & X. admonitionem interserit, & cur discedat à Sennerto explicat, & tandem ipso capite X. §. *Ad talem.* docet materiam seminalem disponi, *donec apta sit ad animæ rationalis receptionem : túmque sine mora à Deo Opt. Max. creatur anima, & infunditur, ac recipitur in semine, tertio scilicet à conceptione die.* Dedi expertissimi Medici verba formalia. Ecce quàm certam judicaverit hanc doctrinam ille, siquidem ipsam loco correctionis apposuit. Approbat librum, & hanc doctrinam in illo comprehensam, & ad longum probatam, Avenionensis Vniversitas, cujus Censuræ & Decreto P. Delbene Primiscerius Rector & Cons. Honoratus Iacobus Decanus; Emanuël de Rhodes; I. Dusudre : H. Felix : Morelot : P. Antonius Christianus : G. Oliverius : G. Crivet : I. Ribere : Oliverius subscribunt. Ergo omnes isti corrigendum esse Danielem Sennertum censuerunt; & loco opinionis, quæ animam per traducem à parentibus in filios derivat, quæ hodie apud Philosophos Lutheranos in pretio, debere poni opinionem Fieni, aut aliam similem, quæ doceat primò animam rationalem non fieri ex traduce; secundò illam creari divinitùs, tertio ut plurimum die, & corpori jam tunc præparato & dispositio infundi. Clarissimi igitur hi Medicinæ Doctores inter masculum & fœminam quoad tempus infusionis animæ non distingunt, nec quadragesimum aut octogesimum diem expectant : sed docent, abortum, si ante tertium diem contingat, esse fœtûs inanimati : animati verò, si post tertium diem. Et quia rarò vel nunquam abortus ante diem tertium accidet, rarò aut nunquam abortum carere homicidio.

Ad compendium reducitur & corrigitur.

Quæ adhibita fuerit correctio?

Et quanta sit authoritatis.

An mora in utero ante animationem in masculo & in fœmella sit eadem?

Et quis quæso ista legat & tempus animationis fœtûs nobis certò cognitum asserat? In Theologia Fundamentali num. 1627. §. Hinc venio. sic inquam : *Quo illa* (anima) *infundatur die, nec fides docuit, nec ratio ulla demonstrativa ostendit.* Vnde meritò Alphonsus Carranza *ubi suprà num.* 11. sic inquit. *Ad secundam (quæ in animæ rationalis infusione consistit) deveniens, noto valde dubium omni tempore fuisse, an ipsa ante vel post corporis efformationem & organizationem contingat, pluribus hinc inde contrarium asseverantibus.* Et posteà *num.* 14. fatetur, *neutram sententiam rationibus evidentiam, ut aiunt, facientibus, nec firmis experientiis posse confirmari* : & *numero* 34. postquam varias Authorum opiniones posuerat, ait, *Ita tenendum, postquam pluribus perlectis & insignibus super hac re Medicis & Anatomicis consultis, nil certi ab eis didicerim, vel deduxerim.* Et *num.* 20. producit Fienum, qui omnia esse in hac materia dubia & incerta conqueritur, affirmans *Aristotelis doctrinam circa hanc rem esse obscuram; verbáque talia, ut in omnem opinionem trahi possint; proinde ab eorum authoritate non posse quoque validum contra suam conclusionem depromi argumentum.* Et posteà concludit, *in re tam dubia, & tam difficili, & de qua* (N. B.) *omnes ambigunt, non esse multum authoritati tribuendum.* Hanc ipsam incertitudinem demonstrat D. Thomas; nam ipse tametsi fœtum priùs anima vegetariva & sensitiva priùs quàm rationali vivere asserat, nunquam tamen tempus quo hæ animæ sibi succedunt determinavit, ut scitè Hieronymus Florentius

EE
Tempus animationis esse incertũ, omnes Viri magni asseverant.

libello

libello de ministrando Baptismo humanis fœtibus abortivis, sect. 2. num. 4. pag. 26. observavit.

Objicit Theologaster. Admitti debet communis de animatione sententia : quia aliàs non sciretur , an procurans abortum irregularitatem incurreret.

FF
An in hac materia detur opinio cõmunis: &, an illa, quæ communis fortè dicitur, necessariò tenenda sit?

Et ridebo : quoniam, ubi nulla ratio, nulla probabilis experientia suppetit, sed omnes dubitant, & in diversas partes abeunt singuli, non datur sententia communis. Prætereà, quia etsi esset certum masculos quadragesimo die, fœmellas octuagesimo animam rationalem suscipere, adhuc sæpè sciri non posset ; an commissum esset in abortu homicidium ; rarò enim scitur quotus sit dies à conceptione. Vnde in Theolog. Fund. num. 1624. scripsi. *Est commune apud gravidas* (coniugatas præcipuè) *male numerare suos menses : hîc enim, sicut in aliis multis rebus, affectibus ducuntur* (aut potiùs seducuntur) *fœminæ*, &c. quod ita est verum, ut à nemine negari possit.

GG
Est liberum Ecclesia non omnia homicidia irregularitatis condemnare.

Huic profecto objectioni bifariam P. Ioannes Poncius *respondet : nempe primò*, negando sequelam : quia irregularitas hæc oritur ex lege positiua, quæ poterat determinare ut non incurreretur, nisi destrueretur fœtus, postquam haberet operationes aliquas determinatas ; unde si destrueretur embrio antequam posset habere tales operationes quamvis haberet animam rationalem, non incurreretur irregularitas.

An embryo cùm movetur, anima præditus sit?

Et respondet secundò, ante illos dies , quibus propter destructionem embrionis non incurritur irregularitas, posse dici , quòd nulla sit anima in ipso , sed solùm forma corporeitatis , quæ paulatim introduci posset juxta materiæ applicationem , ac dispositiones : nec ullus motus aut augmentum ipsius intra tempus illud habitum arguit animam ullam : nam augmentum posset ab extrinseco advenire, & motus quicumque quem experiuntur matres , posset habere pro causa spiritus vitales ipsius matris.

An augmentum fœtûs possit esse ab extrinseco?

Animationis tempus incertum est.

Et ego ex hac Poncii duplici responsione (primæ enim adversatur secunda) *colligo primò* , hunc eximium Philosophum sibi esse ignotum & incertum tempus animationis evidenter fateri : & hoc est , quod tota hæc intendit & contendit Epistola : & *colligo secundò*, secundam responsionem multùm Doctoris Ioannis Marci Archiatri Pragensis opinioni favere ; si enim fœtûs augmentum provenit ab extrinseco : &, si motus , qui ante quadragesimum diem in masculis , & ante octogesimum in fœmellis sentiuntur , à matris spiritu vitali proveniunt , quid vetat etiam post hos ipsos dies , similiter augmentum pendere à causa extrinseca , & motus à materno spiritu ? *Addo* , formam illam corporeitatis , posse esse figuratam & organicam, & posse non esse. Primum , (nempe , formam illam corporeitatis fortè esse organicam) quia multa inanima corpora , licèt nec vegetativa, nec sensitiva sint, aut futura sint, figuram specialem affectant : nam nivis grana sunt stellis radiorum comâ exornatis simillima , & christalli & alii multi lapides figuram semper hexagonam affectant. Secundum (nempe , formam eamdem corporeitatis , quæ fœtui ante animationem inest , fortè non esse organicam) quia pleraque omnia inanima corpora (terra, aqua, aër , &c. metalla , marmora, &c.) nullam figuram postulant ; & posset aliquis horum censui etiam semen & fœtum adscribere. Ergo iterum stat, omnia , quæ hinc inde in hac controversia adducuntur , esse dubia & incerta.

An corporeitatis forma sit organica?

Nives sunt stellatæ : & christalli sexangulæ.

Non sunt figurata elementorum formæ.

HH
In abortu liberè procurato irregularitas, non dicta talem , sed fœtum animatum afficit.

Aliquid etiam de prima solutione dicamus. Potuisse Ecclesiam non omne homicidium voluntarium irregularitatis condemnare certum est : at eos , qui abortum ante quadragesimum in masculis diem , & ante octogesimum in fœmellis cum effectu procurant, non incurrere irregularitatem , etsi fœtus anima rationali prædita sint , & illi homicidium committant , evidenter est falsum : nam irregularitatis pœna non ponitur ob quadragesimi aut octuagesimi diei considerationem , sed ob homicidii scelus ; quod , si ante quadragesimum diem committatur , etiam ante quadragesimum illud diem habebit irregularitatem adnexam. Sic colligo e Glossa Capitis, *Si aliquis, de homicidio.* ex Tabiena, *verbo Irregularitas*, 3. §. 14. & 15. Sayro *lib. 3. cap. 35. num. 27.* & *lib. 7. cap. 2. num. 5.* Belleto §. 5. *numero* 27. & aliis. Nec inconveniens est hinc sequi dari irregularitates dubias , nam etiam in contraria sententia veniunt necessariò admittenda ; nam si quis abortum consequatur quinquagesimo die , erit dubia irregularitate irretitus ; primò , quia incertum est , an ille sit quinquagesimus à conceptione dies ; nam fortè erit trigesimus , nam ut experientia quotidiana nos docet , gravidæ frequenter fœtus ætatem malè computant : secundò , si supponamus gravidam in computu non hallucinari , adhuc incertum est , maribus animam rationalem die quadragesimo infundi ; fortè enim infunditur tertio , fortè septimo , fortè trigesimo , & fortè sexagesimo vel septuagesimo : quidquid enim hîc dicitur ab arbitrio veriùs , quàm à solida ratione pendet : tertiò , etsi demus & gravidas non cespitare in sua arithmetica , & esse certum masculos quadragesimo die, fœmellas octuagesimo animam rationali exornari ; adhuc omnia iterum sunt incerta , nam quinquagesimo die in abortivo fœtu sexus internosci non potest. Ergo nesciri debet , an sit homicidium commissum. Ergo nesciri etiam debet, an irregularitas incursa sit. Similiter Iurisperiti nolunt ingredi quæstionem , quæ inquirit, Quando infundatur anima ? sed plecti jubent capite , qui fœtum vivum occiderit. Sic Iulius Paulus in leg. si quis aliquid. 38. §. qui abortionis, qui textus desumptus est ex lib. 5. sententiarum ejusdem Pauli. titul. 23. *D. de pœnis.* ubi ait. *Si eo mulier , vel homo* (fœtus animatus) *perierit , summo supplicio punitur.* Consonat lex VIII. *de las partidas. titul. 8. part. 7.* indicens. *Que si era ya viva la criatura en el vientre , entonces , quando ella fiziere, que debe morir por ello.*

An dentur irregularitates dubiæ?

Eodem modo Leges seculares discurrũt.

11
Concluditur omnia in hac controversia esse incerta. P. Gabrielis à S Vincentio sententia.

Ex his evidenter colligitur nîl esse certi in hac materia : nec enim est vel unus Author, qui se aliquid scire in hac controversia supponat. P. Gabriel à S. Vincentio , quem nominasse , laudasse sit ; est enim toti orbi notus , & scriptis doctissimis & ingeniosissimis clarus,

clarus, *tomo de Cenſuris, diſp.4. §.2.num.328. pag.496.* conſonans his, quæ *tract.de Matrim. num.43.* docuerat. Duas opiniones recenſet, alteram plurium Medicorum, quæ fœtum poſt quintum menſem animat, & marem à fœmina non diſtinguit: alteram Ariſtotelis *lib.7. de animalib. cap.3.* Plinii *lib.7. cap.6.* & multorum Philoſophorum, marem die quadrageſimo, fœminam octuageſimo vel nonageſimo animari ſtatuentium. Hanc ſecundam eligit: ergo inter 80. & 90. in fœminæ animatione dubium 10. dierum admittit: & quia ſuam opinionem non probat, oppoſitam in ſua probabilitate relinquit.

Et hæc de prima Poſitione adnotaſſe ſufficiat. Tranſeo ad alteram.

KK

An manſio infantis in utero materno poſſit Mora vocari?

TAm eſt impoſſibile, ut mater tempus conceptionis, & manſionis ſeu moræ (ſed nomen *moræ* non pertinere huc contendit Iovinianus Montanus *in Comment. ſuper 51. ſent. Centiloquii Ptolemæi*) in utero, ut Hermes Triſmegiſtus ad Cælum & Aſtra, hoc eſt, ad aſylum, confugiens, methodum cognoſcendi hoc tempus cogitarit, quem *Trutinam Hermetis* Aſtrologi communiter vocant. Ex hac Tabula conſtat, illos, qui novem menſibus in utero manſiſſe dicuntur, nec hæſiſſe paucioribus quàm 258. nec pluribus quàm 288. diebus: (hoc eſt, nec paucioribus, quàm 8. $\frac{1}{2}$ menſibus ſolaribus; nec pluribus, quàm 9. $\frac{1}{2}$) ita, ut dubium de diebus 30. aut integro menſe ſolari vertatur. Vide Davidis Origani Ephemeridum *tom.1. part.2. cap.12.* in quo hanc quæſtionem pertractat.

Trutina Hermetis, *quid? Tempus nativitatis intra quos terminos luxetur.*

Illud incertum eſt.

Sed quomodo hoc dubium ſolvit Hermes? Primò, vult ſcire horam nativitatis. Ergo niſi ſciatur nativitas conceptio ſciri nequit. Et quomodo ſcietur hora nativitatis, ante nativitatem? Ergo quamdiu eſt gravida fœmina, ætatem fœtûs ſcire non poterit. An poſt partum hanc ſciet? Magna ſcientia ad hujus Quæſtionis deciſionem requiritur, ſunt enim difficiles expediendi computus; & multæ in ipſis obſervationes & correctiones adhibendæ. Et quid, quæſo, ſi omnes bene adhibeantur? poſt examen ingenioſum & longum, quanta ſecuritate reſolvetur? Reſpondebit Aſtrologus, *Incertum eſt tempus Nativitatis.* In hac ergo materia nihil certitudinis etiam interpoſitâ Matheſi, & Aſtrologiâ judiciaria haberi poteſt. Vnde Origanus, qui tametſi promptiſſimus fuerit in Ægyptiorum, Chaldæorum, Arabúmque vanitatibus & ſuperſtitionibus, veræ doctrinæ inſtar tradendis, [quam ob rem meritiſſimè ejus Iudiciaria Aſtrologia (quæ eſt pars tertia de effectibus) ab Apoſtolica Sede interdicitur:] quando venit ad nativitatis tempus (hoc eſt, ad ſecundam illam tuam propoſitionem) tam eſt anceps & dubius, ut totâ Hermetis Triſmegiſti, à Ptolemæo, & Saracenis poſteà approbatâ doctrinâ, præſuppoſitâ dixerit, *Quæ ſententia* (de tempore nativitatis) *licèt in omnibus genituris effectui non reſpondeat*, &c. quod eſt dicere, *Poſt omnes obſervationes, regulas, examen, & trutinam, tempus nativitatis incertum eſt.*

An ſciri certò poſſit?

Quàm ſit vana & ſuperſtitioſa Origani Iudiciaria Aſtrologia?

Eſt meritò ab Eccleſia interdicta.

At quia tuus ille Cenſor Mercurio Triſmegiſto, Origano, Fieno, & Bonnetio, necnon Ægyptiis, Chaldæis, Arabibus; & tandem Lovanienſibus & Avenionenſibus eſt doctior, orandus erit, ut duas has Propoſitiones tuas eſſe falſas evidenter oſtendat. At fortè neſcit ipſe, quid ſit evidenter oſtendere. Ergo in hoc caſu orandus eſt Deus, ut puniat eum, qui tali monſtro tyrannidem in doctos commiſit: &, ut Scientiarum & Artium Profeſſoribus dignetur patientiam concedere. Interim Tu (Vir doctiſſime) age Deo ſummas gratias, quod te ſuis Divinis auxiliis præveniat, ne de doctrinæ gloria ſuperbeſcas; nam favor & gratia ſpecialis eſt aliquem providiſſe imperitum, qui doctos ſuperbire non ſinat. Vale; & me Deo in tuis Sacrificiis commenda. Ego enim vel hinc concipio magnos animos ſcribendi & loquendi liberè; quamdiu enim Cenſores erant docti, ſuſpici debuerunt & curari: at quando eò venit Mundus, ut illæ duæ Poſitiones à Cenſore damnentur, non debent talia hominum monſtra à Viris eruditis curari. Quoniam, ſi curarentur, claudi Scholæ deberent, & totus ſcholaſticus orbis in horum Cenſorum tenebris & ignorantia ſepeliri. Iterum Vale. Scripſi apud Sanctum Angelum de fractis, pridie Kalendas Ianuarias anni ab humani generis redemptione M. DC. XXIX.

LL

Cenſorem indoctiſſimum eſſe.

Doctis interdum favet Deus, ut ab indoctis premantur, aut opprimantur, permittendo.

Aut debent Scholæ claudi, aut indoctorum Revisorum tyrannica cenſura contemni.

Doctrinam præcedentis Epiſtolæ eruditiſſimus P. Hieronymus Florentinius Congregationis Matris Dei Clericus Regularis in libello doctiſſimo, qui de ſubminiſtrando Baptiſmate fœtibus abortivis eſt, per cujus labium & calamum videtur ſuccłamare Chriſtus, Sinite parvulos (*nempe, animatos fœtus*) venire ad me. *Magno rationum pondere adfirmat. Libellum hunc, & in eo hanc Controverſiam, nunc primùm his noviſſimis temporibus, nec antea à Theologis, tam Scholaſticis, quàm Moralibus diſcuſſam, Parochis, Medicis, & omnibus omninò neceſſariam, accuratè perlegi; & quia Cenſuram meam literis ad Florentinium miſſis clauſi, illas ſubjicio.*

Florentinius doctrinam præcedentem confirmat.

Matth.19.14.

EPISTOLA

EPISTOLA III.

Admodum Reverendo & eruditissimo Domino, P. Hieronymo Florentinio suo Ioannes Caramuel.

Infantes incipiunt vivere multò citiùs: & ægroti desinunt vivere multò tardiùs, quàm vulgò putatur. Sententia opposita est falsa, & fœtibus abortivis, & moribundis ægrotis injuria. Illi debent baptizari, isti absolvi: nempe nisi aliunde obsit, absolutè & sine ulla conditione, si certam: absolutè vel sub conditione, si probabilem: sub conditione verò, si dubiam agant vitam: & hoc sub peccato mortali.

MM

Florentinii sententia olim erat communis.

INGENIOSAM illam disputationem tuam, *de Baptismate humanis fœtibus abortivis ministrando*, quam magnâ rationum, necnon Patrum Doctorúmque juniorum authoritatum efficacia firmasti, libentissimè legi, & ex cimmeriis tenebris tantam te lucem, & claritatem eruere potuisse demiror. Multa in isto erudito syntagmate, quæ hodie rara, cras aut perendie erunt communia, suo enim pondere stat veritas, suo splendore se prodit, & semel visa, esse non poterit Viris doctis invisa. Sanè *Pygmæus*, & *Gigas* nomina sunt in Cathegoria quantitatis opposita, at ipsa in hoc libro coincidunt; si enim considerem molem est parvus; si fructum magnus; nam omnes in eo litteræ in majorem Dei gloriam, & proximorum miseriâ extremâ laborantium salutem æternam collimant. Hanc oro ob rem, Florentini doctissime, ut tandem aliquando festines, & in lucem emittas ista folia, quæ plena pretiosi seminis fructum uberrimum sunt redditura. Hæc est sententia mea: hoc est meum de hoc libello judicium. Et quidem tametsi Viris doctis ita pauca dixisse, aut veriùs insinuasse, sufficeret, quia tamen istud opus ad doctos & indoctos perveniet, utrisque me debitorem fateor, & rationem, quâ subsistit meum judicium subjungo.

An Pygmæus & Gigas coincidant?

Caramuelis de sententia Florentinii judicium.

De die & crepusculo.

Magni hominis (& Μακροάνθρωπε nomine mundum intelligo) conditio, & syntaxis est mira. In eo Sol oriturus, priùs ad crepusculinam lineam, quàm ad Horizontalem accedit, & ipse occidens, ultra horizontem præterlapsus, magno adhuc tuit tempore, antequam iterum superet crepusculinam: si horizontalem pingi jubeas in pagina, una & eadem erit omnium Geographorum & Astronomorum opinio: si autem crepusculinam, quot capita, tot sententias invenies. Voluerunt plurimi inter lineam horizontalem crepusculinámque grad. 15. min. interesse divortium; & hanc sententiam me docuerunt Compluti, dum ibi Philosophiæ vacarem. Submittit illam Tycho Brahæus ad grad. 16. $\frac{1}{2}$ & audentiores alii, quorum in Commentariis suis super sphæram Ioannis de Sacro Bosco. Clavius meminit, ponunt 17. $\frac{1}{2}$. Ptolemæus 18. statuerat. Christophorus Rotmannus in Epistola quadam ad Tychonem 24. & quod mireris alii etiam 30. Vnde meritò P. Navius cùm tam dissentientes illustrium hominum opinationes subaudit, exclamat, *non posse dari certam aliquam crepusculam metiendi regulam*: Huic consonat Ioannes Alstedius Encyclopediæ, tom. 2. lib. 17. p. 3. c. 3. §. 4. pag. 452. & lib. 19. p. 1. cap. 3. §. 9. pag. 596.

Crepusculina linea ab horizontali distantia.

NN

De magni & parvi hominis analogia.

Hac notitiâ præventus ad parvum mundum (& Μικροκόσμε nomine, hominem intelligere debeo) conuerto oculos, & Divini Platonis sententiam, quæ inter utrumque hominem, inter utrumque mundum (parvum magnum) summam analogiam, & concordiam instituit, esse veram invenio. Vita est Sol Microcosmi; quia sicut in mundo Æthereo, Sol est omnium cælestium motuum ratio; etiam in Μικροκόσμῳ illa ortui, & occasui est obnoxia: nempe visibili, & crepusculino. Oritur homo oculorum judicio, cùm nascitur; occidit eorumdem oculorum sententia, cùm desertus à sensibus nullum vitalem actum elicit, qui possit humanitus percipi. Iste est visibilis diei Humani Finitor: hic Horizon, & quidem diem meritò voco totam durationem humanam vt consonem illi, qui dixit: *Tota vita, dies unus.*

De microcosmi matutino & vespertino crepusculo.

An-ne tunc primum homo viuere incipit, cùm vivere à nobis videtur? an tunc ultimo vivere desinit, cùm videtur vitam cum morte commutasse? Non puto. Ante ortum humanus Sol auroram (hoc est lucem & claritatem dubiam) habet: post occasum crepusculum: nam vita in homine priùs desinit operari, quàm esse. Hinc ortæ Leges in Republica, tam Ecclesiastica, quàm sæcularis ne corpora efferantur statim: aliqui enim

De Humanæ vitæ primo & ultimo instanti.

An statim possint sepeliri cadavera?

egressi sunt ex sarcophago, & aliqui sepulti adhuc vivi. Possem multos nominatim producere, sed quia frequens & scita res est, sufficit Philomatum Poëtam ingeniosum audire: numero enim LXIV. de quopiam, qui discipulorum errore mortuus creditus, vivus terram subiit, sic cecinit,

Non pauci sepeliuntur vivi.

Mente procul stantem sua vecors turba magistrum
Viventem sepelit, quem periisse putat.
Errantum pœnas Doctor luit: & rude vulgus
Jam male, sic moriens, edocuisse dolet.

Leges de hac materia.

Ergo sicut sunt Leges, quæ jubent, ne desiviſse putemus hominem, quem sensu destitutum videmus, quousque succurrat tempus ratione, quæ illum esse mortuum evidenter ostendat; esse deberent etiam, ne nondum incepisse infantem vivere existimemus, tametsi sensuum in illo nulla inveniamus tyrocinia, quousque vel nunquam eum habuisse vitam, vel jam perdidisse ratio certa, & indubitata persuadeat.

OO

Instans, quo anima rationalis infunditur; & instans, quo à corpore separatur, ignota sunt.

Sed quò ponemus crepusculinæ vitæ terminos. Quis definire audebit, quanto ante ortum tempore, quanto post occasum vita infra sensibilis Horizontis terminos delitescat. Multæ profectò sunt sententiæ de Solis materialis crepusculo: at multò plures de vitæ humanæ initio finéque. Agens de vitæ humanæ aurora in Theologiæ Fundamentalis meæ num. 1622. extremas sententias connexui: has etiam & intermedias omnes Tu à sectione 2. ad 10. luculenter ediſſeris; & sectione 10. prudentissimè statuis, *punctum aut instans illud temporis, quo rationalis anima à Deo creatur & corpori embryonis infunditur, incertum & valde dubium esse*: quod ipsum sacræ Scripturæ auctoritate parte prima, Patrum testimoniis secundâ, & rationibus tertiâ, confirmas.

Nondum moritur homo, cùm sensu privatur.

Hinc converto ad occasum oculos, & alterum contemplor crepusculum. Ejusdem libri mei fundamento LXVI. num. 1881. hanc conclusionem statuo, *Non est evidens tunc mori hominem cùm ultimo sensu privatur*: vel verbis tuis assertionem accommodans, *Punctum aut instans illud temporis, quo rationalis anima separatur à corpore, incertum, & valde dubium est.*

PP

An omnis sit embryo abortus baptizandus?

An omnis sensibus destitutus sit absolvendus?

Hinc oriuntur duæ connexæ quæstiones; altera de Baptismo, altera de Pœnitentia: utrùm videlicet omnis fœtus abortivus possit, aut debeat baptizari? utrùm omnis homo, qui ita sensibus est destitutus, ut videatur jam mortuus, si aliunde non obstet, absolvi possit? (Consultò dixi, *si aliunde non obstet*; nolo enim quæstionem, quæ inquirit, an qui nec est confessus, nec vllo signo sensibili Confessarium vocavit, absolvi possit? hæc enim novam addit difficultatem, & à me uberiùs ediſſeritur *à num.* 1848. *ad num.* 1877.) utramque breviter dilucidabo; & ut priorem expediam eruditiùs, & clariùs, posteriorem præmittam, quam *ibid. num.* 1878. ad sequentes conclusiones reduco.

Theses de absolutione moribundi.

Prima. *Anima separata à corpore non potest à peccatis absolvi.*

Secunda. *Impossibilis est casus, in quo dubitetur, utrùm homo adultus sit vivus, vel mortuus?*

Tertia. *Si esset possibile ejusmodi dubium, & de facto daretur, deberet homo habens dubiam vitam absolvi.*

Quarta. *Si fuisset homo mortuus, & miraculo dubio ad vitam dubiam revocatus, deberet censeri non vivus.*

Quinta. *Casus est possibilis, in quo aliquis probabiliter dicatur mortuus.*

Sexta. *Homo probabiliter vivus (si aliunde non obsit dispositionis defectus) absolvi potest, imò & debet.*

Septima. *Homo minùs probabiliter vivus, absolvi potest, debétque*, sed à quo? Ex justitia à suo Parocho: ex charitate verò à quocumque simplici Sacerdote. Et hinc novum dubium suboritur, scilicet. *An quando hominem posse, aut debere absolvi dicimus, de absoluta, aut verò de conditionata absolutione disseramus?* Respondeo, hominem certò vivum, quantum est ex hoc capite, absolvi debere absolutè: probabiliter vivum absolutè, vel conditionatè: at verò dubiò vivum, tantummodò conditionatè. Hæc de vitæ humanæ crepusculo, quod sensibilem occasum sequitur: transeo ad aliud crepusculum, & vitæ humanæ auroram & initium contemplor, & has Conclusiones subjungo.

An deleat esse conditionata?

QQ

Theses de embryonis abortivi baptismate.

Prima: *Non creantur animæ rationales, antequam corporibus humanis infundantur.* Quid si priùs crearentur, & posteà demum infunderentur? Illæ, antequam unirentur corporibus, non possent baptizari: cùm, quia purè spirituales sunt, & aquâ lavari ideo non possunt: tum, quia Sacramentum Baptismi pro hominibus est institutum, & animæ nondum unitæ corporibus non essent homines.

Animationis fœtûs tempus incertum est.

Secunda. *Possibilis est casus, in quo dubitetur, an fœtus animatus sit?*

Tertia. *Fœtus habens dubiam vitam potest, & debet baptizari.*

Quarta. *Si esset à natura certum tempus ad fœtuum animationem constitutum, Embryo, qui miraculo dubio ad vitam dubiam perveniret, prudenter censetur nondum vivus:* & cur? quia esset pro lege à natura constituta possessio.

Quinta. *Casus est possibilis, in quo fœtus probabiliter dicatur vivus.*

Sexta. *Sanè fœtus probabiliter vivus baptizari potest debétque.*

Septima. *Imò etiam minùs probabiliter vivus etiam potest & debet.* Sed à quo? Ex justitia ab ordinario Parocho: & ex charitate à quocunque. Et quo modo quæso baptizabitur, absolutè, an solummodò conditionatè? Fœtus, si certò vivat, absolutè; si vitâ probabili animetur, absolutè, aut conditionatè; si verò dubiâ, tantùm conditionatè.

An fœtus abortivus debeat baptizari absolutè?

RR

Obligationis baptizandi, aut absolvēdi radix.

Si scire velit aliquis, unde hæc potestas, aut etiam obligatio exoriatur? Ad officium, si de Parocho; ad charitatis legem, si de cæteris agamus, recurro: tenetur enim homo sub peccato mortali juvare proximum constitutum in æternæ damnationis periculo. At fœtus animatus, qui meo errore judicatur aut nondum animatus, aut mortuus, & æger vivus, qui meo errore jam obiisse putatur, sunt in æternæ damnationis periculo: & salvi erunt, si congrua Sacramenta recipiant, aut aliàs in æternum peribunt. Ergo crudelis sum, & sanguinis Divini reus, si nolim abluere alterum,

In dubio Sacramenta debent administrari.

alterum, & alterum à peccatis abſolvere. Quamobrem, ſi in dubio Sacramenta adminiſtro conditionatè, infero nulli injuriam, etiam in caſu, quo careant animâ illa corpora de quorum vita dubitatur. Cæterùm, ſi illa animâ prædita ſunt, & tamen Sacramenta negentur, ob opinationem meam in æternum damnantur. Ergo, ne hanc illis irrevocabilem injuriam inferam, tutiorem viam ingredior, faveo periclitantibus, & eis quo poſſum modo Sacramenta adminiſtro.

SS *Quàm ſit utilis doctrina Florentinii?*

Hanc tu reſolutionem, quoad abortivos fœtus ſtatuis, & eruditè exponis *ſectione* 10. poſteà, *ſectione* 12. 13. *&* 14. objectiones nonnullas proponens, & fortiſſimè diluens.

An infantũ ſine Baptiſmo decedentium

Vale igitur Pater eruditiſſime: bellum infer Lymbo (aut etiam fortè Inferno, de ſtatu enim infantium, qui caruerunt aquæ ſacramentalis beneficio durè loquuntur Auguſtinianæ Theologiæ Profeſſores; & nihil hucuſque definivit Eccleſia) & quia eum non potes exſpoliare animabus, quas eò invexere ignorantiæ ſcrupuloſæ, præjudicia ob quæ multis infantibus, qui erant revera vivi, cùm tamen viderentur mortui, fuit Baptiſma negatum: grandi ore potiùs concionare, quàm diſputa; ne Obſtetrices, & qui embryonibus aborientibus adſunt, pergant deſipere; hoc eſt ne Chriſti meritis efficaciam invideant, infantibus dubia, aut probabili prædictis vita, viam ad gratiam, & gloriam occupantes. Vale iterum, ut doctiſſimis libris exornes Theologiam, noſtro ævo ſublimium ingeniorum concurſu ad magnam perfectionem promotam. Romæ pridie Kalendas Octobris M. DC. LVII.

anima ad infernum damnentur?

Quàm ſit pernicioſa opinatio contraria?

EPISTOLA IV.

Bernavvellio ſuo Ioannes Caramuel.

Inſtans illud primum, quo infunditur anima infanti eſſe incertum ignotúmque, libro integro perſuadet Florentinius. Hanc doctrinam approbat Alcantara, & evidentem judicat, eámque ad Fidem Orthodoxam ſaltem indirectè ſpectare aſſeverat. Hæc ipſa Romæ improbabilitatis accuſatur: denominantur Reviſores & Iudices, qui rem examinent. Hoc anno 1662. hanc doctrinam ſecuram, & in praxi obſervandam pronunciant.

TT *Incertum eſt inſtans quo animatur fœtus.*

TRANSMISSA eſt Romam Propoſitio illa tua, *Incertum eſt tempus animationis:* oppoſitáque, *Certum eſt tempus animationis.* Quam Cenſor cenſura digniſſimus conabatur in Scholam protrudere. At invidiæ ignorantiâ & audaciâ ſuffultæ ſinceritas oppoſuit P. Hieronymi Florentinii Libellum, verè aureum, quo demonſtrat omnibus fœtibus abortivis, etiam ante ſeptimum diem, Baptiſmum ſubminiſtrandum eſſe. Et cur? quia animationis inſtans incertum eſt. Vberioris doctrinæ gratiâ Librum totum ad ſynopſim reduco.

Doctiſſimi libelli R. P. Florentinii ſynopſis.

Proponitur ſtatus difficultatis, & ſupponuntur aliqua. ſect. 1. pag. 7. *Referuntur variæ ſententiæ.* ſect. 2. pag. 20. *Proponitur quarta & quinta ſententia de tempore, quo anima rationalis incipit informare corpus humanum.* ſect. 3. pag. 39. *Afferuntur varii modi explicandi ſupradictas ſententias, quoad tempus animationis.* ſect. 4. pag. 64. *An ex diſtinctione juris Civilis, & Canonici de fœtu animato, & inanimato bene inferat Gallego humanum fœtum ante menſem non eſſe baptizandum?* ſect. 5. pag. 77. *Referuntur alii ſex modi, quibus ſtatuitur à quibuſdam Auctoribus tempus animationis fœtûs humani.* ſect. 6. pag. 97. *Referuntur alii tres modi explicandi tempus animationis juxta quartam ſententiam.* ſect. 7. pag. 106. *Recenſetur novus dicendi modus.* ſect. 8. pag. 123. *Refertur ultimus dicendi modus.* ſect. 9. pag. 129. *Ponitur ſententia Auctoris.* ſect. 10. pag. 130. *Probatur ex ſacris literis, quàm ſit incertum tempus, quo fœtus humanus anima rationali vivere incipiat.* Parte 1. pag. 135. *Afferuntur Patrum teſtimonia, quibus probatur huius temporis incertitudo.* Part. 2. pag. 147. *Ratione probatur incertitudo temporis, quo humanus fœtus anima rationali primò vivat.* Part. 3. pag. 160. *Reſolvitur difficultas ab initio propoſita.* ſect. 11. pag. 170. *Proponitur argumentum principale contra ſupradictam ſententiam.* ſect. 12. pag. 186. *Proponuntur & referuntur Summi Pontifices, & Concilia pro ſolutione prædictorum.* ſect. 13. pag. 189. *Solvitur principale argumentum.* ſect. 14. pag. 196.

Incertitudo demonſtratur.

Nota bene ergo poſt mẽſem etiam in Gallegi ſententia fœtus eſt baptizandus. Ruit ergo ſententia quæ vocatur communis.

Hujus libelli doctrinam, noſtram fecimus, cùm illam noſtra Cenſura & Iudicio adfirmavimus; illam Reverendiſſimus P. Michaël de Alcantara, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum Vicarii & Procuratoris Generalis; Sanctæ Inquiſitionis in Hiſpania Qualificatoris, & Romæ ſacræ Congregationis Indicis Conſultoris, ſuam ſimiliter fecit, cùm eamdem ſequenti Cenſura honoravit.

Florentinii doctrina Caramuel, & Alcantara ſubſcribunt.

VV *Reverendiſſimi P. Alcant*

DE *mandato Reverendiſſimi P. Franciſci Guiniſii Religioſiſſimæ Congregationis Clericorum*

De doctrina & persona Florentinii judicium.

ricorum Regular. Matris Dei Rectoris Generalis, Præsulis quidem eximii, & mihi quamplurimis titulis summâ observantiâ colendissimi, sedulò ac attentè perlegi Disputationem istam, de ministrando Baptismate humanis fœtibus abortivorum, *Auctore R. P. Hieronymo Florentinio ejusdem Congregationis Alumno, & non modò nihil in ea offendi, quod Ecclesiæ sanctionibus, aut bonis moribus, vel leviter repugnet, verum etiam & illius Auctorem solidæ eruditionis virum, ac superiori laude dignissimum censeo, ut qui in re Morali, in qua Doctores, uti Hercules in suis columnis Gaditanis*, Non plus ultrà, *videbantur inscripsisse*, Plus ultrà *aggredi, uti Columbus in novi occidui orbis inquisitione, ac adinventione, & conatus sit, & feliciter adeptus fuerit. Feliciter inquam, imò felicissimè: perspicuè enim apparet novam resolutionem suam non tam topicâ ratiocinatione probare, quàm Theologicâ demonstratione convincere, dum eam legitimâ consequentiâ infert ex quodam principio certo ex Præcepto Charitatis desumpto, ac ad fidem pertinente, & ex varietate opinionum circa animationem humani fœtûs, quarum licèt nulla transeat probabilitatis metas, omnes tamen, cùm quælibet sit assensus cum formidine alterius partis, evidenter concludunt*, quod quamvis incertum sit determinatum tempus talis animationis, in quocumque tamen post conceptionem, seu receptionem seminis, ea potest contingere. *Quapropter judico, prædictam resolutionem, uti probatissimam, omninò in praxi sequendam esse, excipiendámque fore cum magna omnium Theologorum congratulatione, si typis detur, ut lucem videat, simúlque det lucem. Et hæc mea mens, cui lubens me subscribo sub meliori semper*, &c. *Romæ in hoc Conventu S. Adriani sacri Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum die* 1. *Novembris* 1657.

Est novus Columbus Florentinius.

Ejus opinio non est probabilis sed demonstrata.

Animationis fœtûs temporis quanta sit incertitudo.

Quid in praxi tenendum sit?

Singulas lineas recognosco, & de hac Reverendiss. P. Alcantaræ Censura meum etiam Iudicium & Censuram adjungo.

XX

An peccata contra naturam differant specie?

Importatur Româ Theologia Fundamentalis Caramuelis, scribit contra P. Michaël Alcantara: & pro D. Augustinus de Bellis.

Notari autem primo loco desidero, Alcantaræ & Caramuelis ingenia esse toto cœlo diversa. Præter has duas Propositiones, I. *Animationis fœtûs instans varium, incertum & ignotum est.* II. *Peccata contra naturam sunt ejusdem infimæ speciei*, vix erant in Theologiæ Moralis Oceano opiniones, in quibus assentiretur Caramueli; multa contra Fundamentalem Theologiam scripsit, quæ non semper scommatibus carent; & ob id à P. Don Augustino de Bellis (nunc ob pietatis ac vitæ merita à Sanctissimo D. N. Alexandro VII. ad Episcopatum evecto) frequenter ratione & authoritate impugnatur. Ergo has duas sententias clarissimas & evidentissimas iudicabat Alcantara (illas ipse manifestas & indubitatas esse aiebat) nam, si salvâ prudentiâ ipsas negare posset, negasset utique, ut Caramueli contrarius diceretur. Hoc, quod resciri omninò debuit, præmisso, Censuram ipsam relegamus.

Florentinii & Bernavelli doctrina Ecclesiæ sanctionibus consonat.

Illa verba, *Nihil in ea offendi, quod Ecclesiæ sanctionibus, aut bonis moribus, vel leviter repugnet.* Tuentur Bernavvellii innocentiam; quod enim in Florentinio est Ecclesiæ & morum ingenuitati consonum, etiam erit eisdem consonum in Bernavvellio.

Quàm sit certa?

Sed quàm est certa Florentinii & Bernavvellii sententia? supra omnem probabilioritatis aleam positam esse, & ad Fidem pertinere asseverat Alcantara; ait enim illam à Florentinio, cujus vestigiis Bernavvellius insistit, *non jam topicâ ratiocinatione probari, sed Theologicâ demonstratione convinci: & inferri ex præcepto Charitatis & Principio ad Fidem spectante desumpto.*

An singulæ opiniones, quæ tempus animationis fœtûs determinant, sint probabiles?

Addit. *Licèt nulla* (ex his, quæ tempus animationis determinant, sententia) *transeat probabilitatis metas*, &c. At non dicit, singulas opiniones probabilitatis metas attingere, nam pleræque omnes potiùs sunt dubiæ dicendæ, quàm probabiles. Et quidem, cùm nulla sit certa, sive dubiæ singulæ, sive probabiles esse dicantur, semper stabit illa veritas, *Animationis tempus incertum est.* Ergo semper stabit esse evidenter falsam Bernavvelliomastigis ignorantem Censuram.

An Florentinii & Bernavvellii doctrina ad Fidem Orthodoxam spectet?

Sed, quo Fides Orthodoxa modo, & Lex Charitatis, ab Alcantara assertæ, huc se insinuant? Respondebo totum Florentinii librum, Censuram Alcantaræ, & Bernavvellii eruditam sententiam ad terminos hos reducendo. *Peccat homo mortaliter, si proximum relinquat in probabili aut dubio æternæ damnationis periculo, quem sine proprio aut alterius damno aut injuria eximere à periculo potest. Ergo pœnitentem, qui ritè fuit confessus, & tamen ante absolutionem corde deficit, & habet dubiam aut probabilem vitam, tenetur Confessarius absolvere saltem sub conditione.* Patet: quia, si ille haberet meram attritionem, & non absolveretur sacramentaliter, in æternum periret. *Ergo fœtum, qui habet probabilem aut dubiam vitam, tenetur baptizare, saltem sub conditione.* Patet, quia, si ille reverà vivit & baptizatur, salvus erit: si autem vivit, & non baptizatur, in æternum peribit. *Ergo omnem fœtum, etiam ante septimum diem tenetur baptizare.* Patet, quia infusionis animæ tempus incertum est. *Tenetur igitur quicumque Christianus fœtum etiam secundinis involutum sub conditione baptizare.* Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 4. & 112. & *part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 18. At, si supervivat, & secundinis liberetur, baptizabitur iterum similiter sub conditione. [Prima conditio est, *si es capax*: secunda, *si non es baptizatus.*] Ita Lugo *in Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 1. *num.* 10. quem Diana & alii Doctores sequuntur. *Præterea, quicumque Christianus tenetur etiam sub conditione baptizare fœtum omni sensu destitutum. Quamdiu, an sit mortuus, an verò animi deliquio laboret, incertum sit.* Patet, quia in difficili partu aliquando derelinqui sensibus solent fœtus, antequam moriantur. Ecce ex incertitudine vitæ in fœtibus & in moribundis certissimæ Theses oriuntur.

Omnis moribundus debet in dubio absolvi.

Omnis fœtus abortivus baptizari.

Tempus, quo anima embryoni infunditur, humanitùs ignoti est.

De fœtu sensibus destituto.

YY

Bernavvellii hostes etiam Florentinii invadunt: sed frustra.

Putabamus te (Bernavvelli doctissime) sub Florentinii umbra securum esse: at cautè invidia, ut nulla te maneret defensio, in Florentinium audet, ipsúmque accusat, ut Authorem pernicioſæ doctrinæ, cùm tamen illa in praxi tenenda sit sub peccato mortali, & opposita sit, ut animabus infantum & moribundorum exitialis, rejicienda. Toto mense Maio, hujus anni 1662. fervet vociferatio. Iudices (Prælati & Theologi) qui librum examinent,

Iudicum Apostolicorum de libro Florentinii Censura.

examinent, & prout justitia postulet damnent, absolvántve, Apostolicâ authoritate denominantur: qui singulis paginis bene perpensis librum esse nulli Censuræ obnoxium asserunt. Ergo, cùm liber & judicia, quibus ille firmatur, sententiam oppositam peccati mortalis accuset, stat Iudicum Apostolicorum suffragio hanc ipsam doctrinam roborari.

Conclusio.

Manet igitur Bernavvelliomastige invito hanc Propositionem, *Incertum est tempus animationis*: cui tota Florentinii disputatio insistit, certam esse: & contradictoriam, ad quam Censor vult libros judicare, esse evidenter falsam, & in praxi animabus perniciosam & impiam, Romæ ut vidisti explosam, dignámque severiore judicio, ut suus Author sublimiore potentiâ compescatur. Dedi Romæ die septima Iunii, anni ab humani generis redemptione M. DC. LXII.

EPISTOLA V.

Ioanni Caramueli suo P. Franciscus de Vietri Capucinus.

Monet Authoris libros intolerabili pretio vendi: ut in Italia recudantur suadet; & ut solvantur Theologiæ Fundamentalis argumenta, quæ in prima Editione leguntur, & à nemine sufficienter dissolvuntur, exoptat.

AAA

Non Authorum gloriam, sed proprium tantùm lucrum Librarii Mercatores intendùt.

YRANNIDEM in Te exercent Bibliopolæ, Illustrissime Domine, & dum lucro suo inhiant, libróque, quos tenui pretio à Francofurtensibus comparant, intolerabili in Italia divendunt. Lectores inferioris fortunæ, tamersi eruditos & doctos, ingenii Tui ditissimis flaviss interdicunt, & divites etiam retardant Quæ in Belgio edidisti Volumina apud nos non comparent: quæ in Germania, tam durâ lege prostant, ut non nisi ab opulentis possint redimi. Fundamentalis Theologia, Opus profectò omni laude sublimius, trigenis aureis vænit Neapoli: Rationalis vicenis: & libri cæteri non multò benigniùs comparantur: & nihilominus tantâ aviditate quæruntur, ut desint sæpè, qui venales exponant; non autem qui inventos, quocumque pretio possint, comparent. Hæc ipsa exorbitantia Mercatorum ad magnam Authoris gloriam cedit, fateor: at hæc eadem gloria intercurrentes nubes patitur: dum enim lucubrationes tuæ à divitibus, qui libros non aperiunt, emuntur, & in privatis Bibliophylaciis incarcerantur, non leguntur à doctis, qui plerumque sunt pauperes, & pretii gravitate terrentur. Ergo, Vir Illustrissime, vel me suadente fatage, ut ingeniosissimæ speculationes tuæ Venetiis aut Romæ recudantur; sic enim pretio commodo redimentur, & etiam à pauperibus, hoc est (sic invidâ Fortuna disponente) ab eruditis doctísque haberi poterunt. Argumenta, quæ in Theologia Fundamentali edisseris, ingenia, etiam sublimia premunt; solutiones manifestas promittis; verentur tamen aliqui, ne ad D. Thomæ, aut fortè Scoti mentem respondere cogaris: quidquid sit, omnes ad unum Gordiorum nodorum, quos implicuisti felicissimè, solutiones avidissimè expectant. Fac has habeamus citò, & vale, & diligere perge tuarum Virtutum & ingenij Præconem. Dat. Neap. 4. Iul. 1656.

Plerumque Viri docti sùt pauperes.

De recudendis libris.

De solvendis primæ editionis argumentis.

Caremuelis libros exorbitanti pretio vendunt.

EPISTOLA VI.

Admodum Reverendo P. Franciſco de Vietri Capucino, Sacræ Theologiæ Profeſſori, Concionatori, Provinciali, &c. ſuo, Ioannes Caramuel.

Quanta patiatur Author, antequam Librum in lucem emittat. Laborat, ut benè concipiat, ut doctè ſcribat; & ut Cenſoribus, Lectoribúſque ſatisfaciat. Igitur, quidquid fecerit, aut omiſerit, vexabitur à ſe, ab Amanuenſibus, à Reviſoribus, à Typographis, à Bibliopolis, & à Lectoribus.

BBB *Libri ſunt liberi.*

MVLTA patitur Parens, antequam prolem in lucem communem emittat; dum eſt gravida labores & dolores ſentiſcit; dum enititur, patitur obſtetricantium imprudentiam; & poſt partum, petulantiam nutricum. Libri liberi ſunt: & Parentibus laboribus ſummis ſtant. Quanto concipiantur ſtudio, ſi Scholaſtici ſint, norunt illi, qui uno mentis intuitu ſolent ſimul millena objecta contemplari. Indulgent genio, qui aut Scriptorum vota colligunt, aut floridè rhetoricantur: at qui ſpinoſas Dialecticorum terunt vias, cùm teneantur ſervare conſequentiam, dum combinant Univerſa cum ſingulis, etſi adamantino ſint ingenio prædíti, fatigantur. Debet liber, poſtquam eſt conceptus, ſcribi. An manu propria? quantus labor! An manu aliena? ſed ubi inveniam Amanuenſes, qui ita dictata excipiant, ut non committant frequentiſſima σφάλματα? ergo facilius erit calamo proprio ideas mentis exprimere, quàm calami alieni errores Orthographicos obliterare. At jam librum ſcripſi, inquies. Et ego te ad ſcriptionis, non autem ad laborum finem perveniſſe aſſevero. Manent Agones alii; quos ſuperes majori tædio. Agendum, aut etiam pugnandum cum Cenſoribus eſt; contra quos non ſemper Ratio prævalet, ſed Voluntas. Indocti ad Cenſoriam dignitatem promoventur interdum, & magno ſibi honori ducunt, ſi confundant Viros doctos & magnos. Reviſorem cognoſco, qui in Libris & Theſibus delet omnia, quæ non intelligit: & quia hæc ſunt multa, multa delet. Propoſitiones has, *Ariſtarchi de motu telluris ſententia, non ut theſis, ſed ut hypotheſis, admitti poteſt. Cœli ſunt liquidi, corruptibiles peregrinarúmque impreſſionum capaces. Mundus non adnihilabitur, ſed renovabitur. Agens non agit in ſimile. Poteſt prædeſtinatus condemnari. Stando Omnipotentiæ, & præſcindendo à promiſſione, poteſt Deus omnes rationales animos adnihilare*: Apud omnes Viros doctos indubias, ante non multos dies damnavit in Bernavvellii Libro, ut ſuam ignorantiam oſtenderet. Ergo hic Agon ſcholaſtico eſt Herculi moleſtiſſimus. Libro à manibus Cenſoris extracto, agendum cum Typographis eſt. Si ſuis illum Author impenſis imprimat, tot aureos perdet, quot impendet; & tamen liber hærebit in Provincia, & ad exteras gentes non veniet. Si Bibliopolæ impenſis, quærelas quotidianas ſentiſcet. Nam vel liber recipitur cum applauſu, vel non. Si hoc; non diſtrahetur; ſi illud, recudetur alibi: ergo ſemper obnoxius erit Bibliopola jacturæ. Qui exempla ab iſto accipiunt, & in diſſitas Regiones important, volunt diteſcere, & libros ideò vendunt pretio immenſo; ſcio enim Theologiam Regularem, quæ in Belgio dabatur uno aureo, & potuit transferri paucis aſſibus, decem in Hiſpania, viginti octo aureis in Braſilia vænire. Ergo etiam Revenditores in Authorem conſpirant; & dum lucro inhiant, librorum curſum, & applauſum morantur. Ecce cum plurimis pugnandum Authori eſt antequam liber ad manus Lectorum perveniat. An, ſi ad eas ſemel venerit, ceſſat tragœdia? minimè: manent enim Authorem diverſæ & aliquando iniquæ Lectorum indoctorum Cenſuræ, impugnationes Scriptorum, & Politicorum Tribunalium judicia: nam, ut ſcitè quidam antiquus cecinit,

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli. *Horatius.*

Hæc omnia ſimul ſumpta demonſtrare videntur, temeritatis potiùs argui, quàm à generoſitate laudari, qui hoc ſæculo libros ſcribit. Omnia & ſingula, quæ inſinuavi ſum paſſus, & poſtulas, ut libros antiquos in Italia recudam; ut novos, qui ratiociniis in Theologia Fundamentali objectis ſatisfaciant, edam. Poſſem reniti, & expertus pericula & moleſtias hærere: at quia tua amicitia apud me eſt omnipotens, obediam, curabóque omnes libros reduci ad claſſes, & in lucem remitti. ſuduſtriam impenſáſque offerunt

Quanto labore & ſtudio ſcribantur?

An reperiantur Amanuenſes, qui ſcribant exactè?

An omnes librorum Reviſores ſint docti?

An interdum Poſitiones primò veras cõdemnent?

An libri imprimi ſumptibus Authoris debeãt?

Cur boni vẽdantur magno pretio?

Patiuntur, cùm invidis oculis interleguntur.

CCC *An hoc ævo libros edere Viri prudentis ſit?*

Curat Author omnes ſuos ſimul libros imprimi.

runt Lugdunenses ; solúmque, vt singuli à me recognoscantur, novísque Speculationibus exornentur, expectant. Tu interim valetudinem tuam cura diligentissimè ; méque Deo in tuis Sacrificiis commenda. Romæ, 18. Augusti 1656.

EPISTOLA VII.

Domino Francisco Verde suo Ioannes Caramuel.

Protestatur, se indoctis nolle scribere : an Græcia habuerit septem Sapientes ? quinam de aliorum doctrina sint Iudices ? Cur, & quibus respondeat Caramuel ?

DDD
Author tacet cùm maximè vosiferatur. sed quibus ?

SAPIENTIBVS & Insipientibus debitor sum : & obligationem non nego : sed in eadem differentiam reperio. Debeo loqui Sapientibus, ut ab illis discam, quæ nescio : ut cum illis conferam, si qua scire me puto ; ut illis communicem, si qua fortè sim adsequutus præter ipsos. Sed quid debeo insipientibus ? silentium : illúdque, etiam dum loquor & scribo, diligenter observo.

Non loquitur, cujus nemo audit verba (Philander)
Nec scribit, cujus carmina nemo legit.

Et quidem, nec audit nec legit, qui non intelligit : ergo dum Doctis loquor, Nesciis taceo : & dum scriptito Sapientibus, Insipientibus nihil scribo.

Proderit hîc Lactantius Firmianus, qui *Divinarum Institutionum lib. 4. cap. 1.* sic inquit. *O miserum sæculum, quo per orbem totum septem fuerunt soli, qui hominum vocabulo cierentur ! Nemo enim potest dici homo, nisi qui sapiens est. Sed, si cæteri omnes præter ipsos stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes : quia nemo esse sapiens verè judicio stultorum potest.* Frustrà igitur, Nescii hos sibi libros comparant, frustrà legunt, quos non intelligunt : quia non intelligere, non legere virtualiter est. Frustrà igitur se Nescii Iudices & Censores constituunt : cùm laudari aut vituperari ab indoctis, doctorum opinione perinde sit. Stat ergo, curandum esse Scriptoribus primò, ut in lucem edant, quæ lectu digna : secundò, ut non morentur invidiosas indoctorum censuras : tertiò, ut à doctis gloriam sperent : quoniam hi soli famam dare possunt vel addere, & calamos æternos reddere. Didici hoc Politicum Monitum à Ludovico Camoës, qui in Poëmate D. Constantino inscripto, sic cecinit.

EEE
An septem Græciæ Sapientes meritò celebrentur ?

Quinam debeant de aliorum doctrina judicare ?

Quem fez obras tam dignas de memoria,
Sempre será famoso e conhecido
Onde os juizos altos se estimarem :
Que estes sôs tem poder de fama darem.

Quinam possint famam tribuere vel auferre ?

Hinc patet, cur aliquos libros, in me scriptos non morer : hinc cur in illorum refutatione non festinem : nix enim non indiget diligentia, ut dissolvatur ; & multorum, qui hoc solo cognoscuntur nomine, quòd in Caramuelem sint ausi, ratiocinationes frigidissimæ, solventur tempore, tam enim sunt floccidæ & fragiles, ut sibi relictæ diu ipsæ perennare non possint. Interim, dum hæc scribo, neminem in specie contemno, ad prælium enim provocatum me sistet Borgiæ Tomus VIII. ut ab eo invasa defendatur Dialectica : [Fortè hic labor inutilis videri poterit, post tuam enim impugnationem, non erat cur Borgilas iterum impugnaretur : at debui in arenam descendere, ut obedirem provocanti.] Boonenio me sistet Tomus IX. ut Physica & Ethica Ianseniana ab ipso Hæresi tinctæ, Orthodoxo restituantur nitori : & aliis tandem me Tomus X. ut Theologia, à singulis in absonas opinationes obtorta, pristinam recuperet rectitudinem & securitatem. Modestiæ terminos Antagonistas prætergredi nonnunquam doleo. Scommatibus non reponam scommata, sed utar urbanissimo calamo : at tamen humanissimè animositatem singulorum Dialecticâ efficaciâ compescam.

Cur Author aliquibus Anti-Caramuelibus non respondeat ?

Quibus & cur respondet ?

EPISTOLA VIII.

Lectori Dialectico Ioannes Caramuel.

Libri argumentum proponit. Quos Lectores invitet, & à quibus non legi desideret? An liceat laxè vivere, & strictè subditos gubernare? Quid & quotuplex justitia sit? Quid dominium? An Decalogus latus sit liberè? An sit dispensabilis? An cordibus humanis inscriptus? De peccatorum speciebus: de circumstantiis. De Anti-Caramuelibus. An nondum ipsis respondeat: & cur? Quomodo probabilitatem impugnent? Quomodo illam impugnare deberent?

NVM. 2. *Quales Quæstiones hic Tomus tractet?*

LIBER in Caramuelem editus, qui NOCTVA AD AQVILAM inscribitur, postulare videtur, ut non jam Anseris, sed Aquilæ pennam attemperet sibi Caramuel, ut Quæstiones arduas & sensu communi hominum sublimiores ita expendat; ut non tam loqui, quàm volare dicatur. Sed quia non omnium erat olim adire Corinthum, non omnium erit hodie posse, non erit omnium velle Fundamenta Doctrinæ medullitùs examinare: & hanc ob rem non omnes ad sui lectionem Liber hic Theologos aut Iuristas invitat. Invitat Candidos, qui nullo livoris præjudicio præventi sciunt sedato animo legere, quæ amico & tranquillo scribuntur. Invitat Logicos; frustrà enim ad Controversiæ discussionem venitur, quando languet Dialectica, & rationum vires & nervos non sentiscit. Invitat Physicos & Metaphysicos, nam Metethicus est, & omnia Asserta Realibus Fundamentis succollat. Plato ab schola sua arcebat ignaros Geometriæ; & Ego à libri huius lectione omnes illos, qui dicunt Moralia pingui tantùm Minervâ esse tractanda, & in Ethicis subtilitates condemnari. Arceo etiam illos, qui duplici Theologia abutuntur; laxa & severa; illa, ut se; hac, ut cæteros dirigant. Duplicis Theologiæ non usum, sed abusum condemno: superior enim, qui juxta strictam vivat, & juxta benignam imperet consulátque, ab omnibus erit laudandus. Habemus Deum communem non privatum: Deum integrum, non partium affectu divisum. Amamus proximum, sicut nosmet; &, quæ nobis non bona videtur doctrina, non imbui cæteros desideramus. Dicimus Deo, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Sed quod lumen? quod comburat & angat, an quod foveat, illustret & illuminet? Hoc secundum, & hanc ob rem subjungo, *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et addo, *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Te igitur, Lector optime, qui animi candore, & Dialecticæ, Physicæ, & Metaphysicæ notitiâ penitiore exornaris, ad Tomi hujus lectionem & meditationem invito: quem majoris claritatis gratiâ in quatuor libros seco; illorúmque argumenta nunc breviter ad Synopsim reduco.

Quos Lectores invitet?

Quos arceat? An Geometriæ ignarus possit scientias sublimiores addiscere? An liceat laxè vivere, & strictè conscientias subditorum regere?

Intellectus, ingeniúmque sunt quædam Divini luminis participatio.

Objectum Moralis Theologiæ esse IVSTITIAM; videlicet, illam virtutem, quæ unicuique tribuit, quod suum est, cum omnibus antiquis suppono. THEOLOGIA dicitur, quia omnis potestas à Deo est: quam ob rem, cùm omnia Dei esse animadvertamus, ad Deum omnia ut primum & summum Possessorem & Legislatorem reducimus. Iustitiæ praxis exactam Dominii utriusque (proprietatis, & jurisdictionis) cognitionem requirit; non enim quod suum est posset unicuique tribuere, ni utriusque Dominii jura & titulos altè cognosceret. Idcirco à primo adquirendi Dominii fundamento exordium sumere necessarium est: quam ob rem Libro

3 *Moralis Theologiæ objectum. Iustitia quid?*

Dominium duplex: proprietatis, & jurisdictionis.

PRIMO rerum reale & physicum dominium edisseram; realésque semper in Scholis admissas Positiones, ut bases & fundamenta Arcis Ethicæ erigendæ supponam: tunc enim accuratè discurrimus, cùm *Sicut de realibus realiter, de physicis physicè, & de metaphysicis metaphysicè, sic etiam de moralibus moraliter philosophamur.* Quoniam speculatio, quæ ad Physicam & Realem scientiam translata non subsistit, non Moralis, sed chimærica est. Physicis igitur jactis jam fundamentis Libro

4 *Iterum duplex: reale & morale. Principium Metethicum Fundamentale.*

SECVNDO dissero de Titulis Moralis adquirendi Dominii. Sanè Dominium Physicum libro primo probaveram Reali Conditori competere; & analogiâ servatâ Morale ostendo competere conditori Morali. Vsuarium dico rem ipsam Authori subjicere; Vtile rei operationes, háque prædeterminari physicè impulsu, & moraliter præceptis persuadeo.

5 *An dominii productione adquiratur? De dominio usuario & utili.*

Contemplor etiam Naturalia præcepta. Examino, an nata sint, an lata? & Dei libertatem authoritatémque propugnans, ita à Deo lata, ut non ferri potuerint cum divino Augustino, & subtili Scoto, & ejus Scholâ doctissimâ

6 *An Decalogus sit latus liberè?*

doctissimâ & numerosissimâ, religiosè & nervosè defendo. Totum ibi Decalogum à Deo pendere, & Divinæ dispensationi aut mutationi subjacere persuadeo : variásque Quæstiones & Hypotheses, etiam impossibiles, ut Naturalis Legis Quidditas, virtus, authoritásque innotescat, examino. Posteà ego Libro

An in illo possit Deus dispensare?

7 TERTIO de ipsis Legis Naturalis Tabulis differo : inscriptam probo divinitùs esse humanis cordibus ; sed in his superveniente peccato originali, & illius pediſſequis concupiscentiâ, ignorantiâ, & actualiter peccandi consuetudine illam, si non obliterari, sæpè characteres dubios, aliquando probabiles, rarò claros & evidentes retinere persuadeo ; adeóque uberiùs disputo de Conscientiâ Dubiâ ; breviùs, solidè tamen de Probabili, Evidenti, & Fideli.

An & quomodo cordibus inscriptus sit?

De Conscientia.

8 QVARTO ad lapideas illas Tabulas, quas digito suo Deus sculpsit, converto oculos, & Textum ipsum Hebræum, Arabicum, Græcum, Latinúmque considerans, Legislatoris mentem in singulis Præceptis dilucido. Ibi singulas species peccatorum distinguo ; & quia non iti multiplicatum Entia sine necessitate Metaphysica statuit, & quia Probabilitas inferre animis necessitatem nescit, peccatorum species ibi solùm multiplico, ubi in eamdem illa speciem coincidere rationabiliter non possunt : adeóque non plurimas species peccatorum admitto : & sic quidem Confessionis Tribunali prospicio, ex suo ingenio non facili, quod nonnulli juniores, si non inaccessibile, ut minimum difficillimum faciunt. Vbique sacræ Paginæ, Conciliisque, & præcipuè Tridentino, consono ; ex quo tam clarè colligitur circumstantias non mutantes speciem, tametsi maximè aggravantes, non debere exprimi in Confessione, ut miter esse Authores, qui audeant propugnare contrarium.

De textu Hebræo, Græco, & Latino, &c.

An sint multæ peccatorũ species?

An circumstantiæ maximè aggravantes, sint in Confessione explicandæ?

9 Plurimi in singulis libris casus ponuntur ; omnes, quoad licet, benignè resolvuntur ; ubique summa doctrinæ consequentia servatur ; nihilque moraliter dicitur, quod non sit Physicæ Veritatis analogiâ fundatum.

10 Placuit multis mea hæc philosophandi Methodus, quibus maximos honores debeo. Displicuit nonnullis, & non miror, quoniam

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.

Displicuit inter alios præcipuè Illustrissimo DD. Iacobo Boonen Mechlinienſi Archiepiscopo, Ianseniſtarum Coryphæo ; & Illustrissimo D. D. Ludovico Crespino Borgiæ, Plasentino Episcopo. Vterque invectus fuit in illam : nescio an ille, nescio an iste prudenter. Porrò ille, cùm in Theologia Fundamentali crebrò, & in aliis libris non rarò Ianseniſtas esse hæreticos legeret (si fortè alium unquam præter Breviarium librum legit) & se hujus exsecrandæ hæreseos Fautorem & Promotorem dici auderet, mirabili impotentiâ seductus, Caramuelis omnia Opera edita & edenda interdixit ; ac si hoc ictu secaret linguam aut manum Caramuelis, ne posset in posterum dicere aut scribere omnes Ianseniannæ doctrinæ defensores & protectores esse hæreticos. Sunt quidem Hæretici (amice Lector) nam Innocentius X. & post ipsum Alexander VII. sanctissimus D. N. pe-

Cur Boonen in Caramuelem arserit?

An Ianseniſtæ sint Hæretici?

ſtiferam Ianseniı doctrinam hæreticam esse definivit, & ab Ecclesia tota, ut hæreticam haberi juſſit. Et Archiepiscopi contra Caramuelem Decretum (quod ipsum esse hæreticum suo loco demonstraturus sum) esse præcox & injustum Sanctæ Romanæ Inquisitionis Tribunal declaravit. Hæ sunt causæ, quæ irritarunt Boonenium. Sed Borgiam quæ ? scire desiderarem. Saltem voluisse video, at me tangi non sentio. Dum sententias singulares suas esse communes putat ; & communes, quas in Caramuele oppugnat, singularitatis condemnat, Cardinali Lugoni committatur, qui ridet eos, qui si quas vel in suo libro legerunt, vel à suo Magistro didicerunt, vel in suo Collegio propugnari viderunt, putant esse totius Orbis sententias. Dum etiam ipse vel suam Opinionem tuetur, vel Caramuelæam oppetit, ut servaret rigorem Dialecticum desiderarem, & hanc Consequentiam eliceret, *Ergo improbabile est, quod affirmat Caramuel.* Vt hæc Consequentia nascatur, debet Demonstratio præcedere ; nam, ut sciunt omnes, qui percallent Dialecticam, ut improbabilitatem persuadeant, elumbes & impotentes sunt rationes universæ probabiles. Ergo, ut Boonenio, Borgiæ, & aliis Anti-Caramuelibus satisfaciam Fundamentali Theologiæ addam tres Tomos ; nempe, illis duobus, qui sunt editi. Aget igitur Tertius de Hæresi Ianseniana, atque Boonenio satisfaciet. Quartus aget de Dialectica, & respondebit Borgiæ. Quintus componet cæteros, illorúmque ratiocinia enervabit.

Boonenii decretũ in Caramuelem est hæreticum, & à Romana Inquisitione condemnatũ.

Cur Borgias singulares sẽtentias dicat esse communes ; & contrà ?

Quomodo Probabilitas sit impugnãda ?

De Tertia Quarta, & Quinta Theologia Fundamentalis parte.

Mirantur aliqui, cur à tot provocatus, per tot annos tacuerim ? & abeunt in diuersas sententias : alii me Adversarios despicere, alii me illos vereri suspicantur. At ego interim quiesco, & studiis benignioribus fruor.

11 *Cur tardo stylo Caramuel suis adversariis respondeat ?*

Contemni ullum Virum à me, nemo meritò dixerit ; non enim Orbis literarius ignorat, me etiam illos, qui possent minùs docti videri, qui videlicet Logicam nesciunt, & tempus rem pretiosissimam prodigunt, venerari & amare.

An illos contemnat ?

At timor calamum remoratur. Quis timor ? sciunt, qui in Francandalia à Gallis circumsessâ, in Praga à Suecis cinctâ, in alma Vrbe tyrannide pestis oppressâ Caramuelem viderunt, illum quid nomen *timoris* significet ignorare : nemo illum hucusque hac nota inusit ; quem potius æmuli de ingenii audacia incriminantur : De illo Humanus Erdeman.

12 *An timeat ?*

Cui volet ingenio cadere, rarus erit.
Et alius —— —— *nullus erit.*

Non ergo dici poterit timor in hominem adamantinum cadere. Distinguamus itaque timorem à tædio ; nec enim volo videri arrogans, nec pusillanimis ; sed morbum fateor, multarum enim Disputationum ab æmulis importunè, inurbanè, institutarum mentem meam tædet.

Vt ut illas patienter legam ; quis toleret exulare Dialecticam, cum ad arenam provocamur. Vt rem liberè loquar, nemo hucusque Antagonista meus voluit scire, quo modo hæc esset Propositio impugnanda, videlicet, *Opinio N. est probabilis*, nemo quomodo

13 *An impatiẽter legat, qua sine Dialectica scripta ?*

huic esset contradicendum. Ergo nemini erit injurius Caramuel, si Antagonistas suos ad Logicæ gymnasium remittat, paratus respondere cùm redeant.

14 Interim non obstante aliquorum inconcinno clamore Theologia hæc Moralis recuditur, sufficit enim sui Authoris solamini, si Doctis placeat: imò sufficit, si illis displiceat, quibus nil ingeniosum & subtile unquam placuit.

Lingua Vulgi alia est à lingua Doctiorum.

Qui Vulgo Academico scribunt, stylum attemperent legi à Lupo de Vega Ingeniorum Madritensium Phœnice opportunè prolatæ, quoniam

El Vulgo es necio, y por aquesso es justo
Hab larle en necio para darle gusto.

Loqui debemus, ut intelligamur: Ergo Auditorii linguâ.

Desiperet, qui Gallo loqueretur Arabicè, Germano Hebraïcè, aut Persæ Italicè: ergo unicuique loqui eo debemus idiomate, quod percallet. Sunt duo in Schola: alterum Vulgi, Doctiorum alterum. Illud per Rhetoricæ Tempe luxuriat; & quia mavult esse molle, quàm forte, Dialecticæ spinosas figuras & modos argumentosos detestatur. Hoc contentiosum & pugnax, fortitudinem pulchertimam esse supponit, & quacumque fluat, structa & armata acie (hoc est, in modo & figura) procedit.

15 *Caramuel non scribit Vulgo: nec à calamo Vulgari potest, tangi.*

Scribant igitur Vulgo, qui velint; rhetoricentur ad nauseam: quæso tamen ne in Caramuelem collimare dignentur, qui jaculis Rhetoricis tangi non potest, & Dialectis oppeti debet: sed neque his poterit, nam ingenium, quod Dialecticum sit, rationum Caramuelæarum pondera & vires sentiscet, & alium inimicum quæret.

16 *Tempus debet magni fieri, & non prodigi.*

Sed nec Vulgo Caramuel unquam scripsit aut scribet; nam ab aliis sunt copiosè literis mandata Vulgaria, & novo calamo, ut tradantur, non indigent. Magni ipse tempus à Deo concessum facit, & se putaret bonas horas prodigere, si deberet cum Adialecticis disserere; nam inter Alogicos & Alogos discrimen, qui bene perpendat, vix immensum inveniet.

17 *An hæc Editio respondeat Anti-Caramuelibus?*

Antagonistis suis respondebit Caramuel (det Deus, ut Dialecticè possit obloquentibus sine Dialectica) imò illis hæc ipsa Theologiæ Moralis Editio secunda sufficienter respondet, siquidem easdem ipsas Positiones reponit, quas impugnarunt illi; quod est manifestè testari, nihil hucusque objectum, propter quod aliqua deberet sententia limitari aut mutari. Addidit nihilominus plurima, ut copiosiùs & fortiùs eadem adfirmaret & roboraret. Adjunxit alteram partem nondum editam, quam *Præterintentionalem Theologiam* vocari voluit, quod disputet de actibus, qui præter agentis intentionem aborti. Sequitur in illa ordinem ipsum Decalogi, ut dilucidè & clarè procedat.

18 Tuum erit (Lector candide) quod feciſti hucusque conatibus istis favere: meum adlaborare, ut præter Tertiam, Quartam, & Quintam Theologiæ Fundamentalis Partes, in Boonenium, Borgiam, & alios Anti-Caramueles scriptas, quæ jam prodeunt, PHYSICO-ETHICVM habeas, in tres Tomos distinctum, in quo omnes Liberales & Philosophicæ scientiæ se insinuant in Ethicam, & ad Virtualitates reducuntur. *Physico-Ethicus.*

19 *Cursus Liberalis.*

Videbit etiam publica lux meum Cursum Liberalem, cujus Partes sunt Orthographia, Steganographia, Grammatica (Hebræa, Syriaca, Græca, Hispanica, &c.) Rhetorica, Rhythmica, Metrica, Metametrica, &c.

Cursus Mathematicus.

Etiam Cursum meum Mathematicum, cujus Partes sunt Arithmetica, Geometria, Logarithmica, Anarithmica, Musica, Sphærica, Cosmographia, Astronomia duplex (altera Circularis, altera Rectilinea) Uranometrica, &c.

Cursus Philosophicus.

Tandem Cursum meum Philosophicum, cujus partes sunt, Grammatica Audax; Logica Vocalis, Scripta, & Mentalis; Herculis Logici Labores tres; & Metalogica. Hi libri anno 1651. prodierunt Francofurti, sed jam recuduntur auctiores. Additur Philosophia in Realem, Modalem, Formalem, Expressivam, Actionalem, Deiformem, &c. divisa: quam claudunt Disputationes de Anima juxta Scholas præmissas procedentes.

Cursus Theologicus.

Posteà etiam Theologiam Scholasticam, in qua aliquos Viros magnos, & Patres Carmelitas Excalceatos Salmanticenses, amicos optimos, Dialectico rigore examino, ut utrùm Dialecticè scripserint resciat Litteraria Posteritas.

Interim, dum alii Tomi prodeunt, duobus his (Intentionali & Præterintentionali) fruere, & Vale.

PRO OEMIVM

PROOEMIVM.

Legem in communi considerat, definit, dividit, edisserit.

22 *Vnde vox Lex dicatur? A legendo.*

LEGEM dici *à legendo* placuit B. Isidoro & aliis Criticis, qui de vocum origine vera disputarunt. Cùm autem verbum *Legere* homonymia laboret, non possumus non dubitare de significatione primitiva.

An dentur Leges non scriptæ?

Qui existimant Leges debere scribi, *à legendo litteras* vocatas asserunt. Hæc tamen derivatio non placet; nobiliores enim Leges agraphicæ sunt: Æterna sit nobis testimonio, scripta non est; & Naturalis, sub initium mundi scripta non fuit; quibus & accedere possunt humanæ aliquot non calamo sed latio latæ.

An lex Salica sit admittenda?

Inter istas numerant Galli Salicam, quæ fœminas à regio diademate excludit, *Gallica enim nunquam Lilia nere sciunt.* Hanc aiunt non Tabulis, sed cordibus ipsis inscriptam. Et multi tametsi mentales & agraphicas leges admittant, hanc Salicam rejiciunt omninò, & esse confictam contendunt. Eamdem etiam oppugnant Chifletius, & alii Iuniores.

Interim, quidquid objiciant contra, praxis ipsa, quæ optima est legum Interpres, dari Legem illam Salicam, quam vocant, videtur luculenter ostendere.

An olim apud Romanos adulteria & stupra interdicta?

Sanè fuisse olim Leges nonnullas non scriptas ostendo, quoniam de adulteriis stupríque nullam legem in Tabulis habuerunt antiqui Romani, & tamen ejusmodi in Tarquinio facinora, aut etiam in aliis punita, legem mentalem fuisse, quæ hæc crimina inhiberet demonstrant. Audiatur Cicero: *Nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnium hostium Copias in ponte unus adsisteret, à tergóque pontem interscindi juberet, idcirco minus Coclitem rem gessisse tantæ fortitudinis lege & imperio putabimus. Nec, si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit* (fortè, *intulit*) *erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto avocans; quæ non tum demum incipit lex esse, cum scripta est; sed tunc cùm orta est: orta est autem simul cum lege Divina. Quam ob rem lex vera atque Princeps apta ad jubendum & ad vitandum ratio est recta Summi Iovis* (hoc est, *Summi Dei.*)

Cicero 2. de Legib.

Generositas Coclitis.

Turquinii scelus.

Divina Lex.

Aptiùs idem Cicero 1. *de Legibus*, consonans dicenti Poëtæ,

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Censet idem esse *legi* quod *eligi*, ac propterea Leges *à legendo* seu *eligendo* dictas, quòd curiosè omnia examinent, utilia eligant, & nociva proscribant. Hæc ratio nominis convenit omni Legi, saltem elicitæ, quia Deus eligendo has & illas creaturas Legem physicam æternùm tulit: & eligendo operationes rationi consonas, & reprobando dissonas, æternùm sanxit Decalogum seu Legem moralem. Imò & homines non solùm Leges ut media eligunt, sed Lege indicunt actus illos, quos elegerunt & utiliores judicarunt.

Audi Augustinum agentem contra Petilianum: cujus verba habentur XXIII. q. v. cap. ad fidem. *Numquid*, ait, *quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur?*

Γράφειν apud Græcos non solùm *scribere* sed & *pingere* est, ab iis Latini non scripturas modò, sed & legere picturas didicerunt. Virgilius in operis divini Sexto,

——— *Protinus omne*
Perlegerem oculis, ni iam præmissus Achates
Afforet.

23 Ergo si *legere*, picturam considerare est, Lex, quæ *à legendo* dicitur, erit pictura seu exemplar actuum humanorum. Exemplar quidem, non tamen primarium sed secundarium. Lex enim humana debet esse similis legi divinæ, & indicere actiones sibi similes. Augustinus *lib. 9. de Civit. Dei.* acutè & breviter, *Omnium Legum est inanis censura*, ait, *nisi divinæ Legis imaginem gerat.*

Lex à prætereundo denominata.

Antiqui, si qua præteribant, legere dicebantur, Livius; *Ipsis compositis Siciliæ rebus oram Italiæ legens Ariminum pervenit.* [Vrbs vetus in Flamminia est, juxta Rubiconem fluvium, qui Galliam à Flamminia discerpit; (Lucan. lib. 1.) ad quam venientibus ex Sicilia accedere licet, si præterierint oras vastissimas totius Italiæ.] Lex igitur *à legendo*, hoc est *à prætereundo* dicatur; quia teste Aristotele *lib* 1. *Rhethoric. ad Theod. cap.* 4. Qui bonas Leges condere desiderat, præterita debet speculari, & ex eis expiscari notitiam cavendi suis subditis calamitates imminentes.

Aut etiam à ligando, & legando.

24 A *ligando* aliqui *Legem* derivant, nec immeritò; quia universos obligat & obstringit.

Nec condemnandi, qui *Leges* dicunt à *legando*, sunt enim ipsæ feciales, contra vitia & mores insolentes legatæ.

An Leges sint irrevocabiles?

25 Quod si *legare* sit καταλείπειν, *testamentum conficere, ultima voluntate bona distribuere, & divitias donare*, alta ex origine eruitur

Legum

Legum ingenium & perennitas : ſicut enim revocabile non eſt quod ultima voluntate decernitur, ſic Leges adamantinæ eſſe debent & irrevocabiles. Natalis Comes lib. 27. Hiſtoriæ ; *Cùm Lex ſit*, ait, *unicum fundamentum rerum publicarum, turpe eſt & puerile in regno delirare, ebrioſorúmque more modò huc, modò illuc fluctuare ; aut ſæpiùs tanquam ab Inferis mortuam legem per præconem revocare, &c.*

An liceat Leges alterare aut mutare?

Verè Lex revocari non debet ; quia aut jus infert, aut iniquitatem : quæ hanc, numquam debuiſſet ferri : quæ illud, non debet aboleri aut caſſari. Tanti fecit Lycurgus perennitatem Legum, ut exceſſerit exul voluntarius, adjurans populum, ne quid mutaret de ſuis Legibus, donec rediret. Legum ſuarum æternitatem conditione ſubnixam, abſolutam reddere maluit, quàm vivere ; ideóque aut inediæ ſpontaneæ viribus, ut notat Euphorus ; aut manus ſuæ violentiæ ſubjacuit, ut alii affirmant ; ne redeundo in Patriam Legum proſcriberet perennitatem.

Mavult mori Licurgus, quàm Leges mutari.

26 *Lex, lux.*

Aliis *Lex* dicitur, quaſi *Lux*, unde Pſalmiſta Rex, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Pſal. 118.

Græca & Hebraïca Legis nomina.

Græci Legem vocarunt NOMON à verbo νέμειν, quod *tribuere* ſignificat, ut Principes doceantur Leges edere, quæ ſubditos opulentiores reddant, non quæ depauperent. Legiſlatoris ſcopus non eſt eſſe felicem, ſed ingenuis felicibúſque dominari. Fortè & Νόμος dicitur, quæ debet unicuique νέμειν quod ſuum eſt.

27 *Lex confuſa ordinat.*

Hebraïcè דת DATH & תורה THORA dicitur. Aptè תורה THORA ſeu *Ordo*, quoniam confuſio eſt exlex, nec Legis nomine digna ulla ſanctio, quæ inæquales confundit. Lege ordinantur omnia, quæ aliàs indigeſta & confuſa : non tamen pervertuntur, quæ aliàs conſtarent. Nec incongruè דת DATH dicitur, quia דויך DVID *amicum* ſonat, & Leges tyrannicæ ſunt, ſi ſubditis nocivæ ; invalidæ, ſi illi liberi ſint, & illæ ipſis invitis latæ.

Lex amica.

Exponitur Eſſentia Legis.

28 SPeculati in vocibus Legum prærogativas, aquilineis oculis Legis ideam inveſtigemus, Legis, inquam, abſtractæ ab omni differentia & determinatione ſubjectiva.

29 *Quid ſit Lex?*

Eſt Lex ſumpta in communi, *Regula actuum agendorum aut omittendorum*; aut etiam *Regula, ſecundum quam aliquis ad agendum inducitur, aut ab agendo retrahitur.* Hæc definitio deſumitur ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. Vide Suarium *lib.* 1. *de Leg. cap.* 1. *num.* 1. & me *in Commentarii Benedictini num.* 15.

Platonis Legis diviſio.

30 *Quotuplex ſit?*

PHiloſophus Divinus in Timæo & Phædro Legis ideam communem dividit in quatuor ſubjectivas partes, nempe, in *Divinam, Cæleſtem, Naturalem, Humanam.* Secundam Laurentius Beyerlinckius in Theatro, verbo *Lex*, pag. 50. H. & aliqui Theologi Gentilitiam cenſent & Catholico indignam : & meritò ſi hoc nomine neceſſitatem à ſyderibus hominibus impoſitam intelligere velit. At illi nihilominus, ſi vim vocis calluiſſent, doctrinam Platonis non contemnerent, maximè ſi ſciviſſent à magnis Theologis Divinam cælitùs, Cæleſtem divinitùs exponi. Præcipua veterum & recentiorum placita ſubjungam, eſt enim ſumma Authorum varietas in ſententia Platonis explicanda.

Prima Expoſitio.

31 NOmine *Cæleſtis & Divinæ* intellexiſſe Phyſiologam & Theologam, hoc eſt Phyſicam & Moralem non obſcurè colligitur ab etymo vocum earumdem. *Cæleſtis Lex* eſt Phyſica ; illa nempe, quæ à cælo, ab aſtris, à cauſis ſecundis neceſſariò rebus impoſita ; dirigit actiones neceſſarias & ab arbitrio independentes. Hac Phyſica ſeu Cæleſti Lege reguntur ſyderum periodi, elementorum turbationes, mixtorum eccſtaſes, & alia merè naturalia. *Divina* ſeu *Theologa* eſt *Lex*, quæ à Deo indicta intellectualibus ſubſtantiis, obligat in conſcientia. Hanc Legis diviſionem admittere debent univerſi. Cicero ex eorum ſententia, quos paulò anteà ſapientiſſimos dixerat, *Principem Legum illam & alteram, mentem eſſe dicebant omnia ratione cogentis aut vetantis Dei.* Ergo & Lex æterna dividitur in cogentem & vetantem. Illa cogere (meliùs, infallibilitare, ni malis à Cicerone viro Stoïco fatum ſtoïcum inſinuari) dicitur, quæ prædeterminat ; illa autem vetare, quæ intellectualibus imponitur, & obſtringit moraliter. Eamdem Legis æternæ diviſionem admiſit Auguſtinus lib. 83. quæſt. 27. *In ſola bona voluntate*, ait, *ſecundum Legem agimus, in cæteris autem ſecundum Legem agimur, cùm Lex ipſa incommutabilis maneat.* Ecce Africanus Doctor Legem æternam dividit in Phyſicam, ſecundum quam agimur ; & in Moralem, ſecundum quam agimus.

Lex Cæleſtis.

Lex Divina.

Lex cogens. Lex vetans.

Lex Phyſica & Moralis.

Secunda Expoſitio.

32 PVtant aliqui Legem hanc phyſicam jura dicere creaturis & Creatori : addunt Divinam dici prout Deum ; Cæleſtem ſeu Mundialem prout ligat creaturas. Hanc ſententiam tenuit Chryſippus de Legibus. Ὁ νόμος, ait, πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θειῶν καὶ ἀνθρώπων. Δεῖ δὲ, &c. *Lex eſt omnium Divinarum & Humanarum artium Regina. Oportet autem, &c.* Ergo Divina & Humana ſubjiciebat huic Legi.

An naturalis Lex jus dicat Deo?

33 *An notionales in Deo actui Legi ſubſint?*

Hi ſunt Authores, quorum meminit Suarius *lib.* 2. *de Legib. cap.* 1. *num.* 7. quos debemus in præſenti impugnare.

Dico igitur primò, Actus notionales Dei non eſſe ſubjectos Legi æterni Dominii. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 93. *art.* 4. & probatur, quia Lex debet eſſe prior illis actibus, quos dirigit ; atqui æterna non eſt prior actibus notionalibus : ergo. Major eſt certa : minorem probo. Æterna Verbi generatio intelligitur ante omnem actum imperii & voluntatis : ergo ante omnem Legem. Patet conſequentia, quoniam Lex non intelligitur ante generationem Verbi. Eadem ex cauſa Spiritus Sancti proceſſionem non ſubjiciam dominii æterni Legi, quia ante eam non præceſſit

aliqui

aliquis actus voluntatis, qui Lex vocari posset; sine voluntate enim non concipitur proprietarii dominii Lex.

An actus liberi?

Dico secundò, Actus omnipotentiæ Dei non subjici Legi æternæ, aut divino decreto.

34 An artifex possit sibi leges præscribere?

SED OBIICIS. Potest artifex sibi Legem indicere, & regulam rerum agendarum: ergo potuit Deus ab æterno ex infinitis ideis possibilibus eligere hanc mundi ideam; ergo & sibi imponere Legem, quam sequeretur cùm machinam mundialem conderet.

An Deus sit artifex, & qualis?

Admitto artifices sibi Leges indicere, imò & admittere impositas ab usu & arte: nego tamen Deum esse artificem, qui in mundi conditione Legibus & regulis dirigi possit: cùm enim simplici intelligentia infinitas rerum creandarum orthographias cognosceret, scirétque quamcumque esse possibilem pro quovis tempore, elegit hanc pro isto; & idem fuit pro isto tempore ipsam eligere, quàm in isto tempore condere: quia cum decretum absolutum Dei infinitè efficax sit, sine effectu intelligi non potest, aliàs enim non intelligeretur summè efficax. Ergo in Deo non dantur actus imperantes & actus imperati, sed solum simplex actus creaturis imperans.

Præsentia & æternitatis.

An dentur in Deo actus imperantes & imperati?

DICES saltem ratione posse distingui in Deo plures actus; ergo possumus distinguere actus imperatos ab actu imperante, & hunc vocare Legem æternam dirigentem reliquas Dei operationes.

35 An dentur in Deo plures actus, ex natura rei, aut ratione ratiocinata distincti? an saltem distincti extrinsecè, & ratione ratiocinantis?

Respondeo illum purissimum divinæ voluntatis actum non coalescere formalitatibus ex natura rei, aut ratione præcisiva distinctis, sed esse entitativè unum actum re & ratione simplicem, distingui tamen posse realiter extrinsecè, hoc est, ex connotatione plurium terminorum, ut cùm dicimus *actus liber Dei prout connotat Angelos, non connotat res materiales*, quod etiam physicè loquendo verum est. Hæc autem physica distinctio ideò *extrinseca* dicitur, quia non est in ipso libero decreto, sed solùm in ejus connotatis. Hæc connotatorum distinctio non sufficit, ut Deus dicatur in mundi creatione regulis gubernari; quomodo enim intelligi poterit ante creaturas actuum divinorum subordinatio, quandoquidem priùs debeant intelligi creaturæ distinctæ, quàm actus divini extrinsecè aut terminativè distingui intelligantur?

36 An dictamen divinum sit Lex?

INSTAS. Actus morales Dei tales dicuntur, quia correspondent divino dictamini: ergo hoc est Lex actuum omnium moralium, qui sunt in Deo.

Respondeo Legem hanc, physicam esse, & non attingere actus morales Divinos, Humanos, aut Angelicos: actuum enim moralitas sumitur à Lege morali, de qua inferiùs.

37 An detur in Deo innata Lex?

ADDIS. Saltem in Deo datur innati appetitus æterna Lex: ergo de illa intelligendus est Plato & Chrysippus.

Admitto antecedens; sed illationem non admitto; quia cùm Chrysippus Legem illam *Reginam* nominet, videtur agere, non quidem de Lege innata, sed de Lege dominii seu jurisdictionis, quam inter operationes divinas non admittimus.

Tertia Expositio.

OPinione plurium Plato spiritualia vocavit θεῖα *divina*, & corporea ἐράνια cælestia seu mundialia. Si hoc sensu etiam Chrysippum exponamus statuet conclusionem certissimam. Crysippus sic. ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων. Δεῖ δὲ, &c. juxta horum Authorum sententiam periodus æquipollet huic. *Hæc Lex* (nempe Æterna) *est Regina omnium rerum tam spiritualium quàm materialium. Oportebat autem, &c.* Consonat D. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Pasch. *Oportebat*, inquit, *post spiritualem, corpoream condere creaturam.* Nota utrobique verbum *Oportebat*, & dum admiraris consonantiam Ethnici & Christiani, audiamus Damascenì curiosum Commentarium lib. 2. de fide cap. 12. resumit Nazianzeni verba, & ait, *Hoc autem vocabulo* OPORTEBAT, *nihil aliud à me indicatur, quàm opificis voluntas: hac enim nec Lex nec Sanctio aliqua congruentior imaginari aut fingi potest.*

38 Quid divina & cælestia Platoni sint?

Quid sit Oportere, cùm agitur de decretis divinis?

Lex æterna est divina voluntas.

Quarta Expositio.

ALtiùs rem speculati nonnulli putant *Divina* dici à Platonicis, quæ à nobis supernaturalia, illa inquam, quæ Deum ipsum respiciunt, tales sunt virtutes Theologicæ, & quæ ab ipsis imperantur; *Cœlestia* autem sive mundana dici, quæ naturalia.

39 An Plato cognoverit supernaturalia?

Hanc expositionem multi explodunt, quia supernaturalia essentialiter moralia sunt, non enim posset intelligi contritio sine culpa, & contritio est actus charitatis: explodunt, inquam, quoniam Lex æterna ut sic, cùm sit idea abstracta à Lege physica & morali, non debet mores in suo conceptu quidditativo involvere.

An Decalogus potuerit non ferri? An omnia supernaturalia sint moralia?

Ego autem non video, cur non possent actus supernaturales fieri & omitti sine culpa aut merito, si Decalogus latus non esset. Imò & lato Decalogo, cur non dabuntur multi supernaturales actus qui careant libertate? quid oberit ut hi physicæ Legi subjiciantur?

Majorem inde movere posset aliquis difficultatem dicens, supernaturales habitus citra revelationem ab homine cognosci non posse. Ergo Plato homo Ethnicus eos non cognovit.

An doctrinâ hanc Plato didicerit à Judæis?

Quid scio? Plato ivit in Ægyptum & vicinas regiones, fortè etiam in ipsam Palæstinam: ut ut scit libros Hebræorum legit, Judæos ipsos audivit, & sicut ab ipsis Mundi genesim, potuit & alia addiscere.

Quinta Expositio.

PVtant multi Platonem nomine *divinorum* intellexisse miracula, & nomine *cælestium* naturalia, quæ opinione Veteruminfluxu cælesti fovebantur. Vnde idem esset dividere Legem physicam in Divinam & Cælestem, ac in Absolutam & Ordinariam; Legi ordinariæ subduntur creaturæ corporeæ, & earum actiones non liberæ, cùm committuntur naturæ ordini, aut cælorum influxui; subduntur Absolutæ potentiæ, quæ præter-

40 An Plato cognoverit miracula? An ordinariam & absolutam Legem?

naturaliter divinitùs mutantur, alterantur, creantur. Potentiam absolutam & ordinariam nomine Legis æternæ physicæ comprehendi docuit Augustinus 26. *contra Faustum*, cap. 3. dicens: *Appellamus* NATVRAM, *cognitum nobis cursum solitúmque naturæ, contra quem cùm Deus aliquid facit, magnalia & mirabilia nominantur. Contra illam verò summam naturæ Legem à notitia remotam*, (videlicet, absolutam potentiam) *tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* Ergo naturalia & miracula secundùm eamdem Legem æternam physicam fiunt: ergo benè hæc, prout ordinaria est & naturalia elicit, distinguitur à seipsa prout est extraordinaria & miracula facit.

Quid naturalium rerũ ordo sit? Quid potentia absoluta?

Ultima Expositio.

41 *An omnia prædeterminet Deus?*

SI rem ad Platonis ideam examinemus, dicendum hac divisione doctrinam includi nobilissimam, & dignam Christiano Philosopho. Lex æterna physica, regit entia necessaria & libera. Illorum actiones prædeterminat per modum naturæ, horum per modum libertatis. Positâ prædeterminatione physicâ, quâ ignis ad ignifaciendum materiam præparatam impellitur, non potest non ignifacere, quoniam infallibilitatur præmotione & suamet natura necessitatur; humana autem libertas, quia quidditativè est indifferens, prædeterminatione non necessitatur, sed infallibilitatur, juxta ea quæ dicemus inferiùs. Huc respiciebat Plato, quando Legem æternam in Divinam & Cælestem divisit. Cæli corporei sunt & in corporea necessariò influunt sine indifferentia libertatis, ideò *Legem Cælestem* voluit dici æternam, quà cœlos, sublunaria omnia corpora, omnium substantiarum & necessariarum actionum existentias producit; *Divinam* verò, eamdem æternam, quà actiones liberas prædeterminat sine læsione libertatis; quoniam, facere ut liberè operetur animus, determinare ut evadat indifferens, movere ut possit quiescere, infallibilitare ne maneat necessarius, arduum est, superius cœlorum viribus, & adscribendum soli Deo. Idem igitur est Legem physicam in Divinam & Cælestem subdividi, quàm in Infallibilitantem & Necessitantem; hæc, quæ necessitatem imponit creaturis; illa, quæ voluntatem dirigit per modum libertatis.

Necessitas ab infallibilitate distinguitur.

VERA LEGIS DIVISIO.

42 *Entis increati & creati systemata.*

PLatonicam Legis divisionem variè esse explicabilem & disputabilem conspexi nus. Bipenni igitur intellectuali, cujus acies retundi non possit, ejus membra potestativa præcidamus.

Lex *ut sic*, in Increatam & Creatam dividitur, eadem divisione, qua ens in creatum & increatum, non quidem divisione generis in species, nec subjecti in accidentia physica, sed subjecti in attributa systematica. Quoniam totum Legum categorema si attributo infinitatis pervadatur, increatum redditur, creatum, si cingatur limitibus. Totum erit physicum, si res sumantur secundum se, erit morale, si sumantur moraliter, seu virtualiter.

Creata & increata Lex.

INCREATA LEX, etiam dicitur *Infinita, Ingenita, Improducta, Illimitata, Divina, Æterna, Lex Princeps, Lex à se, Lex propria*, aut *non participata*: CREATA autem appellari solet *Finita, Producta, Limitata, Temporanea, Subdita, Lex ab alia*, aut *Lex participata.* Cùm *Genita* aut *Humana* dicitur, non accipitur secundùm suum conceptum generalissimum, dantur enim Leges creatæ quæ humanæ non sunt, talis est Lex illa innata quæ causat necessarium vitæ appetitum in omni bestia, & appetitum existentiæ in omni ente, juxta illud vulgare pronuntiatum; (nescio, an verum) *Omne ens naturaliter appetit suum esse.* Quæ, ut altiùs percalleas, juvat singula nomina breviter percurrere, & rigorem significationis explicare.

43 *Creata & increata Legis nomina.*

LEX DIVINA INCREATA.

LEx quæ concipitur in Deo, Increata est; quia realiter loquendo est Deus, & ideò aptè *Divina* dicitur.

44 *Omnis divina Lex, est Deus.*

Lex Infinita Illimitata.

AN *Infinita* debeat dici examinas, & videtur quod non; quia non imponitur innumeris rebus; & ostendis: Illi enim Legi finita tantùm subjacent, non infinita: finita quippe in perfectione sunt omnia, quæ divinæ Legi subjiciuntur; quoniam creata sunt, & Deus non creavit, neque creare potest perfectionem aliquam infinitam. Non subest divinæ Legi infinita quantitas, nec infinita aliqua qualitas, nec infinitus rerum numerus; quia hujusmodi producta non sunt, & probabiliùs (fortè evidenter) asseruntur non posse divinitùs produci. Nec juvat recurrere ad creaturas possibiles, quia hæ infinitæ & innumerabiles simpliciter non sunt, sed sunt finitæ simpliciter, & innumeræ secundùm quid, nempe syncategorematicè, quia tametsi excludant omnem determinabilem numerum, non sunt categorematicè infinitæ; quod non suaderi solùm, sed & videtur demonstrari. Nam creaturæ possibiles sunt quæ possunt à Deo produci; sed non potest Deus producere infinitas categorematicè, potest tamen syncategorematicè, hoc est, plures omni designabili numero, ergo creaturæ possibiles sunt plures omni numero adsignabili, non tamen infinitæ simpliciter & absolutè. Nec proderit ad actus Dei immanentes recurrere, tum quia hi Legi huic non subsunt, & si subessent pauci sunt, & pauci non sunt innumerabiles.

45 *An & cur dicatur infinita?*

An possibile sit perfectionis, multitudinis, aut magnitudinis infinitũ?

An creaturæ possibiles sint categorematicè infinitæ?

Nihilominus dicendum est primò divinam Legem esse intrinsecùs & entitativè infinitam, hoc est illimitatæ perfectionis. Ostenditur; quia est ipse Deus realiter, & formaliter Dei actus; videlicet aut innatus aut elicitus juxta varias Legis divinæ divisiones. Actus verò intrinseci Dei, tales non sunt abstracta infinitate.

46 *Divina Lex habet intrinsecam infinitatem.*

OBIICIS D. Thomam 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. Legem ut sic *mensuram* vocavisse: ergo Lex

47 *Lex est mensura.*

Lex ſive divina ſive non divina ipſa ſit, menſura eſt; atqui non poteſt intelligi menſura infinita: ergo.

An detur mẽſura infinita?

An menſura ſit regula?

Reſpondeo, menſuram ibi non pertinere ad prædicamentum quantitatis, quia ſignificat idem quod regula, ideóque conſultò utrumque nomen junxiſſe D. Thomam, ut oſtenderet divinam Legem eſſe increatam & infinitam omittendorum aut agendorum actuum regulam.

In Deo Lex Innata eadẽ eſt, ac divina neceſſitas.

Dicendum eſt ſecundò, Legem divinam extrinſecè aliquando eſſe finitam, aliquando infinitam; non ſecus ac divina ſcientia: quia ſicut cognoſcendo ſeipſum cognoſcit infinitum, finitum verò cognoſcendo creaturas; ſic etiam reſpiciendo ſuos actus Deus, reſpicit infinitum; verbi gratiâ, cùm intellectus infinitus Lege innata eliminat à Deo omnem ignorantiam & intellectionis privationem; finitum verò reſpicit, reſpiciendo creaturas. Æterna enim Lex cùm Petrum dirigit, infinita omninò authoritate, ſubſtantiam finitam dirigit infinitè. [Hæc doctrina ſupponit dari in Deo innatam infinitam Legem etiam circa ſuos actus: Legem inquam quæ non ſit elicita, quæ non ſit juriſdictionis ſeu Dominii, ſed ſit quædam neceſſitas idemtificationis, juxta ea quæ inſinuavi ſuperiùs, & uberiùs alibi expoſiturus ſum.]

48
Lex Divina intrinſecè infinita eſt.

Hinc ſatisfit omnibus rationibus pro contraria parte. Sunto creaturæ poſſibiles ſyncategorematicè infinitæ: eſto non poſſit Deus producere ſubſtantiam aut perfectione illimitata præditam, aut immensè extenſam, aut affectam qualitate infinita; inde non ſequitur divinam Legem, quæ creaturam gubernat, eſſe finitam intrinſecùs & entitativè, ſed ſequitur eſſe finitam extrinſecùs; hoc eſt, connotare infinitè terminum creatum & finitum, quod non negavimus.

Ingenita & Improducta Lex.

49
An Verbum Divinum ſit Lex?

QVi dixit, *verbo Domini Cæli firmati ſunt*, videtur aſſeruiſſe, verbum eſſe divinam illam Legem de qua dicitur Proverb. 8. *Et Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Eadem enim Lege firmavit fornices cœleſtes ne corruerent, & aquas ne terram inundarent. Atqui verbum Domini eſt genitum, ergo Lex æterna eſt genita. Malè igitur *Ingenita* ſolet vocari.

50
In Deo omnes actiones ad extra ſunt communes.

An Verbum ſit cauſa creaturarum?

Reſpondeo, omnes actiones ad extra pertinere ad totam Trinitatem; Cœlum firmavit Trinus Deus, non autem quà Trinus, ſed quà unus: benè enim concipitur Cœli geneſis Trinitate inconcepta. Cùm dicuntur Cœli verbo Domini conditi, moti, firmati: *Verbum* ſignificat omnipotentiæ facilitatem, quia ſine labore & anxietate cœlos ædificavit Deus, non cælando, incidendo, ſculpendo, ſed ſolùm unum verbum imperii proferendo, & dicendo, *Fiat lux*; *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* [Scio poſſe & ſolere *Verbi* nomine intelligi Verbum æternum: hanc Ego expoſitionem, ſi intra terminos bonæ Theologiæ ſe contineat, non impugno; at volui dare facillimam clariſſimámque, ne rem facilem obſcuram redderem.]

Deus autem non ſolùm quà unus, ſed etiam quà trinus ingenitus eſt; quia ſi quà trinus eſſet genitus, quærendus nobis veniret genitor Trinitatis.

Deus eſt ingenitus.

Eodem modo probatur æternam Legem Improductam eſſe, quia ſi eſſet producta realiter à producente trino Deo diſtingueretur, & per conſequens ipſa non eſſet Deus.

Lex Æterna.

CArpunt nomen nonnulli aſſerentes rationem Legis eſſe denominationem extrinſecam temporaneam, quæ Deo adtribuitur. Et probant ſic. Non poteſt intelligi Lex ſine ſubditis, quibus imponatur, & re quæ præcipiatur; atqui nec ab æterno fuerunt ſubditi, nec materia quæ Lege præciperetur: ergo nec ab æterno fuit Lex.

51
An detur Lex æterna?

Reſpondeo, dari Legem ab æterno latam, non ſolùm Catholicos, ſed & Gentiles cognoviſſe. Plato enim Legem quam *in Timæo*, *Phædro*, *& Dialogo* 10. *de Legibus.* Divinam dixerat, eſſe Æternam aſſeruit: ei ſubſcripſit eximius Profeſſor Sroïcæ diſciplinæ Cicero lib.2.de Legib. *Hanc video Sapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum aliquid eſſe populorum; ſed æternum quiddam quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientia. Ita Principem Legem illam & ultimam mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei.* Et ibidem. *Non tum demum incœpit Lex eſſe cùm ſcripta eſt, ſed tunc cùm orta eſt: orta eſt autem ſimul cum mente divina.*

An cognita ab Ethnicis fuerit?

Hanc æternam ſanctionem admittunt Theologi univerſi cum D.Thom.1.2.*quæſt.*91. *art.*1. *& quæſt.*93. *per totam.*

Vt argumento in forma ſatisfaciant aliqui, ſupponunt Leges obligare etiam nondum natos; quia ſubditos regunt, cùm illæ ſanciuntur, & non ſolùm cùm illi operantur. Subjicimur, inquiunt, hodie gratiæ Legi, latæ ante noſtram genethliam multis annis; ipſa enim etiam futuros obligavit. Sic Deus ab æterno voluit dirigere homines creandos in tempore; & hæc voluntas, quæ verſabatur circa rerum regimen, æterna Lex cognominatur. Sub his terminis reſpondent quotquot concipiunt æternitatem tamquam tempus infinitum carens principio & fine.

An obliget Lex nondum natos?

Verùm, cùm hæc æternitatis idea, licèt multorum, adulterina ſit, aliter reſpondendum eſt. Dico æternitatem eſſe unum *nunc* reale æquivalens tempori infinito: *addo* reſpectu Dei nulla eſſe præterita, nulla futura, ſed omnia eſſe præſentia. Subjungo illo *nunc* æternitatis, quo ferebatur Lex æterna, fuiſſe etiam omnes creaturas, ſimul quidem & coëxiſtentes eidem *nunc* indiviſibili æternitatis, licèt uni & eidem tempori non coëxiſtentes. Hæc ſubtilia ſunt, ſed vera; exponuntur in meis Metaphyſicis cùm diſputo de Duratione: *An creaturæ omnes (præteritæ, præſentes, & futuræ) ſint æternaliter præſentes Deo in hoc* nunc *æternitatis?* Hâc doctrinâ ſuppoſitâ argumento in forma ſatisfacio. Condono majorem; & minorem diſtinguo; non fuiſſe æternùm ſubditos, in menſura propria, concedo;

Æternitas non eſt tempus æternum. Quid ſit æternitas? Nota id bene.

An creaturæ ſint ab æterno Deo præſentes?

cedo; in mensura æternitatis, nego. Vnde & nego illatam consequentiam.

52 *An Leges debeant promulgari?*

DICES. De ratione Legis est promulgatio; sed illa sanctio ab æterno promulgari non potuit: ergo ab æterno non fuit Lex; incipit igitur Lex esse cùm evulgari. Minorem probas. Quia ab æterno nec Angeli fuerunt, nec homines apud quos potuerit evulgari.

Respondeo Legem æternam, quà à morali distinguitur, non indigere aliqua promulgatione; tunc enim non vetat, sed infallibiles reddit operationes. Vtrùm detur Lex moralis æterna, videbimus inferiùs.

53 *An æterna sint immutabilia?*

ADDES. Æterna sunt immutabilia & necessaria; atqui Lex omnis est mutabilis & dispensabilis; ergo non datur Lex æterna. Probas minorem. Quia Lex hæc, quæ æterna dicitur, sive physica sive moralis sit, mutabilis est, imò & sæpè mutata. An non physicam mutat Deus, quoties naturalem rerum ordinem invertit potentiâ absolutâ? An non *An Lex divina sit mutabilis?* & moralem indicens Abrahamo filicidium, & Davidem prædeterminans ad adulterium? *Confirmatur*: si hæc Lex æterna est, ergo actus Dei liber non est: ergo Deus creaturas non gubernat liberè sed necessariò.

Hoc argumentum tangit difficultatem summam quam Theologi expendunt in materia de voluntate Dei. Nemo Christianus negat Deo liberam voluntatem: hanc, prout est actus secundus, vocamus Legem æternam. Æterna & immutabilis est, eo modo quo actus divini arbitrij æternus dicitur & immutabilis. Vt igitur satisfaciam syllogisticè; majorem nego quoad posteriorem partem, & quoad priorem distinguo. Est falsum dicere omnia æterna esse necessaria, quia decreta Dei libera sunt, & nihilominus æterna sunt: hæc eadem physicè immutabilia sunt, virtualiter mutari possunt, quia licèt immutabilia physicè sint, ita se habent ac si mutari possent. Distinguo etiam minorem admittens omnem Legem esse dispensabilem & mutabilem realiter aut virtualiter; nego autem omnem Legem physicè & realiter mutari posse. Ratio est; quia quando Deus in æterna Lege dispensare dicitur, non dispensat physicè & realiter, sed virtualiter solùm, sic se habens ac si realiter dispensaret. (Imò nec virtualiter verè & propriè, sed apparenter & nostro modo concipiendi, qui erroneus est, & debet theologicè corrigi.) Ratio est, quia indicens Soli quietem postulante Iosue (capite 10.) non mutavit nec alteravit æternam & physicam illam Legem, quæ Solis periodum metitur, quia illa prima Lex decrevit motum Soli interrumpendum illa die, qua Iosue conflictum erat initurus cum quinque Monarchis inimicis: sic similiter etiam philosophor de æterna morali, quæ reverà numquam interdixit illam actionem, quæ facta contra Decalogum dicitur cum dispensatione. Et hoc demonstratur: quia in eodem *nunc* non possunt conjungi duo termini contradictorii; atqui Legem ferri & cassari, sunt termini contradictorii: ergo conjungi non possunt. Sed tota æternitas est unum *nunc* carens omni successione: ergo est contradictionum incapax.

Æternitas componitur cum libertate.

An actus Dei liberi virtualiter sint mutabiles?

An dispensatum aliquando sit in lege æterna naturali?

An in morali?

Consideretur attentè hæc doctrina.

Lex Princeps.

54 *Lex divina omnibus humanis dominatur.*

LEx Divina *Princeps* à Cicerone dicitur, quoniam est omnium aliarum regula; quæcumque ipsi opponitur injusta est. *Cùm accepero tempus*, inquit Dominus, *ego justitias judicabo.* Tempus erit, in quo convenient coram supremo Iudice omnes Legislatores, omnes Legum Interpretes, omnes Iudices, imò ipsæmet Iustitiæ, ipsæmet Leges. Cicero 1. & 2. de Legibus. *Hanc video*, ait, *Sapientissimorum fuisse sententiam.* PRINCIPEM *Legem & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.* Divinam Legem vocat Principem & ultimam, quia omnium actionum nostrarum Αλφα est, & Ωμεγα etiam debet esse. Nulla actio humana sensibilis aut insensibilis, quæ ab hac Lege principe non procedat, saltem tamquam à regula physica prædeterminante; nulla actio humana esse deberet, quæ non respiceret moralia præcepta hujus divinæ Legis. Assonat Chrysippo Cicero. Ὁ νόμος, ait Chrysippus de Legibus, πάντων βασιλεὺς ἐστὶ. *Lex hæc* REGINA *est universarum Legum.*

Lex ultima, seu suprema.

Lex Creata.

55

EContrario Creata Lex extra Deum consistit, nempe in ipsismet rebus. Legi Creatæ & Increatæ competunt oppositæ denominationes, propter rationes contradictoriè oppositas, *Divina* enim Lex *Æterna* dicitur, quoniam omni principio caret; & *Creata* Lex debet vocari *Temporanea*; quoniam incœpit quæ non erat, & desinit esse quæ fuit, &c. [*Considera subjectum paradigma, Legis Physicæ, tam Æternæ quàm Temporaneæ, divisionem complectens & dilucidans; & per analogiam necessariam Legis etiam Moralis divisionem inferius tradendam insinuans.*]

LEX. ejus differentiæ sunt *à se* & *participata*. *Lex à se* illa est quam alij *Propriam*; *Divinam* Plato; Cicero *Legem Principem* nominat.

Alii aliis verbis tradunt hanc Legis divisionem asserentes distribui in *Increatam*, & *Creatam*, *Improductam* & *Productam*, *Æternam* & *Temporaneam*, &c. Vtraque, nempe Æterna & Temporalis duplex est.

Physica sive Lex primaria, quæ non in consideratione hominum, sed in ipsa rerum veritate consistit.

Innata aut *Necessaria* quæ consistit in rerum naturali exigentia & appetitu innato, & ante omnem actum elicitum reperitur in rebus, nec priùs desinet quàm ipsæ res.

Elicita, seu dominii lex, consistit in productione & conservatione rerum physicâ, non qualicũque, sed libera, procedẽte à causa physicè emancipata.

Proprietatis

Actualis competit agentibus liberis quando actualiter producunt suos effectus. Dantur actus dissonantes huic Legi qui *violenti* dicuntur, quorum malitia *Intrinseca violentia* seu *incommodum* aut *intrinsecum damnũ* vocatur.

Habitualis seu *Permanẽs* competit physico agenti libero post effectum productum, sive illum conservet positivè, sive negativè. Militant contra hanc Legem, furta, rapinæ, latrocinia, & id genus alii actus, qui dãnum & extrinseca incommoda inferunt.

Iurisdictionis physicæ, seu physicæ gubernationis. Tale competit habenti authoritatem & virtutem prædeterminandi physicè seu promovendi efficaciter & infallibiliter causas subditas ad operandum. Cùm prædeterminatio hæc dividitur in liberam & necessariam: passorum differentias concipimus, quia prædeterminatio ex se habet hoc, quod est inferre infallibiliter effectum; quòd autem hic sit liber aut necessarius, non pendet à prædeterminatione ipsa, sed ab agentibus, quæ prædeterminantur.

Non datur actus qui huic Legi physicè obversẽtur. An dantur, qui obversari possint? Sanè posita physica prædeterminatione actum omitti posse, & tamen non esse omittendum, certum est: an hoc sufficiat, ut quis dicat huic legi posse obversari, vel non? videtur esse quæstio de nomine.

Moralis, & hæc dividitur per easdem differentias per quas physica. Consule me inferiùs *num.* 231. & reperies moralis Legis categorema analogum.

56 *Vnde oriatur Dominium.* Ex Lege Dominium: nempe, ex physica physicum, & morale ex morali. Cùm autem Lex in Innatam, Elicitam productivam, & Elicitam gubernativam sit divisa; Dominium etiam, quod à Lege suboritur in Negativum seu Innatum, Positivum proprietatis, & Positivum jurisdictionis dividemus; adeóque hic primus Ethico-Theologus Liber in quinque distinguetur Capita, quorum *Primum* agat de Dominio in communi; *Secundum* de Possessione, eámque à Dominio distinguat; *Tertium* de rerum innato Dominio; *Quartum* de Dominio Proprietatis; *Quintum* de Iurisdictionis. *Libri huius primi distributio.*

CAPVT I.

Dominium definitum, divisum; membrorum ingenia breviter explicata.

57 *Quid sit Dominium?* MVLTAS apud Iurisperitos Dominii definitiones reperias; paucas, quæ dilucident naturam definiti: videntur supponere, quod quæritur, aut fortè ignotum velle per ignotiora declarare. Cùm dicunt Dominium esse *Jus quoddam in rem velut suam*, videntur nihil novi dicere, sed definitum repetere per synonyma verba. Statim enim inquirerem, quid sit rem esse suam? quid non esse? Quam ob rem studens claritati & veritati Dominium dico *Jus conservandi & destruendi*. Censeo hanc

hanc definitionem Dominii universaliſſimo conceptui competere, & de ſingulis ſpeciebus Dominii non ſecùs ac *Vivens ſenſibile* (animalis definitio eſt) de Homine & Brutis ſingulis, verificari.

& quotuplex?

Dominium igitur eſt triplex, Innatum, Proprietarium, Supremum.

58 *Quid innatũ Dominium ſit?*

Innatum Dominium eſt *Jus privatum conſervandi rem, quæ dicitur ſubeſſe tali Dominio, & deſtruendi, non quidem ipſam rem, ſed quemcumque invaſorem.* Tale homini Dominium in vitam concedimus; Petrus enim vita ſua, non aliena, vivit; jus habet illam conſervandi, non tamen illam deſtruendi; habet tamen jus ne alius homo illam deſtruat, ac propterea jus deſtruendi invaſorem quemcumque, & poteſt quemcumque hoſtem occidere, ſi aliter vitam conſervare non poſſit.

De defenſione vitæ.

59 *Quid ſit Dominium Proprietatis? De defenſione divitiarum.*

Dominium Proprietatis eſt *Ius conſervandi & deſtruendi rem, quæ dicitur ſubeſſe tali Dominio, ſimúlque deſtruendi quemcumque invaſorem, & hoc in proprium commodum.* Tale concedimus homini in divitias: conſervare illas, & ſi malit, deſtruere etiam poterit, & te interimere, ſi illum impedias: nempe, ſi furando feceris, quòd non poſſit illas conſervare aut deſtruere: tunc enim habet jus defendendi potoſtatem quam habet, & te etiam occidendi, ſi violentiam à te illatam aliter impedire non poſſit.

An homo habeat in propriam vitam poteſtatem?

Videntur Veteres Ethnici Innatum dominium à nobis aſſertum ignoraſſe, & huc vitam ipſam poſuiſſe, putabant enim hominem in ſe ipſum habere mortis & vitæ libertatem: unde multorum Philoſophorum vox, *Æquè injurium tibi eſſe hominem, qui volentem vivere occideret; ac qui volentem mori, impediret, faceréteque ut vel invitus viveres.* Sed hic Veterum error à Catholicis correctus eſt.

60 *Quid Dominium Iuriſdictionis ſit?*

Dominium juriſdictionis eſt *Ius publicum conſervandi communitatem; aut etiam quamcumque privatam perſonam, aut rem, quæ dicitur ſubeſſe tali Dominio, ſimúlque deſtruendi quemcumque invaſorem, & hoc in commodum Reipublicæ.* Tale Regi concedimus in ſingula membra Reipublicæ, tale in omnia ſubditorum bona, tale in omnium actiones: publico debet ipſe proſpicere bono, Legibúſque directivis, coactivis, & pœnis etiam capitalibus omnia damna ſibi commiſſo populo imminentia cavere.

De defenſione Reipublicæ.

61 *Dominiorum comparatio & diſtinctio.*

Hinc clara Dominiorum diſtinctio & comparatio: Differt juriſdictionis Dominium ab innato, ut à privato publicum: & utrumque à proprietatis Dominio, quod neutrum rem ſubditam deſtruere poteſt, illud poſſit. Nec Rex Rempublicam, nec Homo propriam vitam deſtruere, at Petrus deſtruere fortunas poteſt.

62 *Aliud ſyſtema eſt increatum, & aliud creatum.*

Cùm Dominium in Generale & Particulare, ſive quod idem eſt, in Increatum & Creatum, in Infinitum & Finitum dividitur, differentiæ non ſunt ſpecificæ & propriiſſimæ, ſed ſyſtematicæ & tranſcendentales; quia ſicut Increatum & Creatum non ſunt entis abſtractiſſimi ſpecies, ſed ſyſtemata; ſic etiam Increatum & Creatum Dominium non ſunt abſtractiſſimi Dominij ſpecies, ſed ſyſtematicè tranſcendentales; quamobrem oportet de Dominio increato analogicè philoſophari.

Oportet, ſicut de divinis divinitùs, ſic etiam de humanis humanitùs philoſophari: & contrà.

Proprietatis Dominium in Perfectum & in Imperfectum ſubdividitur, & hoc in Directum & Vtile. Perfectum Dominium habere dicitur in hortum, qui non ſolùm eſt dominus ſubſtantiæ, ſed fructuum. Imperfectum directum, qui verè ſubſtantiæ dominus eſt, non verò fructuum. Et Imperfectum utile, qui ſubſtantiæ dominus non eſt, ſed fructuum. Hanc diviſionem latè & doctè dilucidat Molina tract. 2. dub. 3. à num. 15. & probatur *Inſtit. de uſufruct.* ſub initium, & leg. 3. *ff. de uſufructu*, leg. *Poſſeſſores*, *Cod. de fundis Patrimonialib.* & leg. 4. *ff. de uſufruct.* Vide inferiùs.

63 *Dominii proprietatis diviſio.*

NOTO I. Innati Dominij naturam non fuiſſe exploratam & cognitam ab Ethnicis, qui ita ſe eſſe vitæ propriæ dominos cenſuerunt, ut & ſibi mortem conſciſcerent, cùm vitæ tæderet. Se interemiſſent licitè, ſi fuiſſent Domini vitæ proprietarii; ſed quia tales non erant, ſemper tales actiones olim à ſapientioribus, & nunc ab omni Chriſtiano, imò etiam Iudæo & Mahometano condemnantur: nam proprietatis Dominium ab Innato vel invitis Ethnicis neceſſariò diſtinguendum eſt. Sed de hoc jam ſuprà.

64 *Quanta ſit innati Dominii poteſtas ignoraverunt Veteres.*

Nemo eſt ſuæ vitæ dominus.

NOTO II. circa Proprietatem, Imperfectum, eſſe verum Dominium, ſive illud Directum, ſive Vtile ſit. Eſt contra Sotum, *lib. 4. de Iuſt. quæſt. 1. art. 1.* Valentiam 2. 2. *quæſt.* 57. *quæſt. 10. punct. 1.* Conradum *tract. 1. quæſt.* 12. qui exiſtimant Vtile non niſi impropriè *Dominium* appellari. Noſtræ ſententiæ ratio fundamentalis ex Dominij proprietarii definitione ſumitur, illa enim Vtili convenit; Vſufructuarius enim eſt fructuum verus & proprietarius Dominus, illos conſervare, & deſtruere ob propriam utilitatem poteſt; non minùs quàm directus dominus ipſam ſubſtantiam rei poſſeſſæ. Subſcribo Bartolo, Vtile eſſe verum Dominium, tametſi inadæquatum, aſſerenti & probanti ex leg. *Poſſeſſores*, *Cod. de fundis patrimonialib.* quod poteſt etiam confirmari leg. 4. *ff. de uſufructu.* vbi legitur, *Vſusfructus in multis caſibus pars Dominii eſt.* Ergo uſusfructus Dominium inadæquatum & partiale eſt.

65

Vſufructuarius, verus eſt, tametſi inadæquatus Dominus.

Hinc patet ſtudioſos ſocietatis eſſe verè pauperes hoc eſt carere vero Dominio; non enim hæ duæ ſunt contradictoriæ, *ſtudioſi habent verum Dominium, ſtudioſi non habent*: non enim ſunt de eodem; habent enim Dominium proprietatis, & carent Dominio utilitatis. Quod ſi Dominium inadæquatum proprietatis prout à Dominio utilitatis condiſtinguitur, non ſit verum Dominium, dicendi ſunt omninò pauperes, & nullum verum Dominium habere, & tamen conſervare bonorum proprietatem, quoniam proprietas ſine uſu, ſi credas Soto, Valentiæ & Conrado, non eſt verum Dominium.

An ſtudioſi ſocietatis ſint verè pauperes? An habeant Proprietatis Dominium?

NOTO III. Pleni ſeu Perfecti Dominii definitionem, qua poſt Bartolum *in leg. 17. ff. de adquerendis poſſeſſ.* Iuriſperiti utuntur, bonam eſſe, juridicè & civiliter; malam, ſi ad limam metaphyſicam placeat reducere, & ad omne Dominium proprietatis extendere. Ita Dicaſtillus *de Inſtit. lib. 2. tract. 1. diſp. 1. dub. 4.* hæc enim verba, *Dominium proprietatis eſt jus ſeu poteſtas perfectè diſponendi de re corporali niſi lege*

66 *An definitio quæ utuntur Iuriſtæ ſit bona?*

An spiritualia in Dominium cadere possint?

lege prohibeatur, vera sunt, si de legali proprietatis Dominio, de quo solo Iurisperiti; falsa si de naturali accipiantur. Ratio est; quia etiam datur actuum spiritualium verum & proprietarium Dominium, quod in definitione non clauditur: unde si hanc Iurisperitorum definitionem volueris omni Dominio proprietario adpropriare, dele illud *Corporali*.

De honoris Dominio.

Teneo quidem Dicastilli sententiam, sed ex fundamento diverso: nam existimo honoris proprietarium Dominium non competere hominibus, non enim illum ad bona externa, sed ad vitam moralem reduco, & existimo tam se posse hominem interimere directè, quàm directè infamare; & sentio in solis illis casibus licere vitam moralem (honorem) expendere, in quibus analogicè liceret vitam naturalem. Nota tamen, sicut vitam à valetudine & commoditate, sic etiam distingui debere honorem substantialem ab accidentali.

67 *An Leges auferant Dominium?*

Legis illa verba, *nisi lege prohibeatur*, & arguis sic. Dominium est jus conservandi & destruendi rem possessam: ergo quando lege prohibetur conservatio aut destructio, lege etiam ipsum Dominium prohibetur. Ergo superfluæ sunt illæ voces *nisi lege prohibeatur*. Non enim datur Dominium lege prohibitum, sicut nec homo sine anima, nec candidum sine candore.

An pupilli habeant rerũ Dominium?

Respondeo errare Authores qui hanc definitionem etiam Dominio pleno & perfecto adtribuunt, nam est definitio Dominii proprietatis ut sic, quod erit plenum & integrum, si lege non limitetur; & si limitetur, erit limitatum inadæquatum & partiale. Concedere pupillis Dominium integrum & plenum, ludere verbis est, lege enim prohibentur, non quidem conservare bona, sed destruere; ergo quoad bonorum conservationem sunt absolutè proprietarii, quoad destructionem & dispositionem non item; Respublica enim providens bono publico, ne tale pupillis Dominium conveniat, interdicit. Hinc lux Paulo *ad Galat.* 4. 1. ex dictis illustrato, & dicenda illustranti. *Dico autem*, inquit, *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium; sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre.* Filius igitur & dominus & similis servo est: dominus quidem propter jus possidendi; similis servo propter carentiam authoritatis destructivæ.

Respondeo secundò, pupillos habere verum plenúmque conservandi & destruendi Dominium, at impeditum hoc posterius conditionis defectu, sine qua prodire non possit in actum; quoniam novum non est dari in causa conditionem sine qua non possit in actum prodire.

CAPUT II.

Possessio definita, explicata, distincta.

68

Dominivm definivimus jus conservandi & destruendi; cúmque conservatio prior destructione sit, de ipsa antequam de destructione tractabimus.

Quid conservatio sit?

Conservatio igitur eadem quæ possessio, & à Iuristis definitur *Corporalis rei detentio, corporis & animi Iuris adminiculo concurrente.* Censeo illud *Corporalis*, expungendum, & substituendum *Realis*, ut omni possessioni conveniat; cùm enim multa spiritualia possideantur, eorumdem detentio non est corporalis vocanda. Vltima verba præcoci calamo videntur esse adjuncta; non enim injustæ possessioni conveniunt, quæ quidem vera & realis possessio est. *Possessionem* igitur secundùm suum abstractissimum conceptum definio *Realem rei detentionem sive conservationem*: & in Iustam & Injustam divido. Iustam definio *Realem rei detentionem jure concurrente negativè*, hoc est non contradicente: Injustam, *Realem rei detentionem seu conservationem jure contradicente.* Cùm autem jus possit contradicere evidenter, probabiliter & dubiè, subdividetur Injusta possessio in evidenter, probabiliter, & dubiè Injustam, de quibus suis locis singulatim.

Quomodo dividatur?

69

Possessio reperitur *primò* in Dominio innato, actu enim nostram vitam & integrantes nostri corporis partes habemus. *Secundò*, in dominio proprietatis, si quispiam, vel rem simul & usum possideat, vel rei proprietatem & non usum, vel usum non tamen proprietatem: nam tametsi nonnulli Fructuarium voluerint non habere possessionem rei alienæ quoad usum fructuum, jam ferè omnes cum Lessio *lib. 2. cap. 3. dub. 9.* & Covarrub. *in regulam Possessor. part. 2. num. 4.* existimant eum habere verum dominium in fructus, aut in rem quoad usumfructum, non tamen directum in substantiam rei. *Tertiò*, reperitur possessio in dominio jurisdictionis, quando aliquis jure aut injuria in gubernandi exercitio toleratur.

Vbinam inveniatur possessio?

Res possunt possideri per alium.

Possessio habetur etiam per alium; nimirum si Petrus nomine Pauli aliquam rem possideat, tunc illam dicetur Paulus possidere, non quidem per se, sed per alium. Sanè solet homo per alium possidere, cùm per Procuratorem, Servum, Filium. leg. *Generaliter, ff. de acq. poss.* Nam ut Regula LXVIII. docet, *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

Quinam possidere non possint?

Sunt etiam personæ, quæ nequeunt sibi, hoc est, nomine proprio possidere: tales, filius, servus, in multis casibus, in quibus dicendi sunt, non esse veri possessores, sed possessorum instrumenta, ut colligitur ex *Instit. Per quas personas nobis adquiritur. §. Item vobis,*

& §. *Item placet. Et lege Rem. & leg. Quod servus, ff. de acquirenda poſſeſſ.*

70 *De injuſta filiorum aut etiam ſervorum poſſeſſione.*

Si filii aut ſervi ſit injuſta poſſeſſio, quæritur, An ipſi proprio, an parentum & dominorum nomine poſſideant? &, An ſibi, an verò ſuis ſuperioribus adquirant dominium? Reſpondeo ſervum (idem analogicè dicito de filio reſpectu parentum) non poſſidere rem nomine domini, ſi dominus invitus ſit, nemo enim poſſidet ſine furti reatu bona domini inviti. Addo rei injuſtè poſſeſſæ à ſervo, poſſeſſionem quidem haberi à ſervo, injuſtè tamen; Dominium verò ad dominũ ſervi pertinere non poſſe, nec ſpectare ad ſervum, ſed manere penes priorem poſſeſſorẽ, qui, tametſi iniquitatis vi impediatur à poſſeſſione facti, à poſſeſſione juris tali via impediri non poteſt. Hinc eſt, quòd ex hypotheſi, quòd poſſeſſor malæ fidei præſcribat, (quod in multorũ ſententia ſtatuitur à Jure Cæſareo) vi hujus poſſeſſionis non poſſit dominus ſervi præſcribere; quoniam quæ ſervus nomine domini non poſſidet, non eſt dicendus dominus poſſidere per ſervum: & juxta Regulam III. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.* Sed quid ſi Dominus ratam ſervi poſſeſſionem haberet? Nec ſic ipſe præſcriberet, nam ut à Regula IX. docemur, *Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine factum non eſt.* Cæterùm à ratificatione inciperet poſſeſſio, quæ poſſet præſcriptioni ſervire.

An præſcribere poſſint?

Poſſeſſio duplex: juris & facti.

Hinc patet poſſeſſionem iterum eſſe duplicem, juris & facti: ille jure poſſidet qui habet jus poſſidendi; ille autem de facto, qui rem habet tametſi careat jure: ille autem de facto & jure poſſidet, qui revera rem habet & non caret titulo poſſidendi.

71 *An poſſeſſionis veritas à procuratoris intentione dependeat?*

Inquiris, An quando Petrus nomine Pauli rem poſſidet, requiratur ut ipſe Petrus habeat animum illam habendi & conſervandi Paulo, & non ſibi.

Reſpondet cum aliquibus junioribus affirmativè Dicaſtillus *de Juſt. & Jur. lib. 2. tract. 2. diſp. 1. dub. 7. num. 72.* & probat ex leg. 1. §. *Hac.* & §. *Per procuratorem.* Sed videtur ſupponere Eccleſiam de occultis judicare, quod mihi valde probabile non eſt.

An judicet de occultis Eccleſia?

Dico igitur, illum poſſidere alterius nomine, qui titulo vicarii, quique extrinſecè non diſponit de illa re tamquam ſua, quidquid ſit de animo merè interno. Puto enim in Vicario non requiri intentionem: nec ſcio eſſe Authorem, qui in Matrimonio, ad cujus valorem conſenſus omninò neceſſarius eſt, petierit internum procuratoris conſenſum, quando inter abſentes contrahitur.

72 *Poſſeſſio - ne ignoranti adquiratur?*

Inquiris ſecundò, An poſſeſſio adquiri poſſit ignoranti. Videretur quòd ſic ex leg. 1. *Cod. de acquirend. poſſeſſ.* & leg. 3. §. *Saltus ff. de eodem titu'.* ſed non ſtatim reſolvenda res eſt, aliqua enim debent adhuc præmitti.

Dico enim nihil adquiri poſſe invito; unde ſi Petrus, cui poſſeſſio adquiritur, ita ignorans rei ſit, ut & invitus cenſeatur, ipſi nihil adquiritur; ſi verò acceptare illam poſſeſſionem præſumatur, ipſa illi adquiritur, ſi accedat ratihabitio, juxta Regulas Juris IX. & X. quas ſuperiùs expoſui.

NOTA.

73 *Iterum Dominiorum diſtinctio ponitur & explicatur.*

Ex dictis clariùs eluceſcet Dominii Innati, Proprietatis, & Supremi diſtinctio. Jure enim Innato poſſidemus vitam, & omnia bona interna ad exiſtentiam requiſita: Proprietario res irrationales productas: filios Supremo. Primum jus fundatur in exiſtentia, videlicet quando unius formalitatis exiſtentia appetitu innato exigit aliam; ſecundum verò & tertium in productione: nimirùm, proprietatis dominium in productione, qua materia extrinſeca novam aliquam formam productam ab agente recipit: juriſdictionis verò in productione, qua non producitur forma, ſed tantum unitur materiæ.

CAPUT III.

Innatum Dominium naturale ab innata Lege naturali proveniens.

74 *Quid ſit appetitus innatus?*

INNATA Lex eadem ac innatus appetitus; hic qui ante omnem conſiderationem aut cognitionem eſt talis ingenii, ut aliam entitatem poſtulet, qua carere non poſſit, ni violentiam patiatur. Lege innatâ Materia prima formam poſtulat, aut quia ſine forma exiſtere nec divinitùs poteſt, aut ſaltem quia non poteſt humanitùs. Lege innata proſcribitur à forma privatio, quas nec divinitùs coëxiſtere poſſe communiſſima docet ſententia. *Omne ens naturaliter eſſe deſiderat*, dicunt Philoſophi: quod quidem axioma fortè verum eſt, ſi de ſubſtantiis & innato deſiderio exponatur: non enim eſſet verum dicere ignem, qui inſenſibilis eſt, deſiderio elicito appetere conſervationem. Conſultò hoc axioma verificari de ſubſtantiis aſſerui, ſunt enim nobiliſſima Ingenia, quæ iam cœperunt dubitare, An accidentia innato appetitu ſuum *non eſſe* apperant? Imò & ſunt, quæ dubitant à non creatæ ſubſtantiæ appetitu innato in nihilum tendant vnde fuerunt extracta, & conſerventur ſolummodo potentiâ & benignitate conditoris. Sed de hoc alibi.

An materia poſſit exiſtere ſine forma?

An accidentia appetant eſſe?

Stando autem communi iſtius axiomatis expoſitioni, contra Legem innatam operari diceretur ille, qui vel chryſtallum frangeret, vel ignem extingueret, vel animantem interimeret; quoniam omnia appetunt ſuam conſervationem, 75

conſervationem, nec corrumpi ſine violentia poſſunt. Etiam violentiam agenti inferret & Legem innatam temeraret, qui naturales operationes impediret: puta vel faciendo, ne homo diſcurreret, ne ignis incenderet, ne gravia caderent, ne levia adſcenderent, & his ſimilia.

76 *An Deus ſuarum perfectionum ſit Dominus?*

OCCVRRIT DIFFICVLTAS, An ſolùm in creaturis, an etiam in Deo hæc intrinſeca & innata Lex reperiatur? An Deus ſuorum actuum immanentium, ſuæ vitæ & ſuarum perfectionum ſit Dominus.

Reſpondeo, formalitates omnes Divinas eſſe infinitas, & ſi relativæ ipſæ ſint, habere infinitam diſtinctionem; identitatem infinitam, ſi abſolutæ. Idcirco Natura illa Divina, eſſentiæ, proprietatibus, & adtributis infinitè connectitur, nec ſeparari ab ipſis poſſet ſine violentia infinita. Innato igitur & infinito appetitu Deus vult eſſe; hunc appetitum æternam innatam Legem dicimus; ſiquis enim per impoſſibile, vel Deum occideret, vel privaret aliquo adtributo aut proprietate, reus eſſet violatæ innatæ æternæ Legis, & hoc effectivè: ſi quis Deo mala deſideraret, affectivè violaret hanc Legem. Deum interimere, aut aliqua perfectione intrinſeca exſpoliare, impoſſibile eſt: odiſſe, miſerum; verùm poſſibile. Et quia in odio Dei reperitur Divinæ mortis ſublatens deſiderium, odium Dei opponitur neceſſariò Legi divinæ innatæ; quapropter licet Decalogus latus non eſſet, Dei odium eſſet naturaliter malum.

An effectivè Deus: an affectivè occidi poſſit?

77 *An ille innatus appetitus, qui in Deo, poſſit vocari Lex?*

Multi ſunt, qui cauſantur *Dominii* & *Legis* nomine, & licèt ea quæ diximus, vera eſſe fateantur, non tamen appetitum illum innatum infinitum, quem in Deo concedunt, vocari volunt *Legem*. Cæterùm evaneſcet ſcrupulus, ſi audiamus Divum Thomam 1. part. quæſt. 21. art. 1. ad 2. *Impoſſibile eſt*, air, *Deum velle niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet, quæ quidem eſt ſicut Lex juſtitiæ, ſecundum quam eius voluntas recta & juſta eſt.* Quæ verba *primò* expono ſic. Impoſſibile eſt Deum velle niſi quod ſua ſapientia præcognoverat, quia ſapientia eſt voluntati Lex, determinans quæ amari poſſint; nihil enim volitum, quin præcognitum. *Secundò*, Ratio ſeu formalitas ſapientiæ Deo natura eſt, hæc habet proprietates relativas, & adtributa abſoluta, nec Deus poteſt velle habere niſi relationes intrinſecas quas habet, nec affici adtributis intrinſecis quæ non habet, aut exui illis quæ habet; quoniam natura ſua Divina (hæc eſt ſapientiæ ratio) eſt ipſi, non quidem libera, ſed innata & neceſſaria Lex, contra quam non poteſt operari effectivè, imò nec affectivè. Cùm Deus ſuarum perfectionum dominus dicitur, agitur de Dominio innato, quod ad poſſeſſionem extenditur, & jus deſtructionis non habet. Infinitas perfectiones Deus poſſidet, nulli ſubditus, nulli ſubditas; ſed quia Dominium innatum eſt, illæ ſine dependentia poſſidentur, & hic poſſidet ſine ſuperioritate. Voluntatem divinam, quæ eſt ipſe Deus, hoc loco *ſicut legem* eſſe, docuit S. Thomas, ad 1. part. quæſt. 21. art. 1. ad 2. *eſſe legem*: ſic ait. *Quod ſecundùm ſuam voluntatem facit* (Deus) *juſtè facit: ſicut & nos, quod ſecundùm legem facimus, juſtè facimus: ſed nos quidem ſecundùm legem alicujus ſuperioris, Deus autem ſibipſi eſt Lex.*

An Deus ſibi ſit Lex?

Supereſt examinare, An hæc innata Lex, quæ in ſingulis entibus reperitur, ab ipſomet ente diſtinguatur? Vtrùm ille appetitus, quo eſſentia divina appetit eſſe, poſſit abſtrahi ab ipſamet eſſentia? An appetitus ille innatus quo materia appetit formam, & totum ſuas partes, ab ipſis ſubjectis diſtinguatur?

78 *De eſſentia & appetitûs innati diſtinctione.*

In Metaphyſicis oſtendo omnes formalitates dicere ſua prædicata eſſentialia, præter quæ nihil eſt à quo abſtrahi re aut ratione non poſſint. Leo eſt animal rugibile, appetit ſuum eſſe, hic autem appetitus non eſt de conceptu quidditativo ipſius, quoniam ab illo abſtractus poteſt adhuc Leo quidditativè definiri.

Appetitus innatus Divinus, neceſſarius eſt, nec deficere poteſt. Entia creata appetitu innato ſe deſiderant; mutuo contactu & connexione gaudent: hic autem appetitus divinitùs conceſſus eſt, ſed humanitùs tolli non poteſt. Omne ens creatum innato appetitu deſiderat ſuam perfectionem, quia ipſi Deus indidit hoc reale deſiderium, quo ſublato, non jam appeteret ſuum *eſſe*. Materia prima habet potentiam recipiendi formam, diſtinctam tamen; appetitu innato illam ambit, ſed diſtincto. Non reperio rationem evidentem, quæ perſuadeat non poſſe Deum creare ſubſtantiam, cujus materia nec appeteret nec reſpueret formam; nec oſtendet quiſpiam claram repugnantiam: ſed de hoc uberiùs, cùm metaphyſicè hanc controverſiam tracto.

In ſchola Reali materia prima diſtinguitur realiter à potentia receptiva & innato appetitu: in Formali formaliter.

Hinc conſtat Deo eſſe potentiam habendi adtributa, & appetitu innato illa amare: intelligíque poſſe abſtractum à potentia & appetitu hujuſmodi; quia nec appetitus nec potentia ſine adtributis quæ connotant, poſſunt intelligi, & Deus benè concipitur nondum conceptis adtributis.

79 *Reſolutio de Deo.*

De objecto Legis æternæ innatæ.

REperio appetitum innatum in ipſo Deo, qui neceſſariò infert alias formalitates. Vt alia omittam, potentiæ Divinæ intellectivæ infinitas eam prædeterminat per modum naturæ ad operandum; quia ex eo quòd Deus intellectivus ſit, non ſequitur neceſſariò eum eſſe intelligentem; ſequitur tamen ex eo quòd infinitè ſit intellectivus: quia potentia, infinita in genere potentiæ non eſt, quæ impedimentum habet, ergo potentia intellectiva infinita ab ipſa infinitate conſtituitur talis, ut non intelligere non poſſit.

An, & quando ex potentia ad actum valeat argumentandi forma?

Confirmatur, quia Deus neceſſariò cognoſcit, omnia cognoſcibilia: ergo ejus intellectus neceſſariò debet reduci ad actum. Atqui hæc neceſſitas non convenit intellectui divino in quantum intellectus eſt; ergo competit ipſi in quantum infinitus eſt. Sit igitur.

CONCLVSIO I.

Intellectus infinitus Lege innata petit æternam perpetuámque intellectionem quæ deficere nequit.

80 *An omnia Deus necessariò cognoscat? An aliqua liberè?*

OBIICIS. Etiam Deus cognoscit multa liberè; quia in hoc scientia visionis ab intelligentia simplici distinguitur, quòd hæc necessaria, & illa libera sit: ergo falsum est dicere Deum necessariò cognoscere omnia cognoscibilia.

An, & quomodo scientia visionis sit libera?

Respondeo, scientiam visionis dici liberam objectivè & extrinsecè, non verò intrinsecè & in se; ratio est, quia est de objecto libero. Verè hujus scientiæ objectum non potuit absolutè non esse, nec potuit aliud esse, sed potuit aliter esse: sed ex hypothesi quod taliter aut taliter sit, debet à Deo intuitivè cognosci.

Quæ & qualis in Deo sit simplex intelligentia?

Hæc subtilia sunt, sed valde necessaria: & ut intelligas, me duce scientiam divinam contempleris. Primò, Deus intelligentiâ suâ simplici cognoscens omnia possibilia, inter alia etiam cognoscit existentias & futuritiones possibiles. Pro illo instanti nihil intelligitur futurum, nulla tamen creatura possibilis cognoscitur, quæ futura esse nequeat, ac propterea pro illo instanti non intelliguntur futuræ creaturæ, sed futuribiles. Decretum Dei liberum sequitur illam simplicem possibilium notitiam, & decernit talibus rebus possibilibus futuritionem; & talibus nonfuturitionem, & efficit creaturas futuras & nonfuturas. Decreti objectum est latissimum & includit omnes creaturas possibiles, quæ à Deo simpliciter cognoscebantur. Non dicitur hoc decretum liberum, quòd potuerit non esse, quia voluntas illa libera debebat illi objecto (nempe creaturis possibilibus) aut decernere futuritionem, aut nonfuturitionem, aut partim decernere, partim negare, [aut fortè purè omittere, si pura omissio admittatur in Deo] vel designato alium modum possibilem. Atqui semper esset decretum liberum, quòd liberè omnes creaturas adtingeret: ergo illud decretum liberum est absolutè necessarium. Probatur minor; quia decernere omnibus rebus existentiam aut futuritionem, & decernere nonfuturitionem, sive quod idem est, negare futuritionem, & concedere futuritionem istis rebus & negare reliquis, non potest intelligi sine actu voluntatis. Si Deus purâ omissione actum concedentem rebus existentias omitteret, libertatem contradictionis exerceret; & qui illam omissionem admitteres, tenereris consequenter asserere virtuale exercitium divinæ voluntatis. Dicendum igitur est voluntatem Dei necessitari quoad exercitium & objectum, quia nihil est possibile quod ipsa non debeat tangere; unde loquendo de libertate objectiva, nihil est præter res possibiles, quod possit à voluntate attingi, nulla est res possibilis quæ attingi non debeat; nempe à voluntate approbante, aut reprobante. Et demonstratur clarè. Si aliqua creatura possibilis à voluntate divina non attingi asseratur, vel illa erit existens in aliqua differentia temporis, nempe præterita, præsenti aut futura, vel merè possibilis, hoc est, non exstitura in aliqua temporis differentia. Si dicatur esse existens, vel habebit existentiam ex se, vel ex Deo: non ex se, quia aliàs creatura illa possibilis, esset alius Deus; ergo habebit existentiam ex Deo: attingetur igitur à Divina voluntate, ipsi hanc existentiam subrogante. Quod si merè possibilis ea sit, & existentiam in nulla temporis differentia habitura, petam, An ipsum *non-existere* habeat ex se, an ex Deo. Si ex se est non-existens, ipsi repugnat existentia, & essentialiter competit non-existentia, ac propterea non est creatura possibilis, sed impossibilis. Si ex Deo est, quòd ipsa in nulla differentia temporis existat, aut potiùs in omni non-existat, attingitur à voluntate Dei aut ei decernente non-existentiam, aut negante existentiam, aut liberè omittente decretum concedendi existentiam. Ergo voluntas libera Dei necessariò attingit omnes possibiles creaturas. Cæterùm libertatis exercitium consistit in hoc quòd Deus potuerit vel omnes fortè creaturas possibiles producere, vel omnibus existentiam negare: & tandem in hoc quòd quibus voluit, & quia voluit, decreverit futuritionem qualem voluit; quam, quibus voluit, denegauit. Decreto hoc creaturæ possibiles mutantur, saltem abstractivè, & singulæ earum transeunt aut in merè possibiles, aut in futuras; [vel si rigorosè loqui placeat, non enim benè *futuræ* dicuntur, quibus existentia, in aliqua temporis differentia decernitur, *transeunt in purè santes & in suntes.*] Hanc autem creaturarum mutationem, quæ est Deo libera, necessariò à Deo cognoscitur scientiâ, quæ vocatur *Visionis* decreti divini pediseqüâ.

In quo consistat divina voluntatis libertas?

Vide audacem Grammaticam.

Voluntas libera.

Creaturæ santes & suntes.

An & qualiter voluntas libera Dei potuerit non esse?

81 *An intellectus Divinus semper operetur: & cur?*

OBIICIS SECVNDO. Intellectus humanus etiam necessarius est, & quæ cognoscit, necessariò cognoscit: non tamen ideò semper operatur. Ergo ex eo, quòd intellectus divinus necessarius sit, non sequitur debere semper esse in actu secundo; sicut nec ex eo quod semper sit in actu secundo, sequetur eum esse necessarium; quia etiam decretum Dei, ut habet communis opinio, semper est in actu secundo, & nihilominus necessarium non est.

An humanus possit non operari?

Respondeo, intellectum Divinum esse necessarium, hoc est, non-liberum; quam necessitatem etiam concedo humano. Addo intellectum Divinum esse necessarium quoad exercitium; quam necessitatem humano non adscribo, potest homo cessare à cognitione objecti existentis, Deus non potest. In argumento autem ago de secunda necessitate, unde ex perenni exercitio, quod deesse non potest, benè inferetur exercitii necessitas, sicut & è contrario: res enim contingentes nec ab æterno fuerunt, nec potuerunt; & cùm sunt, contingenter sunt, quia non esse possunt. [Dixi, *posse hominem ab objecti cujuscumque cognitione cessare*: & inquiris, An possit ab omni cognitione? Respondeo communem esse asserentem sententiam: at eamdem nec posse persuaderi evidenter, nec etiam evidenter refutari.]

Nulla est creatura possibilis quæ à decreto libero non attingatur.

CONCLV

CONCLVSIO II.

Gradus intellectivi in Deo innato desiderio infinito appetit, ut natura Divina habeat gradum volitivi.

82 *An ex potentia intellectiva volitiva inferatur?*

HAnc conclusionem admittere tenentur omnes Thomistæ cum D. Thoma asserentes esse consequentiam necessariam; *Deus est cognoscitivus, ergo est volitivus.* Ipsam tractatu de Scientia Dei expendo.

CONCLVSIO III.

Essentia & natura Divina, voluntas & quælibet Divina adtributa innati appetitus lege postulant existentiam & subsistentiam.

83 *De divinis essentia & attributis.*

NOlo controvertere, an distinguantur in Deo natura & essentia; nolo inquirere an dentur adtributa distincta à scientia & voluntate; sed assero omnes formalitates absolutas, quæcumque illæ sint, necessariò petere & inferre formalitatem essendi & subsistendi, quia aliàs nec à se, nec substantiales essent.

CONCLVSIO IV.

Correlationes Divinæ necessariò & ex se (hoc ex vi Legis innatæ) postulant esse inter extrema realiter & infinitè distincta.

HInc emanavit illud axioma Theologorum. *In Divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Hæc conclusio satisfacit quæstioni celeberrimæ, quæ examinat, *Virùm, si Spiritus-Sanctus non procederet à Verbo, distingueretur ab illo?*

84 *Quæ & quare distinguantur in Deo?*

Quæstio succurrens.

Sufficiat igitur hæc de Lege Divina-innata prælibasse; quæ non solùm ad contemplationem, sed etiam ad praxim conducere ex inferiùs disputandis constabit.

CAPVT IV.

Proprietatis naturale Dominium definitum, expositum, divisum, controversum.

85 *Quid sit & quid requirat Dominiu proprietatis?*

OMnis proprietarius Dominus causa est efficiens, non tamen omni causæ effectrici competit jus Dominii directi & proprietarii: nam ad hujusmodi Dominium requiritur PRIMO, in agente libertas; unde bruta & omnes causæ necessariæ à jure habendi Dominium physicæ proprietatis excludo. At huiusmodi Dominium infantibus, pueris, phreneticis non nego, quibus nec usum physicæ libertatis. Ipsi enim tametsi moralia & supernaturalia non cognoscant, circa objecta purè naturalia agentia necessaria non sunt; ut in Philosophicis ostendo. SECVNDO requiritur in operatione efficacia; unde causæ inefficaces, quia effectu carent, etiam carent re subdita, cui dominentur. Quod ita verum est, ut Bonifacius VIII. illud transtulerit ad mores, & Regula LII. expresserit: idem enim est dicere physicè, *Causa naturalis, quæ caret effectu reali, etiam caret authoritate conservandi & destruendi*, ac dicere moraliter, *Causa moralis, quæ caret effectu morali, etiam caret authoritate firmandi & dirimendi*, vel ut Pontifex loquitur, *Non præstat impedimentum (imò nec firmamentum) quod jure non sortitur effectum.* TERTIO requiritur in termino, quod vel totus vel saltem forma producatur. Vnde authoritatem patriam à Dominio proprietatis distinguo; quòd parentes animam (forma est filii) non producant, sed solùm materiam disponant, & partes substantiales divinitùs productas uniant. His positis naturalem proprietarium Dominum definio, *Personam physicè liberam, quæ producit entitatem realem & physicam, in quam dicitur habere dominium.* Igitur habere proprietatis Dominium, est liberè dare existentiam rei subditæ. Subesse proprietario domino est ab illo existentiam recipere. Naturaliter existentiam communicat, qui influxu physico; moraliter verò, qui morali.

Agens non liberum non est suarum operationum dominus.

Sicut nec agens inefficax.

An Parentes sint filiorum domini?

Dominus physicus & realis quis?

86 *Dominium duplex: actuale & habituale.*

Exponitur quid alterutrum sit, realiter & moraliter?

Proprietatis Dominium dividitur in Actuale & Habituale. Illud est quidem perfectissimum, & convenit agenti libero, quando actu rem producit; tunc enim rei productæ existentia, actu est sub agentis Dominio. Habituale Dominium est proprietatis relatio, quæ ipsammet generationem sequitur, & constituit causam agentem dominam, cui facit rem factam ancillari. Dominium igitur physicum directum actuale, est ipsa rei productio libera & realis, quâ ita communicatur existentia termino, ut possit non communicari: tale Dominium convenit agenti actualiter rem producenti, cui posset non communicare existentiam. Dominium morale directum actuale, est moralis productio libera, quâ ita communicatur aliqua prærogativa ut potuerit non communicari: tale Dominium convenit invenienti; quia, qui liberè invenit, potest non invenire. Inventio autem producit moraliter in illo, quod inventum dicitur, non quidem naturale *esse*, quoniam id præsupponitur; sed *esse* politicum & morale: quia ante inventionem, tametsi in rebus naturalibus erat, in politicis & servientibus Reipublicæ non erat: unde ita res se habebat, ac si non esset.

An invenire sit producere?

87 Dominium physicum directum habituale,

Habituale Dominium, quid ſit?

eſt reſpectus realis, qui ſequitur ipſam productionem, quo poſito reſultat in termino character exprimens eum eſſe productoris. Omnia illuſtrabuntur, ſi exemplum aliquod in medium proferamus.

Veritas hæc exemplis illuſtratur.

Pingit Appelles Magni Alexandri imaginem; liberè quidem, ideóque eſt ſuæ operationis dominus proprietarius actualis: quando pingit, poteſt non pingere, & ſi de facto non pingeret, picturæ non daret exiſtentiam, ratione cujus ille dominaretur, illa dominanti ſubſiſteret. Poſtquam eam pinxit, reſultant duæ relationes reales & phyſicæ; nempe, cauſæ & effectus; altera in agente, altera in termino producto: prima eſt character dominii habitualis, ſervitutis habitualis ſecunda. Confirmatur etiam exemplo deſumpto à juriſdictionis dominio, in quo patet clariùs actualis & habitualis differentia. Genuit phyſicè Philippus Alexandrum. Generationem ſequutus eſt realis reſpectus, qui vocatur *Paternitas*, & reddit Philippum patrem. Hic realis reſpectus eſt dominium juriſdictionis habitualis, quoniam eſt poſitiva entitas permanens, quæ non conſiſtit in actione, ſed eam ſubſequitur, & remanet habitualiter. Huic reali Paternitatis reſpectui correſpondet reſpectus alius in genito, qui vocatur *Filiatio*, qui eſt quidam habitualis character genitum genitori ſubjiciens.

Cauſæ & effectus correlationes.

Paternitas & Filiatio.

88 *De Dominio uſuario & utili.*

Dominium etiam in Vſuarium & Vtile dividitur. Vſuarium actualiter eſt in agente, cùm rem producit; habitualiter, poſtquam produxit. Et in hoc ab Vtili diſtinguitur, quod illud ſubſtantiam rei, & Vtile ſolos reſpiciat fructus: qui enim habet dominium Vtile, habet jus utendi re, ſalvâ ejus ſubſtantiâ; qui verò Vſuarium, poteſt etiam rem poſſeſſam deſtruere.

89 *An ſint neceſſariò connexa?*

Poſtulas, *An Vſuarium ab Vtili dominio naturaliter poſſint ſeparari?* Hoc eſt, *An dari poſſit perſona habens dominium naturale Vſuarium, quæ Vtili naturaliter careat: aut contra?* Reſpondeo negativè; utrumque enim, ſi actuale ſit, in operatione reperitur; ſi habituale, ex operatione neceſſariò reſultat. Addo poſſe ſeparari moraliter, & hanc veritatem exemplo clariſſimo illuſtro. Equum emis, redderis ejus dominus proprietarius; non quidem phyſicus & naturalis, quia illum non produxiſti phyſicè; ſed redderis dominus moralis & virtualis, quia emptio eſt productio virtualis, ex cujus vi ita te habebis in poſterum ac ſi equum realiter & verè produxiſſes. Equi habebis & Vſuarium & Vtile dominium, quia & poteris conſervare & interimere. Si Lege publica caveatur, ne quis equum occidat, moraliter privaberis jure dominii Vſuarii, hoc eſt, poteſtate occidendi illum equum; retento jure Poſſeſſionis directæ, quæ dat ut illum tibi poſſis conſervare, & jure dominii Vtilis, quod uſum equi concedit.

Emptio eſt productio virtualis.

Dices per legem non tolli Dominium utile, ſed impediri tanquam per conditionem ſine qua non. Non contradico: id enim poteſt plauſibiliter dici, ſed ut ſententiam meam dilucidem, aliud exemplum pono. Si equum loces, hoc dominium Vtile moraliter ad locatorem tranſit, & moraliter in te eſſe deſinit, ſtante enim locatione non habes jus utendi equo, uſus enim cedit conductori. Sed has moralitates Libro ſequenti reſumemus, & uberiùs tractabimus.

Capaces Dominii activi, qui?

OMitto illorum cœcitatem, qui rerum irrationalium dominio ſubfuerunt; humano genio indignos aſſero, qui voluntarii depreſſerunt gloriam rationalis naturæ: miſeros, qui coacti. Adverſus Stoicos Plutarchus populorum meminit confinium Æthiopibus, quorum canis eſt Rex. Cani regium cultum, honores, reverentiam, imò & ſacra deferunt: Viri ſub cane militant, cui lingua politica Senatus. Quis non exſecretur tam abominabilem amentiam? non paterentur canes dici; & cani ſubſiſtunt voluntarii! Proſcribo eos à gentibus; Satyris Sylvanis & Faunis adſcriberem, ni timerem injurius eſſe eorum poëticæ divinitati; Satyri enim, ſi eſſent, ſeſe majoris facerent. Ad Norvegios tranſeo, quibus victis & cæſis à Gunnaro Suecorum Regulo, Canis in Regem datur, qui ſuccederet decrepito & infelici Reginaldo. Legi in Saxone *lib.* 7. Cantzio 10. *lib.* 1. *Norvegi cap.* 25. Io. Magno *lib.* 23. Victis etiam Danis Attilus Sueonum Rex Canem in Regem dedit, aſſerente Raëchone.

90 *An poſſint bruta homini dominari, & imperare?*

Canis Rex apud Æthiopes,

Norvegios,

& Danos.

Concluſio igitur ſit. *Irrationalis creatura volentibus & permittentibus præfecta, dementiam ſubditorum arguit: vel invitis præpoſita tyrannidem inhumanitatémque Victoris.* Ratio eſt, quoniam dominium tam naturale quàm morale non niſi Perſonæ convenit; & huic non quà intellectivæ, ſed quà operanti liberè: unde & dominii eſſet incapax intellectiva, ſi eſſet incapax liberæ operationis. Hinc eſt, quod ſuperiùs cùm de delegatione egi Regulas Iuris LXVIII. & LXXII. de perſona capaci expoſuerit: nulla enim eſt authoritas, quæ confertur ſubſtantiæ aut perſonæ incapaci.

91 *Qui nequit operari, nec dominari poteſt.*

Libertas entitativè ſpiritualis eſt, à Philoſophis autem dividitur in Θεωρητικὴν Κλεοσκοπικὴν, Θεοσκοπικὴν, & hoc ratione objecti. Libertas Geoſcopica illa dicitur, quæ terram reſpicit, & circa corporea verſatur. Hanc infantibus negare non poſſumus, qui terrena cognoſcunt, & cognita libero amore proſequuntur. Hanc habent amentes, hanc habent inſenſati. [Hanc etiam concedunt brutis multi Authores, nos ipſam illis D. Bernardo ſubſcribentes negamus.] Cleoſcopica honeſtatem & morum elegantiam reſpicit: Theoſcopica Deum & ordinem ſupernaturalem. Poteſt prior carere poſteriori, hæc priori indiget ut diſpoſitione neceſſaria. Sed hæc hîc adnotata ſunto, in Philoſophicis uberiùs expenſa. Sentio igitur ad dominium phyſicum ſufficere uſum rationis Geoſcopicæ, ac ſubinde poſſe habere verum dominium phyſicum, qui caruerit vel Cleoſcopica vel Theologali. Ita S. Thomas *quæſt.* 66. *art.* 1. Cajetanus *ibid.* Victoria *relect. de Indis num.* 21. & 22. Leſſius *dub.* 2. & alij.

Libertas triplex.

An infantes ſint liberi?

An etiam bruta?

Libertas circa res morales: & ſuper naturales.

Phyſicum

Physicum Dominium, quid?

92 *Resolutio.*

Est jus moraliter exlex in existentiam rei, quæ dicitur possessa physicè: nempe, illud quod conveniret productori, licèt Ens morale non esset.

93 *Oportet, sicut de Physicis physicè, ita etiam de Moralibus moraliter philosophari.*

De physico rerum Dominio controversiæ subtilissimæ sunt, & fundant morales omnes Resolutiones: idcirco non veniunt confundendæ cum illis, quæ mores respiciunt, atque supponunt latas Leges. Moralia & Physica ex eisdem principiis resolvi debent, non tamen eodem prorsus modo, sed analogo, concordi, & parallelo. Tunc exactè discurrimus, cùm formamus conceptus consentaneos; tanc inquam, cùm sicut de Physicis physicè, sic de Moralibus moraliter philosophamur. Dominii ergo physici notitia, est basis & fundamentum omnium Conclusionum moralium. Oportet igitur acturos de Morali dominio discutere radicitùs Physici essentiam, passiones, proprietates.

DISPVTATIO I.

Utrùm Dominium physicum in Deum Creaturis competere possit?

94 *Res, de quibus potest controversia moveri.*

PEr classes distribuantur illa, de quibus potest institui disputatio. Contemplabundus universum speculor; & reperio Deum universorum causam; Angelos; Cœlos, Sydera, Meteora; Ignem, Aërem, Aquam, Terram; Aves, Pisces, Animantes; & Planetas.

Omnia creata cadunt sub Creatoris dominium: sed Creator ipse poteritne subsistere alicujus Angeli vel Hominis authoritati?

Dominium physicum perfectio est, ergo & Deo competit, sed imperfectionibus abstractis. Occurrit primum Dubium. An physicum dominium Deo conveniat ut termino. Hoc est, An detur aliqua persona, quæ sit Dei naturalis Domina.

Resolutio. Dico igitur, *non posse dari personam creatam aut creabilem, quæ sit physicè Domina Dei.*

OBIECTIO I.

95 *An beatus producat Deum?*

SEd occurris statim. Primò, quoniam creatura potest producere Deum; ergo & habere in Deum dominium physicum. Assumptum probas; quia Beatus perfusus gloriæ lumine producit cognitionem Dei (sive sit ista species expressa, ut multi existimant, sive sit, ut placet aliis, actio grammaticalis) atqui cognitio Dei est Deus: ergo Beatus, qui intuetur Deum, producit Deum: ergo & adquirit in Dei essentiam dominium naturale. Hæc ratio fortior est adhuc in mea sententia, quæ adsonat Platonicæ, Peripateticæ, & Thomisticæ, ex cujus principiis nequit asseri intellectio sine intellectus & intellecti identitate.

Idemtificatio duplex est, RESPONDEÒ tamen, identitatem esse duplicem, Physicam & Intentionalem: per illam duo extrema identificantur in *esse* entitativo & physico; per hanc in *esse* intentionali. Cúmque Deum intelligens & ipse Deus intellectus non identificentur secundùm *esse* physicum, sed secundùm *esse* intentionale: hinc est quod non possit dici Deum intelligens esse Dei intellecti dominus physicus & realis. *realis & intentionalis.*

Hinc ad argumentum in forma. Nego primum antecedens. Ad probationem admissâ majori, minorem distinguere opus est: Dei cognitio est Deus, intentionaliter, concedo; physicè, nego. Et subinde, nego duas illatas consequentias. 96 *An Dei cognitio sit Deus?*

Certè identitas physica inter duas entitates, quarum altera est finita altera infinita, impossibilis est; quoniam talis identificatio sine mutatione fieri nequit, & Deus supponitur infinitus, æternus, immutabilis. Sed disputationis gratiâ, esto visio beatifica, quam elicit D. Franciscus, identificata Deo, non solùm intentionaliter, sed etiam physicè, non tamen inde sequetur Deum produci, quando visio producitur. *Resolutio ex hypothesi.*

Occurris armatus Expositorio ratiocinio, *B. Franciscus*, ais, *producit Dei visionem; hæc est Deus: ergo producit Deum.* Patet consequentia, quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. 97 *Syllogismus Expositorius.*

Respondeo condonando majorem, quam condemnare possem asserens in visione beatifica, nihil produci, imò ipsam visionem esse actionem quidem, non prædicamentalem, sed purè intentionalem. Condono etiam minorem, quam negant omnes illi, qui intentionalem identitatem non cognoscunt. Et nihilominus nego consequentiam, & axioma subjunctum videlicet, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, nego in omni sensu doctrinali; tantùm enim illa identificantur necessariò inter se, quæ ab uno tertio nec re nec ratione distinguuntur; & hoc solùm contingit in synonymis, ut si dicas; *Marcus est Tullius; Tullius est Cicero: ergo Marcus est Cicero.* Hujusmodi enim syllogismi ludi verborum sunt, & non consequentiæ doctrinales. [Vide, quæ in meis Metaphysicis contra hoc axioma fulmino.] Sanè ille syllogismus Expositorius est similis huic, *Pater æternus Filio suo communicat Divinitatem: Divinitas est Paternitas; ergo communicat Paternitatem.* In quo concessis præmissis negatur consequentia, quia dialectica forma non valet. *Rejicitur illud axioma, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

OBIECTIO II.

SCiens Deum non esse accidens creaturæ, nec ejusdem causam materialem asseris hanc non habere dominium materiale, neque formale in Deum; ac proinde non dari creaturam, quæ sit intrinseca domina Dei. Dubitas tamen, An creatura sit capax extrinseci dominii in Deum. Ratio dubitandi est, quia hæc asseritur produxisse, conservavisse, imò occidisse Deum. 98 *De Dominio extrinseco in Deum.*

Produxisse quidem; quia, si hoc esset impossibile, Maria Virgo non esset Dei genitrix, nec *Deipara* à Romana Ecclesia vocaretur. Ex hac prærogativa non solùm oritur Mariam *An Deipara genuerit Deum.*

fuisse Christi Dominam, sed hoc, quod mirabilius est, IESVM fuisse quadam ratione Matris Dei mancipium ostendente id curiosè Eximio Domino Bartholomæo de los Rios *Hierarchiæ Marianæ lib. 2. cap. 27. pag. 190.*

An eum nutrierit? Conservavisse etiam, quoniam nutrire conservare est, & Iosephus fuit Dei nutritius, & multis annis Deum Hominem aluit. Ideò apud Cistercienses Præcentor invitat Choros ad Laudes Matutinas in hujus Patriarchæ solemnitate, dicens, *Dominum Deum nostrum adoremus, qui Christo filio suo Sanctum Joseph elegit Nutritium.*

An homines occiderint Deum? Occidisse tandem; quia habemus in Symbolo, Deum fuisse passum, crucifixum, & mortuum; ergo & homines occiderunt Deum. Mellifluè hoc deplorans meus Bernardus crudeles milites vocat *Deicidas*, Sermone in Feria IV. Hebdomadæ pœnosæ, columna 141.

99 *De idiomatũ communicatione.* RESPONSIO. Sanè locutiones hujusmodi non respiciunt Christi divinitatem; hæc enim nec gigni, nec nutriri, nec pati potuit: respiciunt solùm humanitatem, quæ substantia creata est, & in causa ut persona Divina quà humanitatem habens, nasci, nutriri, pati, mori, sepeliri, imò & resurgere dicatur.

Quo sensu omnia sint exponenda? VERE Maria Deum peperit, quoniam peperit suppositum divinum habens humanitatem; genuit quidem Deum, non tamen quà Deum, sed quà hominem. Christus quà homo fuit Mariæ filius, teste Matthæo in Historiæ suæ capite primo, dicente Iosephum fuisse virum Mariæ, *de qua natus est* IESVS, *qui vocatur Christus.* Quà homo dicitur *Lucæ* 2. 21. fuisse *subditus illis*, videlicet Mariæ & Ioseph. Quà homo Mariæ servus asseri poterit, non tamen absolutè, sed illo sensu metaphorico, quem expendit citatus Dominus de los Rios.

SIMILI cautela uti oportet cùm Iosephum Dei Nutritium vocamus. Christi carnem nutrivit, sed à Divinitate nutriebatur. Acutè cautus meus mellifluus Magister Homilia 2. super Missus est. *Non est dubium*, ait, *quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis inquam servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris Solatium, suæ carnis Nutritium.* Omitto *Solatii* prærogativam, quia quid *Solatii* nomine intelligendum veniat, clarè colligitur ex Benedicti Regula socios *Solatia* nominante: ad epodon sententiæ transeo, & video Iosephum Nutritium appellari, carnis adsumptæ quidem, sed non Divinitatis.

Solatia nominantur socii.

NON ALITER Deo mortis & passionis denominatio convenit ratione humanitatis, Divinitas enim non fuit mortua, nec passa.

De Christo quà homine. Ergo si Christum quà hominem consideremus, dicturi sumus fuisse B. Virginem ejus dominam positivè physicam actualem, ut alias matres; non quidem dominam proprietariam, sed habentem jurisdictionem; patria enim authoritas non ad proprietatis, sed ad jurisdictionis dominium spectat.

De Christo quà Deo. Si verò Christum quà Deum consideremus, asserendum est nullius creaturæ dominio physico fuisse subditum; nulli inquam, nec positivo, nec negativo, nec actuali, nec habituali, nec proprietati, nec jurisdictioni.

DISPVTATIO II.

An Dominium physicæ proprietatis in Deum, Deo ipsi competat?

100 *Non datur Deorum pluralitas.* DEVS nequidem increato subest Domino. Ethnicus hanc quæstionem examinet comparando inter se Deos; Christiani faciliùs Deorum pluralitate denegata.

Deum bifariam considerare oportet, quà Vnum, & quà Trinum: speculemur, examinemus, expendamus, evertamus, deleamus errores, qui tale illi dominium quà Vni attribuerunt, postea reliquos expugnabimus.

Errores circa Vnitatem Dei; & ex iis de Dominio Divino Corollaria.

Hæreticorum errores sæpè sufficit recensere: sunt enim tales, ut non egeant impugnatione. NON est animus Hæretica asserta scholastica severitate ventilare; hoc enim in libris Theologis uberiùs ago: volo tantùm expendere errores de Divino Dominio, & illos destruere ex fundamentis, quæ admittunt universi Christiani.

Primus Error.

101 *An Deus seipsum produxerit?* ADtribuitur Lactantio Firmiano asserenti, Deum habuisse *esse* à semetipso participando suam existentiam, sive quod idem est, Deum produxisse semetipsum.

An sit ens à se positivè? Est error, sed latuit multis annis sub adulterina specie veritatis, quoniam verosimillimus. Videbantur huic dicendi modo favere omnes Doctores veteres, Ecclesiæ Patres, & juniores Theologi qui dicunt Deum esse *Ens à se*, hoc est habere à se existentiam. Sanè Deus *Ens à se* est, non positivè, sed negativè; quoniam si positivè, esset vera hypothesis Firmianitarum. Cùm Deum esse *Ens à se* dicimus, non intelligimus eum fuisse priorem semetipso, nec eum à se ipso *esse* participasse, quoniam hæc inconceptibilia sunt, & parturiunt evidentissimas contradictiones; dicimus ergo Deum esse *Ens à se negativè*, hoc est esse Ens & non ab alio, sed esse Ens necessarium, quod non esse non potuit; esse Ens absolutum, ita ut ejus *esse* nec à creatura nec à Deo dependeat.

An Deus corruperit se ipsum. Porrò, si Deus produxisset se, se corrupisset; quia cùm non sit duplex Deus etiam in Lactantii sententia, debuit in seipsum converti; conversio autem sine corruptione intelligi non potest. Calidum convertitur in frigidum, cùm corrupto calori frigus immediatè succedit, vel si malis cùm frigus calorem coëxistentem corrumpit. Ergo Deus non potuit converti in seipsum, quin se corrumperet & reproduceret; ergo nec potuit quin esset & non esset simul. Igitur sicut impossibile est Deum simul esse & non esse; ita est impossibile eum in seipsum converti, necnon sei sum

producere,

producere, & corrumpere. Ergo Deus non habet dominium extrinsecum in semetipsum.

Præterea si Deus produxit semetipsum; aut liberè aut necessariò. Si liberè, non est Ens necessarium; si necessariò, non est sui physicus dominus, quia dominium libertatem & indifferentiam prærequirit.

Dicendum ergo est esse impossibile Deum fuisse causam suiipsius; inferendum non posse Deum sibiipsi physicè dominari.

An Cartesius subscripserit Lactantio?

Hîc obiter monere volo Renatum Cartesium benignè legendum & interpretandum esse. Habuit ingenium fœliciſſimum, & tamen dixit sæpè *Deum esse à se positivè*. Exclamarunt nonnulli; sed ipse suam mentem exposuit, dicens se his verbis non intelligere esse à seipso positivè productum; sed totam suam entitatem positivam (essentiam, attributa, relationes) esse à se, hoc est, non habere causam efficientem. Proficiebat hic non legendo, sed meditando, & ideò verba non semper eo sensu accipit, quo Schola solet. Vtinam vir magnus voluisset, aut in aliqua celebri Vniversitate habitare, aut unum Cursum Philosophicum legere, meliùs suas Meditationes promovere potuisset: at nihilominus multùm meditando profecit, & suas edendo Meditationes multùm profuit. Hæc notare volui ad Optimi mei Amici laudem, cujus Epistolis honoratus, ut à cunctis etiamnum mortuus ametur & laudetur desidero.

Sensit benè, sed malè locutus est.

Fuit magni ingenii vir: quomodo studebat?

Errore circa Dominium Divinum nati ex malè intellecta Trinitate.

102 *Græcorum error.*

NOn habent in hac quæstione locum Hæretici, qui procedentium Personarum Divinitatem negaverunt; quia in Filium & Spiritum-Sanctum, si creati asserantur, Deo dominium negari non potuit. Vnde Ariani licèt admitterent Patrem esse Verbi Divini dominum, non asserebant Dei dominum, quia Verbum negabant esse Deum. Inde etiam Macedonii, licèt assererent Patrem & Filium esse Spiritus-Sancti dominos, non affirmabant esse Dei dominos, negabant enim Spiritum Sanctum esse Deum. Habent locum, qui in Deo tres Personas consubstantiales cognoverunt.

Secundus Error.

103 *Valentini hæresis.*

VAlentinus (à quo Valentiniani Hæretici) cùm tres Spiritus æternos & substantiales asseruit, erravit linguâ, & catholicè potuit exponi de tribus Suppositis Spiritualibus, eo sensu, quo Angelos *Spiritus* sæpissimè appellamus. Cæterùm asserens has tres Personas, quas Spiritus vocitat, inæquales esse, reddidit suam doctrinam omnis catholicæ expositionis incapacem. Tenebatur consequenter asserere, Patrem esse Verbi dominum; & fortè, Verbum esse dominum Spiritus-Sancti. Pater enim communicabat *esse* Verbo ut inferiori, non secus ac Adamus filiis suis, qui minores eo erant, licèt humanitatem ejus specificè participassent.

Trinitatis personæ sunt æquales.

Iam autem error, qui nascitur ex Valentiniana hypothesi, corruit; quoniam & ipsa hypothesis, fide enim sanctum est omnes Personas esse æquales, ut constat ex Athanasii Symbolo, ubi dicitur. *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

Tertius Error.

POsitâ æqualitate Personarum instas Patrem esse dominum Filii, cui dat existentiam: ergo si Filius emendicat suum esse à Patre, ipsimet subditur ut domino. 104 *An Pater sit dominus Filii?*

Respondeo Patrem non esse causam Filii (& idem audi de Spiritu-Sancto) sed genitorem; æternùm eum generans, communicat ipsi suam numericam Divinitatem existentem; non tamen ut dependenti, quia Verbum Divinum non dependet à Patre: Pater igitur dominus Verbi non est, quoniam sicut servitium necessariam dependentiam includit, sic etiam dominium superioritatem: sanè dependens esset Filius si liberè produceretur.

An Pater producat Filium liberè? An sit ejusdem causæ?

Vtrique etiam errori occurre iterum negando Patri dominium in Personas productas, quibus non communicat *esse* liberè, ita ut possit non communicare. Nec adorior Scotum asserentem Spiritum procedere actu libero, quia illa libertas quâ Pater & Filius Spiritum producunt, libertas speculativa est infinitè prædeterminata, talis ut sit falsum dicere *Spiritus-Sanctus non procedere potuit*: hîc autem agimus de libertate practica, quæ habet indifferentiam ad utrumque, & causat effectum dependentem, quem non causare possit. Et quidem, ut hanc Scoti opinionem intelligas, adnotato inter alias libertatis acceptiones, duas esse celebres: videlicet, à coactione, & à necessitate. Hanc ultimam liberum arbitrium, hanc postulat Proprietas & Iurisdictio: quam Divinæ processiones non tolerant: sunt enim illæ à coactione liberæ, non autem à necessitate.

Sententia Scoti de productione libera Spiritus-Sancti.

Libertas duplex: à coactione, & à necessitate.

DISPVTATIO III.

Vtrùm Deus in creaturas habeat Dominium physicum: & cur?

VLTA sunt Sacræ Scripturæ testimonia, quæ Deum asserunt universorum Dominum, Authorem, Possessorem; quia, ut constat ex *Geneseos* 45. 5. & 50. 19. *Deut.* 8. 18. & 1. *Reg.* 9. & *Sapientiæ* 12. 13. *Tobiæ* 7. 12. *Iobi* 9. 5. & 12. 13. *Psalmi* 102. 19. & 103. 3. & 126. 1. *Proverb.* 10. 22. & 16. 4. & 19. 12. & 20. 24. & 21. 1. *Eccles.* 3. 15. *Isaiæ* 26. 16. & 45. 7. *Ieremiæ* 10. 23. & 27. 5. *Danielis* 2. 21. & 5. 18. *Matthæi* 6. 33. & 11. 26. & 20. 14. *Lucæ* 12. 31. *Ioannis* 5. 17. *Ad Roman.* 9. 15. 2. *ad Corinth.* 3. 5. *ad Philippens.* 2. 13. *ad Hebræos* 13. 21. *Apocalypseos* 4. 11. & *aliis Sacris Testimoniis* Deus est rerum universarum Conditor, Rector, & absolutus Dominator. Cur tamen? 105 *Deus omnium creaturarum est dominus.*

Et cur?

Conclusio. *Deus est rerum omnium physicus Dominus,*

Dominus, non tamen quà intelligens (non quà volens, si voluntatem à potentia distinguas) sed quà liberè creaturas producens & conservans.

106 *Dominium non consistit in cognitione.*

PRIMO. *Intelligere non est dominari*; aliàs verè & propriè omnia quæ intelligimus possideremus : dicerêris Cæli dominus, quoties id intelligeres ; præesses Mundo, quoties illum contemplareris.

An scire sit dominari?

Objicis ex proprietate Hispanica *Dominos* dici rerum, qui eas altè percallent ; verbi causâ, *Pedro es muy Señor de esta difficultad*, æquivalet huic propositioni, *Petrus altè percallet hanc difficultatem.* Quo etiam modo & Græci & Latini loquuntur, aiunt enim, *Sapiens dominabitur astris*, ubi scientiam cum dominio conjungunt.

Respondeo esse idiotismum linguæ, & consistere in acuta significationum translatione, non verò in acceptione rigorosa. Dominus Logicæ appellatur, qui in Logicis est benè versatus (puta cùm dicitur, *Iuan es muy Señor de controversias Logicas y Metasisicas.*) quia sicut Dominus indicit leges famulo, sic sapiens ipsis Facultatibus ; hic autem modus loquendi rigorosus non est, sed metaphoricus, ut dicebamus.

107 *An dominiũ in libera voluntate consistat?*

SECVNDO. *Si detur potentia operativa in Deo distincta à voluntate, velle non est dominari* ; Patet, quia aliàs essemus domini creaturæ illius, quam amaremus. Sanè amare est ferri, amari ferre adtrahere ; quapropter ratio dominii potiùs deberet convenire moventi, quàm moto, potiùs adtrahenti quàm adtracto. Vnde proci amasias suas *Dominas* & *Deas* nominant, non *Creaturas*, *Ancillas* aut *Famulas*. An cum blasphemia *Deas?* minimè, quia illa vox debet exponi metaphoricè ad proferentis voluntatem.

108 *An in operatione?*

TERTIO. *Ratio Domini Divini physici consistit in Omnipotentia.* Deus est illarum rerum dominus, quarum est causa. Est dominus possibilium quà talium, quoniam non est Deus omnipotens, quia sunt possibiles creaturæ, sed has esse possibiles oritur ab Omnipotentia. Futuritio est effectus incomprehensibilis decreti futuram operationem connotantis. Existentia autem est effectus productionis. In præteritas etiam quà tales Deo concedo dominium, cui & concedo potentiam ad præteritum ; præteritionem enim rerum conservare & abolere potest, non minus, non magis, quàm futuritionem.

An detur potentia ad præteritum?

Probatur hæc causalis : Est Dominus, quia est Creator.

Hæc conclusio desumpta est ex sacris Literis. Propheta Rex Psalmi LXXXVIII. 12. dicit Deo, *Tui sunt cæli & tua est terra*, subjungit probationem dicens : *Orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti.* Non enim posset negari cæli & terræ dominium, cæli & terræ Creatori. Adsonat sibi David sæpè alibi, præcipuè tamen Psalmi CXIII. 15. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.* & Psalmi CXX. secundo, *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* & Psalmi CXXIII. 8. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* & Psalmi CVL. quinto, *Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* In eodem conceptu erat Isaïas capitis XL. vigesimo octavo, ubi asserit Deum esse sempiternum dominum, & rationem subjungit, nempe quòd terminos terræ creaverit. Capite XLII. versu quinto. *Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos & extendens eos, firmans terram & quæ germinant ex ea ; dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.* Attendo, audio, Propheta sanctissime. Quorsum hæc antecedentia Omnipotentiam commendantia ? quid inde inferes ? *Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo.* Admiror Domini & Creatoris perennem connexionem. Idem Propheta quadragesimi-secundi octavo, *Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo.* Et quadragesimi-quarti vigesimo quarto ; *Ego sum Dominus faciens omnia.* Et quinquagesimi-primi tertio-decimo peccatori inquit Deus, *Et oblitus es Domini factoris tui.* Consonat Zacharias 12. 1. Ionas 1. 9. Ecclesiasticus 1. 8. Matthæus 11. 25. Act. 4. 24. His testimoniis instructus meus Bernardus, huic subscripsit sententiæ, & dominium Divinum asseruit pedisequum creationis esse. *Si modum cogito*, ait, *exaltationem cognosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo.* Aptè priùs *Creatorem* dixit quem dicturus erat *Dominum*, ut doceremur, divinum dominium non aliunde, quàm à creatione oriri posse.

DISPVTATIO IV.

Solusne Deus, an etiam creatæ personæ, habeant Dominium physicum in creaturas?

109 *An nomen Domini conveniat soli Deo? Imperatores, qui Domini noluerunt vocari.*

AVGVSTVS Imperator, Suetonio teste exhorruit *Domini* appellationem : causam exposuit Tertullianus *Apolog. cap.* 34. nempe, non debere homini puro adtribui titulum, qui uni convenit & soli Deo. Tiberius apud Cornelium Tacitum 2. *Annalium*, & Suetonium *in ejus vita*, ab Augusto didicerat non pati se *Dominum* vocari. Ejusdem sectæ fuit Alexander Severus affirmante Lampridio : ejusdem Adrianus, Claudius, Nerva, Trajanus, narrantibus aliis Authoribus. Maluerunt Pii audire, quàm Domini ; imò & sibi omnem humanam reverentiam assertum iri crediderunt, sibi inquam divinos titulos non usurpantibus. Huc respiciebat Horatius Odarum libro primo dicens,

Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Huc Virgilius Divini operis tertio, Veneri & Proserpinæ adtribuens nomen *Dominæ*,

Hi Dominam, Ditis thalamo deducere adorti.

Cur Caligula & Domitianus voluerint dici Domini?

Huic opinioni subscripserunt postea Caligula & Domitianus, qui licèt voluerint dici *Domini*, non tamen priùs quàm *Dii*.

Apud Sab. *lib.* 3. *En.* 7. legimus Iudæos nomen *Domini* non nisi Deo adtribuisse : quamobrem ex eis aliquot adolescentes à Luppo Alexandriæ

Alexandriæ Præſide trucidati, malentes potiùs mori, quàm Imperatori Veſpaſiano, aut alii præter Deum *Domini* titulum deferre.

RESOLVTIO.

110 *An cauſæ ſecũdæ aliquid operentur realiter?*

AVthores, qui negant creaturis phyſicam & naturalem efficientiam, aſſerentes eas tantùm eſſe morales ſuorum effectuum cauſas, Deúmque ad earum præſentiam effectus univerſos producere, non tam errare quàm delirare videntur: at ſtando abſurdo huic præjudicio, tenentur conſequenter aſſerere hominibus non competere rationem dominii naturalis, ſed eos eſſe morales ſuarum actionum dominos, quarum non ſunt niſi cauſæ morales. Cæterùm hæc ſententia à Catholicis defendi non poteſt, quia tollit omninò humanam libertatem: unde, qui dicimus homines aliquos effectus naturales producere, debemus conſequenter aſſerere eos eſſe eorumdem effectuum dominos naturales. Et ſicut humana activitas à Deo non ſolùm in radice, ſed etiam in praxi dependet, ſic naturale humanum dominium, quod ab ea non diſtinguitur, dependens eſt: domini quidem actionum naturalium ſumus, ſed quà his denominamur dependemus, dominiúmque participamus.

An negare operationes reales ſit hæreticum?

Dominium duplex.

Ergo Naturale dominium duplex eſt; Infinitum & Participatum. Illud uni & ſoli Deo convenit, hoc competit etiam creaturis.

Morio, & Moro.

מריא מרא

Has dominii Infiniti & Participati differentias, quas mente ideas, etiam labio diſtinxere Syro-Chaldæi, & Hebræi, qui eorum lingua utebantur poſt captivitatem Babylonicam. Deum מריא MORIO *Dominum* tetragrammata voce appellarunt; & Herum MORO per ſyncopen maluerunt dicere, ut oſtenderent dominium humanum eſſe divini ſyncopen & abbreviationem. Fortè illi Iudæi adoleſcentes, de quibus Sab. nuper citatus, cogebantur Veſpaſianum vocare MORIO, agnomine Divini dominii; quia aliàs non elegiſſent mortem, ſi illum ſolùm MORO vocare juberentur.

Ia *eſt verbũ abbreviatũ.*

Idcirco Hebræi nomen יהוה IEOVA quod *Dominum* interpretantur, contraxerunt ſcribentes יה IA, quod vel quemcumque Dominum ſignificat, vel ſaltem ſolum illum, *qui ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, vel ut Bernardo placet *Verbum abbreviatum.*

Κύριος & Κυρὸς.

Propterea Græci à Κύριος per ſyncopen dixerunt Κυρὸς, ut humanum dominium diſtinguerent à Sempiterno.

Dominus & Domnus.

Latini tandem invenerunt vocem *Dominus*, ut hominem à Deo diſtinguerent, qui *Dominus* cognominatur. *Domnus* vocis *Dominus* contractio eſt; quia humanum eſt quædam dominii finita contractio, participatio, limitatio. Conſule me in Benedictino Commentario *num.* 1477. *d.* Proderit etiam videre Durandum *in Rationalis lib.* 5. *cap.* 2. & Beyerlinckium *in Theatro. voce Dominium.* §. *Imperatores.* qui paulò aliter hanc dictionem exponunt. Vocem *Domnus* ad Græcum idioma derivatam reperio in Oppiano,

Δόμνῳ & Δομνὸς.

Καὶ μεγάλη μεγάλῳ φυτήσαρ Λόμνα Σεβήρῳ.
Et grandis grandi genuerat Domna Severo.

Ergo eodem ſenſu quo D. Benedictus in ſua Regula Deum vocat *Dominum* & Antiſtitem *Domnum*, Auguſtus, Tiberius, Alexander Severus, Adrianus, Claudius, Nerva, & Trajanus, Cæſares ſe *Domini* titulo indignos crediderunt pietatis & religionis gratiâ: eodem ſenſu, Caligula & Domitianus ſibi arrogarunt nomen *Domini* teſtificaturi propriam Divinitatem.

Aliquorum Imperatorum modeſtia: aliorúmque arrogantia.

DISPVTATIO V.

Quale Dominium Naturale Deo competat?

111 *An Deus ſit habitualis rerum dominus? An actualis?*

DEo convenit actuale dominium, quia univerſa producit: convenit habituale poſitivum, quoniam omnia produxit, quoniam liberè non adnihilat condita, quæ in nihilum redigere poſſet. Hæc clara ſunt, ſed ardua occurrit difficultas, cujus cardine lingua potiùs, quàm idea torquebitur. *Volunt multi* Deum non dici dominum rerum habitualem ſed actualem; quia habitus ſignificat carentiam actus, actuali enim dominio Deus carere non poteſt. *Alii* è converſo putant non debere Deum dici actualem rerum dominum, quia dominari actualiter, actualiter producere eſt; Deus autem non producit Mundum, ſed quem à millenis annis condidit, conſervat benefico influxu, & regit empyreâ majeſtate. *Satisfacient* controverſiæ radicitùs, qui percalleant eſſentiam conſervationis poſitivæ: hæc eſt productio permanens; quia ſicut homo, qui conſervatur, non eſt diverſus ab illo qui fuit conditus; ſic conſervatio non eſt diverſa à conditione, ſed eſt conditio atque productio perſeverans. Ideò Deus, quia conſervat Mundum, ſemper eum producere dicendus eſt, ac propterea ſemper illius eſſe dominus directus & actualis. Eſſe habitualem dominum non negat, ſed ſupponit dominii actualitatem, & ideò eſt verum dicere Deum eſſe habitualem dominum eo ſenſu, quo eſt verum dicere eum Machinam mundialem produxiſſe.

Quid ſit conſervatio?

112 *Omnia Deo ſubſunt.*

CONCLVSIO. *Non datur ſubſtantia aut accidens, quod phyſicè non ſubſit Deo.* Eſt evidens, quoniam ſubſtantia aut accidens, ſi non ſubeſſent phyſico Dei dominio, verè non eſſent. Ratio eſt, quia omnis exiſtentia creata à Deo immediatè eſt; ergo exiſtere eſt habere exiſtentiam, à Deo liberè communicatam: ergo & ſubeſſe phyſico dominio & voluntati Authoris.

Anne Deus ad actiones cauſarum ſecundarum concurrat?

De actionibus cauſarum ſecundarum major eſt difficultas. Si eſſet vera Durandi ſententia [qui, ut communiùs exponitur, aſſerit Deum non concurrere ad actiones cauſarum ſecundarum] eo ſenſu, quo diceretur Deus non concurrere ad actiones, eodem omninò deberet dici non eſſe phyſicus earumdem dominus: & quo ſenſu hujuſmodi actiones dicerentur à ſola creatura procedere, eo ipſo deberent dici ſubeſſe dominio ſolius

creati agentis, si actio esset libera; aut creaturæ nullius, si necessaria; quoniam creatura libertatis expers dominii est incapax.

113 *Duplex sententiæ negativæ expositio.*

Hæc opinio bifariam exponitur à Durandistis; aliqui asserunt dari duas actiones realiter distinctas in productione ignis, aliam à causa prima, aliam à secunda. Vtramque effectum attingere adæquatè, hoc est totum effectum, sed actionem causæ secundæ non attingi ab actione causæ primæ, non enim datur actio actionis, neque productionis productio. Sanè actionis non dari actionem probabile est, Deum autem ad actionum rerum creatarum entitatem non concurrere dici non potest, quoniam illarum esset creatura causa prima physica, quod admitti non debet.

Non datur actionis actio: non datur productionis productio.

114 *An causa prima & secunda unica actione concurrant?*

Alii quæ durè dicta sunt à Durando, ita jam exponunt, ut cum illo loquantur, & doctrinæ communi non dissonent. Asserunt *primò*, vnâ & eadem indivisibili actione causam primam & secundam concurrere, quod est probabilissimum. *Secundò*, hanc actionem entitativè totam esse à Deo, totam à creatura. *Tertiò*, reduplicativè & in sensu formali dicunt eamdem actionem prout oritur à creatura, non oriri à Deo. Quæ omnia vera sunt, nec Durandi verbis contraria; qui si ita exponatur, non discessit à communi sententia. Iuxta hunc philosophandi modum, dicendum est omnes actiones causarum secundarum entitativè & specificativè sumptas subesse dominio reali & physico Dei: attamen formaliter & reduplicativè sumptas, videlicet prout à secunda causa emanant, sicut non dicuntur oriri à Deo, ita etiam non esse asserendas ipsi physicè subditas. Addendum tamen, non posse excludi à dominio Dei physico simpliciter & absolutè, sed solummodò secundùm quid, hoc est secundùm reduplicationem explicatam.

De sensu reduplicativo.

115 *Notentur & considerentur hæc verba.*

Vasquez *in 3.part.disp.8.num.50.* licèt sentiat Deum concurrere physicè ad omnes actiones rerum tam liberas quàm necessarias; nihilominus agens de dominio physico sic infit. *Ego quidem negare non possum operationem liberam aliquo modo esse sub dominio nostri liberi arbitrii, quo non est sub dominio Dei; sicut peculiari etiam modo oritur à nobis, quo non oritur à Deo, ut ratio prædictæ solutionis probat, & nos ostendimus 1.2. disp.129.cap.7. Dominium enim quod nos cum Deo habemus, nostrarum operationum, non est dominium utilitatis, sicut dominium pecuniæ, quod ad utilitatem usus ordinatur, sed est dominium causæ in effectum per liberam potestatem.* Ecce clarissimè assertum dominium physicum in ipsa effectuum productione consistens, quod ante me multis annis Vasquez docuit, & ego lumine rationis ductus multis annis antequam inciderem in hanc periodum ipsius Vasquez.

Conspirant ingenia ubi adlucescit veritas.

116 *Actus noster vitalis quà talis non procedit à Deo.*

Hæc sententia probabilissima est, & à fortiori ad omnes actus vitales extenditur; ipsa enim vitalitas est ratio ob quam à dominio Dei physico actus liberi quà tales excludantur. Quia in actu voluntatis libero reperio rationem qualitatis, rationem vitæ, & rationem libertatis: actus ille quà qualitas, à Deo est productus, & à Deo conservatur: quà vitalis est, debet esse actus intrinsecus & ab intrinseco; quia quod ab extrinseco est, quà tale non est vivens; atqui actus humanæ libertatis nec intrinsecus Deo est, nec ab intrinseco producitur: ergo quà vitalis non procedit à Deo.

Confirmatur: Quia vitalis actus quà talis vitaliter debet produci: sed actus nostri liberi, non producuntur vitaliter à Deo; ergo quà vitalis non producitur à Deo. Cúmque subesse physicè sit produci, hinc est quòd quà vitales non subsint physico Dei dominio, quia quà vitales ab ipso non procedunt. Vnde dicendum est actus hominum liberos vitales procedere entitativè à Deo, non verò reduplicativè & quà tales.

Semper sensum reduplicativum ab specificativo distingue.

Sed petis tibi ostendi dominum, cui physicè subsint vitales plantarum & brutorum actiones. Si Deum dixero, argumentaris, quæ immediatè producuntur à Deo, subsunt dominio reali Dei immediatè: ergo quæ mediatè producentur, mediatè etiam suberunt. Atqui actus vitales quà tales non procedunt à Deo immediatè sed mediatè, hoc est, procedunt à vivente quod procedit à Deo: ergo tales actus subsunt dominio reali Dei mediatè. 117

Respondeo, causam immediatam dici illam, inter quam & causatum nulla datur proximior: eodémque prorsus modo debere dici dominum immediatum inter quem & rem possessam nullus est immediatior; mediatum verò, cùm interest dominus alius. Verè planta cùm vivit, vegetationis quà vitalis causa physica est, domina non est; dominium enim non intelligitur sine libertate: ergo Deus qui vegetationem quà qualitatem immediatè producit, ejusdem vegetationis vitaliter sumptæ est immediatus dominus; quia est immediatus plantæ dominus, & hæc cùm libera non sit, dominio caret, ac propterea ejus operationes etiam dominio Dei immediatè subduntur.

Causa immediata & mediata.

Dominus immediatus & mediatus.

Hæc ratio convincit Deum habere immediatum physicum dominium in actus vitales specificativè sumptos, sed in eosdem reduplicativè sumptos, mediatum, si fuerint ab Angelo, aut ab Homine liberè eliciti. Patet, quia procederent mediatè à Deo, & essent immediatè sub dominio creatæ substantiæ, quæ subesset physicè & immediatè Deo; unde Deus dicendus esset dominus domini illius operationis quà vitalis: ac propterea esset dominus solùm mediatus operationis quà vitalis, & immediatus ejusdem operationis quà entis.

Experior aliquos in his reduplicationibus hallucinari, & ideo postulo sensum à sensu accuratè distingui.

Dicis te benè intelligere, quòd actus liber specificativè dependeat à Deo: at verò nec posse nec velle intelligere, quòd quà liber vitalisque non ab ipso immediatè dependeat. Respondeo debere omnia cognosci & immediatè produci à Deo; at non debere omni sensu. Non enim Deus quà intellectivus amat; nec quà volitivus intelligit; & tamen omnia intelligit, omniáque ad suam voluntatem disponit. Et ratio est, quia negationes, quæ ex reduplicatione exoriuntur, non imponunt in Deo imperfectionem, sed vel nullibi, vel fortè in terminis creatis, quos reduplicant. 118

Addis te libenter concedere, quòd actus vitalis

objectio. vitalis humanus vitaliter non procedat à Deo; quod vegetativus à Deo vegetabiliter non producatur, quòd sensitivus non producatur ab ipso sensibiliter: sed asseris actionem liberam liberè à Deo produci, ac propterea sentis eam quà liberam procedere immediatè à Deo.

Præter divinam etiam datur libertas humana. *Respondeo*, in hac actione dari duas libertates, divinam & humanam; Deus liberè concurrit ad actiones humanas, sed ejus libertas non est humana, sed divina: non enim Deus est liber actu nostro libero, sed suo, quo si careret adhuc posset causa libera, si daretur, liberè operari. Ratio est, quia positâ physicâ prædeterminatione A, homo elicit liberè actum B: ergo eundem liberè eliciet quoties habeat eamdem prædeterminationem, sive infusam à Deo necessariò, sive ab Angelo, aut homine: quia sicut habens colorem A, non est candidior, quod illum receperit à Deo infundente liberè; quàm esset, si eum recepisset ab infundente necessariò: sic similiter, qui habet prædeterminationem A, formaliter physicè prædeterminatur ab illa, & eodem modo prædeterminaretur, si eadem infunderetur necessariò.

Causæ formales eodem modo causant sive liberè, sive necessariò infundantur.

DISPVTATIO VI.

De rebus in quas non habet Homo physicæ dominium proprietatis.

119 PRIMO, *Homo in Deum nec habet nec habere potest naturale dominium.* Demonstratur, quia Deum non produxit, nec producere potest. Vide ea quæ expendimus Disputatione I. hujus Capitis.

An creatura aliqua creare possit? SECVNDO. Angeli non nisi per creationem producuntur: ergo, qui dicunt non posse divinitùs fieri, ut Homo attingat Angeli creationem, dicere debent non posse fieri ut Angelus subsit Homini ut domino proprio & naturali. Qui affirmant non repugnare creaturæ activam creationem, bifariam suam sententiam defendunt. Alii putant posse Hominem adsumi ut instrumentum creationis; sed si adsumeretur, non esset Angeli creati dominus, cujus nec causa principalis. Alii non reperiunt rationem quæ demonstret Hominem non posse esse creationis causam secundam principalem. Si hoc assereretur, Homo haberet dominium naturale in Angelos, & quaslibet creaturas incorporeas, si illas produceret.

Angelorum dominus non est homo. Omissis ergo quæstionibus merè philosophicis, si rerum statum præsentem contemplemur, debebimus asserere *Hominem nullius Angeli esse dominum naturalem.* Ostenditur, Quia naturale dominium non intelligitur sine productione; atqui homo Angelum nullum produxit: ergo nulli præest imperio naturali.

nec calorum aut sydrum. TERTIO. *Cæli, Sydera, & naturalia Meteora, non subsunt Hominis naturali proprietatis dominio, possunt tamen.* Ostenditur, quia homo Cælos & Sydera non fecit: nihilominus si rem altè scrutemur, non reperiemus rationem, quæ ostendat, non posse Hominem donari virtute divinitùs, ut hæc & nobiliora possit educere de subjecti potentia naturali. Maximè cùm cæli corruptibiles sint, & experientia constet posse humanitùs elementa produci, & omnia sublunaria converti & immutari.

An cæli corruptibiles sint?

120 QVARTO. *Homo non est dominus sui ipsius, nec habet in suam vitam dominium positivum seu proprietatis naturalis.* Probant hanc propositionem aliqui ex eo quod non possit sibi mortem conscisere sine peccato. Vnde arguunt sic. Si Homo esset dominus suæ vitæ, se posset interimere; atqui nemo potest se occidere: ergo nemo est dominus vitæ suæ. Sed hæc ratio nec Ethnicum nec Christianum urget. *Ille* concessâ majori, minorem negat, ductus Philosophorum illustrissimorum sententiâ, qui sibi mortem conscivere, ut exercerent generosissimum actum virtutis. *Iste* majorem præmissam negaret; quia licèt Homo esset suæ vitæ dominus, non se posset occidere contra præceptum domini; & demonstratur. Quia etiam, sum actus interioris (puta charitatis) naturalis dominus; quem si lex validè indicat, licitè tollere non potero. Confirmatur; Petro productori ac propterea domino alicujus bestiolæ, indicat Deus ne occidat; remanebit bestiolæ dominus, sed illam licitè occidere non poterit. Ergo ex eo, quòd Petrus sibi mortem conscisens, peccet graviter; sequitur, non quidem carere vitæ suæ dominio; sed aut eo carere, aut dari præceptum homicidium hujusmodi interdicens.

An homo proprie vitæ sue dominus?

Fundamentalis Resolutio. Radicalis igitur ratio debet sumi ab ipsa productione: nam impossibile est dominum dici naturalem, qui rem non produxerit, cujus dicitur dominus; atqui homo non produxit se ipsum, & fortè nec potuit: ergo non est sui ipsius dominus naturalis. Illud *fortè* consultò addidi, quia probabile est posse hominem generare se ipsum, non tamen est probabile potuisse Deum se ipsum producere: & ostendo in Metaphysicis admittens in composito humano duas uniones.

An homo possit se ipsum generare?

QVINTO. *Sui ipsius & suæ vitæ est dominus usufructuarius.* Ostenditur, quia est dominus suarum operationum. Vide inferiùs ubi uberiùs hoc ipsum dominium examino.

DISPVTATIO VII.

De rebus in quas homo habet proprietatis naturalis dominium.

121 POSITIVVM naturalis proprietatis Dominium duplex est, Actuale & Habituale: illud, est ipsa rei productio; hoc est respectus (sive à productione distinguatur, sive non) post productionem perseverans. Ipsamet utriusque dominii essentialis connexio excursum hunc facilitat, imò & mentem cogit, ne distinguat, quæ univoca natura connectit. Quæ de actuali dominio dixero, de habituali

Dominium duplex.

dicta sunto; hoc enim necessariò subsequitur, & complectitur actuale virtualiter.

De actuum liberorum dominio.

PRIMO. *Homo est verus & proprietarius dominus operationum immanentium, quæ pendent à sua libertate.* Dominium opponitur necessitati; non enim dominari dicimur, cùm inviti aut saltem involuntarii aliquid aut habemus, aut facimus. Non est homo operationum dominus, quas necessariò elicit, nec illarum à quibus non potest cessare: Illis dominatur solummodò, quas voluntarius elicit, & quamdiu vult, conservat. Ratio est; quia dominii idea non consistit in conceptu puro productionis aut conservationis, sed in conceptu productionis aut conservationis liberæ. Idcirco es rei *in fieri* naturalis dominus quam liberè producis; es naturalis dominus rei *in facto esse* qnamdiu rem à te productam liberè conservas influxu aut positivo aut negativo.

122 *An sis tui corporis aut animæ dominus?*

Sed objicis. Homo non est dominus suæ animæ, neque sui corporis: ergo nec operationum. Probas consequentiam; quia ad illum fructus pertinet, ad quem ipsa substantia; igitur, si substantia hominis non pertineat ad eum, ut evidentissimè probatum est, nec ad eum pertinebunt substantiæ fructus seu operationes.

Respondeo ex dictis, hominem in se non habere dominium directum, nec adæquatum aut plenum; benè tamen inadæquatum & utile, ac propterea esse tam dominum suarum operationum, quam conductor est fructuum conducti agri.

An utile sit verum dominium?

Sed replicas, dominium utile non nisi impropriè & metaphoricè dominium dici; & testimoniis Soti, Valentiæ, & Conradi id probas. Sed tibi ego, utile esse verum dominium, & me hoc superiùs persuasisse.

Infers, Ergo non est vocandus proprietarius immanentium operationum dominus, sed solùm utilis. Et probas, quia ideò dicitur illarum dominus, quia habet dominium utile.

Notetur hæc doctrina benè

Respondeo, duo reperiri in homine, circa quæ dicitur habere dominium; substantia ipsa, nempe ipsa Humanitas, & operationes humanæ. Respectu Humanitatis usufructuarius est dominus non proprietarius, at verò respectu operationum habet plenum dominium. Proponam exemplum clarissimum. Conducis à Petro arboretum fructiferum, & ex vi conductionis Petrus manet verus & directus dominus substantiæ illarum arborum, illas enim Petro teneris conservare, non tibi: at verò jus destructionis locatione sopitur, non enim stante locatione illas posset Petrus aut dejicere aut incendere: sed fructuum non esset Petrus plenus, vel inadæquatus, directus vel indirectus dominus, quia ob locationem omni jure in fructus, quod habere poterat, privatur. At tu arborum usufructuarius es, in illas habes dominium utile, non potes illas destruere, nec nomine proprio conservare; fructuum verò non es inadæquatus, indirectus aut imperfectus dominus, sed perfectissimus: illos potes conservare tibi nomine proprio, illos perdere, illos vendere aut dare.

An hoc dominium sit morale?

Subjungis, constare ex dictis hominem habere in suas actiones dominium, sed purè morale; & probas, quia dominium usufructuarium morale est, à contractu proveniens, quoniam præcidendo à contractu non est intelligibile dominium purè utile, aut usufructuarium.

Respondeo nomen *Moralitatis* rigorosè & latè posse sumi; rigorosè enim sumptum, significat denominationem à publica lege provenientem; latè autem & minùs rigorosè etiam denominationem à lege privata subortam. Dicuntur dari contractus purè naturales, & tamen pactum lex est, sed privata: & tunc sumitur rigorosè nomen *Moralitatis*, aliàs enim purè naturales contractus dari non possent; iniri enim nequeunt sine privata lege. Igitur naturalis contractus definitur *pactum, quod initur inter partes, nullo jure morali valorem adtribuente, aut negante.* His positis ad argumentum deveniendo, dico Deum corpus & animam, hominis prudentiæ commisisse contractu purè naturali, nulli legi morali subdito, nulli contradicente; cúmque homo ipse physicè producat & eliciat actus animi & corporis, non est cur moralis dominus dicatur, nisi velis *Moralitatis* nomen latè accipere, cùm nos studemus vocum rigori & proprietati: manet igitur hominem esse suarum operationum dominum physicum plenum & proprietarium. Cæterùm esto homo suæ substantiæ moralis dominus, hoc non tollit, quod suorum actuum liberorum (hoc est, fructuum) sit dominus perfectus, plenus, realis, & adæquatus: licèt enim se non produxerit, hos producit liberè conservátque.

An dentur, vel dari possint contractus purè naturales?

Moralitas sumi potest strictè & latè.

SECUNDO. *Homo est proprietarius suarum actionum substantialium naturalium dominus, ac propterea earumdem terminorum.*

123 *De dominio parentum in filios.*

Inter actiones naturales, quas homo elicit, substantialis dicitur Generativa, quia tendit in substantiam: ejus terminus proles humana est, & potest definiri sic. Hominis operatio substantialis & naturalis, *est libera origo rationalis à rationali in similitudinem naturæ.* Filiorum corpora partes sunt corporum parentum secundùm ordinem naturæ decisæ. Si pater esset proprietarius dominus sui corporis, & cùm liberè filium produceret, non solùm unionem, sed & ipsammet formam, seu animam rationalem efficienter causaret, esset proprietarius & actualis dominus ejus *in fieri*, quia daret illi existentiam [nempe dispositivè, immediatè aut mediatè, eo sanè modo, quo est verum, quòd pater filio communicet existentiam] quam posset non dare; ac propterea filius in fieri intelligeretur recipere existentiam subditam arbitrio & voluntati patris; ipse enim existere inciperet, sed sub dominio patris. Ejusdem filii *in facto esse*, esset habitualis dominus; ipsum enim produxisset & ideò afficeretur paternitate, hoc est, naturalis dominii charactere; cui relativè corresponderet filiatio, quæ est character naturalis obsequii. Cæterùm, cùm corpora parentum, ex quibus filii corpus deciditur, eorumdem non sint, nec parentes animæ rationalis productionem adtingant, non suberunt parentibus filiorum corpora titulo dominii proprietarii, sed titulo dominii jurisdictionis, ut capite sequenti explicabimus.

Quid sit hominis generatio.

Paternitas character est naturalis potestatis: & filiatio naturalis obsequii.

Deus

Deus est Angelorum & hominum naturalis dominus.

Deus substantialiter Homines producit, substantialiter Angelos creat, & quia ex nihilo facit, illorum est proprietarius dominus, & ex vi dominii proprietarii potest illos conservare aut destruere pro suæ infinitæ voluntatis arbitrio, ut inferiùs uberiùs explicabimus.

124 TERTIO. *Homo est naturalis & proprietarius suarum actionum substantialium, etiam artificialium Dominus, ac subinde etiam terminorum.*

An arte possint fieri substantiæ?

Arte converti naturas substantiales clarius est, quàm probatione indigeat. Probabile est enim quatuor elementa distingui specie substantiali; probabile inquam, quoniam probabiliùs dicuntur non distingui substantiâ, sed solùm primariis accidentibus, quæ characterica vocamus; nihilominus elementa convertimus industria & arte. Ex aqua aërem facimus calefactione, terram calcinatione; ex aëre aquam & posteà terram compressione; ex omnibus corporibus ignem accensione: omnia enim convertibilia sunt, & eorum metamorphosis ingenio rationali obedit. Licèt omnes transformationes metallorum & elementorum exoticæ à solis sint Philosophis examinatæ, lignorum, metallorum, lapidum & aliorum corporum conversio, qua in ignem transeunt, communissima est, & infantibus nota, quæ quidem substantialis probabiliter est, sed subdita ingenio & artificio humano.

An elementa distinguantur specie?

An in se commutentur, & convertantur?

125 QVARTO. *Quicumque ex corpore non alieno produxerit novam substantiam (putà metallum, lapidem, aquam, ignem, ex hypothesi quòd hi rerum ordines specie substantiali dissideant) est proprietarius verus & naturalis dominus substantiæ illius productæ.* Corpus non alienum illud est, quod ad operantem ante conversionem pertinebat, aut saltem non erat alius.

De dominio adquisito per artem.

ITEM *ex hypothesi, quod dissideant specie characterica*, quia hæc virtualiter substantialis est, & inferet dominium naturale virtualiter.

126 QVINTO. *Qui corrumpendo corpus quod fuberat dominio alterius, eduxit formam substantialem, est verus & naturalis dominus substantiæ genitæ, & tenebitur satisfacere proximo pro damno illato.* Exempli causâ. Sunto argentum-vivum & stannum distinctâ specie: & Petrus arte chymicâ vulgari convertat stannum Pauli in argentum-vivum. Dico argentum-vivum arte genitum pertinere ad Petrum tamquam ad propriam causam & nullo modo ad Paulum: addo teneri eumdem Petrum restituere Paulo non stannum, quia hoc jam periit; sed stanni valorem. Addo hanc restitutionem involvere moralitatem, dat enim æquivalens, cùm rem ipsam non possit.

De damno, & satisfactione.

De individuatione materiæ.

Sanè in argento producto nihil esse, quod pertineat ad Paulum certum est: nam in sententia Durandi asserentis materiam individuari individuatione formæ [unde Durandistæ multi asserunt in conversione substantiali mutari numero materiam; hoc est, rerum conversiones non nisi transsubstantiationes esse] stanni materia jam periit, & loco ipsius successit alia numero distincta: & hæc, quæ successit, numquam fuit Pauli.

An materia existat existentiâ formæ?

Præterea, si subscribamus D. Thomæ; materia existit & subsistit existentiâ & subsistentiâ formæ: ergo materia argenti geniti non habet existentiam, quam materia stanni; atqui non pertinebat ad Paulum quà materia erat, sed quà existens: ergo quà pertinebat ad Paulum periit; patet consequentia, quia periit existentia stanni, quæ erat fundamentalis ratio pertinendi.

An substantiæ inanimes simplices sint?

Quin etiam, si sequamur eos, qui negant materiam primam, & asserunt substantias non viventes esse simplices, dicere debebimus stannum fuisse substantiam simplicem, & in argentum, quod etiam simplex substantia est, fuisse mutatum: esse corruptum totum subjectum, quod pertinebat ad Paulum; & Petri industriâ fuisse aliud genitum, quod debet pertinere ad Artificem.

Abstrahendo igitur ab omnium opinionibus, *dico primò*, formam stanni in proposito casu jam periisse, & ideò Paulum non habere jus, ut illam petat, posse tamen petere compensationem.

Dico secundò, materiam primam ad nullum directè pertinere, quia nemo illam directè producit, commutat, tradit, accipit, sed composita. Confirmatur; quia ex eo quod *Genes.* 1. Deus subjecerit directè omnes creaturas substantiales dominio hominis, sequitur illum eisdem dominari moraliter, non physicè, & hîc agimus de physico rerum dominio. Præterea ex vi hujus donationis directè moraliter dominaretur compositis seu completis substantiis; accidentibus & primæ materiæ indirectè, nempè accidentibus quà substantiæ ornamentis, materiæ autem & formæ quà intrinsecis ejusdem partibus. Illis quidem, quia ut habet Iuris Regula XLII. *Accessorium sequitur suum principale*: istis etiam, *Quia in toto partem non est dubium contineri*, ex Regula LXXX. Ergo Paulus non erat dominus materiæ primæ stanni, nec formæ substantialis constitutivæ, sed compositi utràque coalescentis, quod supponitur jam periisse. Petrus ergo teneretur dare Paulo stannum, aut ejus valorem: illud non potest, ergo rependet hunc.

An omnia Deus dederit homini?

127 *Obiicis* Petrum non produxisse argentum, sed eduxisse ex potentia materiæ convertendo subjectum antecedens. Ergo nihil de novo produxit, quod antea non fuisset productum; sed solùm eduxit formam, quæ non fuerat educta. Atqui educere unam rem ex alia non est adquirere dominium: ergo nec Petrus dominus argenti educti dici potest. Minorem probas, quia si educere esset adquirere dominium, fures universi essent domini, quia supellectilia domo educunt.

Quid sit formam educere de potentia materiæ?

Sed hæc levia sunt, quia educere de potentia materiæ significat idem ac producere: quod si non adquiescas, non est de voce disputandum acturo de rebus difficillimis. Esto educere formam de materia, non sit illam producere: at ex hac hypothesi assero formas substantiales non educi; & sic præcluditur aditus quæstioni nominali. Cæterùm sunt circumstantiæ aliquæ propter quas curiosa translatione formæ dicuntur educi ex potentia materiali: expendo & explico in Metaphisicis Resolutionibus.

An formæ corporeæ educantur?

128 *De dominio animalium.*

SEXTO. *Quicumque arte & industria produxerit animantes aliquas ex corpore non vivente, erit naturalis dominus earumdem animantium : quod si corpus corruptum fuerit alterius domini, tenebitur damnum resarcire.* Hoc ultimum constat ex dictis secundâ conclusione.

An illa industria gigni queant ?

Hæc Resolutio supponit dari industriam gignendi animantes ex aliorum corporum putrefactione, asserente Magno Alberto *Veget. 1. tract. 1. cap. 4.* & aliis.

129 *De productione avium ex ovis.*

SEPTIMO. *Qui ova industriâ convertit in aves, est illarum naturalis dominus.* Quid si hæc fuissent alius ? tenebitur ipsi ova recompensare : avium autem productarum dominium ad illum pertinet, cujus industriâ sunt productæ.

Ova motu coquuntur.

Supponit hæc conclusio ova in aves converti ex diligentia humana : & hoc multifariam potest fieri, si illis calor modicus atque continuus adhibeatur, sunt enim ingenii tam facilis ut vel minimo calore coquantur, atque solida fiant. Docuerunt reliquas nationes Babylonii ovorum summam facilitatem, cum contempto coquorum inutili apparatu inceperunt sibi cruda ova præparare fundæ vertigine, circumgyrando donec motu, qui caloris est causa, coquerentur. Hoc inventum Cælius *lib. 8. Antiquitatum*, Suidas *voce* Περιδράμοντες, & alii Aucupibus Babyloniis adtribuunt. Ergo calor ovis vivificandis necessarius debet esse remissior illo, qui intenditur à motu fundæ.

130 *Mater incubando ex ovis pullos educit.*

Talis est calor naturalis animalis cujuslibet, ineptior quò intensior; sed quò vegetior & excitatior, aptior. Præstat calor, qui magis vividus, non qui magis fortis. Hoc vtitur industria humana multifariam. *Primò* sequendo naturam, & ova supponendo matri, quæ vivificet incubatione. Hoc quotidie fit, & vix aliter ova pullulescere contingit ; est modus facillimus, quem sunt aves ab ipsamet natura edoctæ.

Quæcumque avis ova aliena excludit.

Secundò, quæcumque avis cujuscumque ova incubando vivificat, ut constat ex communi experientia, in quibus incubationis adulteriis non tam naturam sequi, quam imitari, artifices censendi sunt.

Ova calore humano excludi solent.

Tertiò, etiam naturam imitantur, curiosiùs tamen, qui humano aut bestiæ calore ova fovent, & sine avium interventu pullos insigniores excludunt. Monumentis æternitatis tradidit Suetonius, & Plinius *lib. 10. cap. 55.* Liviam Augusti uxorem Tiberii matrem, nunc suâ, nunc ancillæ manu, tamdiu foviisse, donec pullescceret ; quod licèt aliqui arti Manticæ adtribuant, naturali virtuti concedimus, qui causarum terrestrium vires altiùs examinavimus. At hæc rara sunt, ergo frequentiora & notiora exempla subjungamus. Bombyces, sericæ materiæ authores, ex minutissimis ovis, pectori admotis, & humano calore fotis, in Valentia & aliis provinciis, ubi hæc viget mercatura, excludantur. Possem alia subjungere ; sed hæc recensuisse sufficiat.

Quomodo excludantur bombyces ?

Favet pullorum exclusioni etiam artificialis calor proveniens à corporibus inanimatis. Sic nonnunquam solertes naturæ exploratores experti sunt stercore leni inclusa paucis diebus pullescere.

131 *Resolutio.*

Dico igitur *aves arte humana ex ovis quomodocunque exclusas subsistere Artificum dominio naturali.* Ostenditur. Illæ existunt existentiâ ab homine liberè communicatâ, qui eis ita vitam concessit, ut & potuerit non concedere : ergo illi debetur earum vita, tamquam liberæ causæ. Avis mater, quoniam incapax dominii est, concurrit solùm instrumentaliter ministrando calorem, homo autem ut causa principalis.

An fuerint olim homines ex ovis nati ?

Cùm homines ex ovis exclusos legimus, ridere debemus potiùs, quàm admirari ; hoc enim humanitùs fieri non potest ; unde Poëtarum fabulæ, vel explodendæ sunt, vel exponendæ. Castorem & Pollucem dicunt veteres ex ovo natos, imò & addit Pausanias id ostendi apud Lacædemonios suspensum tæniis à testudine templi notante Erasmo *in Adagiis.* Cùm de hujusmodi Ovigenis agunt antiqui, affirmant Iovem sub Cygni speciem Ledam oppressisse, hanc emisisse ovum ex quo Castor & Pollux excluſi sunt. Doctus à Lactantio Firmiano suppono Poëtas non fuisse mendaciorum textores, sed pictores curiosos, qui coloribus pulchris exposuerunt latentes veritates. Vt ergo historiam adsequaris, adnotato Cygnum fuisse Martis filium, duxit Ledam, quam Iupiter intensè amabat, exspes tamen quia despectus, imò quia invisus. Qui muneribus, instantiis, querimoniis, minis, Ledæ adamantinam constantiam superare non poterat, noctis obductus tenebris se Cygnum Ledæ maritum simulat, & ipsam fallit. Ecce Iovem in Cygnum conversum : ecce Ledam ab homine sub Cygni specie oppressam, quid aliud emissuram, si Poëtis placeat, quàm infantes sub specie ovi ?

Poëtæ non mentiuntur sed ornant.

Cygnus quis ?

Conversio Iouis in Cygnũ.

Si audiantur Neocles Crotoniaca, & Herodotus Heracleotes, Helena fuit prognata ex ovo ; imò omnes mulieres *Silenitides :* ideò sic dictæ quod hæc ova ceciderint de cælo Lunæ. Placet tamen expositio Athenei *lib. 2. cap. 17.* Clearchi *in amatoriis* ex quibus constat Græcarum gynecea fuisse hemisphærio fornicata, & dicta si circularia Σελήνας, hoc est, *Lunas ;* si elliptica ὠία, id est, *ova.* Græcæ igitur virgines egressæ ex cænaculis, ex ovis lunaribus, vel ex ovalibus lunis educi dicebantur : unde & occasio fabulæ.

Helena ex ovo.

Silenitides.

Veterum fornices.

Hæc dixerim curiositati studens, & bonis literis Mysteriis gravidis. Exponenda ita sunt, ut fieri potuerint, quæ ita dicuntur, ut facta esse non possint. Si autem respicias Dei potentiam, male negabis divinitùs fieri potuisse ut homo hominem ex ovo generaret. Materia ovi & hominis specie non differt : ergo & ovi materia non est incapax animi rationalis, quem à Deo creatum, si Petrus in materiam dispositam induxerit, producet hominem, non tamen sine magno miraculo. Cæterùm miraculo hoc supposito homo sic productus deberet suam vitam Deo ut causæ universali extra leges naturæ miraculosè concurrenti ; Petro verò ut secundæ non instrumentali, sed principali : cùm enim ultra vires naturales non sit hominem producere, non deberet Petrus asseri fuisse Dei instrumentum, sed secunda causa ; & miraculum constitisse, non in elevatione potentiæ productricis, sed in materiæ insolitâ præparatione. Subjungo Petrum

An homo ex ovo excludi possit ?

trum esse hominis tali miraculo progeniti verum & naturalem patrem & dominum, non secus ac aliorum filiorum, qui gignuntur ordine naturali; ac propterea habere in filium sic genitum dominium, non quidem proprietatis physicæ, sed physicæ jurisdictionis. At in corpus filii, juxta dicenda habere verum dominium proprietatis.

132 *De plantis arboribúsque.*

OCTAVO. *Qui seminat; segetum, vel arborum, quæ inde enascuntur, est proprietarius directè & positivè dominus; agri autem consiti, si is alterius non fuerit, redditur dominus naturalis indirectè & per accidens, nempe quamdiu segetes aut arbores illæ permaneant.*

An semen vivat actu primo, an secundo?

Probatur clarè. Quia illarum est vera & physica causa, quâ deficiente illæ non essent. Ergo, si humanâ industriâ, aut semen (quod actu secundo non vivit) aut excisus ramus (qui aliàs, si non sereretur arescerét) creverit in arborem aut herbam vegetam, debebit suum esse satori; ergo & suberit illius dominio physico positivo actuali proprietario.

De dominio indirecto.

Illud, quod addebatur de dominio indirecto in campum, ostenditur. Quia illa omnia subsunt tibi indirectè, sine quibus non potest stare dominium directum: atqui sine campo non possunt arbores consistere; ergo, qui habet proprias arbores, quas ipse sevit, est indirectè dominus illius campi, in quo illæ consistunt.

De campo alieno.

Si ager erat alterius hominis, ineptè eo sine domini licentiâ fuit usus, nec seminatio illa poterit esse in causa ut prior dominus cogatur suo agro non uti, etiam cum novarum segetum aut arborum destructione. Nec sufficeret recompensatio, quia cùm ager verè prosset in rerum natura, poterit eum verus dominus justè repetere & non admittere compensationem, nisi fortè alicubi contrarium humanitùs indictum sit.

NONO. *Quicumque physicè & liberè produxerit partem alicujus elementi, dicendus est illius physicus & positivus dominus.*

De elementorum conversione.

Supponit conclusio dari artem, quæ elementa convertat; nempe aquam in aërem, hunc in ignem; aut è contrariò: quæ, si non detur, tamen divinitùs communicari homini potest virtus elementorum commutatrix. Qui igitur elementum produceret liberè & ex industria, dici deberet ejus dominus; quia elementi *esse* & *fieri* supponitur ab Authoris arbitrio dependere.

Productio duplex: bonitatis & utilitatis.

Licèt substantia & elementorum entitas esset improducibilis humanitùs, adhuc sustineri posset conclusio: quia reperio duplicem rerum productionem; aliàs enim res quà bonæ, aliàs producuntur quà utiles. Produci dicuntur quà bonæ, cùm earumdem entitas producitur: cùm verò redduntur usibus humanis accommodæ, producuntur quà utiles. Sed hanc secundam productionem virtualem & moralem potiùs esse quam physicam inferiùs demonstrabo.

133 *De domorum ædificatione.*

DECIMO. *Qui in fundo suo domum erexit, censendus est illius physicus & directus dominus.*

Hæc conclusio quintæ est similis, & eodem modo intelligenda. Domus physicè fit, & pertinet ad actorem tamquam ad causam effectricem & legitimum dominum; cujus, si quis curaverit â Latomis & Architectis ædificari, sicut nec causa physica est, sic nec physicus dominus est nuncupandus; erit enim in tali casu dominus moralis, quia non nisi moraliter (hoc est, aliorum interventu) fabricatus est. Dixi domum debere fieri in fundo proprio, (nempe vel positivè, ut cùm fundi dominus arcem in eo ædificat; vel negativè, ut cùm domum erigit in loco deserto, nullius authoritati subdito; sive quod idem est, in loco non alieno) quia, si in Petri prædio domum ædificaret, Petrus posset vel invito artifice prædio suo uti, & artifex esset injustus rei alienæ usurpator.

Quando sit dominus physicus, quando moralis: quando rei alienæ usurpator?

Quo modo in Regiones & Insulas adquiratur dominium?

Hinc patet quomodo homines adquisierint primum civitatum, & regionum dominium. SURGIT Insula deserta in Oceano, quæ à multis cognoscitur, & contemnitur ab universis [de continente analogicè philosophator.] Persona es libera & nemini obnoxia personaliter (vel quia Princeps supremus es, vel quia nullius subditus es; aut quia cedis bonis, ratione quorum alicui subdi tenebaris) illam Insulam occupas, & tibi adproprias: nondum autem reperio rationem, quæ te reddat ejusdem dominum & proprietarium. Posset quidem supervenire Daniæ Rex, & velle illam habere etiam te invito. Vidisse priùs, priùs detexisse, priùs occupasse, adquisivisse dominium morale est; sed supponeris non invenisse, sed olim inventam occupasse; quî poteris fundare jus legitimi & veri dominii?

An invenire adquirere dominium sit?

134 *Modus adquirendi dominium in Insulas & Regiones desertas.*

Dicam breviter. Ingressus Insulam dominium non adquiris, quæ enim nullius censebatur, etiam nullius esse censebitur à te occupata. Bifariam ergo poterit illa tibi subjici, nempe moraliter, & physicè. Moraliter quidem, si ex omnium (qui inventionis titulo jus in illam habebant) consensu illam occupes; tunc enim reliqui suo jure cedunt, & tu unus illam invenisse tunc censendus es. Physicè etiam, si ab omnibus contemptam colueris & arboribus novis, & novis ædificiis ornaveris; tunc enim dicendus es illas plantasse, ista erexisse sine alterius injuria, ac propterea esse verus & legitimus dominus habens jus directum in eisdem arboribus & domibus; & indirectum in territorio, sine quo neutræ possunt subsistere. Ergo Daniæ Rex, si hanc Insulam successu temporis invadat, bellum injustum geret; poterísque tu justissimè defendere arbores quas plantasti, agros quos arasti, hortos quos coluisti, arces quas erexisti, fluvios quos duxisti, urbes quas fundasti; hæc enim omnia directè tua sunt. Quæ cùm sine territorio subsistere non possint, poteris indirectè & per accidens etiam territorium defendere.

Quo jure peregrini à littoribus arceri possint?

Vt hoc altiùs intelligas, dicis, ex hac doctrina sequi Daniæ Regem arceri posse ab omnibus partibus Insulæ, quæ cultæ sint (nempe aut ornatæ novis arboribus, aut nobilitatæ ædificiis) non verò ab aliis incultis regionibus. Et probas, quia tota ratio propter quam diceris territorii dominus, consistit in arboribus & ædificiis; sed hæc ratio non habet locum in locis dictæ Insulæ incultis; illorum igitur nec tu dicendus venis dominus, nec Danus venit abigendus.

Respondeo, te esse verum legitimum & directum

rectum dominum arborum, plantarum, arcium, & civitatum, quæ te Authorem cognoſcunt; indirectè defendere omnia illa poſſe, ſine quibus dominium illud tuum ſtare non poſſit: cúmque id periclitetur, ſi Daniæ Rex, aut alius potens Monarcha Inſulæ legat littora, aut plagas incultas penetret: poteris eum à tuis oris arcere; nec eum teneberis admittere niſi priùs fœdere ſtabilito, & hoc juxta tuam voluntatem. Nec requiritur, ut periculum inſtans ſit evidens, ſufficeret enim probabile, imò & dubium. Probabile quidem, quia conſcientia tutiſſima eſt, cùm ſequitur partem probabilem, ut communis ſententia docet, & ego perſuadeo & confirmo Authorum teſtimoniis *in meo Comment. in Regul. Benedict. num. 51.* Dubium autem periculum etiam ſufficeret, quia in dubiis proximus es ipſemet tibi, nec teneris te fortunæ ambiguæ exponere, *beatus enim, qui poſſidet.*

De periculo evidenti, & probabili.

135 *De accidentibus corruptivis.*

VNDECIMO. *Qui in re aliena produxeris aliquod accidens corruptivum (nempe; vel nocivum phyſicè, quales ſunt morbi & indiſpoſitiones; vel nocivum moraliter, quale eſſet, ſi produceretur juſtè invito domino illius rei) non es illius accidentis producti dominus.*

Patet; quia dominium proprietatis imbibit jus conſervandi & deſtruendi pro domini placito; atqui illud accidens conſervare licitè non potes: ergo non es dominus proprietarius illius. Minorem probo. Illud licitè potes facere, quod ſine alîus injuria; ſed accidens illud ſine alîus injuria conſervare non potes: ergo nec licitè. Probo minorem. Diſpoſitio ad corruptionem eſt inchoata corruptio: ergo ſolus dominus proprietarius poteſt inchoare aut complere corruptionem rei poſſeſſæ: ergo cùm incipis illam corrumpere illo invito, eidem injuriam facis. Iniquè igitur procedis, qui equo alieno aliquid nocivum & corruptivum præbes.

Inchoata corruptio.

136 *De aliorum accidentium productione.*

DVODECIMO. *Qui in re aliena, cujus uſumfructum habes, accidens quod nullum inferat detrimentum, producis, non adquiris dominium rei alienæ, in qua producis tale accidens; bene tamen in ipſummet accidens productum.* Prima pars ſuadetur: Nam argento non eſt nocivus mediocris calor, & tamen qui alienum argentum calefaceret, non redderetur illius naturalis & proprietarius dominus. Secunda etiam probatur: Nam illo calore ſic producto poſſes uti eum conſervando aut remittendo, quamdiu nihil reſultaret in detrimentum domini.

DICES, hinc ſequi calefacientem argentum adquirere indirectè dominium in ipſammet argenti ſubſtantiam: & probas, quia adquirit directè in calorem illum, qui ſine argento ſtare non poteſt.

Reſpondeo, in accidentia nociva dominium non adquiri, illúdque tunc incipere eſſe primo poſſeſſori nocivum, cùm primum dicatur indirectum dominium in rem ipſam inferre. Fructuarius enim poteſt uti re ſecundum beneplacitum domini; hic autem non permittit illi uſum, ex quo dominii proprietas indirectè ſequatur. Igitur, ſi ex talis accidentis dominio ſequeretur indirectè dominium rei ipſius, ceſſaret quæſtio, quia illius accidentis productio noceret proprietario dominio, & noceret rei quâ jure proprietatis poſſeſſæ, adeóque producererur injuſtè, nec poſſet juſto titulo poſſideri. Sed tunc non ſolùm argentum ſed etiam calor ad dominum argenti pertinere, quia *Acceſſorium ſequitur ſuum principale*, quæ quidem Regula XLII. quotieſcumque dominus principalis voluerit, vera eſt; nam ſi dominus principalis non contradicat, licitè poterit illo accidente uti, qui produxit.

DISPVTATIO VIII.

De poteſtate deſtructiva directa.

137 *Differt à potentia poteſtas.*

STATIVS patet *potentia* quàm *poteſtas*. Potentiam deſtructivam illi omnes habent qui vim; poteſtatem verò, ſoli qui authoritatem. Cainus non occidiſſet Abelum, ni vires & potentiam habuiſſet, nec peccaſſet, ſi habuiſſet poteſtatem. Dicam igitur potentiam deſtructivam eſſe, *vires phyſicas aut morales, quibus poteſt res deſtrui jure vel injuriâ*: ſubjungam poteſtatem deſtructivam eſſe, *potentiam deſtructivam, quæ naſcitur ex vero dominio.* Hæc poteſtas nonnumquam nominatur *authoritas.* Dividitur in purè phyſicam, purè moralem, & mixtam. Habet purè phyſicam, qui habet poteſtatem naturalem deſtruendi naturaliter. Habet purè moralem, qui habet moralem authoritatem deſtruendi moraliter; hoc eſt, vendendi, dandi, proſcribendi, &c. Mixtam autem, qui habet authoritatem moralem deſtruendi phyſicè, qualem habet qui emit arierem, qui ex titulo morali habet quod illum poſſit phyſicè occidere. Vtitur morali authoritate deſtruendi phyſicè Reſpublica, cùm indicit Lictori (nimirùm, directè aut indirectè: nam in hoc diverſa Theologorum ſunt placita) ut aliquem reum plectat capite. Probatur; quia plectere, eſt deſtructio phyſica; & indicere, actus moralis authoritatis eſt. Vtitur autem authoritate morali deſtruendi moraliter, cùm jubet Magiſtratui, ut aliquem in exilium mittens privet vita morali: exilium enim non phyſica, ſed civilis mors eſt.

Authoritas, quid?

Poteſtas triplex: realis, virtualis, & mixta.

Mors moralis.

Exilium.

Vtraque deſtructiva authoritas, videlicet phyſica & moralis, eſt proprietas dominii, *ut ſic*, abſtracti à phyſico & morali, & æquè ab uno & ab altero emanat. Quia ſicut phyſicus aquilæ dominus poteſt illam occidendo, deſtruere phyſicè, & dando, vendendo, dimittendo, deſtruere moraliter: ſic etiam moralis dominus (talis eſt qui eam vel gratis vel pretio à priori domino recipit) poterit illam occidere, dimittere, vendere, donare. 138

Omiſſis igitur moralitatibus, quæ rerum phyſicarum inſtar debent exponi, dicendum eſt deſtruendi phyſicam poteſtatem eſſe entitatem phyſicam diſtinctam à dominio habituali. Sed quo modo diſtinctam? In Schola Reali realiter, in Formali formaliter, & in Expreſſiva, expreſſivè: quoniam quamcumque profiteamur Scholam, Reſolutiones erunt ſimillimæ, vel eædem. Sit exemplo patria authoritas ad mentem Veterum conſiderata.

De dominii & poteſtatis diſtinctione.

Quantam parentibus in filios Ethnici concesserint potestatem & authoritatem ?

rata. Consultò *ad mentem veterum* dico, quia nos illam ratione forti ad jurisdictionem limitamus. Si igitur Gentilium sententias sequamur, authoritate patria majorem non concessit natura, nec Legislatores cognoverunt. Pater est dominus actualis filii, quando generat; liberè enim producit, quem non producere etiam posset. Ecce dominium actuale illi competit, qui ita vitam concedit filio, ut & non concedere etiam posset. Actualis dominii pedissequum est habituale, & hoc est respectus permanens in generante & reddens illum dominum rei genitæ. Posito hoc respectu activo resultat in termino respectus aliquis passivus, qui est character physicæ servitutis, testificans illum non esse sui, sed agentis. Adamus genuit Sethum, & genuit liberè, potuit enim non generare, ideò *generationis* titulo fuit ipsius dominus primariò & actualiter cùm illum producebat. Post generationem reperitur in Adamo *Paternitas*, quæ vel entitativè est ipsa generatio permanens, vel est relatio quæ resultat. Hæc Sethum respicit, & Adamum constituit dominum habitualem, & hoc intrinsecè: denominat tamen extrinsecè Sethum filium, hoc est, physicè subditum. Ne autem Sethus crederet esse merè extrinsecam hanc servitutem, natura rerum parens disposuit, ut afficeretur intrinsecè charactere reali physicæ & veræ servitutis, & hic est *Filiatio*, quâ Sethus intrinsecè subditur arbitrio Adami. Sicut generatio libera, seu actuale dominium includebat vitæ communicationem cum potentia non communicandi: sic similiter habituale dominium includit liberam vitæ conservationem cum potestate non-conservandi: hæc non-conservandi potestas, dicitur *potestas destructiva*. Hæc dicta sint ad mentem Philosophorum veterum: sed quia nos authoritati patriæ proprietatis dominium non adscribimus, credentes parentes non habere proprietatem in filios, sed jurisdictionem; aliud aptius exemplum subjungamus.

Character potestatis Paternitas.

Obedientia & obsequii Filiatio.

An in pictore si relatio habitualis ad picturam: & in hac ad pictorem?

An admittenda sint causa & effectus habituales & permanentes Relationes?

Cùm Petrus liber & suarum actionum dominus aliquam picturam delineat, delineat liberè, hoc est, ita delineat, ut non delineare etiam possit. Cùm delineat actu, actualis proprietatis dominium in picturam ipsissimam habet: cùm verò absolvit, habitualis. Dum imaginabat, poterat concedere & negare existentiam picturæ; potest jam factæ. Iure enim productionis imbibitur non solùm conservandi & possidendi picturam authoritas, sed etiam destruendi. Ergo sicut in Patre (nota id bene) post generationem admittitur Paternitas, & in Filio Filiatio, quibus habitualiter causa & effectus à natura signantur, distinguuntúrque; sic etiam debet in aliis omnibus actionibus contingere: Ergo debet admitti Relatio aliqua habitualis in causa post effectus productionem, cui altera etiam habitualis in effectu respondeat, vel debent Paternitas & Filiatio negari: non enim succurrit disparitas. Ergo habitualis relatio, quæ actionem sequitur & agentem exornat, est character potestatis: & quæ sequitur fieri & afficit effectum, est obsequii.

De potestate destructiva indirecta.

1;9 *Potestas indirecta qua?*

PRæter jus directum, quod physicum est, & in physicæ proprietatis dominio fundatur, reperio etiam indirectum jus interimendi & destruendi. Habeo jus conservandi meam vitam concessam à Deo; ipsi subdor ut domino, paratus vivere, paratus mori, cùm suæ Divinæ Majestati placuerit. Sed, si vitam divinitùs mihi commissam invadas, injustè invades, justè illam protegam. Tua præceps malitia in causa erit, quod adquiram indirectum & partiale dominium in tuam vitam, & potestatem te occidendi. Sanè *indirectum*; quia ego directè me defendam, etiam cùm te occcidero: *partiale*; quia plenum & totale dominium est jus conservandi & destruendi, & ego jus destruendi invasorem semper habeo; non tamen semper illum servandi habeo; supponitur enim esse talis aggressor, qui servari non possit me servato. Vt hanc doctrinam illustrem subjiciam unum vel alterum casum notabilem.

Fortè aliter loqui debemus, & invasorem non indirectè, sed prater intentionem occidimus. vide Theologiam meã Præterintentionalem.

Anselmus Provinciæ N. supremus Iudex Albericum testem rigidè examinabat; ille urbanè, sed crudè respondebat, sciens multa solere sanctè peti, quæ possent & sanctè negari. Alberico Anselmus, *Videas*, inquit, *quî loquaris, & me esse supremum Iudicem, tuamque vitam & mortem à meo unico decreto dependere cognoscas.* Albericus Anselmo. *Quamdiu justè processero*, ait, *solum Deum timeo, utpote meum proprietarium Dominum; Regem meum, tametsi maximum, non moror; non enim illum cognosco directum vitæ dominum, sed indirectum. Non est Regi liberum me posse servari aut occidi; nec me innocentem ille potest occidere, nec me invitum efficere nocentem; & tu, Iudex inique, effutire audes meam vitam & mortem à tuo unico decreto dependere? Aut fallor, aut contra mentem loqueris; si enim putarem esse aliquem hominem (nullum excipio) qui se meæ vitæ proprietarium dominum gloriaretur, si meum jus aliter propugnare non possem, illum illicò occiderem; meæ enim vitæ dominus proprietarius & plenus, Deus; usufructuarius, ego; & quicumque in me innocentem vitæ & mortis jus adrogat, invasor.*

Cur fictis nominibus utor abutor-ve eã veris possumt Verba hæc sunt Nobilissimi D. Capitanei Butkes, & dicta Auditori Regio Generali, hoc est summo.

PETITVR quali censura sint Albertici verba perstringenda.

Notentur quæso.

RESPONDEO non solùm mihi sed & multis Doctoribus fuisse proposita, & omnium calculo generosa, sed vera judicata. Respublica enim, nec Princeps, licèt ejusdem caput, habet dominium in vitas subditorum suorum, asserentibus D. Thoma *quæst.* 54. *art.* 3. *ad* 2. *& quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 1. *&* 3. Cajetano *quæst.* 73. *art.* 3. Victoria *relect. de homic. num.* 23. Soto 4 *de just. quæst.* 2. *art.* 3. Valentia *quæst.* 10. *punct.* 1. Aragonio, Bañez, Lessio, Dicastillo, & aliis; quorum doctrina fundatur Sapientiæ 16. 13. *Tu es enim Domine* (Deus) *qui vitæ & mortis habes potestatem*, & Exodi 21. 20. *Qui percusserit servum suum* (majorem authoritatem habemus in servos, quàm in vasallos) *vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.*

Respublica in innocentes non habet mortis & vitæ potestatem.

Ad pedes tuos pervolutus Ambrosius se sacramentaliter accusat, quod excesserit limi-

An & quando possit aliquis excedere

rimites inculpatæ tutelæ.

tes inculpatæ tutelæ ; occidit enim Paulum invaſorem, quem potuiſſet ſervare, nimirùm fortior minùs fortem.

RESPONDEO inculpatæ tutelæ moderamen habere locum antequam enſes ſtringantur : multa enim verbis,aut aliis mediis componuntur ; &, ſi aliter defendi poſſis, non poteris venire ad gladium. At quando invaditur tua vita evaginato gladio, cautè tibi eſt agendum, multa enim ſunt pericula inter ſtrictos enſes : nulla ibi fortiori ſecuritas, nulla induſtriori ; caſus ſunt varii, & fortiſſimi viri ſæpè ab homuncionibus occiſi.In ſummo enim pereundi periculo eſt, qui contemnit vires ſui inimici. Occidere aliquem ſine neceſſitate iniquum eſt, & ſine neceſſitate occiditur, cujus mortem tutela inculpata non exigit : ſed velim doceri quæ eſt illa inculpata tutela, quæ invaſoris mortem non exigat, quando enſes ſtricti decuſantur ? Si evidenter ſcias te non iri graviter læſum ab invaſore, illum occidere non potes ; ſed videre vellem præmiſſas per ſe notas ex quibus illa ſcientia evidenter naſcatur.

Inter gladios exceſſus non datur.

In duello ſæpè fortior & dexterior occiditur.

Accidit dum eſſem Bruxellæ, ut fortiſſimus & dexterrimus nobilis, ex excellentiſſima familia natus, alium nobilem ad duellum provocaret. Amicorum precibus provocator duellum defenſivum ingreditur, ſe inimicum non eſſe occiſurum promittens. Venitur ad rem. Dum Hercules Therſitem negligit aut contemnit, Hercules (provocator) à Therſite (provocato) ictu miſerrimo tranſverberatur, & occiditur. Ergo doctrina de non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, ut ut ſpeculativè doctiſſima & veriſſima ſit, practicè tamen inter gladios ſtrictos locum non habet.

DISPVTATIO IX.

An poſſit Deus hominem morte damnare ſine cauſa ?

140 *Poteſt Deus hominem etiã innocentem occidere.*

MORTIS nomine terrenam & æternam intelligo, & ſi de temporali loquamur, non modò in noſtra hypotheſi poteſt, ſed & quotidie facit, nulla enim datur cauſa divinæ voluntatis. Multi antequam naſcantur moriuntur, nec actualem culpam habent, quam luant ; &, ſi ad originalem recurras, proponam baptizatos innumeros, qui ante uſum rationis devixerunt. Proſcripſit Deus illos à mundo, non propter actuales culpas, quas non commiſiſſe ſupponuntur ; non propter committendas, quia non judicantur quæ fierent, ſed quæ facta non neceſſariò propter originalem labem, quia hæc baptiſmate deleta ſupponitur. De medio tamen ante uſum rationis tolluntur, quia ſic Creatori placuit. Vitæ & ſalutis Deus dominus naturalis eſt : dat mutuam homini cui vult, & quando vult, repetendam tamen cùm voluerit. Probat hanc reſolutionem Evangelica Hiſtoria, quam expendit Ioan-*ſub initium noni.* IESVS ſeptus Apoſtolorum coronâ & Diſcipulorum multitudine occurrit homini cœco à nativitate. Admirantur Diſcipuli, & inquiunt. *Rabbi ; quis peccavit ; hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur.* Sed illis Chriſtus Dominus. *Neque hic peccavit*, inquit ; *neque parentes ejus ; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Fatetur ergo Chriſtus huic homini Deum negaviſſe oculos, excellentiſſimam corporis partem, non tamen in peccatorum pœnam,ſed in Authoris gloriam. Quod de oculis dixit, poſſumus dicere de morte & vita.

Ioann.9.

141 *Mors eſt pœna peccati.*

Per peccatum ingreſſa mors in orbem terrarum, hoc eſt, pœna mortis, & moriendi debitum, non autem moriendi neceſſitas : quia ſtando legibus abſolutis Dei, poſſet peccator non mori, & ſanctus mori ; imò & annihilari.Peccarunt Angeli & deleti non ſunt, qui deleri potuiſſent, & iterum etiam reproduci : peccarunt homines, condemnantur morte à Deo juſto ; reſurgent, quia qui reprobis juſtus eſt, eſt miſericors & clemens electis : reſurgent, inquam, boni ad complementum extenſivum gloriæ, & mali ad complementum pœnæ. Non ideò potentior Deus eſt, quia peccavit Adamus ; nocentem occidit in pœnam, juſtum occidere poſſet in præmium, imò & hodie ipſa juſtorum mors ita eſt peccati pœna, ut & involvat præmii pretium, quia ut Eccleſia concinit, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Sed hæc ſufficiant in præſenti, hanc enim quæſtionem uberiùs cùm de Omnipotentiæ objecto tracto.

Mors Sanctorum pretioſa.

De morte æterna.

142 *Quid ſit æterna mors?*

MORS æterna ſtatus infelicitatis eſt, exuberans multis miſeriis. Primo loco recenſeo carentiam viſionis beatificæ, ſecundo dolores immortales, qui licèt ſummi ſint, dulceſcunt ſi cum æterni exilii amaritudine debeant comparari ; licèt enim acerbiſſima ſit pœna ſenſus, eſt longè gravior & durior pœna damni : qui enim per impoſſibile in mediis cruciatibus frueretur viſione beatifica, nec dolores, nec tormenta ſentiret : nec contra hoc militat Ieſu Chriſti Paſſio, quia in Chriſto miraculoſa fuerunt pleraque, & hîc agimus de curſu rerum naturali. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum, Homilia 33. *Decem mille quis ponat gehennas, nihil tale dicet quale eſt à beata gloria excidere.* Et ibidem. *Multi gehennam abhorrent ; ego autem caſum illius gloriæ multò majorem gehennæ pœnâ aio.* Concomitatur culpæ reatus, peccati macula, conſcientiæ vermis corrodens cor & fatigans memoriam. Dei furor, indignatio, vindicta. His poſitis ſit concluſio

Acrior eſt pœna damni quàm ſenſus.

Prima. *Deus poſſet negare gloriæ lumen, & beatitudinem ſupernaturalem cuicumque homini.* Patet ; quia, quam gloriam gratis daret, etiam gratis negare aut adimere poſſet. Nec poſſet dici negare præmium meritis, quia agimus ex hypotheſi præcidente ab omni promiſſione & pacto.

143 *An poſſet Deus homini negare beatitudinem ?*

Secunda. *Deus poſſet addicere pro libitu quemcumque æternis cruciatibus.* Qui veſtigiis Epiſcopi Hipponenſis inſiſtunt, ſic aſſertionem probant. Poſſet Deus, inquiunt, ſponte annihilare ; ergo & cruciatibus æternis addicere.

144 *An condemnare inferno.*

Quid sit peius damnari vel adnihilari?

cere. Antecedens demonstrat ipsa Dei omnipotentia, quæ nos creavit liberè, & nos liberè etiam conservat: potest igitur nos non conservare. Cæterùm, si non conservaret, in nihilum redigeremur; quoniam non-conservatio formaliter annihilatio est. Probatur consequentia. Clemens sententiæ moderatio est, pœnâ minori condemnare, illum quem possemus delere; ideò clemens servitutis sententia, quæ servat (inde nomini occasio) inimicum captivum, qui jure belli occidi posset. Atqui Deus omnes homines potest delere: ergo & affligere malo minori: Atqui cruciari doloribus mitius est quàm annihilari: ergo. Minorem admitti ab Augustino putant, quotquot navant operam ejus divinæ scholæ. Sed Bernardo durum videtur damnationem æternam adnihilationi præponi: & ideò ego ut Thesin probem ad absolutum Dei Dominium recurro.

Iansenius in suo Augustino.

Hæc doctrina omnem horrorem superare *lib.3. de statu puræ naturæ, cap.* 1. *&* 5. ait Cornelius Ianssenius. Sed cur? quia illa destruit omninò hæresim quam protrudit: at eadem ipsa illustrissimorum est Theologorum. Illam tuetur Vasquez *in* 1. *part. disp.* 104. *cap.* 4. *num.* 30. *&* 36. Suarius *Opusculo de Iustitia, sect.* 5. *num.* 11. Lorinus *vers.* 11. *cap.* 12. & alii. Et cur hæc potest Deus? Vno respondent verbo, *Quia est Dominus.*

Ea quæ Deus promisit, tenetur facere titulo fidelitatis.

Agunt Authores hi & Ego cum ipsis de absoluta potentia ab omni promissione præcisa: nam si promissionem supponamus, æternam justè viventibus gloriam, ut cantat Chorus Cisterciensis in Hymno,

Si corde rogamus pio,
Certè debet ex promisso.

Huic doctrinæ opponit Hæresis Ianseniana hanc temerariam Propositionem, *Nullum qualecumque malum inferri à Deo potest creaturæ intellectuali innocenti.* Hinc ori illa Propositio, *Non potuit ab initio Deus creare hominem qualis nunc nascitur.* quam in Bayo iterum, iterúmque damnavit Apostolica Sedes: cujus sensus est hic, [Nascuntur infantes ignorantes, mortales, imò etiam morituri; ægroti etiam aliquando, interdum cæci, claudi, deliri, fatui, &c. Deus autem primum hominem nec ignorantem, nec moriturum, nec mortalem, nec ægrotum, nec cœcum, nec claudum, nec mancum, nec fatuum, nec delirum, etiam de absoluta potentia creare potuit.] Hanc Propositionem & in hoc sensu à Bayo & à Ianseno intento condemnavit Ecclesia. Contra quam etiam militat hæc demonstratio.

Propositio à duobus Pontificibus condemnata.

Beata Virgo hujus vitæ miserias sustinuit: fuit pauper, passa est famem, sitim, &c. labores & alias plurimas incommoditates.

An B. Virgo fuerit innocens?

Ergo potest animam innocentem affligere Deus; nam illa fuit innocens; caruit enim peccato actuali, ut Concilium Tridentinum definit; & etiam originali, ut tenet consensus Ecclesiæ.

145 Tertia. *Non posset Deus facere, ut inficeretur animus innocens conscientiæ verme, reatûs memoriâ, criminis turpitudine.* Patet; quoniam in illa hypothesi (nimirùm, quod innocens affligeretur) reatus, culpæ, & crimina non essent. Hinc constat illud Dei adtributum, quod *Iustitia vindicativa* dicitur, cujus actus sunt furor, indignatio, punitio, non posse contra innocentem agere; quia sicut in anima innocenti quà tali, peccata intelligi non possunt; sic nec supplicia aut pœnæ.

An possit Deus homine creare culpâ infectum?

Hinc patet, materialem verborum tenorem non debere curari, sed sensum: hæc enim Propositio, *Non potuit ab initio Deus creare hominem qualis nunc nascitur*; est Bayi & Iansenii, & P. Hibernorum Lovanienſis Collegii: in illis hæreseos condemnatur, in istis recipitur ut certa, aut, ut fide tenenda: & utrumque meritò. Damnatur à Sede Apostolica in illis, quoniam agebant de miseriis realibus (corporeis & spiritualibus) ut paulò ante exposuimus: approbatur & laudatur in his, quia agebant de originali culpa: non enim potuisse Deum creare primum hominem originali aut actuali infectum culpâ, certum est.

146 *Pœna distinguitur à pœnalitate.*

Vltima conclusio. *Non potest Deus hominem aliquem vel minimâ pœnâ damnare sine causa.* Demonstratur; quia pœna & præmium respiciunt culpam & meritum ut necessaria connotata; ergo sicut non potest Deus facere Patrem sine Filio, nec totum sine partibus, nec numerum sine unitatibus: sic similiter nec poterit innocentem punire, nec reum præmio donare.

Sed objicis Regulam XXIII. Canonici Iuris dicentem, *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* ergo nemo innocens divinitùs damnari potest. Admitto hanc Regulam non solùm ut legem humanam, sed si velis ut veritatem naturalem. Nego autem ex ea aliquid contra nostram inferri doctrinam; quoniam distinguenda est à pœna pœnalitas, nec ego assero posse innocentem condemnari illâ pœnâ; benè tamen illâ pœnalitate affligi, modò vermem malæ conscientiæ & inimicitiam auferas, quoniam Deus nulli innocenti esse inimicus potest. Vnde cùm pœna inferni absolutè sumpto vocabulo etiam vermem & inimicitiam involvat, dicendum est hoc sensu non posse Deum etiam de absoluta potentia inferno innocentes addicere.

DISPVTATIO X.

De hominis naturali dominio in semetipsum. Sitne vitæ suæ dominus proprietarius?

147 *Resolutio.*

SI Homo licitè se occideret cùm vellet, optimè probaretur esse suæ vitæ dominus: Non tamen est bona consequentia, *Homo non se potest occidere, ergo non est suæ vitæ dominus.* Nam nec minor potest occidere armenta, & tamen est eorumdem dominus. Quoniam, si homines essent suæ vitæ domini, & tamen Petro præciperet Deus, ne se occideret, se licitè necare non posset; adeóque ex peccato, quod in suicidio committitur, non infertur necessariò homines non esse dominos sui ipsius. Sed vel non esse dominos, vel esse dominos præcepto divino impeditos.

At nos propter aliam rationem homini vitæ & mortis libertatem negamus. Ratio noſtra hæc eſt. Proprietatis dominium requirit productionem liberam & perfectam, atqui neutro homo modo produxit ſe, imperfectè generat filium (non enim corpus producit nec animum) ergo nec ſui eſt verus & perfectus dominus. Manet igitur, ut quia filios producit imperfectè, etiam illis dominetur imperfectè, hoc eſt, ut ſit dominus, non quidem uſuarius, ſed utilis, & præditus juriſdictione. Vnde cùm ipſe ſit heres ſui Patris, inter alia adivit hæreditatem ſui ipſius, & incepit ſibi eſſe dominus ſuo modo.

CÆTERVM licere ſe ipſum occidere voluerunt veteres ſuadere, quorum rationes, quoniam plauſibiles apparent, egent ſatisfactione.

Ethicorum rationes pro mortis & vitæ libertate.

Quinam præcipuè putaverint homines eſſe ſuæ vitæ dominos

OPinati ſunt multi Græci Philoſophi licere cuilibet ſibi mortem conſciſcere, imò & expedire liberari miſeriarum ergaſtulo quacumque ex cauſa. Cleantes, Chryſippus, Zeno, & multi alii ſpontè valedixerunt mundo, ut æterni triumpharent in cælo, credentes Platoni, qui Phædonem ſcripſit oſtendentem immortalitatem animarum: Lactantius *lib. 3. de falſa religione cap.* 18. Immortalitatis etiam ambitione Cleombrotus, (alii Theombrotum nominant) natione Ambraciotes, Academicæ Philoſophiæ ſtudioſus, ſe præcipitem dedit. Legi apud Lactantium; ſed hic habuerat ab Ovidio *in Ibin.*

Vel de præcipiti veniens in tartara ſaxo,
Vt qui Socraticum de nece legit Opus.

Commendavit antiquitas Cleombroti Philoſophicam reſolutionem, quam Callimachus celebravit feliciſſimo carmine, teſte Cicerone *lib. 1. quæſt. Tuſc.*

Hos fefellit veræ immortalitatis ambitio, ſed Empedoclem æternitas opinionis & famæ. Æthnæ cryptam inſiliit, ut crederetur à Diis adlectus & in cælum tranſlatus.

Etiam gloriæ ambitione Peregrinus; Philoſophus Cynicus, in pyram flagrantem Olympiæ ſe conjecit, aſſerente Luciano.

Legum obſervandarum cauſâ Legiſlator Charondas Tyrius è vita diſceſſit voluntarius. Indixerat ſub pœna ultima, ut omnes inermes ad concionem accederent, tamen ipſe ex inadvertentia aliter fecit. Ab amicis admonitus, ne contemptor publicæ legis videretur, ſibi mortem conſcivit, & donavit admiratione ſubditos, cineres plauſu, legem perennitate. Legi in Valerio Maximo *de Juſtitia.*

Caſtitatis candorem ſanguine ſuo illuſtriorem reddidit Lucretia, confoſſa propriâ manu. Publica hiſtoria eſt, nec Authoribus indiget: qui autem leges Euſebium *in Hiſtor. Eccleſ.* & Nicephorum *lib. 7. cap. 21.* reperies aliam Romanam Lucretiam, ſed veteri puriorem. A Tarquinio oppreſſa, imò violata fuit Lucretia, & non omninò involuntaria, quoniam dedecoris timore acta conſenſit temeritati Regiæ. Se adultera occidit, ut crimen ſanguine expiaret. Sophronia Matrona Romana à Principe Decio opprimenda, conſentiente marito ſe occîdit. Verè non quia fuerat adultera, ſed ne eſſet. Maluit devivere ante crimen, quàm adulterio etiam involuntario ſupereſſe. Legitur etiam apud Senecam *in Medea* Alceſtin filiam Perilai ſe transfixiſſe in teſtimonium amoris connubialis. Cùm ſuum conjugem Acaſtum moribundum reſpiceret, voluit aut ipſum prævenire, aut ſaltem comitari; aut, ſi malis ſubornare Parcas, ut animam agenti parcerent. Aria Ariæ mater, ne Pætum maritum ſuum morte condemnatum carnificis crudelitati ſubditum cogeretur reſpicere, ſe transfixit; & gladium viſcera confodere edoctum conjugi tradidit. Martialis *lib. 1.*

Caſta ſuo gladium cùm traderet Aria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſe ſuis:
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Multorum vitas Patriæ amor non ſolùm armatus manu hoſtili, ſed & amicâ, imò & propriâ delevit. Thebaïdos primo Statius meminit Menœcei, qui ſe confodit, ut Thebas liberaret.

Ethnici non omne ſuicidium laudarunt.

Omitto reliquos, qui aliarum virtutum obſervantiâ ſponte è vita diſceſſerunt, quorum exitus, genethlia fuit nominis ſempiterni. Non libuit recenſere illos, qui odio Patriæ, amicorum; morbi impatientiâ, furore, amentiâ, ſcelerum conſcientiâ, ſtimulante ambitione, pudore confundente, ignobili metu turbante; quoniam & actus ſimiles ipſimet veteres condemnaverunt, qui laudabant mortem honeſtam, nec tali nomine dignam aſſerebant quæ non virtutis ſoboles. Hanc vocarunt εὐλογον ἐξαγώγιν, hoc eſt, *educere ſe ex vita cum laude*, vel ut lemma Guſtavi Suecorum Regis tranſtulit, *Pulchrum mori.* quoniam ἐξάγειν ἑαυτὸν ſonat *extrahere ſe ex hac vita tamquam ex carcere & cuſtodia.*

Horum & plurium quos omiſi, authoritas ſuadere videretur eſſe licitum ſibi mortem conſciſcere; rationes Iuſtus Lipſius tetigit *in Traſea, & Epiſt. 22. Centuriæ 11. Miſcellaneæ,* ſed pro veterum mente, & Stoïcis adhærens, qui aſſerebant vitam arbitrii noſtri eſſe, ſi honeſto fine.

An ſibi mortem conſciſcere, ſit fortitudo?

Primò igitur ſuaderi poteſt. Virtutis exercitium ſemper fuit commendabile; cúmque conſtantia virtus ſit, ejus praxis condemnari non poteſt. Atqui ſibi mortem conſciſcere, eſt actus primarius fortitudinis, conſtantiæ primogenita ſoboles: ergo & licet.

An neceſſitas?

Secundò. Neceſſitas legi non ſubeſt; ſed ſæpè mortem ſponte oppetere neceſſarium eſt: non eſt igitur lex, quæ talem actionem interdicat. Ergo unuſquiſque ſuæ morti & vitæ dominatur. Major eſt certa, quia iuxta Regulam XLI. non eſt peccaminoſa omiſſio, ſi fuerit neceſſaria; ergo neque commiſſio, cùm nulla ſit diſparitatis ratio. Minorem probas. Tenetur homo honeſtè vivere; ergo tenetur è vita egredi, ne ignominioſè vivat. Et confirmatur ex contraria ſententia. Qui teneris tueri propriam vitam, non poteris in domo vacillanti & periclitanti remanere, ſed debes egredi antequam collabatur, ne vitam perdas. Atqui immortalis animus tenetur honorem tueri & defendere, habitat in corporis

corporis ergastulo, ob cujus cōsortium ignominiarum capax redditur. Ergo, qui ignominiam prævidet, si sententiam exspectet, deserat corpus ante illatam, fiat dedecoris incapax vitâ excedens.

RESOLVTIO.

148 *Quæstio ex vero fundamento dissolvitur.*

NOn se produxit homo, ideóque non habet in se, hoc est, in suam vitam naturale proprietarium dominium: qui se occidit, injustè operatur; destruit enim rem alienam invito, imò lege expressâ contradicente vero domino. Nam destruit vitam titulo proprietarii dominii Deo subditam, ipsomet Deo in quinto Decalogi inhibente. Scripturarum & SS. Patrum testimonio, homo vitam mutuam accipit à Deo, sine cujus licentia illam destruere non potest. Sapient. 16. 13. *Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Subscribit D. Thomas *quæst.* 54. *art.* 3. *ad* 2. & *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 1. & 3. Cajetanus *quæstione* 73. *art.* 3. Victoria *relect. de homicid. num.* 23. Sotus 4. *de Justitia, quæst.* 2. & 3. Valentia *quæst.* 10. *punct.* 1. Arragonius & Bañez *quæst.* 66. Dicastillus *de just. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 1. *num.* 94. & alii.

Vita Dominus Deus.

Argumentis satis.

An erraverint & peccaverint veteres qui se occiderunt?

NEc adlata pro contraria sententia alicujus sunt roboris; omnia enim exempla, quibus vitæ & mortis libertas suadebatur, condemno, omnésque illos Philosophos, quos indocta celebravit Antiquitas, nisi fortè, quod multi putant, invincibili ignorantiâ excusentur, violati juris divini reos ago. Omissis igitur authoritatibus ad rationes iuccedens.

Se occidunt pusillanimes, non fortes.

Primam examino, & admitto virtutis exercitium condemnari non posse; nego autem sibi mortem conscíscere esse primarium actum fortitudinis, nam demonstrante Senecâ sese soli occidunt pusillanimes; illi, qui non sunt imminentibus malis tolerandis; qui enim superiores sunt imminenti infortunio, non tentant tali via miserias instantes evadere.

Ad secundam nego posse dari casum præter præceptum Dei, in quo sit necessarium mortem subire illatam propriâ manu.

Ad probationem admitto debere homines honestè vivere; nego debere devivere, ne ignominiosè vivant: ratio est, quia non est mors medium aptum ad evadendam ignominiam; bene enim compatitur cum honore vita, si bonis moribus imbuta; &, si bene consideretur, infame est sibi mortem conscíscere, est enim irrationale facinus & belluino crudelius.

Sed quia etiam in sacris Litteris & Catholicorum historiis actiones nonnullæ reperiuntur, quæ videntur tueri mortis & vitæ libertatem, placuit adhuc clausulas sequentes subjicere.

De Samsone.

149 *Samsonis vita & mors.*

MIrabilis est Samsonis historia, quam Liber Iudicum expendit. Nascíturus Angelicâ legatione prædicitur, matri priùs, posteriùs patri: & natus benedicitur à Domino, *Iud.* 13. Hæc benedictio tantis eum armavit viribus, ut potuerit leonem lacerare, *Iud.* 14. mille Philistæos solus & inermis prosternere, *Iud.* 15. & Gazæ urbis valvas benèæratas abrumpere, & invitis cardinibus extrahere, & in montem subvehere, *Iud.* 16. Hæc virtus fuerat non solùm miraculosè indita, sed & miraculosè conservata. Capillis verè debilius nihil, ideò in illis constituit Dominus vires Herculeas, ut ostenderet suam omnipotentiam. Invictas Samson vires, non à robustæ vitæ fonte-corde, non à cerebro nobilissima sensuum scaturigine; sed à capillis debilissima totius corporis parte participabat: ut eas non adtribueret fragilitati eorum, qui tonsoris forcibus cessérunt, sed Deo divinitùs communicanti. Dalilæ uxoris fraude tonsus capitur, obcœcatur majoris securitatis causâ, detruditur in carcerem, & addicitur torquendo saxo, conviciis affligitur, opprobrium hominum & objectio plebis reputatur. Cùm jam capilli excisi renasci cœperant Philistæi Satrapæ conventûs diem indicunt, ut Dagoni Deo suo in epulis & sacrificiis gratias agerent. Præcinentibus Primoribus confusum vulgus consonans, ingeminabat;

Quid capillis debilius? & tamen debilia mundi eligit Deus, ut fortia quæque confundat.

Vnde vires habuerit Samson?

Capitur & excæcatur.

Tradidit ecce Deus nobis Dagon optimus hostem
Samsonem, lachrymis succedant gaudia fusis.

Se interimit.

Reboantes promiscui vulgi voces fornices Palatii resumebant, ita ut tæderet Samsonem vitæ suæ expositæ tali confusioni. Apprehendit duas columnas Atlantes totius domus, & invocato Domino diruit, domum totam subvertit, & interimit se, & quasi ter mille alios, qui aut illi illudebant, aut illam scenam spectabant.

Historia est curiosis dubiis gravida, sed indiget altiori expositione.

Prima hujus actionis Ponderatio.

150 *An possit excusari Samson?*

NOn defuerunt severi Expositores, qui actionem Samsonis condemnarent, asserentes illam fuisse præcipitem, & mortis propriæ veram necnon directam causam, nec excusari posse à culpa gravi.

Quod si objicias hoc facinus fuisse præstitum invocato Domino, literam meditantur. Sacer textus *Iud.* 16. 28. sic habet. *Ille* (nempe Samson) *invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dexterâ, & alteram lævâ tenens, ait; moriatur anima mea cum Philistæim: concussísque fortiter columnis cecidit domus super omnes Principes & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multóque plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.*

Ex his verbis contra Samsonis sanctitatem arguunt: *Primò.* Quia bene dicitur Samsonem petiisse à Deo licentiam, non tamen asseritur concessam fuisse: ergo præsumendum est Deum talem ipsi licentiam denegasse; quia si concessisset, non subticuissent sacræ literæ circumstantiam, quæ esset verè necessaria ostendendæ ejus ingenuitati. Addunt

non profuisse Samsoni illam moralem Regulam (Bonifacio quadragesima tertia) *Qui tacet, consentire videtur.* Prodesset enim si Deus loqui teneretur, at Deus loquendi obligationem non habet.

An semper vindicta sit mala?

Secundò. Nec ipsa oratio carere videtur reprehensione & amore vindictæ: volebat enim se ulcisci de inimicis. Vindicta autem ex suo genere culpa mortalis est, reddens malum pro malo.

An Samson desperaverit?

Tertiò. Illa verba ultima, quæ Samson protulit, desperationem arguunt, *Moriatur anima mea*, inquit, *cum Philisthiim.* Ergo & sibi non solùm corporis, sed & animæ mortem apprecatur.

An se directè occiderit?

Quartò. Ne quis dicat eum directè occidisse Philistæos & indirectè se, priùs sibi optavit mortem quàm illis: se igitur persequebatur directè, Satrapas & alios indirectè. Ergo inexcusabilis est furor ille, quo sibi mortem consciv.

Secunda Expositio.

151 ALii asserunt Samsonem se indirectè occidisse, & Philistæos directè. Illustrant exemplo communissimo. Multi naucleri Christiani, ne subsint imperio inimicorum, & ne ipsi spoliis suis potentiores reddantur, accenso pyrio pulvere directè navim perdunt, indirectè seipsos. Vidimus tabellarios in mare exsilire, ne hostes discerent politica arcana: ergo similiter potuit Samson collidere ædificii columnas, arcem illam subvertere & intendere Satraparum excidium etiam cum vitæ propriæ dispendio.

An Navarchus possit propriam navim incendere? An se tabellarius præcipitare?

Multa valde dubia supponit hæc secunda Expositio, multa valde periculosa & obnoxia summis inconvenientibus, quod enim de tabellario dicitur, falsum omninò est; & quod de Navarcho à paucis assertum, & à multis viris magnis negatum: idcirco missam illam faciens genuinam resolutionem dabo.

Tertia Expositio.

152 GErmana historiæ Samsonicæ explicatio ejus ingenuitatem tuetur, & asserit eum se occidisse aut per se aut per accidens, directè aut indirectè, sed ex divina permissione. Licentiam à Deo petiisse constat, illam fuisse concessam non tam asserit quàm supponit Bernardus lib. de præcept. cap. 7. dicens: *Vnum exemplum pono: quod occurrit de Samsone, qui* (Iudic. 16. 9.) *se ipsum, unà cum hostibus opprimens interfecit. Quod utique factum, si defenditur non fuisse peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter credendum est, etiamsi de scriptura id non habeamus.* Et quidem illum non peccavisse colligo ex multis circumstantiis præcipuè tamen à viribus quas divinitùs adeptus est. Petenti enim robur ut domum illam subverteret & se & Philistæos occideret, concessit illud Deus miraculosè; si enim illud non concederetur divinitùs, diruendæ domui non sufficerent vires Samsonis naturales: obtinuit igitur Samson licentiam, ut se occidens deleret Philistæorum Primores. Non ergo arguendus venit, qui se de medio sustulit obtentâ facultate à Domino: quod expressè habet Augustinus lib. 1. cap. 20. à medio tom. 5. *Nec Samson aliter excusatur quod se ipsum cum hostibus ruinæ domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Non ergo injussu Dei se interemit: & hæc sunto satisfactioni argumento primo.

An se occiderit Samson Deo jubente?

Quo sensu vindicta sit bona?

Ad secundum dico ultionem & vindictam posse bifariam sumi; nempe, ut medium respiciens bonum publicum, & ut finem seu scopum actionum humanarum. Samson non intendebat vindictam ut finem, sed eligebat ut medium: nempe optabat mortem Philistæis non in eorum ruinam solummodò, sed utilitatem publicam, & divini nominis exaltationem.

Quid significet, Moriatur anima mea, *&c.*

Ad tertium affero phrasin illam *Moriatur aima mea*, æquivalere huic *Moriatur vita mea*, quia nomen *Anima* non pro rationali animo, sed pro vita corporea sumitur, & aliquando pro viventi. Occurrunt multa sacræ Scripturæ testimonia in solidam asserti probationem. Sed sufficiant verba Principis ab Abrahamo devicti & dicentis, *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

An Samson potuerit se occidere directè?

Ad ultimum. Sive dicatur Samsonem se directè occidisse, sive indirectè, statuendum est ipsum non peccavisse. Ratio est, quia non imputantur actiones indirectæ, & Samson potuit se directè occidere, habuit enim à Deo concessam facultatem: quâ licentiâ suppositâ sequitur illum non peccavisse. Porrò obtinuisse licentiam à Deo videtur colligi ex illis verbis, *Redde mihi fortitudinem pristinam.* Carebat tunc viribus Samson: petiit illas à Deo, obtinuit. Ergo processit ex divino consilio, ut meus asseruerat Bernardus.

De Filio Prophetarum.

153 LEgimus 3. Regum 20. quempiam ex Filiis Prophetarum (Religiosi erant veteris testamenti, de quibus disputo Commentarij in Reg. Benedictinam *num.* 165.) iussus à domino dixisse socio suo; *Percute me.* Obstupuit alter, & percutere noluit. Cui ait, *Quia noluisti audire vocem domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo.* Et fuerunt verba practica; quia discedens inde occurrit leoni crudelissimo, & dilaniatus est. Sed & Prophetarum Filius socio alteri, *Percute me;* ille satisfaciens Divino indicto, vulneravit.

An liceat percutere, id petentem?

Resolutio.

Hîc notandum est, *Primò* se hunc Prophetam vulnerasse moraliter, cùm alterius ministerio physicè utebatur.

Secundò, socium debuisse illum percutere, quia aliàs non incidisset in leonis ungues criminis expiatores.

Tertiò, ipsum Prophetam debuisse sollicitare socium, ut se percuteret; quia id præceperat universalis ille Dominus, cui subsunt omnium vitæ. Propheta igitur non sollicitavit socium nomine proprio, ut se vulneraret: alter percussit eum, non tamen ut humanæ petitioni acquiescens, sed uterque operatus est ut Domino sincerè obediret: aliàs enim peccasset Propheta, si nomine proprio sollicitaret percussurum; peccasset socius posterior qui ei obediit; justè operatus fuisset prior, qui ei pepercit, contra quem & injustè cieretur leo vindex.

De

De Martyribus.

154 *An licitè se in ignes aut in undas projecerint?*

HAbemus Orthodoxorum testium exempla paralella. Sollicitant admirationem Agiographa, excitant eorum vitæ, quos legimus pro justitia & veritate passos. Innumeri tyrannorum minas, furias, diras, horrores, supplicia, cruces, & pyras non solùm contempserunt, sed & invicti superarunt. Fragiles putabantur, cùm fuerunt tormentis diris adjudicati; triumphum adepti sunt de inimicis, quorum expectationem perseverando fefellerunt. Multi asseruntur ultrò in medios rogos, multi etiam in medias undas exsiliisse; quos imitari non expedit, non licet condemnare. Alii aliter, si velint, harum actionum generositatem tueantur: ego vel operantium probabili dictamini adtribuo, ac propterea prudenti, asserens has actiones fuisse formaliter bonas, materialiter malas; vel ad dispensationem aut præceptum Domini recurro, quo dispensante poterant, præcipiente debebant hujusmodi actiones operari.

DISPVTATIO XI.

De authoritate patriâ, posito quòd generatione activa adquiratur dominium proprietatis naturalis in filios.

155 *Lege attentè, & me agere ex suppositione scias, ne hallucineris.*

CVM ago de authoritate patria suppono *Primò*, patrem non esse avo subditum, quia filius ante avi mortem moralem aut physicam genitus, non nascitur patri, sed avo; ut optimè notant multi Authores, §. *de patria potest. l. sic eveniet* 21. *ad l. Iul. de adult. in P. l.* 4. *de iis, qui sui vel al. jur. in P.* nam mortuo avo succedit hæres filius, & incipit esse suorum filiorum, hoc est, nepotum avi dominus.

Suppono *secundò*, patrem esse verum & proprietarium filij dominum. Consultò hoc suppono, non affero; quia falsum esse sequenti Disputatione ostendam; sed modò, ut radicitùs cognoscatur ethnica parentum authoritas, opus est hoc supponere, ut naturam dominii proprietarii noscamus.

Suppono *tertiò*, non esse aliquam superiorem legem, quæ filicidia inhibeat. Ex his hypothesibus præmissis infero has conclusiones.

De potestate vitæ & mortis. Prima, *Pater haberet authoritatem vitæ & mortis.* Patet; quia supponitur habere proprietatis dominium, & hoc est jus interimendi & conservandi.

156 *Sed obiicis.* Malum est filio occidi: ergo quando pater occideret filium, inferret ipsi malum, saltem physicum. Ergo exspoliaret subjectum formâ debitâ. Patet hæc consequentia, quia cadaver filii occisi maneret cum privatione vitæ, ergo cum carentia formæ debitæ; privatio enim carentia est, non quæcumque, sed debitæ formæ. Hinc sic. Nemo potest moraliter tollere à possessore quod illi debetur moraliter: nemo igitur tollat physicè, quæ subjecto debentur physicè & naturaliter.

157 *Vitæ filii an sit dominus filius, an pater? an etiam mater?*

Ethnici, qui vitæ & mortis parentibus authoritatem tribuunt, occurrunt huic rationi dicentes, malitiam esse carentiam bonitatis debitæ; negantes occidi à patre esse physicè malum: quia pater occidendo tolleret quod tribuerat, & filius redderet quod receperat, nempe vitam, cujus ipse filius non erat dominus, sed pater. Addunt privationem non esse carentiam formæ debitæ, sed formæ in subjecto capaci. Vita autem quâ privaretur filius, non esset ipsi debita; esset tamen communicabilis, quia hic esset vitæ capax, ut per se patet. Cùm igitur vita filii, non filii, sed patris dominio subsisteret, si quis eam directè adimeret, inæqualis esset non filio, sed patri, quem privaret filio. *Directè* consultò dicunt, quia indirectè occidere in illa hypothesi quis posset sine inæqualitate, imò & modò potest sine iniquitate; puta cum directè propriam vitam, famam, aut divitias propugnat, quas aliter defendere non potest.

Quid sit privatio?

158 Secunda. *Si mater concurrit physicè, etiam habet authoritatem vitæ & mortis; aliàs, non.* Dubitant Naturales, an mater concurrat ministrando materiam, an etiam effectivè producendo compositum. Si supponeremns hoc ultimum, deberemus asserere utrumque parentem activè concurrere, & producere filium in genere causæ principalis: & subinde utrumque simul vel neutrum (non enim esset major ratio unius quàm alterius) esse filii dominum, non alterutrum. *Quia sicut* in moralibus, quod communitas possidet, non potest à privato viro sine aliorum consensu alienari; iuxta illud, *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, vi cujus Regulæ, quæ est LXXVI. Si Monachus privatâ authoritate fundum venderet, peccaret quidem, sed non obstante isto delicto venditio esset invalida: *sic etiam* vita filii, quæ patris & matris indiviso dominio subsisteret, non posset ab altero seorsim tolli. Pater, qui matre invitâ filium occideret, si illum ipsâ volente interimere posset, esset quidem inæqualis, non filio occiso, sed suæ uxori, contra cujus voluntatem id faceret. Ratio est; quia ex Regula LVI. *Potior est conditio prohibentis.* Et specialiter in nostro casu, quoniam sicut pater sine sua uxore non posset filium gignere, sic etiam nec solus illi dominari. Possent igitur eum vitâ privare, qui dederunt, non alteruter.

Confirmatur: Si pater tantùm produceret filium, ipse unus eum interimere posset; atqui ipse non potest sine conjuge filium producere: ergo sine conjuge illum occidere non potest.

159 *Vxor marito subditur.*

Dices. Licet mater concurrat activè, non habet in filios aliquam jurisdictionem, quoniam non est principalis & absoluta causa, sed subordinata. Probas; quia si filius est matri subditus, ipsa subditur patri: maritus enim uxori, naturâ id disponente præsidet. Ergo mater non posset filium perdere sine patris licentia; pater posset inconsultâ, imò & invitâ matre.

Et cur? An ex natura rei: an verò

Respondent uxorem nunc de facto apud nos esse marito subditam, præcipiente Domino

ex præcepto divino?

mino Geneſeos 3. ut ſubeſſet conjugi in pœnam commiſſi peccati. *Multiplicabo*, inquit Dominus, *ærumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* apud ipſos, qui Biblia ſacra non admittunt, non eſſe. Ad formam autem ſyllogiſticam ex hypotheſi, quod lata non fuiſſet naturalis lex, multi negarent aſſumptum, & aſſererent patrem & matrem ſine ſubordinatione æquè primò concurrere, & in generationis praxi non minùs patrem à matre, quàm hanc ab illo dependere. Licèt enim mulier ſubordinata viro ſit, non ideò vir ſine uxoris licentia poteſt vendere domos, fundos, cenſus & quæ in communi poſſident, ſemper enim urget Regula illa L V I. quæ docet iure communi, hoc eſt in re à multis poſſeſſa, pro prohibente judicari debere: ergo conſequentiâ doctrinæ, nec poſſet filium occidere ſine licentia matris.

160 *Quæſtio curioſa & ſubtilis ſuccurrens.*

Poſito quòd parentes ex communi conſilio poſſint interimere filios, ulteriùs progrediebatur Ethnicorum Theologia; examinabat enim, *An mortuo altero parente ſuperſtes parens poſſet filios occidere?* Verbi gratiâ. Lucius & Claudia habuerunt filium Brutum, quem Lucius non occîdit, quoniam contradicebat Claudia: moritur iſta; & iterum Lucius Brutum adoritur, & occidere vult: inquiritur autem, an poſſit? Staret pro parte affirmativa Lucium eſſe unicum filii dominum, adeóque ſine alîus licentia filium interimere poſſe. Antecedens probatur, quia ſupponitur Lucium & Claudiam eſſe ſolùm Bruti cauſam & proprietarios dominos, & Claudiam interiiſſe, ac propterea totum Claudiæ dominium devolvi ad patrem. Staret pro negatrice, maritum non eſſe phyſicum & naturalem uxoris ſuæ hæredem filio ſuperſtite, qui eſt naturalis imago & reſtauratio patris & matris. Vt igitur dubio ſatisfacias proderit Concluſio

161 *Reſolutio.*

Tertia. *Ex hypotheſi, quod parentes communi conſilio filios occidere poſſent, ſtando juri naturali reali, & ab omni morali præſcindendo, mortuâ Claudiâ uxore Lucius poſſet invitum Brutum interimere: imò & Claudia, ſi Lucio marito ſuperviveret.* Patet conſequentia; quia remaneret totalis Bruti domina, in genere dominii naturalis. Hoc ut altiùs intelligas adnotato bifariam poſſe concurrere duas cauſas ad productionem alicujus effectûs: nempe, vel partialitate cauſæ, vel partialitate effectus. Effectus partialitatem illæ cauſæ concernunt, quæ ſimul producunt totum effectum, non verò ſeorſim. Patet in igne; calefacit, incendit, illuminat; ratio autem calefaciendi eſt calor, illuminandi lux: hæc non calefacit, & ille non illuminat. Simul verò lucidè calefaciunt, ſive calidè illuminant. Vel ſi diſtincta ſuppoſita deſideres, conſidera duos bajulantes unum & eumdem lapidem. Verè ipſi duo portant lapidem totum, non tamen unicuique incumbit totum pondus; ſed analoga ponderis pars. Partialitate cauſæ illi dicuntur concurrere, quorum quicumque producit totum effectum indiviſibilem. Tales ſunt Deus & homo, cùm aliquid phyſicum producunt; quia totum id quod homo producit, etiam producit Deus, nec dari poteſt in effectu realitas, quæ à Deo non ſit etiam producta. *His poſitis*, ad patriam authoritatem revertamur. Si parentes concurrerent partialitate effectus, puta, ſi alter partem contribueret, & altera aliam partem, poſſet alter repetere quod dederat, non tamen quod conjux. Verbi gratiâ. Ex materia deciſa à patre multi putant non fieri totum corpus, ſed ex utraque, quod videntur convincere filii, qui partim aſſimilantur patri, partim matri. Hi Authores ut conſequenter loquantur aſſerunt poſſe patrem repetere materiam quam dederat, etiam deſtruendo filium; quia repeteret quod ſuum eſſet, & filii mors ſequeretur per accidens. At hoc ab aliis non admittitur, quia ſi Petrus & Ioannes ædificarunt domum, ille dando lateres, hic laborem adhibendo, non poſſet ille repetere ſuos lateres & domum diruere ſine alterius licentia. Multi autem putant parentes non concurrere partialitate effectus, quod putent ſemen utriuſque virtute generativa foveri & animari. Cæterùm materia prima non cadit ſub dominium naturale humanum, quia à nemine produci poteſt: deciſa autem materia erat actuata ſeminis formâ [ſubſtantiali vel accidentali] quæ jam periit, & ideò hoc titulo ad neutrum parentem pertinet, ſive totam mater dederit, ſive totam pater, ſive partem alteruter. Ergo ſubſtantia, quæ de novo producitur, non pertinebit ad illos, qui dederunt materiam, ſed ad cauſam principalem efficientem: hæc autem conſtituitur æquè patre & matre, qui partialitate cauſæ ad totum effectum concurrunt. Pater totum filium genuit, totum mater. Vterque ergo eſſet dominus filii quamdiu viveret; defuncto alterutro conjux ſuperſtes ſicut ſolus remanet, ſic etiam ſolus eſt filii dominus.

Quid dicendum, ſi parentes partialitate effectus concurrerent?

An materia prima poſſit cadere ſub dominium?

Dices, hinc ſequi patrem matre invitâ poſſe filium interimere: & probas, quia eſſet totius filii dominus. Ergo poſſet totam vitam adimere, quia totam dederat. Admitto patrem eſſe totius filii dominum, nego autem eſſe dominum totalem, unde meliùs *Condominus* quàm *Dominus* dici deberet, quia filii indiviſibilis entitas pertinet æquè ad duos nempe ad patrem & matrem, non tamquam ad duos dominos ſeu cauſas, ſed tamquam ad unum dominum & unam cauſam. Qui ſicut per modum unius principii filium produxerunt, ſic etiam per modum unius domini filio dominantur. Fateor tamen ſemper manere exponendum cur non eſſet Brutus hæres Claudiæ: qui ſi eſſet, haberet in ſe tantam authoritatem, quantam mater habuerat, nec poſſet invitus occidi. Subtiliora hæc ſunt. Tu conſidera.

162

Cauſa duplex: totalis & partialis: & hæc iterũ duplex, nempe partialitate cauſæ, & partialitate effectus.

Multi Medici & illuſtres Theologi negant utrumque (nempe patrem & matrem) activè concurrere ad generationem: dicunt alterum concurrere efficienter, & alterum purè materialiter. Vter tamen? Inquiſiverunt olim Ariſtoteles 1. *de nat. an.* Cenſorinus *de die natâ.* Nemeſius *de nat. homin. cap.* 14. Plutarchus *de placit. Philoſ.* Avicenna *lib.* 3. *de nat. hom. cap.* 24. Cælius Rhodiginus *lib.* 3. *lect. antiq. cap.* 42.

163 *An mater activè ad generationem concurrat?*

Galenus fœtum plus à matre quàm à patre ſuſcipere affirmavit: & Rodericus de Arriaga matri uni activitatem adſcripſit *lib. de Anima.*

An ipſa ſola?

quia

quia sæpè contingit filium gigni patre jam mortuo, ergo non ille qui aut mortuus, aut absens saltem est, sed mater quæ nequit non esse præsens creatam animam uniendo, filium activè generat. Alii è contrario concedunt matri concursum purè materialem, ita multi Philosophi.

Ratio, quæ aliquos Theologos ab hac sententia ablegat nullius momenti est. Sequeretur, inquiunt, Deiparam non produxisse activè Christum Dominum, quod non posset asseri sine Deiparæ summa ignominia.

Quo Deipara modo concurrerit? An fuerit Matripater?

Respondeo, Virginem fuisse Christi matrem veram & realem, nec posse negari illi prærogativam aliquam naturalem, quæ aliis matribus concedi soleat: quapropter dicenda est Virgo concurrisse efficienter, si aliæ sic censeantur concurrere; sed non, aliàs. Non enim, nisi commodo sensu verba exponant, audiendi sunt illi, qui Virginem *Matri-patrem* seu *Virilem-matrem* appellant, ipsa enim non præstitit, quæ vir faceret; quia Spiritus-Sanctus supplevit virilis seminis activitatem.

An Deipara fuerit Matripater? An virilis-mater?

164 *Veterum opiniones.*

Ferè omnes Gentes jus vitæ & mortis non matri, sed patri concesserunt. Romulus patrem vitæ & necis habere potestatem declaravit, asserente Dionysio Halicarnasseo *lib. 2. antiq. Roman.* ubi sic. *Romanorum autem Legislator omnem ut ita dicam potestatem dedit patri in filium, idque toto vitæ tempore, sive in carcerem eum mittere, sive flagris cædere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat, etiam si filius tractet Rempublicam, etiam si Magistratus gerat maximos, etiam si liberalitatis laudem publicè sit emeritus.* Matres lege expressa excluduntur, §. *Fœmina de adopt. l. mulierem. C. eod. §. cæteri de her. qual. & differ. ad Iustin. l. nulla. de suis & legit. 4. §. nam testamentum. de bono poss. cont. tab. l. nam & fœminæ de adopt. in P.* Huc respiciebat Phalaris, cùm ad uxorem Erythriam scribens *epist. 54.* affirmat jure rigidissimo (sic naturale nominat) filios esse patris, non matris; humano autem, (hoc est morali & positivo) utriusque Galli etiam patri authoritatem necis & vitæ concesserunt. Testor Iulium Cæsarem, *lib. 6. Comment. belli Gall.* & Prosperum Aquitanicum *in epist.* Apud Persas etiam filii suberant patri, ut mancipia hero, asserente Aristotele *lib. 8. Ethic. ad Nicoma. cap. 20.* quibus subscribebant Moscovitæ, ut refert Sigismundus Liber Baro *Comm. rerum Moscov.* Ægyptii, quia poterant res suas prodigere, etiam filios impunè interimebant: impunè quidem, quia sine pœna facit, quæ sine gravi gravia. Filicida enim lege Ægyptia tenebatur cadaveri triduò adsistere. Ita Dionysius Siculus, *lib. 2. Biblio.*

De patria in filios potestate.

De authoritate Matria.

Matria authoritas apud Lycios & Locros, qui genus suum à matribus, non verò à patribus repetebant, ut testatur Herodotus *in 1.* Sed & Cicero pro Sexto Roscio maternum sanguinem paterno antepositi. *Sic*, inquit, *se res habet (Iudices) magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem, maternus paternusve sanguis.*

De subjectione nepotis.

Sed inquiris, *An pater non solùm filii sit dominus, sed etiam nepotis?* Suppono patrem in filium filiæ, dominium non habere; quia nec habet ipsa, dubito an nepos ex filio subsit avo?

Ad emancipationem sine causa recurreretur, quoniam emancipatio moralem patris mortem exprimit, quæ ante legem moralem intelligi non potest. Sit igitur Conclusio

An emancipatio ad Ius naturale pertineat?

Quarta. *Petrus haberet non solùm dominium naturale in Lucium filium; sed etiam in Lucii filios.* Probatur, quia Petrus dedit Lucio vitam immediatè, mediatè Lucii filiis, qui non essent in vivis, si Lucium Petrus aut non genuisset, aut occidisset antequam illi gignerentur. 165

Quinta. *Nepos subderetur patri & avo.* Ratio est, quia vitam à patre reciperet dependente ab avo: ergo reciperet à patre & avo, ab hoc mediatè, à patre verò immediatè. 166

An servitus sequatur matrem?

Obiicis. Servitus ventrem sequitur, non patrem: unde Lex, *Partum, C. de rei vind.* decernit, ut ancillæ domino subjiciantur etiam ancillæ filii: quod & supponit Ius Cæsarium *Instit. de Ingenuis, §. sed & si quis.* reddens huic decreto aliquas prudentissimas limitationes. Ergo, vel dicendum est hæc jura esse contra naturam rerum; vel addendum, patrem nepoti ex filia, non verò nepoti ex filio dominari.

167 *An etiam jurisdictio in filios?*

Respondeo Naturam res ipsas respicere secundùm se; leges humanas res ipsas quà probabiles. Idcirco humanæ authoritati actus merè internos non subdimus, quoniam humanitùs cognosci nequeunt. Si filium, ut per testes probabilem consideres, matrem habet, non patrem. Nam ex Reg. VI. *Respicimus in obscuris, quod est verosimilius,* & quidem sæpiùs probari potest, cujus matris sit filius: sed cujus patris sit plenè probari, numquam, aut rarò potest. (ago de probatione positiva, quoniam negativa probatione, quâ contentæ sunt leges humanæ, patrem plenè interdum probari certum est.) Si autem filius consideretur secundùm se, parentes respicit: & in veterum Ethnicorum sententia, patrem ut causam efficientem, matrem ut ministrantem materiam fœtui, ut nondum natum sanguine nutrientem, ut natum lacte. Multa sunt, quæ filius matri debet; multa quidem, sine quibus vitam non haberet; vitam tamen in multorum sententia debet uni soli patri. Prudentissimè igitur Legislatores filium subdunt civiliter domino matris, non verò domino patris; quia iste verosimiliùs cognoscitur, cùm non possit de patre, & inter servos & homines viles, haberi certitudo moralis.

Quomodo concurrat mater antiquorum sententiâ?

168 *Objectio.*

Addis. Ergo in tali casu, ancillæ & servi filius pertineret naturaliter ad dominum patris, & civiliter ad dominum matris. Ergo, si patris domino serviret, satisfaceret obligationi naturali.

Servitus non est naturalis, sed moralis.

Respondeo. Servitus obligatio moralis est, non naturalis: ideò non datur naturale debitum serviendi. Hinc est, quod illa proles non deberet pertinere ad dominum servi, imò nec ad ipsum servum, cui aliàs occidendo vita conceditur secundùm leges Reipublicæ, in qua servit: nempe indulgetur ei vita mera, & dominio naturali, quod haberet in filios, politicè privatur, & hoc ad dominum matris transfertur.

Quid illa sit?

169 *Objectio altera.*

Instas. Qui nascitur ex ancilla & libero mancipium est: ergo leges cognoscunt filios esse matri naturaliter subditos; non patri.

Patet consequentia. Quia si naturaliter filius non sequeretur matris conditionem, hujusmodi proles naturaliter libera esset: ergo esset contra rerum naturam illam mancipium reddere & addicere perpetuæ servituti.

Cur servitus ventrem sequatur?

Respondeo. Non esse contra naturalem rerum dispositionem commutari seu transferri dominium. Leges jubent ne liberi cum ancillis misceantur: si fecerint, condemnant eos privatione authoritatis patriæ, & hanc concedunt parti læsæ, nempe ancillæ domino. Sed istæ objectiones hypothesin illustrant & implicant; quia nascuntur ex legibus humanis, quas hypothesis nostra non admittit, agimus enim de rerum statu ex suppositione quod entia moralia non essent. Addatur Conclusio.

170 Sexta: *Si fœminæ non concurrant physicè, & ideò mater non habere in filios potestatem dicatur, mortuo patre filius nemini subderetur ceu naturali domino.* Probatur: nam supponitur obiisse ille, qui filio vitam dederat in genere causæ effectricis. Cujus igitur est vita ipsius?

An se occidere possit filius familias? Cui injuriâ faceret, si se occideret? Cui injuria fieret, si ab alio occideretur?

Si occideret se filiusfamilias esset patri inæqualis; perderet enim vitam, quæ non erat suiipsius, sed parentis. Idem dicito, si ab alio occideretur: quia homicida non esset inæqualis filio occiso, quem spoliaverat vitâ; sed patri, qui erga filium habebat necis & vitæ authoritatem.

171 Dicis homicidam hujusmodi futurum fuisse etiam inæqualem filio occiso, quia is habebat vitæ usum concessum à patre, & jus illa utendi donec pater eam tolleret.

Patri simul & filio: an soli patri?

Respondeo, hoc jus non esse physicum, ut patet, & pro illo rerum statu morale esse non posse; agimus enim de rebus consideratis ante Decalogum & mores. Ergo instantia esset fortis, si supponeremus Decalogum; à quo abstrahimus rerum ordinem physicum radicitùs inquisituri.

Quid si filius post patris mortem se occideret?

Si quis post mortem patris se occideret, nec sibi nec alii esset inæqualis physicè positivè, quia vitam quam deleret vel pertineret ad se, vel non. Si ad se; perdere poterat: si nec ad se nec ad alium, nec sibi nec alii esset positivè inæqualis & dissonus, quia neminem re propriâ privaret.

An defuncti habeant jura?

Qui alium hominem, cujus pater obiisset, occideret, non esset inæqualis parentibus jam mortuis, quia hi nullum jus habent in superstitem filium: non esset inæqualis filio physicè positivè, quem privaret vitâ cujus non erat naturalis & positivus dominus: quoniam hæreditatis omnia jura sunt moralia & ad rerum naturam non pertinent: cúmque nec ejusdem vitæ esset alius dominus, dicendus esset occisor esse occiso dissonus solùm negativè. Procederet tamen contra filii appetitum innatum.

Ius hæreditarium morale est.

172 Petis, *Vtrùm hæc patria authoritas perpetua esset? hoc est, An stando ipsi legi naturæ pater haberet dominium in filios etiam senes; an hoc dominium excideret durationis successu?*

De duratione authoritatis patriæ?

Romanorum Lex.

Romulus putavit ante triennium filios non posse perimi, ita Dionysius Halicarnasseus *lib. 2. antiq. Rom.* sed ratio Legislatoris videtur esse valde levis; quia si ideò biennis occidi nequit, quia in patrem peccasse non potest: duo consequenter dicenda essent; primum, non posse adolescentem à patre suo sine crimine occidi; secundum, neminem ante usum rationis perimi posse, quia arbitrii & libertatis expers peccare non potest. Patria authoritas apud Græcos non erat perpetua. Idem Author ibidem. *Qui formas vivendi Græcis condiderunt civitatibus, certum quoddam tempus admodum breve præscripserunt, quo liberi essent subditi patribus. Quidam ad annum pubertatis tertium; quidam tantisper dum illic cœlibes manserint: nonnulli donec publicè inter vivos adscripti fuerint, quemadmodum è Solonis, Pittaci, Charundæque legibus acceperant, quarum magna celebratur sapientia.* ***** *Romanorum autem Legislator omnem, ut ita dicam, potestatem dedit patri in filium, idque toto vitæ tempore.*

Græcorum Lex.

An filii ante emancipationem inter vivos scripti?

Cæterùm, si ingenium authoritatis patriæ considéremus, dicenda est ex se non esse limitatam, sed limitari lege posse: quapropter asserendum stando rerum naturæ filium à primo vitæ anhelitu ad ultimum esse sui patris subditum: & stando Ethnicorum hypothesi, quam non sequimur, sed illustramus, ut meliùs veritatem statim ponendam cognoscamus, dicendum est filium à patre pro libito nullâ causâ aut quæsitâ aut allegatâ occidi posse.

Natura Lex.

Hucvsque egimus de authoritate patriâ abstrahentes à lege Decalogi quinta: quia, si hac filicidia interdicuntur, jam filii perimi non poterunt, qui possent si talis lex non fuisset lata. 173

An interdicat filicidia?

Ærodius *in tractatu illo ultimo ad filium Iesuitam*, & Petrus Gregorius Tholosanus *in Syntagmatis universi Iuris lib. 12. cap. 5. num. 5.* & alii, jure naturæ filicidia non inhiberi affirmant; & probant *ex Geneseos 21.* & aliis locis. Argumentum Tholosani est hoc. Sub jure naturæ & gentium, inquit, illud ipsum receptum mihi persuadeo, ex eo quod Abraham voluerit filium proprium sacrificio Deo immolare; quod certè nec cogitasset, si lex aliqua prohibuisset. Sed hæc ratio est valde debilis, quia Abraham non devovit suum filium sacrificio, sed ipsi fuit indictum à Deo, ut eum sacrificaret; & certè non cogitare solùm, sed & debuisset facere, etiam si millenæ leges prohibuissent, tenebatur enim obedire Deo summo Legislatori. Fortiùs hoc probaretur ex sacrificio Iepthæ; si is verè & physicè filiam sacrificaverit; sed cùm multorum Theologorum opinio asserat Iephtæ filiam civiliter occisam, nec hæc instantia urgere poterit. *Vide mei Comment. in Regul. Benedict. num. 201.*

Sacrificium Abrahæ.

Sacrificium Iephtæ.

DISPVTATIO XII.

An parentes sint prolium veri & proprietarii domini? An mortis & vitæ jus habeant?

Esolvi ad mentem Veterum quæstiones antiquas ex patriâ potestate subortas: volo impræsentiarùm juxta Tabulas 174

Proponitur Quæstio.

Tabulas Orthodoxas inquirere, *An parentibus conveniat verum & reale dominium proprietatis in filios? an mortis & vitæ poteſtas?*

Prima Catholicorum opinio.

Sententia Ærodii.

ÆRodius Andegavenſis Præſes in libello contra filium Pſeudo-Ieſuitam patriam authoritatem prolixè explicat, & potuiſſe olim filios, & nunc etiam poſſe à parentibus occidi ſentit, ſuámque ſententiam his aſſertis perſtringit.

Primum. *Pater erat vitæ & mortis verus & proprietarius dominus olim in lege naturali.* Videtur eſſe quidem curioſa Ærodii conjectura, quæ unam circumſtantiam ponderat in Abrahami holocauſto. Authoritatem patriam vitæ & necis non colligit hic Author ex Abrahami reſignatione; ſciebat enim eum non potuiſſe non obedire Deo; ſed inſtat, ſi filicidia in lege naturæ non licerent, proviſſet Deus, ut & omnes alii ſciviſſent Abrahamum ex præſcripto divino filium immolaſſe; caviſſet Abrahamus, ne ſcandalizaret proximos, nec honorem denigraret, ne à conſanguineis & amicis reus ſceleris impii ageretur. Atqui nec Deus, nec Abrahamus cavit inconvenientia hujuſmodi, quæ ſi eſſent, omninò caveri debuiſſent: ergo non erant. Ergo occidere filios in lege naturæ parentibus permittebatur.

An Abrahamus potuerit occidere filiũ?

An & proximos ſcandalizare?

Nec valet dicere Deum eſſe honoris dominum; quia, ſi poterat Deus Iſaacum privare vita & Abrahamum honore, ſaltem ipſe Abrahamus non poterat proximos ſcandalizare; ſcandalizarentur autem illi, qui ſciviſſent filium fuiſſe immolatum, & hoc ſcandalum eſſet imputandum Abrahamo, qui non expoſuerat ipſis illud peculiare mandatum.

An Iephte filiam?

Confirmatur. Quia Iephte obtulit in ſacrificio filiam domino privatâ authoritate: illam igitur patriâ authoritate occidere & ſacrificare potuit.

Sententia Gallorum.

Secundum. *Filii non ſolùm in lege naturæ, ſed etiam in lege gratiæ poſſunt à patre ſine peccato occidi.* Ita definivit Senatus Pariſienſis, ſi credimus Bartholomæo Chaſſaneo *ad §. 3. tit. des enfans de pluſieurs liēs. in gloſſ. 1. verſ. licet gloſſ. §. 1. &c. in conſ. Burg.* cui videtur Petrus Greg. Tholoſ. ſubſcribere, numero enim 4. citati capitis dicit non eſſe audiendum Acurſium & ſequaces, qui *in §. jus autem. in verb. Romanorum. de patriâ poteſt.* aſſerunt Francigenas non habere filios in poteſtate. Fortè agunt de Iure antiquo jam Chriſtiana luce correcto. Ego feſtino, tu ſi volueris hoc punctum accuratiùs examina.

Secunda Catholicorum opinio.

175 *An vitæ & mortis poteſtas, quæ competit patri aut Reipublicæ, limitetur aut impediatur quinta lege Decalogi?*

CRedunt alii quintâ lege Decalogi interdici univerſa homicidia, patreſque futuros fuiſſe dominos vitæ & mortis, ſi Decalogus latus non fuiſſet; at verò impræſentiarùm ex vi iſtius legis non poſſe occidere phyſicè ſuas proles privatâ authoritate, imò nec publicâ directè. Hanc legem ita univerſaliter accipiunt, & ſentiunt Magiſtratui aut Regi non licere vel unum ſceleratum directè & per ſe occidere; benè tamen indirectè & per accidens. Quia ſicut invaſorem occidere quis poteſt, ſi aliter nequit evadere; ſic etiam homo civilis (ſeu Reſpublica) latrones, ſacrilegos, & omnes illos, qui gravia damna aut perturbationes inferunt, poterit interimere, non quidem ut interimat, ſed ut ſuam tranquillitatem, vitam politicam & concordiam conſervet. Tranquillitatis enim, pacis & quietis gratiâ homines in civitatibus convivunt, & habent jus conſervandi quietem & authoritatem publicam, & interimendi quemcumque, qui velit eos alterutrâ ſpoliare.

An reos Reſpublica poſſit condemnare directè?

Ad id, quod objiciebatur de Abrahami ſacrificio, dicunt primò, eum debuiſſe occidere ſuum filium non obſtante quinto præcepto Decalogi, quia ipſemet Legiſlator Deus contrarium jubendo, diſpenſabat. Ærodius timebat ſcandala, & dicunt Abrahamum potuiſſe dicere amicis & cognatis ſe quidem filium occidiſſe, ſed ex Dei præcepto, & hoc ſufficere ut ſcandalum non parerentur; hanc autem circumſtantiam, tametſi illam ſubticeat ſacra pagina, colligi tamen neceſſariò ex contextu, quia hic Patriarcha laudatur ab Angelo Dei nomine, non autem diceretur *Deum timens*, qui proximos ſcandalizaret. Reſpondent ſecundò (& hæc expoſitio videtur congruentior & aptior) Patriarcham dolore ſaucium totum fuiſſe abſorptum, & uni filicidio intentum, & non animadvertiſſe ex eo ſcandalum oriri poſſe, ac propterea illud ex inadvertentia non caviſſe. Hoc poſſibile fuiſſe, ſciunt qui experti ſunt amorem patrum: *filii* enim dicuntur ἀπὸ τῆς φιλίας, quam erga eos habent patres. Addunt tertiò, Deum qui diſpenſavit in præcepto quinto, potuiſſe etiam in nono (ad hoc pertinent ſcandala, ut puto) diſpenſare. Vnde, ſicut de Samſone Bernardus lib. de præcepto, cap. 7. ſic etiam de Abrahamo philoſophabor dicens, non ſolùm quoad ſubſtantiam actus, ſed etiam quoad circumſtantias ſingulas *Divinum habuiſſe conſilium indubitanter credendum eſſe, etiamſi ex Scriptura id non habeamus.*

176 *De Abrahamo.*

Filii unde dicti?

Ad illud quod ex Iephtæ ſacrificio additur, reſpondent breviter & efficaciter illud fuiſſe morale, filiámque Iephtæ non fuiſſe damnatam phyſicâ morte, ſed civili. Vel ſi phyſicâ, concedendam Iephtæ inculpabilem aliquam ignorantiam. Vel tandem, quod aliquibus placuit, fuiſſe illum in vovendo temerarium, & in reddendo crudelem.

177 *An filia Iephtæ fuerit occiſa?*

Ad Senatus Pariſienſis declarationem quid reſpondent? ſe non ſcire quales in eo fuerint ſub illud tempus Senatores. Videndum eſſe, an docti, pii, & prudentes: & ſi tales, verba venire perpendenda; fortè mitiùs loqui, quàm à Bartholomæo Chaſſaneo citantur. Vnde quidquid ſit de illorum teſtimonio, tenendum filicidia hodie non eſſe humanitùs ſolùm inhibita, ſed etiam divinitùs, ac propterea non poſſe Regem aut Rempublicam concedere privilegium Ambroſio, ut filium ſine causâ occidat.

178 *De Reſolutione Pariſienſium.*

Vera ſententia.

OMnia, quæ in Ethnicorum legibus, & Iuniorum ſcriptis legimus in favorem authoritatis vitæ & mortis, quam patri co- 179

Ex ignorantiâ Phyſices naſcuntur errores morales.

nantur concedere, ex non intellecta dominii ratione aut hominis generatione naſcuntur. Vt igitur veritas clarè eluceſcat, Poſitiones nonnullas ſtatuamus.

An ex dominio in propriam vitam dominium in vitas filiorum naſcatur?

Prima. *Si homo propriæ vitæ eſſet dominus proprietarius, etiam eſſet vitæ filiorum.* Probatur. Quia decideret partem corporis ſui; ergo corpus in quod haberet naturale dominium; hoc enim deciſione non perditur.

An homo fieri poſſit ex materia externa?

Secunda. *Si homo filium ex materia externa (puta ligni, terræ, &c.) ſuo arbitrio proprietariè ſubjecta produceret, eſſet illius vitæ dominus.* An ne ex externa homo materia educi poteſt? Adamus ex terra fuit factus, Eva ex Adami coſta, & nos poſſemus ex quacumque materia, ſi voluiſſet Creator. Omitto hoc, & ipſam Aſſertionem perſuadeo. Quia illam materiam artificioſè diſponendo converterat in corpus humanum: ergo produxerat formam corporeitatis (ſubſtantialem Scoto, & aliis tantùm characterem) ergo evadebit corporis producti dominus. Poſſet igitur illud dividere, decerpere, deſtruere: ergo & filium occidere; patet, quia omnia iſta cum filii vita componi non poſſunt.

An filii anima producatur à Patre?

Tertia. *Si homo animam filii produceret, eſſet dominus vitæ ejuſdem filii.* Patet; quia poſſet animam, quæ ſua eſſe ſupponitur, repetere, & hac ablatâ filium mori opus eſſet.

An corpus filii ſit pars corporis patris?

Quarta. *Quia corpus filii, pars eſt corporis parentis deciſa, in quam parens non habebat dominium proprietatis ante deciſionem, nec illud poſt deciſionem habet.* Patet; quia diviſio non eſt ratio adquirendi dominium proprietatis.

An homo ſit ſui corporis dominus?

Hinc patet prima Poſitio; quia ſi ideò pater non habet dominium in corpus filii, quia hoc eſt pars corporis paterni, in quod pater non habet dominium proprietatis; ſequitur à contrario ex hypotheſi, quod pater eſſet corporis proprii dominus, futurum etiam eſſe dominum corporis filii; quia pura diviſio nequit dare aut tollere dominium.

Objectio.

Dices; ſi pater eſſet dominus proprii corporis, futurum eſſe dominum corporis filii, non tamen vitæ; quia hæc recipitur non à patre, ſed ab anima rationali, quæ ſpiritualis cùm ſit non ancillatur patri.

An corporis dominus, ſit dominus vitæ?

Reſpondeo, hanc eſſe bonam conſequentiam [*Petrus eſt dominus corporis Ioannis filii ſui; ergo poteſt illum occidere.*] & probatur. Dominus proprietarius poteſt rem poſſeſſam conſervare & deſtruere: ergo Petrus, ſi eſt dominus corporis Ioannis, poterit illud conſervare & deſtruere: atqui non poteſt illud in fruſta, verbi gratiâ, decerpere, quin per accidens mors ſequatur; ergo repetendo rem ſuam (hoc eſt, Ioannis corpus) directè, poſſet illum indirectè interimere.

An dominiũ ſolâ unione adquiratur?

Quinta. *Quia anima, filii pars eſt, quam pater non genuit, & cujus pater non habet proprietarium dominium ante unionem, non habet in illam dominium poſt unionem.* Patet; quia unire extrema, quæ tua non ſunt, non eſt titulus ſufficiens ad adquirendum verum & reale dominium. Si Petrus eſſet tuæ animæ dominus, poſſet te indirectè occidere, animam, quam condidiſſe ſupponitur, aut repetendo aut corrumpendo; at quia anima à ſolo Deo conditur, ab illo ſolo repeti & ſeparari poteſt.

An anima dominus, ſit & dominus corporis?

Sexta. *Filiorum generatio eſt diverſa ab aliarum rerum productione, ideóque infert dominium diverſum in filios.* Oſtenditur; domum enim ædificas ex lapidibus & lignis, quæ ante ædificationem tua erant; picturam formas ex linteo & coloribus ad te titulo proprietarii dominii pertinentibus: ſed filium generas ex corpore & animo, quorum neutrum eſt tuum. Corpus ante deciſionem tuum non erat, per deciſionem tibi non adquiritur, ergo numquam eſt tuum: animus ante unitionem à Deo ſolo creatus, ſicut hunc ſolum conditorem cognoſcit, ſic etiam hunc ſolum cognoſcit proprietarium dominum: igitur cùm hominem genuiſti, ſolummodo materiam à Deo creatam diviſiſti, & ut plurimum animo à Deo itidem condito copulaſti. Hinc conſtat parentem non eſſe filii dominum proprietarium; cùm autem illum fecerit dominus verè eſt, habens dominium proprietario imperfectius, hoc eſt, juriſdictionis.

Humana & aliarum rerum generationis differentia.

Objectio.

Dicis. Proprietatis dominium in libera productione conſiſtit. ergo ſi tota patris operatio deciſiva ſit, ipſe erit dominus hujus deciſionis & diviſionis: ergo illam diviſionem poterit tollere aut conſervare: ergo materiam illam diviſam, ex qua filius coaleſcit, poterit iterum ſibi unire: ergo & filium deſtruere, non enim filius perſiſteret, ſi illa materia à parente deciſa iterum corpori paterno reuniretur. Nec valet dicere hanc reunitionem impoſſibilem; quia ſcimus alimenta converti in ſubſtantiam aliti, & carnes humanas, æquè ac ferinas, ſervire in alimentum poſſe.

Porrò ſemen deciſum, aut quæcumque Petri corporis exciſa pars, cùm primùm ſeparatur à Petri materia, mortua eſt (ſaltem non vivit animâ rationali) cæterùm, ſi condiatur, & præparetur, poterit comedi: ſi comedatur, poterit in aliti ſubſtantiam converti; ſi convertatur, illa materia revivificabitur naturaliter; &, ſi ſic loqui libeat, reſuſcitabitur.

De creatione hominis.

Reſpondebo expendendo ingenium humanæ productionis. Condidit Deus hominem, & is in ſe non habuit dominium proprietatis: non fuit corporis dominus, quia illud non condidit, ſed habuit ex liberalitate Creatoris: non fuit animi, propter eamdem rationem. Ergo ſuum corpus in fruſta Adamus decerpere non potuit; non potuit caput à collo præcidere; non manum à brachio, non pedem à tibia ſine licentia domini: ergo nec ſeminalem materiam. Eſto jure hanc aut injuriâ, hoc eſt, cum licentia aut ſine licentia deciderit, non adquiſivit dominium in partes; quia dividere, adquirere dominium non eſt; aliàs enim fures merâ rerum furto ablatarum diviſione domini veri redderentur.

An alimenta in aliti veram carnẽ & corpus cõvertantur?

Alimenta converti in vivam ſubſtantiam aliti incertum eſt; & ſi verum, non favet. Si quis enim tibi manum præcideret, non ſatisfaceret illatæ injuriæ illam pedi aut capiti continuando; deberet enim reddere unionem quam abſtulerat, & hæc non erat manus & pedis, aut manus & capitis, ſed manus & brachii: cùm igitur per deciſionem ſeminis materia ab aliis partibus excidatur, per nutritionem aliis uniatur, non reſtituitur per nutritionem unio, quæ fuit per deciſionem ſublata.

Confirmantur

An aliquid in divisione producatur?

Confirmantur omnia, quæ dicimus., sententiâ probabilissimâ, quæ asserit, nihil in divisione produci, sed solùm corrumpi pristinam unionem: eadem enim relatio quæ intercst partibus unitis, sublatâ unione intercst partibus non-unitis, & *divisio* vocatur.

Obiectio.

Dicis; si divisio orta ex decisione nihil reale sit, saltem unio corporis & animi est aliquid reale: ergo in hanc parentes habent proprietatis dominium: hanc enim positivè producunt.

An parentes in unionem corporis & animæ filii jus habeant?

Infers, eos posse filium occidere, & ostendis. Proprietarius dominus potest conservare & destruere rem possessam; atqui parentum est unio illa, qua filii animus unitur corpori: ergo illam possunt destruere aut conservare. Atqui illâ destructâ filius moritur; ergo possunt proprium filium occidere.

Respondent aliqui negando unionem illam à parentibus gigni. Ægrè enim ferunt potiùs à matre quàm à patre gigni, & non gigni à patre certum esse existimant: is enim sæpissimè mortuus est, semper absens, cùm hujusmodi unio producitur. Hæc responsio probabilissima est; olim enim quærebatur, an mater activè concurreret? at illam magis activè concurrere quàm patrem, non est assertum Veterum, sed Recentiorum.

An corporis & animæ unio producatur à matre?

At nos, ne quæstionem moralem novis difficultatibus implicemus, sic discurrimus. Vel mater activè concurrit ad unionis productionem, vel non. Si non; cessat quæstio; nam eam non posse à patre gigni creditur certum esse. Si concurrit, adhuc non est domina illius; quia proprietarium dominium non ex quacumque productione, sed ex libera nascitur; à matre autem illam unionem gigni, dubium est; sed liberè illam gigni, falsum. Et ostenditur; quia nihil liberè volitum, quin volitum; nihil volitum, quin præcognitum; atqui anima infunditur concepto corpori, semper ignorante matre, sæpè invitâ; ergo à libero illius concursu non producitur. Ignorantiam ostendo; quia nulla est, quæ sciat, quando illa unio fuit genita; imò & nulla, quæ sciat utrùm illa sit genita; & tamen, quando liberè operamur, cognoscimus. Coactionem demonstro; quia sæpè contingit matrem abortum procurare & non consequi; ergo tunc unio illa producitur matre invitâ.

NOTA I.

EX eo quòd Parentes rationalem animum non producant, sequi non habere in filiorum actus purè internos jurisdictionem Achilles apud Tirsum de Molina eloquenter edisserit: nam Deidamiam alloquitur his verbis.

Tirsus in Achille act. 2.

Dirás, que obedecer gustos
de tu Padre, Rey severo,
cuyo natural dominio
te violenta a su respecto.
Pero engañaste Deidamia,
que solo engendran los cuerpos
los padres, las almas no,
que Dios las infunde en ellos:
Y no siendo el padre causa
del alma, pues no es su effecto
no tiene jurisdicion
sobre ella, sino es el Cielo.
Amor de la voluntad
es acto, quando es perfecto,
la voluntad es potencia
del alma que es su sugeto.
El padre no engendra al alma;
pues la crian Dioses, luego
fuera estará de dominio
de tu padre, y segun esto
No tienes obligacion
de sugetar a decretos
humanos, lo que al divino
pertenece de derecho.

M. Tirsus de Molina Poëta qualis?

Es Tirsus dignus magna laude, quia apud ipsum & milites & rustici, ut de Heroibus nil dicam, subtilissimè dialecticantur. Et præcipuè hîc Achilles: Totum hunc ille librum tetrastichis paucis complectitur.

In primo parentes habere dominium & jurisdictionem naturalem in filios ostendit. Sed qualem? & cur?

Cur parentes habeant authoritatem in filios?

Meis ipse fundamentis insistens, utramque quæstionem tetrastico secundo resolvit. Supponit hanc esse bonam consequentiam, *Produxit, ergo productî est dominus.* Ex hac hypothesi ingeniosè & acutè discurrit: & ejus argumentum ad hanc formam & verba reduco. [Parentes sola corpora producunt; non enim animas generant, nam ipsas Deus corporibus humanis infundit. Si pater esset animæ causa efficiens, haberet in illam dominium & jurisdictionem. Non est. Ergo non habet. Ergo Deus solus est, qui in animas habet dominium & jurisdictionem. Amor lascivus, est corporeus, & ad sensualem appetitum spectat. Esto hic, sis, imperio parentum obnoxius. At Amor perfectus & purus est spiritualis, & voluntatis actus; formáque; Ergo siquidem pater non generat animam: hæc & ejus potentiæ, & harum potentiarum actus (purè interni videlicet) exempta sunt à jurisdictione parentum. Ergo non habes obligationem humanis subjiciendi decretis, quod ex natura sua postulat, ut subsit Divino solummodò.] Hic fuit Achillis ad Deidamiam discursus, quem nisi in libro alieno legerem, scriptum à me fuisse putarem.

NOTA II.

Tractavimus has Controversias naturales, & quantum potuimus à legibus moralitatibúsque præscindendo: monemus tamen ingeniosum Lectorem tam esse inter se connexa dominium naturale & morale, ut non semper omninò potuerint separari & distingui. Si quando ergo mores ipsos respeximus, ut naturalia exponeremus, claritati & facilitati consuluimus; quod hîc obiter voluimus adnotari.

CAPVT V.

De physicæ Iurisdictionis dominio.

180 *De prædeterminationibus physicis, quas in lege triplici naturali reperio.*

Vide Suarii libr. 2. de legib. c. 14. n. 16 & me lib 2. c. 3. n. 1158. ubi hæc Iurium distinctio reponitur.

Dominii proprietatis & jurisdictionis differentia.

OMNIS Lex [tres cognoscimus, Innati appetitus, Proprietarij dominii, & Iurisdictionis gubernativæ] aliquos actus prædeterminat; non tamen omnis Iurisdictionem involvit. Posita substantiæ existentia prædeterminat innatum ejusdem appetitum, ut appetat suum esse, ut desideret omnium rerum, quibus foveri & conservari possit, contactum; ut fugiat aut fuget omnes illas, à quibus possit destrui aut corrumpi: hæc autem prædeterminatio ad legem appetitus Innati spectat. Proprietatis jus prædeterminat rem ad existendum illam conservando, & ad non-existendum illam destruendo. Imperii authoritas prædeterminat non quidem rei subditæ existentiam, sed operationes. Cùm igitur ubique physicas prædeterminationes reperias, postulas tibi singulas charactere proprio definiri, ne confundas ad classem diversam spectantes.

Prædeterminationes innatæ.

Dico igitur primò, *Omnis physicæ prædeterminatio, (realis necessitas) quæ ante omnem liberam operationem intelligitur, innati appetitus est, non verò proprietarii dominii aut jurisdictionis.* Consultò, *liberam operationem* dixi, non *causationem*, ut includam actus Dei immanentes, qui licèt eliciantur & producantur, non causantur. Suadetur, quia nec proprietatis nec jurisdictionis dominium possunt ante omnem causationem intelligi.

Prædeterminationes dominii.

Secundò. *Cùm causa liberè prædeterminat existentiam aut non-existentiam effectus, datur prædeterminatio seu præmotio, quæ ad dominium proprietatis pertineat.* Ostenditur; quia dominium proprietatis est jus in ipsam existentiam rei, & definitur *potestas destruendi & servandi.*

Prædeterminationes jurisdictionis.

Tertiò. *Cùm causa liberè prædeterminat, non jam existentiam aut non-existentiam, sed operationem aut non-operationem rei causatæ, dicitur illam gubernare, & actum jurisdictionis exercere.*

Considera Categoriam sequentem.

PHYSICA PRÆDETERMINATIO.

- *Immanens, terminatur ad partes seu formalitates Agentis: & ad Appetitum innatum spectat*
- *Transiens, & terminatur*
  - *ad subjecti existentiam aut non-existentiam: & ad Dominium Proprietatis pertinet.*
  - *non ad substantiam, sed ad operationes effectus; & hæc ad Dominium Iurisdictionis attinet.*

Prædeterminationum Divisio & subalternatio.

N.B. Physicæ Prædeterminationis *nomine, non intelligimus qualitatem aliquam necessitatem, sed vim infallibilitantem, ut suo loco videbimus.*

De duabus prioribus hucusque disputabimus: de hac ultima impræsentiarùm differemus.

Quæstio incidens. An infantes sint jurisdictionis capaces?

An amentes ad tempus?

Prædeterminatio jurisdictionis physicæ, *est realis entitas liberè producta ab agente in re à se ipso causata, hanc physicè afficiens & removens ad operandum.* Notas illud *liberè*, & inquiris, *An usu rationis carentes possint habere jurisdictionis dominium?* Respondeo inter infantes ægrotos & perpetuò amentes distinguendo. Infantes possunt succedere in jurisdictione, asserente D. Thoma *quæst. 66.* Cajetano *ibid.* Victoria *in Relect. de Indis, num. 21. & 22.* Lessio *dub. 2.* imò & creari Reges, si Electoribus placeat. Amentes ad tempus, jurisdictione non excidunt; non tamen possunt novam adquirere, quamobrem censeo ægrotos, qui phrænesi laborant, pro tempore carere voce passivâ, nec posse ad dignitates promoveri: & addo à præhabita jurisdictione excidere cùm primùm amentia incurabilis esse credatur. Ita Cajetanus *tom. 1.* Salon *ad quæst. 62. de dominio, quæst. 2. art. 4. dub. 4.* & alii qui judicant Summum Pontificem dignitate excidere, si incidat in perpetuam amentiam. Hanc sententiam non esse improbabilem affirmat Dicastillus *de just. & jur. lib. 1. tractat. 2. disp. 1.*

An Pontifex si fiat amens, excidat à dignitate?

disp. 1. num. 86. ut Adamus Tannerus *disput. 1. de fide, quæst. 4. dub. 4. num. 171.* existimant esse communem, atque contrariam singularem. Sanè posità physicâ præmotione infallibile est causam liberam liberè operaturam; & etiam æquè infallibile necessariam operaturam necessariò. Hæc prædeterminatio libertatem humanam non tollit, sed perficit, & reducit ad actum secundum.

An Physica Prædeterminatio necessitet: an tantùm infallibilitet?

181 *An dentur prædeterminationes physicæ? An sufficiant morales?*

Multi sunt, qui physicas prædeterminationes negant, & concedunt solummodò morales, qui à nobis non differunt praxi; quapropter non examinabo, an præmotiones physicæ dentur? hæc enim quæstio merè speculativa alibi uberiùs pertractabitur. Suppono tamen ex Angelici Doctoris doctrina dari in rebus præmotiones reales, de quibus examinare oportet, utrùm illis nomen legis conveniat.

Quid sit lex?

Legem ex D. Thoma superiùs diffinivimus *Regulam actuum agendorum aut omittendorum.* Quæ definitio convenit præmotionibus physicis; ipsæ enim sunt regulæ quæ discernunt agenda ab omittendis. Illa fiunt, ad quæ agens prædeterminatur; & solùm omittuntur ad quæ ipsum non prædeterminatur.

DISPVTATIO I.

An in Deo reperiantur passivæ prædeterminationes physicæ & reales.

182 *Quæstio proponitur.*

ITVLVS inquirit, *An Dei potentiæ activæ habeant prædeterminationes passivas?* hoc est, *Sint-ne physicè prædeterminatæ ad operandum?* Consultò de potentiis activis disputo; tum, quia in Deo potentia passiva non datur; tum etiam, quia licèt daretur, non esset capax prædeterminationis jurisdictionis, malè enim velles donare tali nomine appetitum innatum, qui verè est determinatio ingenita ad inferendum aliquam formalitatem seu operationem, & nullam jurisdictionem involvit.

183 *De productione Verbi æterni.*

Prima Dei operatio realis, est Verbi æterni generatio, ad quam præmotione libera non eguit Pater, qui Verbum non gignere non potuit: innato cóque infinito desiderio appetit ille divinus intellectus producere Verbum intellectivum, & innati appetitus infinitate ita determinatur intrinsecùs & in se, ut motione aut determinatione aliâ non indigeat.

De processione Spiritus-S.

Secunda Dei operatio Sancti Spiritus productio est; ut autem ipse procedat præmotio physica necessaria non est; primò in Angelici Doctoris sententia, quæ asserit Spiritum-Sanctum actione necessaria produci, nempe ita necessaria, ut nullatenùs potuerit non esse.

Quo sensu dicatur ab Scotistis libera?

Scotici cùm docent esse liberam Spiritus-Sancti productionem, eam ita infallibilem esse volunt, ut non possit non esse; ac subinde in idem recidit, quia id quod nequit non operari, non eget extrinseca prædeterminatione.

184 Circa actus Dei liberos major est difficultas, nempe, *An detur causa quæ physicè prædeterminet actus divinos?*

De liberis decretis Dei.

DICO PRIMO, *Non dari causam intrinsecam aut extrinsecam, increatam aut creatam, quæ verè causet decreta & actus voluntatis Dei.* Probatur evidenter; quia effectus debet dependere à sua causa: atqui decreta Dei nec à Deo nec ab homine dependent: ergo non datur divinorum decretorum causa. Minorem probo; quia omnis dependentia imbibit imperfectionem essentialiter, & divini actus sunt incapaces omnium imperfectionum.

An detur illorum aliqua causa prædeterminativa?

ADDO SECVNDO, *Nullum agens creatum Humanum aut Angelicum posse decreta Dei, virtute jurisdictionis physicæ prædeterminare.* Hoc est tam clarum, ut probatione non indigeat; quia prædeterminatio physica aliquid reale & imperio agentis subditum est, unde si hæc humanitùs Deo concederetur, inciperet Deus in tempore habere realitates accidentarias ab hominibus participatas, imò hominibus subditas, quod impossibile est Numini æterno, immutabili, & experti accidentium.

An prædeterminationum sint capaciat?

An Deus novas possit perfectiones adquirere?

Notabo obiter nullum esse inconveniens, si inter actus Divinos liberos necessitatem consequentiæ, quæ ad appetitum innatum reduci debet, concedamus; nam ex hypothesi, quòd Deus voluerit creare hominem, necessarium est eum voluisse creare animal rationale: & ex suppositione quòd verum sit, *Juravit Dominus*, necessariò erit verum, *Non pœnitebit eum.* nec non etiam, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Sed hæc ipsa consequentiæ necessitas, nec proprietatem, nec jurisdictionem importat, & solùm sensum compositum dicit; & absolutè loquendo, est infallibilitas; quæ, ut dicebamus, innatum appetitum concernit. Hanc ob rem dicam

An alii ex aliis necessariò sequantur?

Necessitas consequentiæ. An sit sensus compositi?

TERTIO, *Non reperio, cur debeamus negare posse decreta Dei libera à decretis Dei liberis infallibiliter inferri; & reperio rationes fortissimas propter quas id debeamus asserere.* 1. Reg. 23. exponitur historia cognitione dignissima, ex qua clarè colligitur Deum habuisse hoc decretum conditionatum. *Si David manserit Ceilæ, descendet Saül, & Ceilitæ tradent ipsi Davidem:* constat Deum habuisse hoc decretum absolutum: *David non remanebit Ceilæ,* quibus decretis infallibiliter Dei voluntas, ut eliciat hunc actum, *David non tradetur Saüli*; quia ex præmissis sequitur infallibiliter.

185 *An unum Dei decretum ab altero prædeterminetur?*

Huc respiciebat D. Thomas, 1. part. quæst. 21. art. 1. ad 2. *Quod secundùm suam voluntatem facit (Deus) justè facit; sicut & nos quod secundùm legem facimus, justè facimus: sed nos quidem secundùm legem alicujus Superioris, Deus autem sibi ipsi est lex.* hoc est, posito uno actu libero se quasi adligat Deus, ut alterum liberè ponat, ut constat ex exemplo præmisso: unde actui libero, qui verè Deus est, ipsemet Deus, seu actus liber antecedens, est lex.

Sed postulas, *An illa infallibilitatio divinorum actuum debeat dici physica prædeterminatio?* & si debeat, *An pertineat ad dominium imperii physici, seu physicæ jurisdictionis?*

186 *Quæstio de nomine.*

RESPONDEO, naturalis imperii dominium

An dentur actus imperantes & imperati in Deo ?

nium imbibere superioritatem in imperante, & in re imperata dependentiam ; cúmque in Deo nullus actus dependeat ab alio , sequitur nullum esse imperantem , nullum imperatum, ac propterea illam infallibilitatem ad innatum appetitum & exigentiam infinitam, non verò ad legem naturalis jurisdictionis pertinere. Deus enim promisit vitam æternam Beatis , & illos æternùm conservabit. Primus actus non imperat secundum , nec secundus prædeterminatur cum dependentia à primo : quia in Deo nulla est imperfectio ; & esse dependens , esse imperatum , esse prædeterminatum , intelligi sine imperfectione non solet : sed primo actu affecta divinitas exigit infinito innato appetitu elicere secundum, ita ut sine infinita violentia ab ejus productione impediri non possit. Vnde cùm talis violentiæ infinitas repugnet , illius actus in sensu composito repugnabit omissio, & erit necessaria operatio.

An & quæ possint dari in Deo physica prædeterminationes ?

An inter formalitates aut actus Divinos detur realis prioritas ? An rationis ratiocinata ? An solùm rationis ratiocinantis ?

Patet ex his clarissimè Physicam prædeterminationem proprietatis & jurisdictionis non posse ad Deum terminari : hoc est, Deum nec proprietatis nec jurisdictionis dominio Divino aut humano subesse. Innati appetitus exigentia *Physica prædeterminatio* in hoc genere potest dici , si voces sano sensu accipiantur : nimirùm , si nullam imperfectionem importent , & illud *præ* non significet aliquam temporis , sed tantùm rationis ratiocinantis prioritatem , quæ Divinæ perfectioni non præjudicat, ut omnes Doctores statuunt.

DISPVTATIO II.

An Deus creaturas physicè prædeterminet ?

187 *An sit prædeterminatio necessaria ?*

REMOTIONE indigent universæ creaturæ ; non solùm liberæ, sed & necessariæ. Liberæ quidem propter indifferentiam quoad speciem : necessariæ propter operationum contingentiam. Propositum objectum potest homo odisse aut amare ; & fortè odisse aut non odisse , amare aut non amare , contrarietate & contradictione actuum formali. Idem objectum potest etiam pertingere contrarietate & contradictione objectivâ : proposito calore potest voluntas eum aut ejus contrarium , nempe frigus , diligere ; item calorem aut caloris carentiam , qui sunt termini contradictorii. Hac igitur naturali indifferentiâ remanente intelligi non potest aliquis actus liberæ voluntatis ; quia , cur is potiùs quàm alius? Ergo Dei scientia fallibilis est, aut dantur præmotiones infallibiles , quæ prædeterminent humanam libertatem.

Qualis sit libertas in homine ?

Contrarietatis, & contradictionis ; objectivæ , & formalis.

188 *Decreta conditionata.*

Exempla rem dilucidabunt. Dicit Petro Christus ; *Antequam gallus cantet ter me negabis.* Christus igitur certò & evidenter cognoscebat sese à Petro Apostolo negatum iri. Vnde ergo id cognoscebat. In Petri voluntate ? minimè , quia hæc supponitur indifferens : cognoscebat igitur in æternitatis præsentia, & in efficacia sui decreti potentis concedere infallibilem præmotionem , quæ illæsa Petri libertate ejus voluntatem determinaret ad materiale negationis. Resumamus exemplum *num.* 185. expositum , & veritatem aliquam conditionalem expendamus.

189 *Cur Deus cognoscat conditionatas veritates ?*

Cognovit Deus hanc propositionem esse veram , *Si David manserit Ceilæ , incolæ prodent eum Saüli.* cognovit quidem , non conjecturaliter & dubiè , sed certò infallibiliter & evidenter. Vnde ergo hujus notitiæ divinæ certitudo ? Sanè , non ab extremorum connexione , quia contingens est : poterant Ceilitæ non esse ingrati suo propugnatori , & ingrati esse poterant ; cæterùm , si David permansisset , ingrati erant futuri & eum tradituri Regi persecutori. Ad comprehensionem causarum recurrendum non est, quia hæ non essent aliæ , etiamsi David fideliter servandus esset : essentiæ enim actibus futuris non mutantur. Præsentia æternitatis non favet; quia Ceilitarum proditio non est Deo præsens præsentiâ æternitatis ; quia nec fuit , nec erit; esset tamen , si David permansisset. Sicut autem illa quæ essent, revera non sunt : sic etiam, si essent , essent præsentia Deo ; non sunt tamen. Confugere ad præsentiam objectivam, periclitari est ; quoniam omnia cognoscuntur à Deo ut sunt , illa autem propositio contingens in se est , ergo Deus æternùm cognoscet eam esse contingentem ; nempe constare extremis , quæ connecti , & non connecti possunt : ergo ut cognitio Dei evadat certa & infallibilis , ad decretum hypotheticum veniendum est , dicendúmque illius propositionis veritatem nasci à decreto disponente Davidem traditum iri ab incolis , si Ceilæ manserit. Ergo decreti resolutionem poterimus expendere hisce verbis. *Si prædeterminavero Davidem* , inquit Deus, *ut maneat Ceilæ , prædeterminabo etiam incolas negativè aut positivè ; hoc est , permittendo aut inducendo , ut prodant eum.* quia , vel Deus potest prædeterminare ad materiale peccati , ut volunt Thomistæ , vel saltem potuit talibus apprehensionibus Ceilitarum mentes prævenire, ut sanctè illum traderent ; puta si faceret , quod ipsi sic debere fieri judicarent. Ergo in hoc decreto conditionato efficaci & infallibili certò & intuitivè cognoscit Deus esse veram hanc propositionem, videlicet , *Si remanserit David Ceilæ, Ceilitæ tradent eum.* In absoluto autem , cognoscit hanc , *Non manebit.* Et in necessitate consequentiæ hanc , *Ergo non tradent eum.* Hæc sufficiant, quia hæc materia subtilissima est , & à Thomistis expenditur in prima Parte , cùm disputant de scientia Dei. Maneat igitur Deum causas liberas præmovere & prædeterminare ad singulas operationes.

An in extremorum connexione?

An in comprehensione causæ?

An in præsentia æternitatis ?

An in præsentia objectiva.

An in decreto conditionato?

An Deus possit prædeterminare ad materiale peccati ?

190 *An causæ necessariæ prædeterminentur?*

De causis necessariis minor est difficultas : quia illarum libertati non timetur , cùm illâ careant. Multi ex eo causis necessariis prædeterminationes negant , quia putant ex se esse satis determinatas , & ideo necessarias dici : sed , si res bene examinetur , causæ hujusmodi necessariæ quoad speciem sunt , & quoad exercitium contingentes. Calor ingenio suo prædeterminatur ut calefaciat , non enim potest frigus & rigorem producere , non tamen necessariò & essentialiter calefacit , quia potest Deus facere ne calefaciat , licèt approximetur

metur passo, imò de facto fecit in camino illo Babylonico, ubi ignis urere non potuit prædeterminatione, hoc est, consensu seu concursu divino denegato.

191 *An concursus simultaneus distinguatur à prædeterminatione?*

Dices, in talibus occasionibus non negasse Deum physicam præmotionem, sed solùm concursum simultaneum: esto, sed unde demonstrabitur simultaneum concursum à præmotione condistingui? An non possibile eamdem actionem Dei, prout prior est actione creaturæ, *præmotionem* dici; & prout coëxistit actioni ejusdem creaturæ, *simultaneum concursum* nominari?

Definitur lex physicæ jurisdictionis.

192 *Quid illa sit? An ad causas liberas & necessarias terminetur?*

LEx æterna physicè dirigens, est decretum liberum Dei respiciens creaturas & actus earumdem necessarios aut liberos sine intentione obligandi moraliter. D. Thomas 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. *& quæst.* 93. *per totam.* Suarius *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. *& num.* 6. Causas necessarias & liberas prædeterminat & absolutè infallibilitat: mores tamen non tangit.

Idearum & Physicæ legis distinctio.

193 *Quid Idea sit?* *Quid æternũ dominium?* *Quid æterna jurisdictio?* *Idea alia speculativa sit, alia practica.*

IDea est cognitio illa Dei qua creaturam intelligit: lex æterni dominij in actu primo est divina voluntas prout omnipotest est: & in actu secundo est actus ille voluntatis, quo creaturæ decernit existentiam eam producendo in tali differentia temporis. Æternæ autem jurisdictionis lex creaturas supponit, & solùm respicit earumdem actus: ergo distinctio evadit satis clara. Idem est decernere ligno calorem, quam calori decernere existentiam in ligno: & sic de aliis. Verè ideæ secundùm se aut speculativæ sunt, aut practicæ solùm radicaliter, huc est, aptæ inferre praxin: patet in idea alterius Mundi, quæ numquam praxin actualiter inferet, quia numquam Mundus ille tamet si possibilis, erit. Lex autem æterna physica in actu secundo practica est, quoniam hoc *nunc* æternitatis lex illa æterna actualiter universa producit, movet, & prædeterminat.

194 *Objectio.*

Dicis juxta D. Thomam, legem æternam in mentis divinæ conceptu consistere, non verò in voluntate. Nam quæst. 91. art. 1. ad 1. ait. *Æternus divinæ mentis conceptus habet rationem legis æternæ secundùm quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* Ecce in conceptu, non in decreto docet consistere legem æternam.

Creaturæ suntes, quæ?

Respondeo D. Thomam agere de cognitione Dei quæ decreto annectitur, & præsupponit creaturas simpliciter præcognitas, quæ vocatur à Theologis *scientia visionis.* Hæc est creaturarum *suntium*, vel ut vulgò loquimur, existentium cognitio; creaturæ autem emendicant suas existentias à decreto. Dico igitur decretum Dei liberum, esse legem æternam: scientiam autem visionis esse æternum divinæ mentis conceptum, habentem rationem ideæ seu imaginis intentionalis legis æternæ. Et hoc sufficit, ut exponatur D. Thomas. Si cui autem hæc responsio non videatur sufficiens, adnotet me non esse Thomistam, & pleraque omnia, quæ Sanctus Doctor accenset intellectui Divino, videlicet in materia regiminis, nos accensere Divinæ voluntati.

Respondeo secundò (& hæc expositio priorem non destruit, sed confirmat) scientiam visionis esse legem æternam non formaliter, sed intentionaliter, eo sensu quo dicimus conceptum Cæsaris esse verè Cæsarem intentionaliter.

Lex æterna est ipsa Providentia.

195 *Resolutio.*

NVlli potuerunt probabiliter distinguere Providentiam divinam à lege æterna, quia licet legamus in aliquibus hanc esse in voluntate, in aliis esse in intellectu, nullus probabiliter alteram excluſit ab alterius consortio. Si providentia virtus mentalis esset, æterna lex non posset ad voluntatem spectare; quoniam vel utraque debet esse in intellectu, vel utraque in ipsa voluntate. Igitur sive in voluntate, sive in mente sint, distingui re aut ratione non possunt. Ergo *Providentia* & *Lex æterna* sunt duo nomina, quæ significant eamdem rem. Subscribo Augustino *lib. de vera relig. cap.* 30. *in fin. & cap.* 31. *sub init.* Et *quæstionum libro, quæst.* 27. Doctori Angelico 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. *&* 4.

Providentia divisio.

Hinc constat Providentiam eodem modo debere dividi quo lex æterna, nempe in Physicam Moralémque. Illa, omnia physica dirigit; hæc verò, moralia; vel ordinando ad physica physica, vel moralia ad moralia. Ergo æterna lex physica à providentia physica mero nomine distingui potest.

Objectio.

Objicis, hanc esse sententiam contra mentem Angelici Doctoris Legem æternam & Providentiam distinguentis *quæst.* 5. *de verit. art.* 1. *ad* 6. quia ibi asserit Providentiam non esse ipsam æternam Legem, sed eam sequi.

Lex æterna triplex.

Respondeo dari tres æternas Leges; prima enim est innata, secunda respicit rerum dominium, tertia regimen. Providentia & hæc tertia coïncidunt, & sequuntur innatam, & æternam physicam legem dominij.

Legi æternæ morali sæpè non obeditur, nemo est inobediens physicæ.

196 *Prædeterminatio physica nunquam caret effectu.*

DAbo verba Augustini dignissima tanto Doctore, cap. 100. Enchiridii sic ait. *Quantum ad ipsos* (nempe ad peccatores) *quod Deus noluit* (hoc est, quod Decalogo interdixit) *fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei* (sive ad legem æternam physicæ jurisdictionis) *nullo modo id facere voluerunt* (id est, nullo modo aut voluerunt aut potuerunt facere quæ Deus noluisset fieri, sive æternùm inhibuerit physicâ lege & directione) *hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei* (seu Decalogum) *fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus* (videlicet lex æterna jurisdictionis physicæ.) Hæc certissima sunt, quia quomodolibet opereris liberè aut necessariò, benè aut malè, semper correspondebis legi æternæ physicæ. Benè operando quidem; quia amando Deum non solùm satisfacis præcepto morali, sed etiam correspondes physico decreto re physicè prædeterminanti. Malè operando etiam,

qüia si peccando contra legem æternam moralem quà te obligantem ad talem actum virtutis, opereris; in eamdem legem æternam incidis quà physicam, nempe quà permittentem te tuo arbitrio atque præcipiti electioni, aut fortè quà te prædeterminantem ad peccati materiam.

Vtrùm dentur plures æternæ leges jurisdictionis physicæ; seu plures providentiæ?

197 *Varia sententia secundùm varias Scholas.*

NEgat D.Thomas 1.2.*quæst.*93.*art.*1. *ad* 1. cui subscribunt communiter Doctores universi: quorum mentem penitiùs percallebis legendo Asserta subsequentia. *Primum:* Schola Realis, quæ omnia realiter distincta asserit, hîc admitti non potest.

Secundum. Possemus ad distinctionem formalem & Scholam Formalem recurrere, sed melius est attributa divina per expressiones & externa connotata distinguere. *Sit igitur Assertum tertium.* Non dantur plures leges æternæ intrinsecè distinctæ re aut ratione. Probatur; quoniam eadem formalitas, quæ cælos regulat; eadem ipsa homines dirigit, & operationes eorum liberas physicè prædeterminat: unde nec abstractioni est locus. Hoc sensu intelligendus venit Augustinus 1.*de libero arbitrio, cap.*5.*&* 6. *& lib.de vera relig.cap.* 30. *&* 31. *& sæpè alibi* agens de æterna lege.

Quo sensu lex æterna sit simplex, quo sensu multiplex?

Quartum: dantur multæ leges æternæ extrinsecè distinctæ realiter; hoc est, quæ connotent terminos distinctos realiter: quia lex æterna physica prout cælos gubernat, non prædeterminat arbitrium Angelorum, & prout homines dirigit, non regit alias animantes. Huc respiciebat divinus Doctor Augustinus, qui 9. *de Civit.Dei*, dicit esse æternas & immutabiles leges, quæ in divina sapientia vivunt. & *lib.de catechizand.rudib.cap.*18. asserit Deum convenientissimis legibus mundanas creaturas gubernare.

198 *Objectio ex D.Thoma.*

Difficilis est sententia D.Thomæ *quæstione jam citatâ* asserentis in hoc legem æternam & ideas distingui, quod hæc simplex sit, & illæ plures.

Impugnant nonnulli D.Thomam, & asserunt eo sensu quo lex una dicitur, debere etiam ideam simplicem esse; hoc est, intrinsecè: extrinsecè autem non solùm dari plures ideas, sed etiam plures æternas leges.

Posset-ne dici ideas esse intrinsecè unicam, & extrinsecè plures?

Suarius *lib.*2.*de legib.cap.*3.*num.*15. asserit non esse intellectu facilem distinctionem idearum & legis quam adsignavit D.Thomas. & *num.* 16. subjungit totam hanc quæstionem esse de mero nomine. Verè est quæstio maximè de re, & fundatur in curiosissima doctrina. Cognitionem esse intentionaliter intrinsecè rem cognitam dixi sæpiùs, in Metaphysica probavi: ergo & ideæ divinæ quæ cognitiones sunt, intentionaliter erunt sua objecta. Ergo ideæ quà tales plures sunt, non enim intelliguntur ut ideæ cùm extrahuntur à categoremate rerum intentionalium: lex autem physica intrinsecè & quà talis simplex est; & hoc ipso ab ideis ipsis condistincta.

An lex æterna physica, si bene cognoscatur, habeat vim obligandi?

COnfundunt legem æternam physicam & moralem, qui existimant à physica induci aliquam obligationem. Non habuit intentionem obligandi conscientias Dominus cùm physicam legem condidit, cui universa subjecit: quamobrem si bene à creatura cognoscatur, cognoscetur non esse moraliter obligatoria, esse tamen certa & infallibilis, ut omnia alia decreta. 199 *Physica prædeterminatio nullam necessitatem inducit.*

Pluribus exemplis suaderi posset; proponam solùm unum quod doctrinam illustret. Prædixit Christus Petro negationem. Ergo duo cognoscebat Petrus, & dari legem physicam eum prædeterminaturam ad materiale negationis, & dari legem moralem interdicentem infidelitatem. quà subjiciebatur primæ legi, poterat quidem physicè non negare Dominum, sed infallibiliter negaturus erat: quà subjiciebatur secundæ, non poterat licitè negare. Ecce moralis obligatio non nascitur à physica lege.

De legis seu regiminis physici objecto.

PRimò, lex æterna non regulat increatos actus Dei, ut persuasi. 200 *Quænam objecta æterna jurisdictioni subjaceant?*

Secundò, lex eadem non indicitur essentiis & quidditatibus rerum, quia hæ necessariæ sunt, nec divinitùs mutari possunt. Potest Deus facere, quod homo non sit albus, imò nec coloratus; potest eum privare omni existentiâ, omni loco, omni tempore, omni accidente, omni passione, omni proprietate: cæterùm prædicatis essentialibus & intrinsecis eum privare non potest. Homo possibilis homo est; vel ut audax Grammaticus loquitur, *sat.* sed non existit. Si crearetur sine ubicatione, revera existeret, sed nusquam; si spoliaretur tempore, esset nunquam: si autem rationalitatem sustuleris, non intelligam hominem. *Sine audaci Grammatica multa non possunt explicari.*

Non aliter. Lege æternâ decretum est gravia deorsum tendere, quia descensus non est de essentia gravium: attrahuntur virtute magneticâ residente in tellure, quæ, si resideret in secunda aëris regione, sursum adtollerentur. Levia (sic vocantur corpora, quæ minus gravia) sursum tendunt, quia extolluntur descensu gravium; descensura, si gravia adtollerentur. *An levitas sit qualitas positiva?*

Sancitum est lege æternâ physicâ ignem esse calidum, hominem risibilem, adamantem durum, ceram mollem, ferrum solidum, aquam liquidam. quæ omnia, si distinguantur specie substantiali, ut communis sententia fert, aliter potuerunt disponi. Posset fieri aqua solida, ferrum liquidum, cera dura, adamas mollis, homo non risibilis, & ignis frigefaciens. Cur ignis non ureret medio frigore si Deus voluisset? cur non posset æquivocè frigefaciendo præparare materiam, quam postea incenderet aut calefaceret? cur non posset exuere omnem activitatem? in Islandia (insula est maris Septentrionalis) dicitur esse ignis, qui non comburat. Sed quidquid 201 *Schola Localis, quæ hodie in pretio substantias corporeas, & præcipuè inanimas specie substantiali non distinguit.* *An ignis possit non comburere?*

sit

sit de hoc Regionum Borealium prodigio, in Babylonico fornace ignis sui ingenii oblivisci-tur ; quoniam lex ipsi æterna pro illo tempore decrevit carentiam exercitii omnis activitatis. Cæterùm, si ista omnia distinguantur accidentaliter, cavenda sola est contradictoria terminorum oppositio, dicendúmque omnia illa posse fieri divinitùs, quæ contradictionem non involvunt.

202 *An-ne entia necessaria subsint æterna legi?*

Cùm entia necessaria æternæ legi subdo, subscribo divino Doctori Augustino qui 1. *de libero arbitr. cap.* 5. & 6. asserit res omnes æternâ lege dirigi in suos fines. & *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 27. *in fin.* affirmat legem æternam esse incommutabilem, & omnia mutabilia pulcherrimâ gubernatione moderari. Hujus legis meminit Poëta Rex Psalmo CIIL. *Præceptum posuit & non præteribit.* Et Proverb. VIII. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et paulò ante, *Quando certa lege & gyro vallabat abyssos.* Et Iob. XXXVIII. Deus, *Dixi* (nempe *aquæ*) *usque huc venies, & non procedes amplius, at hîc confringes tumentes fluctus tuos.*

203 *An-ne bruta?*

Sunt scrupulosi aliqui, qui vellent irrationabilia legi non subdi, quia lex importat libertatem. Sed quæstio nominalis est, & resolvitur doctrinâ expositâ. Lex æterna duplex est, physica & moralis. Moralis alogis animantibus & rebus vitæ expertibus nequit imponi, quoniam mores excidunt absente libertate. Adhuc physicam legem non ratione sui, sed ratione objecti subdivido in necessariam & infallibilem : utraque est ante moralem ; illa mentis impotes, hæc intellectuales creaturas prædeterminat sine intentione obligandi moraliter. Quis enim alogа entia subtrahet à lege physica necessitante, aut saltem infallibilitante ?

Physica lex duplex; libera & necessaria. Vnde hæc divisio desumatur ?

DISPVTATIO III.

An creatura possit creaturam physicè prædeterminare.

204 *Quid sympathia sit ?*

CAVSARVM sympathia definitur à Cicerone lib. 2. de Divin. *quædam convenientia & conjunctio naturæ.* Hæc convenientia naturæ potiùs, quàm essentiæ dicitur, quia, ut nos scitè admonuit Divus Thomas, essentia dicitur ab essendo, & natura ab operando ; & hæc convenientia non est solùm convenientia in essentia, sed etiam in operatione. Sympathia igitur prædeterminatio physica est. Prædeterminatio quidem, quia symbolam causam prædeterminat ; sed & physica, quia cùm reperiatur sæpè in rebus insensibilibus, moralis præmotio nequit esse. Sympathiam autem esse in plurimis rebus clarius est lumine meridiano.

Essentia & Naturæ distinctio.

Suas homo potentias prædeterminat.

Primò, inter voluntatis humanæ decreta & potentiarum actiones sympathia quædam est & concordia. Movetur manus ad imperium liberum, cùm voluntati placet, & ut placet. Credit, qui vult & quando vult, & ideò infidelitas agenti imputatur. Decreto libertatis prædeterminatus intellectus ; speculatur hæc vel illa, & omittit quæ vult, alia substituendo & ideando. Lingua etiam prædeterminata loquitur, & tacet ad imperium manuducentis voluntatis. Et hæc in ipso homine.

Secundò, extra se homo causas secundas prædeterminat applicatione & arte. Calamo prædestinat motum ; figuram solidis ; aliis corporibus ubicationem, situm, motum. Hæc enim & nobiliora præmovendo & prædeterminando facit. *Instrumenta etiam.*

Tertiò, res inanimatæ sæpè alias inanimatas præmovent ad operationem. Si cytharæ chorda pulsetur, alterius cytharæ unisona chorda reboat non pulsata : quam manus non tetigit, præmovit uniformitas, concordiáque prædeterminavit. Magnes admirabilis lapis, sive à cælo sive à terra moveatur, movetur tamen, & prædeterminatur, & ni impediatur, respiciet Septentrionem. 205 *Causa prædeterminat causam.*

Quartò, Antipathiæ ratio confirmat hæc, quæ diximus ; quoniam etiam prædeterminatio physica est. Lupus visus præmovet agnellum ad timorem : conspecta felis prædeterminat mures ad fugam, &c. *Antipathia.*

Tandem multa experimur, quorum rationem aliam adsignare non possumus, quàm naturalem sympathiam. Talis res te allicit, talis te fugat, & utrumque ante omnem discursum, & fortè aliquando ante rei cognitionem ; sed quî ? aut fallor aut alliciunt symbolæ qualitates, & dissymbolæ fugant ; similitudo connexionem appetit, separationémque dissimilitudo ; quam, quia res, quæ sunt similes, sine motu adquirere non possunt, se mutuò ad operationem & motum localem prædeterminant. *An res incognita hominis affectum allicere possit.*

Dantur igitur etiam in creaturis activæ prædeterminationes, non solùm ad legem innati appetitus, sed etiam ad proprietarii dominii & supremæ jurisdictionis pertinentes. Illas inter se dicta distinguunt.

Dico igitur primò, *Quotiescumque res prædeterminata non sit causata à prædeterminante, illa prædeterminatio physica ad innatum appetitum spectat.* Patet ; quia prædeterminatio à dominio proprietatis aut à jurisdictione suborta interest causæ & effectui ; competit enim activè causæ, & passivè effectui. *Appetitus innatus prædeterminans.*

Secundò, *Quotiescumque causa prædeterminans non est libera in prædeterminando, illa prædeterminatio ad eumdem innatum appetitum spectat.* Consultò *in prædeterminando* dixi, quia sæpè contingit causas alias liberas necessariò prædeterminare, puta, si sit homo distractus. *An causa non libera possit prædeterminare ?*

Tertiò, *Cùm Homo aut Angelus rem à se productam & causatam liberè & physicè prædeterminat ad existendum, aut ad non existendum, exercet actum veri dominii physicæ proprietatis.* Patet, vel ex ipsamet definitione dominii. *Dominum prædeterminans.*

Quartò, *Cùm Homo aut Angelus rei à se causatæ non jam existentiam sed operationem liberè prædeterminat, elicit actum physicæ jurisdictionis.* *Iurisdictio prædeterminans.*

DISPVTATIO IV.

An aliquando agatur contra Legem Divinam physicè prædeterminantem?

206 *Quæstio proponitur?*

PRÆDETERMINATIO physica lex est, quæ indicit actiones causis tam liberis, quàm necessariis; lex quæ creaturas in omni operatione manuducit, regula omissionum opetationúmque. Petis, *An aliquando creatura possit agere contra legem præmoventem & prædeterminantem?*

Auxilium duplex: efficax, & inefficax. Eorum distinctio.

Auxilium dividitur in efficax & in inefficax. Illud effectum semper consequitur, hoc nunquam.

An extrinsecùs, an verò intrinsecùs condistinguantur?

Primò, Multi putant auxilia efficacia ab inefficacibus extrinsecè distingui ut victor à victo, nempe denominatione extrinsecâ sumptâ ab ipso effectu: quia sicut idem dux si prævaleat nominabitur victor, victus, si superetur; ita etiam idem auxilium, eadem præmotio, dicenda erit efficax, si effectus subsequatur; & si non subsequatur, inefficax. Vnde addunt æqualia & simillima auxilia aliàs esse efficacia, & aliàs non esse.

An specie?

Secundò, Alii dicunt auxilium efficax & inefficax differre specie. Dicíque efficax, quod ex natura sua infallibiliter infert effectum; vocaríque inefficax quod infallibiliter infert effectus omissionem.

An una numero præmotio simul sit efficax & inefficax?

Tertiò, Nonnulli existimant idem auxilium numero dici inefficax & efficax: efficax quidem prout infallibiliter talem operationem infert; inefficax prout non infert contrariam, quæ fieri posset à potentia libera. Prædeterminatur Petrus ad homicidium: hac prædeterminatione (juxta hos Authores) affectus Petrus potest occidere, & potest non occidere, occidet tamen: ipsa igitur prædeterminat Petrum efficaciter ad homicidium, ad homicidii omissionem inefficaciter. Vocatúrque auxilium quà præmovet ad actum bonum; dicitur præmotio, quà prædeterminat ad materiale actus boni vel mali.

207 *Necessitas aut libertas operationis sunt extra conceptum physicæ prædeterminationis.*

An hæ prædeterminationes distinguantur specie?

Cæterùm semper credidi omnes prædeterminationes & præmotiones physicas esse unius atomæ & ultimæ speciei, eiúsque effectum formalem esse inferre, non quidem necessariò, sed infallibiliter effectum. Eadem prædeterminatio quæ infert infallibiliter actum necessarium ab igne, inferet actum liberum à libertate; quia ex natura sua nec necessitat causam, nec libertate donat, sed solùm facit, quòd sit infallibile illam operaturam esse juxta suam potentiam & capacitatem; unde sicut ignem prædeterminat ad comburendum, non autem ad frigefaciendum; sic libertatem prædeterminat ad liberas, non autem ad operationes necessarias.

Dices, dari prædeterminationes materiales, spirituales, & supernaturales. Quid hîc ego? Fortè Prædeterminatio, Vnio, Actio, & universaliter loquendo, omnis creata Relatio est realitas à materialitate, spiritualitate, & supernaturalitate præscindens. Sed, cur in quæstionem tam alienam à communi doctrina meum Lectorem sine causa propellam: Dicam igitur pro nunc omnes prædeterminationes materiales inter se, omnes spirituales inter se, omnes supernaturales inter se, esse ejusdem infimæ & atomæ speciei, & numero tantùm differre. Addam præmotiones materialem, spiritualem, & supernaturalem esse saltem analogas.

208 *Quomodo distinguantur auxilia?*

Si debeamus auxilium efficax ab inefficaci distinguere, placet distinctio tertio loco nuperrimè adsignata; idem auxilium inefficax ad amandum Deum est prædeterminatio efficax ad contrarium actum (aut positivum, aut negativum, si dentur puræ & merè-negativæ omissiones.) Ratio est; quia physica prædeterminatio inefficax ad audiendam Missam, & prædeterminatio efficax ad non audiendam, prout inefficaciter ad Missam præmovet, auxilium inefficax dicitur.

209 *Quæstio de modo loquendi.*

Sed contra objicis, malè vocari auxilium inefficax ad bonum opus, illam præmotionem quæ physicè & efficaciter prædeterminat ad materiale operis mali illi bono contrarii: nempe malè vocari auxilium inefficax ad audiendam Missam, præmotionem illam quâ homo prædeterminatur ad faciendum aliquid incomponibile cum auditione Missæ: & probas. Quoniam illa præmotio non prodest voluntati ut Missam audiat, sed obest & cogit ne audiat. Potiùs igitur impedimentum, quàm auxilium & favor dici oportet.

Omnis prædeterminatio perficit voluntatem.

Respondeo libertatem præmotione perfici & adjuvari, imò & actu secundo; perfectior est affecta præmotione, quàm eâ carens; perfectior, cùm operatur actualiter, quàm cùm potest. Quo perfectior ipsa est, liberior est; & auxilium debet dici & favor quæcumque entitas, quæ eam liberiorem & perfectiorem reddit: unde asserendum est meliùs & proximiùs posse audire Missam cùm afficitur prædeterminatione efficaci ad actum oppositum, quàm cùm omni prædeterminatione caret. Est asserendum igitur unâ & eadem præmotione libertatem creatam ordinari ad opposita, nempe ad unum extremum efficaciter, & ad aliud inefficaciter.

210 *An hominum & brutorum prædeterminationes distinguantur?*

Instas. Ergo jam præmotio, quæ insensibilia & sensibilia irrationalia prædeterminat distinguitur specie à præmotione quâ agentia libera prædeterminantur. Ratio est, quia agentia necessaria prædeterminantur ad unum, & libera ad oppositа.

Respondeo, agentia necessaria ideò determinari ad unum quoad exercitium, quia ipsa ex se sunt determinata ad unum quoad speciem; unde si non essent determinata ad unum hac præmotione ad illa omnia prædeterminarentur ad quæ prædeterminari possent: cùm autem causa libera ad duo possit, imò postulet prædeterminari, hinc est quod eadem præmotio, quæ causam necessariam ad unum actum præmovet, liberam præmoveat ad oppositos; imò aliquando ad quatuor vel ad centum actus. Verbi gratiâ, si velis habere unum famulum, proponentur tibi centum juvenes, Franciscum eligis. Ergo jam prædeterminaris efficaciter ad admittendum hunc, & inefficaciter ad admittendos alios, quos potes admittere & non vis.

Hinc

211 *Principalis Quæstionis Resolutio.*

Hinc igitur dubitationi satisfacio, & *Affirmo nullum agens operatum aut operaturum esse contra legem efficaciter prædeterminantem.* Est expressa Augustini, qui in Enchir. cap. 100. *Quantum ad ipsos attinet*, ait, *quod Deus noluit* (hoc est, quod lege morali divinitùs interdict um est) *fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere voluerunt, hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus* (nempe voluntas prædestinans & lex divina prædeterminans actus universos.)

212 *Hæc quæstio indiget magna attentione.*

Major difficultas est, *Vtrùm possit contra voluntatem, seu prædeterminationem divinam operari?* Resolutio vera, est negativa: non quidem quia contrarium non possit, sed quia contrarium posse non est contra legem physicæ præmotionis. Explico. Petr us physicè prædeterminatus ad audiendam Missam, potest quidem Missam non audire; &, si hoc sit operari contra physicam prædeterminationem id etiam potest. At rigorosè & exactè loquendo non potest contra physicam prædeterminationem operari, quoniam ipsa eum prædeterminat efficaciter ad auditionem Missæ, & inefficaciter ad omissionem; unde posse Missam omittere non est contra illius prædeterminationis naturam, imò est secundùm ejus ingenium, cui verè opponeretur, si non posset facere contrarium; non enim potest intelligi prædeterminatus inefficaciter ad omissionem Missæ, qui Missam omittere non potest.

Posse omittere actum est secundùm physicam prædeterminationem.

NOTA.

Humanæ prædeterminationes finitæ efficaciæ sunt, & ideò nonnunquam frustrantur. Membra subsunt imperio voluntatis, non tamen obediunt, si ægrota, si languida: quia voluntatis virtus remissior est illorum passivâ resistentiâ: at Divinæ, sive homini sive alii creaturæ concedantur, nunquam carent effectu.

213 *Homines etiam prædeterminant, sed crebrò inefficaciter.*

APPENDIX.

DE ANGELORVM DOMINIO.

214 *Quid sit Angelus?*

ANgelorvm propria nomina quis investiget, cùm nec specierum propria habeamus? Optimè notante Gregor. *Homilia 34. in Evang.* Angelvs officii nomen est, non substantiæ, qui enim Ἄγγελος à Græcis dicitur, à nostris *Legatus* & *Nuntius* diceretur. Adsonat Vulgatus in Psalm. *Qui facit*, ait, *Angelos suos spiritus*, hoc est, *qui spiritus Legatos facit.* Nomina quæ singulis appropriantur in sacris literis etiam officii sunt, non substantiæ. Michael dicitur, hoc est, *Quis sicut ipse Deus*, quoniam ipsi divinitùs commissum est fugare Luciferum, qui gloriabatur se esse Altissimo similem: ergo Michaël non à natura, sed à victoria nomen habet; triumphat enim spoliis inimici. Gabriel Hebraïcè, *Viri-Dei Angelus* Latinè diceretur, quoniam egit Patris Legatum ad Virginem, quæ circumdedit Virum-Deum. Raphael, hoc est, *Medicina Dei*, fuit divinus Medicus, qui utrique Tobiæ opitulatus. Quis ergo rerum proprietatem adtribuet Spiritibus, qui nequidem nominum habent communem aut particularem proprietatem? Proderit legere sequentes Conclusiones.

Nomina Angelorum nobis nota. Vnde sint sumpta?

215 *De innato Angelorum appetitu.*

Prima. *Angeli appetitu innati lege suam existentiam desiderant & possident & oderunt suam non existentiam. Si essent mortales non possent licitè se occidere, possent tamen suam vitam tueri etiam cum interitu aggressoris.* Ostenditur; quia omne ens appetit suum esse; nec datur probabilis ratio ob quam hunc appetitum Angelis denegemus.

216 Secvnda. *Multa sunt, in qua Angeli habent dominium proprietatis.*

Sanè Angelos habere dominium naturale in aliquas res, asserunt universi; differunt tamen in designandis rebus, quibus dicuntur ex rei natura dominari.

217 *Angelorum dominium in suas operationes. Quomodo Angelus moveatur localiter? Quomodo duret tempore?*

Primò, Angelus est naturalis Dominus suarum operationum, earum scilicet quas elicit cum indifferentia & libertate. Est Dominus sui arbitrii, multarum cogitationum, motuum localium, & durationis temporaneæ; quia liberum Angelo est uniri aut non uniri corpori, & ejus ubi & tempus extrinsecùs participare. Lessius *lib. 2. de just. & jur. cap. 4. num. 3.* Ego *Comment. in Reg. D. Bened. n. 821.* quoad hoc, eodem prorsus modo de Angelo philosophor, quo de homine n. 121. & 122.

218 *De potentia productiva Angelorum. An novas possint formas educere de potentia materiæ?*

Secundò. Multi existimant esse magnam Angelicam activitatem, possèque naturaliter movere corpora quæcumque non solùm localiter, sed etiam substantialiter educendo novas formas materiales de potentia materiæ. Vtrùm hoc verum, examino loco opportuno: nunc autem ex hypothesi assero Angelum esse naturalem Dominum cujuscumque effectus substantialis à se producti; non enim bonam Philosophiam instituerem, si aliter de Deo, aliter de creatura in quæstione utrique communi disputarem.

219 *Apparitio S. Michaëlis.*

Tertiò. Angeli fuerunt naturales Domini omnium illarum rerum, quas feciisse dicuntur in genere causæ principalis. Hodie est dies S. Michaëlis Apparitioni sacra, & in Lectionibus secundi Nocturni has lineas lego. *Gelasio autem primo Pontifice Maximo, in Apulia, in vertice Gargani montis, ad cujus radices incolunt Sipontini, Archangeli Michaëlis fuit insignis apparitio. Factum est enim ut ex gregibus armentorum Gargani cujusdam Taurus longè discederet, quem diu conquisitum in aditu speluncæ hærentem invenerunt. Cùm verò quidam ex*

illis, ut taurum configeret, ſagittam emiſiſſet, retorta ſagitta in ipſum recidit ſagittarium. Quæ res cum præſentes, ac deinceps cæteros tanto timore affeciſſet, ut ad eam ſpeluncam propiùs accedere nemo auderet: Sipontini Epiſcopum conſulunt, qui indicto trium dierum jejunio & oratione rem à Deo, reſpondit, quæri oportere. Poſt triduum Michaël Archangelus Epiſcopum monet, in ſua tutela eſſe eum locum, eóque indicio demonſtraſſe, velle ibi cultum Deo in ſui & Angelorum memoriam exhiberi. Quare Epiſcopus unà cum civibus ad eam ſpeluncam ire pergit: quam cùm in templi cujuſdam ſimilitudinem conformatam vidiſſent, locum illum divinis Officiis celebrare cœperunt: qui multis poſtea miraculis illuſtratus eſt. Nec ita multò poſt Bonifacius Papa Romæ in ſummo circo S. Michaëlis Eccleſiam dedicavit, &c. Ergo, ſi dixerimus Templum illud ſubterraneum in Gargano fuiſſe à S. Michaële conformatum, nomine phyſici dominii ejuſdem erat: habebat ergo in Templum Gargani Michaël jus naturale, & in Templum Romanum, ſibi à Pontifice dedicatum, morale.

Deus per orationem & jejunium conſulitur.

Michaël Dominus eſt culminis illius montis: & cur?

Habet dominium naturale, & morale.

Quartò, etiam Angeli fuerunt naturales (aut ſaltem morales) illarum rerum omnium domini, quas deſtruxiſſe leguntur in genere cauſæ principalis. Vt hoc meliùs intelligas adnotato bifariam Angelum operari; nempe, vel ex indicto Dei, vel ex arbitrio naturali. Cum Dei nomine & mandato homines occidit, armenta deſtruit, domos diruit, & provincias ſubmergit, non agit cauſam principalem, ſed inſtrumentalem: eſt enim moraliter Dei manus flagello accincta infligens pœnas peccatoribus; peccatoribus inquam, qui ſubſunt Dei dominio; qui in hujuſmodi actionibus aſſeritur cauſa principalis.

Angelus operatur dupliciter: ut inſtrumentum aut etiam ut cauſa principalis.

Si Hiſtorias ſacras & prophanas examines, reperies exempla plurima, quæ dicta confirment, & dicenda præparent; perſtringam ſelectiora.

Angeli læſi Dominii Dei vindices, ut cauſæ inſtrumentales.

220 *Geneſ. 3. An Angelus, qui cuſtodiebat Paradiſum, Adamum occideret, ſi in eam ingredi vellet?*

DIdicerat ſuo damno Adamus ſcientiam & diſcretionem boni & mali, proſcribitur à Paradiſo *Geneſeos* 3. illi cuſtodiendæ decernitur cœleſtis Cherubinus, flammeo & verſatili inſtructus gladio, occiſurus quemcumque qui auderet ſacros illos receſſus penetrare. Occiſurus, inquam, non propriâ authoritate, ſed ex Dei commiſſione.

221 *Angeli comburunt Sodomæ.*

Erant Sodomæ peccatis graviſſimis contaminatæ; in tribunali infallibili de crimine peſſimo convictæ ultimâ ſententiâ damnabantur. Intererat Lothus vir pius, & nonnulli domeſtici illibati. Hos protegit & liberat; Sodomitas igneis oceanis, & flammeis inundationibus ſubmergit Deus univerſorum Dominus 21. *Geneſeos*, legans feciales Angelos, & ſevero ſpirituum arbitrio tanti ſceleris expiationem committens.

Angelus Ægyptiorum primogenitos omnes occidit.

Exterminator Angelus *Exodi* 12. à Deo expreſsè mittitur, qui præteritis Hebræorum domibus agni ſanguine illitis, Ægyptiorum univerſas percurrit, & ſuſtulit omnes primogenitos.

Mittitur etiam divinitùs 2. *Regum* 24. Angelus qui percutiat populum regnante Davide, qui eum luſtrari juſſerat, aut indigni timoris, aut inanis curioſitatis gratiâ.

Peſtem mittit in populum Deus, & illâ per Angelum aufert. Angeli ſuos tuentur, & milites invaſores occidit.

His & aliis Hiſtoriis delegatam Angelorum authoritatem comprobantibus, recentiora adjungamus. Heraclius, imperii ſui anno ultimo, adoriebatur Agarenos milite ducto ex Portis-caſpiis. Mira res! Dei Angelus de ejus exercitu occîdit virorum quinquaginta millia, aſſerentibus Othone Phriſingenſi *lib. 5. cap. 9.* & Godofrido VVittembergenſi *p. 16. Chronicor.* Eſt miraculum ſimile illi quod *4. Reg. 16.* legitur; nam cum Aſſyrii injuſtè obſiderent Hieroſolymas, Iudæos ad ſe clamantibus adnuens Dominus conceſſit præſidiarium Angelum, qui primâ nocte triumphavit inimicum deletis octuagies-quinquies millibus.

Angeli exterminatores, ut cauſæ principales.

222

NOn habemus hiſtorias ex quibus evidenter conſtet Angelos homines occidiſſe, ut cauſas principales; nempè, non ex commiſſione divina, ſed ex cauſa legitima, non jubente Domino, ſed permittente. Probabo nihilominus ex multis titulis id poſſe contingere, & primò titulo inculpatæ tutelæ.

An, & quomodo Angeli ſint immortales?

Ex mente D. Ioannis Damaſceni, *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans, gratiâ & non naturâ ſuſcipiens immortalitatem.* Ergo fortè putavit Damaſcenus Ioannes Angelos, ſi eorum naturam reſpicias, mortales eſſe: haberéque à gratia vitæ inamiſſibilitatem. Stando igitur iſti ſententiæ, quæ falſa eſt, & ut puto Damaſceni non eſt, Angeli in puris naturæ, & dæmones quia in peccato ſunt, gratiâ carent, ac per conſequens mortales ſunt. Ergo, qui Angelum carentem gratiâ adoriretur, poſſet illum phyſicè occidere: ergo & ſe poſſet Angelus ille defendere: ergo & invaſorem occidere propriæ ſecuritatis causâ. Ergo & fieret indirectè Dominus hominis invadentis, non ſecus ac nos cum defendendæ vitæ gratiâ quemcumque hominem invadentem necamus, ſi aliter repellere vim non poſſimus. Omnes has conſequentias fortè admitteret citatus Doctor, vel obliviſceretur ſui. Has hodie admittere non poſſumus, quia communis idea concipit Angelos præditos immortalitate naturali: Angeli igitur neminem occidere poterunt ob vitæ ſuæ ſecuritatem; nemo enim eos injuſtè vitâ privare poteſt: homo enim, & quicumque alius Angelus caret viribus, Deus illos injuſtè non adnihilaret, eſt enim proprietarius univerſorum dominus.

Nulli Angelo injuſtitiam faceret Deus, ſi illum adnihilaret.

An poſſint honorem ſaltem ſuum defendere?

Nihilominus Angeli honoris ſui extinſeci ſunt veri Domini; nec poſſunt hoc privari inviti; nec honori ſuo cedere debent. Ergo quoties homo invidus Angelum calumniatur, & eum injuriâ afficit, poteſt Angelus nomine proprio honoris læſi inſtaurationi ſtudere, etiam cum peccatoris damno; imò & poteſt illum occidere ſi aliter honor perditus reſarciri non poſſit. Cum primùm Angelus incipit poſſe hominem juſtè occidere, incipit eſſe verus ipſius ſed indirectus dominus: aliàs enim

enim injuſtè ageret, ſi eum occideret, qui ſuus non eſſet. Nec hîc aliquid ſpeciale dicimus, quod non dixerimus de homine, nam alibi aſſeruimus poſſe hominem, qui acceptando leges publicas jure naturali non ceſſit (nam, ſi ceſſiſſe jure ſuo dicatur, ceſſat quæſtio) honorem, imò & fortunas defendere, etiam, ſi aliter non poſſit, occiſo invaſore.

223 *David Georgius ſe Chriſtum mentitur.* Iuvat hiſtoriæ meminiſſe, quam recenſet Matthæus Feliſius *diſt. 2. Inſt. Chriſtian. Elucidat. 7. anno 1556.* & ex eo Beyerlinckius *verb. Angel. pag. 425. D.* David Georgius, Delfis Bataviæ natus, eſſe Chriſtus & verus Meſſias credebatur, & poſt Reſurrectionem ſecreto loco manſiſſe abſconditus, non ſecus ac Elias & Enochus: ſibi cavens aufugit in Baſilêam, ibique mutato nomine Ioannes Bruck dictus incœpit defendere non dari Angelos. Plauſibiles erant ipſius conciones, quibus adlectus vulgus cœpit avitas Traditiones contemnere, & recenſere Angelorum & Spirituum nomina inter voces nihil ſignificantes. De Angelorum honore agebatur, quem defendere ipſi poterant etiam cum damno inſolentiſſimi calumniatoris. Eum admonent abſorbentes fulminibus duas domus, quas ſuæ doctrinæ quæſtu erexerat, uxorem ipſius terrent, & tandem doloris gladio ſauciam auferunt; demum contumacem in cineres redigunt octavo Kalendas Septembris anni MDLVI. & poſt duos annos miniſterio puerorum ſolicitantium, & Magiſtratus adnuentis, unà cum libris Teutonicis novæ hæreſeos obſidibus priores cineres ſecundo incendio tradunt.

Profugus mutat nomē, & Ioannes Bruck dicitur.

Negat dari Angelos.

Punitur ab Angelis: tandem occiditur.

Ejus cineres & libri manu puerorum comburuntur.

An hæc Angeli ut cauſæ principales fecerint? Sanè hæc omnia potuerunt accidere ſine Angelorum interventu, Deo operante ut cauſa univerſali: veroſimilius autem eſt eſſe ab Angelis facta tamquam à cauſis principalibus in reſtaurationem injuſtè læſæ authoritatis. Angeli igitur oſtenderunt ſe, non ſolùm eſſe ædium & miſeræ conſortis dominos, ſed & habuiſſe jus in vitam, honorem, & ſcripta Davidis Georgii eorum authoritatem, imò exiſtentiam denegantis.

Dominus Lavignius laudatus. Poſſem & alias hiſtorias recenſere; ſed, quia libri ſunt pleni, & in eis plurimæ interlegi poterunt; unam, quam fortè in nullo libro invenies, hîc ſcribo.

Hulſti (civitas Belgii eſt) Regis Catholici authoritate gubernabat Dominus Lavignius, natione Gallus, [illi lemma Heroïcum, *Ab infortunio fœlix*, erat: egerat enim Advocatum Pariſiis, & cauſam, quam fortè neſciebat textibus propugnare, gladio defendit uno aut altero occiſo: in Belgium profugus, nomen militiæ dat; meret ſub Alberto Archiduce; & tam ſtrenuè & fideliter ſervit, ut ad Legionarii & Hulſtenſis Gubernatoris dignitatem digniſſimè fuerit promotus.] Hujus optimi Militis Medicus, in convivio auſus eſt publicè negare eſſe Angelos. Illum Lavignius furore percitus exeſſe à menſa & domo jubet, duriora cogitans, ni ab Angelis fuiſſet præventus. Vix à Gubernatoris domo impius Medicus exit; & ecce poſſidetur à Dæmone: damnóque proprio didicit, quod nolebat priùs credere. Recenſuit mihi hiſtoriam hanc Piiſſimus & Reverendiſſimus D. Bernardus Campmans, (etiamnum meus) Dunenſium Abbas, qui convivio interfuerat.

Medicus negans dari Angelos, obſidetur à Dæmone.

Addam corollarium, & fortè ad mentem Damaſceni, cujus memini in limine reſolutionis. Creavit Deus *Geneſeos* 1. hominem prædituin natura, quam immortalem reddidit gratiâ & innocentiâ originali. Stante immortalis innocentiæ gratiâ homo occidi non debuit, habebat enim conceſſam divinitùs immunitatem. Peccat homo & novo titulo Dei dominio ſubditur; illum poterat propter crimen occidere, honoris vindicandi gratiâ. Vnde, ſi Deus poſſet homines manumittere & eximere à ſua authoritate, ipſi licèt emancipati reinciderent in Dei dominium quoties Deo phyſicè opponerentur; imò & poſſent occidi, quoties graviter ejus honorem authoritatémque labefactarent.

224 *An Adamus ſi non peccaſſet, fuiſſet mortuus?*

Peccator eſt reus mortis.

De Beatarum Animarum dominio.

QVæ de Angelis dixi, omnia aut ferè Beatorum animabus adproprio, quæ ſunt Dominæ ſuarum operationum immanentium, omnium ſubſtantiarum, ſi quas producunt; imò & creaturarum, ſi quas proprio nomine extinguere poſſe aſſeruntur; illarum nimirum directè, iſtarum indirectè.

225 *An ne Beatorum animæ ſint dominii capaces?*

Si hæc vera ſunt, ais, cur Angeli, aut etiam Animæ ſeparatæ ſunt ſuæ authoritatis incuriæ? cur non occidunt illi hæreticos, qui ſe negant? cur non interimunt iſtæ, noſtri temporis heterodoxos, qui contra eaſdem ſæviunt, earúmque patrocinium negantes inſolenter delirant?

Reſpondeo, illos, illas, non eſſe tam delicatos, ut his rebus ſtatim cauſentur. Videntur hanc cauſam Deo committere, nec velle facere omnia, quæ poſſunt. Nam ſicut ipſe Deus Arrianos, Sabellianos, & alios multos ſuæ Divinitati injurios tolerat, & peccatores non ſtatim condemnat, ſic etiam Deiformes illæ ſubſtantiæ ignoſcunt inimicis ſuis & vinditias divino tribunali committunt: & hoc tam reſignato animo, ut qui oſtendi illos aggreſſorem poſſe occidere, vix conjecturam fortem habui, ex qua poſſem colligere illos vel unum in genere cauſæ principalis honoris ſui defendendi gratiâ trucidaſſe.

De dominio Dæmonum.

AN ipſi mundo dominantur? An homines aut animalia poſſident? An in inferno proprietatis nomine poſſident condemnatos? An & in mundo omnes illos, qui ſunt in peccato mortali? An & miſeros illos homines, quos vivos obſident? Facilis eſt reſponſio ad omnia, ſi ſtemus doctrinæ Gregorii: quoniam Sanctus hic

262 *Dæmones non ſunt rerum domini.*

Pontifex

Pontifex *homilia trigesima-prima in Evangelia*, sic ait. [*Quicumque ad Fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident, nudi ergo cum nudis luctari debemus*, &c,] Sentit ergo Gregorius Dæmones Dei instrumenta esse; hoc est, Divinæ Iustitiæ Ministros (Carnifices, Lictores, & Exequutores) non rerum & hominum Dominos.

Sed sunt justitiæ divinæ ministri.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE LEGE MORALI, SEV VIRTVALI.

PROOEMIVM.

227 *Qualis sit Legis in realem & moralem divisio?*

LEGEM æternam in Physicam & Moralem divisi, sed quâ Lege? An quâ dividitur Subjectum in diversa accidentia? An quâ Genus in Species per differentias essentiales? An tandem quâ Totum actuale in suas partes: videlicet, quâ Quaternarius in quatuor unitates?

Respondeo, unum & idem subjectum indivisibile dividi secundùm connotata systematica: consono mihi *Commentarii Regulæ Benedictinæ numero* 21. asserenti Leges Physicam & Moralem non distingui specie, sed esse partes entitativas ejusdem æternæ & infinitæ Legis: partes, inquam, extrinsecas, non verò intrinsecas. Hoc ut altiùs percalleas, adnotato, æternam & infinitam Legem, prout abstrahitur à denominatione Physicæ & Moralis, respicere proportionatos terminos, à quibus, si fuerint Physici, denominabitur Lex æterna Physica; Moralis, si Morales: ac propterea Lex æterna Physica non distinguitur intrinsecè à Morali, sed solùm extrinsecè penes diversa aut differentia connotata. Physicam divisimus in Legem innatam, Legem dominii, & Legem prædeterminationis. Innatâ Lege physicâ, se, suam vitam, perfectiones & attributa Deus diligit: diligit quidem positivè innato appetitu infinito, qui infert negationē odii vel tædii erga se ipsum; quia ex eo quòd innato appetitu se Deus diligat positivè, sequitur non posse se prosequi odio elicito positivo; hoc enim odium pugnaret contra Legem appetitus innati. Augustinus libri 26. contra Faustum cap. 3. *Contra illam verò summam naturæ Legem à notitia remotam tam Deus nullo modo facit, quàm contra se ipsum non facit.* Intelligit Legem innatam, quæ prima & summa universarum est, contra quam Deus nihil potest facere. Lex dominii creaturas respicit & consistit formaliter in productione: nimirùm, Physica in physica, Moralis in morali. Legem dominii, sequitur Lex prædeterminationis, seu regiminis; quia rei dominus habet jus ad illam gubernandam: prædeterminare enim physicè nihil aliud est quàm physicè gubernare; & gubernare moraliter nihil aliud quàm moraliter prædeterminare. Nam sicut agri proprietarius dominus, non solùm habet usuarium dominium in agrum, ex vi cujus possit illum destruere & conservare; sed & utile, ex vi cujus agri fructibus & quibuscumque adnascentibus rebus dominetur; & sicut equi dominus præter usuarium dominium, ratione cujus eum occidere & conservare potest, etiam habet utile, ratione cujus potest illo uti ad equitandum, currus trahendum, onera vehendum, vel alia quæcumque ministeria; sic & causa efficiens totius creaturæ rationalis (Deus unus est; quia nec Angelus angelitùs fit, nec Homo fit totus humanitùs, nam parentes nec corpus, nec animum, sed meram unionem producunt) præter dominium usuarium erga intellectualis creaturæ substantiam, habet etiam utile & usufructuarium erga passiones & operationes, de quibus potest disponere ut de suis, non solùm prædeterminando physicè ad materiale actionum, sed & prædeterminando moraliter latâ Lege & præceptis; imò & hoc idem jurisdictionis dominium hominibus communicando. De physicis Appetitu innato, Dominio, & Iurisdictione in præcedenti libro, quæ necessaria judicavi, brevissimè tamen exposui; at impræsentiarùm de eisdem tribus membris prout ad systema morale pertinent uberiùs disputabo; synopsin dicendorum dabit Categorema subsequens.

228 *Qui Scholam Formalem profiteatur, poterit has easdem formalitates, quas extrinsecè ego distinguo, distinguere intrinsecè formaliter.*

Lex innata.

Lex dominii.

Lex prædeterminationis, seu regiminis.

Quid sit prædeterminare physicè?

229 *Dominium usuarium & utile.*

230 *Causa hominis qua?*

Quid moraliter?

231

LEX MORALIS nihil est aliud quàm Physica virtualiter. Nempe Lex quæ physica non est, & tamen ita se habet ac si physica esset. & in *Increatam* & *Creatam* dividitur, & sortitur denominationes, quas superiùs expendi. Moralis Legis differentiæ sunt.

- *Lex Innata* aut *Necessaria*. Consistit in rerum exigentia Morali & appetitu moraliter aut virtualiter innato, qui in rebus moralibus deficere non solet, atque sæpè non potest. — Actus illi, qui huic Legi dissonant *Moraliter violenti, attentati, & nulli* nominantur; & eorum malitia, *Moralis violentia, attentatio, nullitas.*
- *Lex dominii moralis.* & nascitur ex morali effectuum productione, nempe cùm causa est libera, & moraliter emãcipata.
  - *Dominium proprietatis.* Accidit huic dominio esse directo aut indirecto. Sum directus dominus rerum, quas directè possideo: indirectus illarum, sine quarum cõservatione aut destructione meas res possidere non possum.
    - *Actuale.* Et competit agentibus moralibus, quando liberè effectus suos moraliter producunt. [Potest sicut Habituale, subdividi: sed quia id rariùs contingit, membra nos dividentia, non Actuali dominio, sed Habituali cooptabimus.]
    - *Habituale.* Convenit moralibus agentibus post productionẽ moralem: & dividitur in *Vsuarium*, *Vtile*, & *Perfectum*. Hæc divisio non reperitur in dominio reali, fructus enim à substantia non separat natura, sed humana voluntas.
      - *Vsuarium*, quod est moralis authoritas in ipsammet substantiam rei.
      - *Vtile*, & est moralis authoritas non in substantiam rei, sed in emolumenta.
      - *Perfectum*, quod ab utroque componitur. & convenit habentibus moralem authoritatem tam in rem ipsam, quam in emolumenta. Reperitur in Republica, & etiam in privatis.

      Militant contra hanc Legem furta, rapinæ, latrocinia, & omnes illi actus qui damnum inferre solent.
  - Dominium jurisdictionis moralis, moralisve gubernationis. competit habenti authoritatem prædeterminandi moraliter. Ab habente dominium moralis jurisdictionis feruntur Leges, quæ sint morales quædam regulæ & prædeterminationes actuum agendorum aut omittendorum, quæ dividuntur in efficaces & inefficaces. — Hac Lege necessariò prædeterminãtur actus tales ad meritum, tales ad culpam, & hæc Lex numquam temerari contingit, quia actus ille qui sceleſtus est, numquam erit bonus moraliter permanente ista Lege. Liberè verò prædeterminantur ad existentiam; pendet enim à libertate humana quod sint, aut non sint tales actus: sed si sint & opponantur Legi, necessariò erunt mali.

---

232 *Semper suppono illud Axioma: Oportet, sicut de physicis physicè, sic etiam de moralibus moraliter philosophari.*

Hinc constat Legem Moralem esse Physicæ symbolam, & eodem omninò modo de illa philosophandum esse moraliter, quo de Physica physicè: miserè enim oberrant, qui existimant in rebus moralibus summum rigorem non requiri, possèque multa dici physico rigori repugnantia. Oberrant, inquam, quia illud quod asseritur sine fundamento physico, non jam morale, sed chimœricum est. Et ostenditur; quia multi sunt, qui chimœras cum fundamento in re comminiscuntur; nemo qui sine fundamento non chimœras. Chimœræ enim sunt, qui physico fundamento carent; chimœræ, quæ levi vel insufficienti, & solùm dicuntur denominationes reales, quæ à fundamento sufficienti desumptæ; vel aliàs

Et me bene supponere ostendo. Qua physico carent fundamento non sunt Moralitates; sed Chimœræ.

233 *De Forma & Materia morali.*

aliàs Moralitates à chimœris & figmentis distingue. Cùm agis de Sacramentis novæ Legis, confici asseris, rebus ut materia, verbis ut formâ, cur non contra? Ergo omnes Moralitates sunt nugæ, vel danda est ratio, cur potiùs verba ad formam pertineant, quam ad Sacramentorum materiam: nec dari ratio potest, quæ non sit naturalibus fundamentis innixa.

CAPVT I.

De Lege Innata Virtuali seu Morali.

234 *An omne Ens naturaliter esse desideret?*

OMNE Ens physicum (sic docet Aristoteles, sic omnes sentiunt, & nos ut nostram mentem communi attemperemus, supponimus) appetit suum naturale *esse* appetitu innato naturali: ergo omne Ens morale appetet suum morale *esse* appetitu innato morali: Entia ergo moralia sine morali violentia sæpè tolli non possunt.

An totum morale conservationem appetat?

Primò. Totum morale suam moralem conservationem appetit moraliter, ut in communitate videre est; corpus est morale seu politicum, institutum ad singulorum conservationem quietam & tranquillam sub tali aut tali modo vivendi. Si civem occidis, violentiam physicam infers occisi animo & corpori; ille enim hujus consortium appetit, & contra: at communitati violentiam moralem; ipsa enim singulorum membrorum, quibus coalescit, conservationem morali appetitu desiderat: desiderat enim suam conservationem; & ut habet Regula LXXX. *in toto partem contineri*, illámque in toto conservari etiam morali appetitu desiderat. Appetit ergo conservationem civis: hic enim Reipublicæ est pars. Præterea contra eumdem innatum moralé appetitum operareris, si dissolveres nexum illum moralem, ex cujus vi subsistit, rumpendo, vel aliquem civem bonum & utilem proscribendo. Violentiam moralem passa est Hierosolymitana communitas, cùm sublatâ libertate (conditio est sine qua corpus mysticum stare vix potest) dissoluta fuit in homines privatos, qui urbis immunitate exuti, miseram servitutem incurrerunt: violentiam etiam moralem Lusitania, cùm Viriatum, bonum & verè Reipublicæ necessarium Ducem, perdidit; Gallia cùm Henricum IV. strenuum, vigilantem, politicum, & magnum Regem.

Violentia moralis.

Viriatus & Henricus IV. laudatus.

235 *Fictio in Sacramentis impedit receptionẽ gratiæ.*

Secundò, etiam in rebus singulis reperitur nonnunquam aliqua moralis violentia, cùm vel aliquid fit, vel omittitur contra moralem entis moralis exigentiam, verbi gratia; Qui ad Sacramenta aliqua (putà Baptismi, Confirmationis, Ordinis & Matrimonii) cum fictione accedit, recipit quidem effectum Sacramenti, non tamen gratiam Sacramentalem: effectum quidem, quia à Baptismo fit Christianus; à Confirmatione in fide Catholica consolidatur; ab Ordine habet quòd sit Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus; à Matrimonio quod sit conjugatus: non gratiam, quia hæc cum fictione (sic peccatum actuale, aut non retractatum sufficienter appellant) non compatitur. Cùm igitur Sacramenta sint productiva gratiæ, & agentia necessaria sint, sine violentia impediri non possunt, Fictio inferet violentiam Sacramento, cùm ejus operationem impedit; physicam quidem, si asseratur impedimentum physicum: moralem verò, si morale; activitas enim Sacramentorum disputabilis est, & physica à Thomistis, moralis ab aliis asserta.

236 *Quid sit fictio?*

237 *An Sacramenta operentur moraliter?*

Sanè character est effectus principalis Baptismi, gratia est effectus secundarius & accessorius, qui infallibiliter principalem comitabitur, ni violentia & obex imponatur. Hinc lux Regulæ XLII. *Accessorium*, ait, Pontifex, *sequitur principale*, subintellige *jure*, sæpè enim injuriâ ponitur aliquod impedimentum, quo sublato sequetur: nam in Baptismo sublatâ fictione, quæ gratiam impedit, statim grætia baptismalis, quæ est accessoria, characterem, qui est effectus principalis, sequetur.

238 *Violentia moralis est violatio.*

Tertiò, omnis moralis Lex solet violentiam pati, unde violari dicitur, quòd idem sit violentia ac violatio. Omne agens physicum desiderat adsimilare sibi passum, omne morale est eidem analogum & afficitur eodem desiderio: omnis igitur Legislator appetit adsimilare Legi subditos; moralem igitur violentiam iste appetitus patitur, cùm illius tabulæ violantur.

239

HÆC *igitur de innato morali appetitu sufficiant, ad morale transgrediamur Dominium, & examinemus graves aliquas difficultates.*

CAPVT II.

De Dominio Proprietatis Moralis seu Virtualis.

240 *Quid dominium naturale sit? quid morale?*

PERVM naturale Dominium in earumdem naturali productione consistere libro præcedenti monstravimus: unde necessariò infertur Virtuale seu Morale productione morali seu virtuali fundari. Dicitur naturalis dominus, qui rem illam, quæ suo dicitur subesse dominio, verè & physicè produxit: moralis qui moraliter; nimirùm ille, qui tametsi rem non produxerit realiter & verè, ita se habet ex hominum pacto & concordia, ac si reverà produxisset. Cùm autem multæ sint morales productiones, multi sunt tituli adquirendi dominium; sed omnes reduci possunt ad sequentes: videlicet, Inventionem, Servationem, Curationem, Adoptionem, Repræsentationem, Donationem, Emptionem; Mixtionem, Præscriptionem, Ammortizationem: quibus addere nonnulli volunt Depositum, Commodatum, Spem, gratiæ Paritatem, Promissionem, Adjurationem, voluntaria Servitia; & his similia. Et Ego de singulis priùs breviter, & posteà uberiùs disputabo.

An multæ & variæ sint productiones morales.

Inventio.

241 *Quid sit Inventio?*

PRIMVS modus adquirendi verum & morale dominium, est Inventio; res enim quæ extra hominum notitiam sunt, humanitùs non sunt, adeóque nec virtualiter sunt; unde ita se habent ac si verè non essent: cùm inveniuntur, incipiunt humanitùs esse; cùm autem hoc *esse*, quod adquirunt, debeatur Inventori, benè iste dicitur moraliter produxisse res, quas invenit; benè eum Inventionis titulo morale dominium adquisiisse.

Quid sit existentia moralis?

An amissio sit quædã moralis corruptio?

Inventioni opponitur Amissio, & est virtualis rei destructio; quia cùm primùm res incipit esse extra notitiam hominum, esse desiit humanitùs, & tametsi physicè ipsa existat, ita tamen se habet ac si verè non existeret. Cùm ita res amittitur ut ab alio inveniatur, etiam respectu illius qui amisit, ita se habet ac si in rerum natura non esset, & hoc quousque inveniatur, tunc enim dominium emortuum reviviscet.

Servatio.

242 *Qui hostem servat, legitimè servum adquirit.*

CVm rem, quam destruere posses, servas contractu legitimo inito, diceris adquirere dominium; & res sic servata dicitur servitutem incurrere. Qui quidem modus dominii adquirendi non solùm in homines, sed & in res inanimatas habet vim. Vincis hostem, intercipis, & retines; nondum amicus ille, nondum vitâ dignus; potuisti occidere antequam interciperes, & potes etiam interceptum. Quia manu captus ille tibi mancipium est; fugere licitè potest, violentiæ enim vinculis retinetur. Inis contractum tacitum vel expressum: *Possum* (inquis verbis vel factis) *te occidere licitè, tu licitè evadere; ergo cedam jure vitæ & mortis, quod in tuam personam habeo, & viginti annorum spatio non occidam, túque vicissim cedas jure libertatis quod habes.* Fœdere stabilito dominium in servum adquiris, & occidendi potestatem pro illo tempore perdis; & ille pro eodem libertatem amittit & vitæ securitatem lucratur: transacto illo determinato tempore servitus finiretur, & status mancipii rediret. Contractus ille, qui inter victorem victúmque iniri solet, sæpiùs æternus est, sed temporaneus esse posset, si consideretur jus naturæ.

243 *Vtrùm Destructio, an verò Manumissio servationi opponatur?*

Servationi opponitur Destructio, non Manumissio; hæc enim donatio quædam est, quâ libertatem servo restituis, aut ex legis indicto, aut ex munifica liberalitate. Benè intelligitur qualiter per Servationem, quæ productio moralis quædam est, dominium in servos adquiratur, non autem quale illud sit; multi enim putant non haberi proprietatis dominium in servos, sed dominium absolutissimæ jurisdictionis; nemo enim servum realiter destruere potest, & ex jure vendendi sive destruendi moraliter, non benè infertur proprietatis dominium; quia naturalis pater, in filium non proprietatis, sed jurisdictionis dominium habet, sed tamen in aliquibus casibus eum vendere potest; & quidem huic sententiæ libentissimè semper subscripsi? nemo enim est proprietarius dominus, qui non habeat servandi & destruendi directam potestatem, quam in homines, nequidem Reipublicæ concedimus, quam dicimus cum moderamine inculpatæ tutelæ contra fures, homicidas & alios facinorosos procedere; neminem ultimâ condemnando sententiâ, quem illæso vitæ communis fine servare possit. Cæterùm cùm dominium Jurisdictionis solidissimè & probabilissimè utile & usufructuarium dicatur, poterit etiam ad imperfectam proprietatem reduci, adeóque etiam alienari atque vendi: nam jurisdictionem esse pretio æstimabilem certissimum est. Si cui hic modus discutrendi placeat, uti hac poterit Categoria.



244 *Incurrunt servitutem non solùm persona, sed & res.*

Fundi domus & alia bona realia servitutem incurrunt, cùm alicui, qui proprietarius dominus non est, obstringuntur quoad aliquid in particulari. Puta, si mea domus teneatur præbere tibi transitum, tuæ aquas excipere, &c. Fundatur ista servitus in venditionis aut donationis tacito vel expresso contractu, ut suo loco dicemus.

Curatio.

245 *Quid Curatio sit?*

TErtius adquirendi dominii modus Curatio. Locum habet, cùm res manet, ita tamen corrupta ut usibus humanis non serviat: videtur enim cùm curatur, humanitùs secundò produci.

Quid corruptio?

Opponitur Curationi Corruptio, cùm res non destruitur penitus, ita tamen corrumpitur, ut usibus humanis non serviat; quod enim humanitùs esse desinit, virtualiter non est: hoc est, ita se habet, ac si verè non esset.

Filiatio. Adoptio.

246 *Adoptionis, & Filiationis efficacia.*

FIliatio tantæ virtutis est, ut duas personas realiter distinctas uniat & unam in aliam transsubstantiet; unde cùm pater moritur, non mori dicitur, quia alium se (hoc est, filium) relinquit post se. *Eccles.* 30. 4.

Quid ipsa sit?

Adoptio est quædam virtualis Filiatio; ex vi cujus ita se habet adoptatus, ac si verè esset ab adoptante genitus.

An sit transsubstantiatio.

Transsubstantiatio, quæ Filiatione, aut Adoptione fundatur, Exfiliatione & Deadoptione impeditur, nimirum, quando pater adoptivum aut naturalem filium exhæredat.

An etiam Respublica adoptent?

Non solùm singulares personæ, sed & Respublicæ & Familiæ benè meritos viros adoptant. Romanus olim populus innumeros donavit urbe, quod & illustres civitates feciſſe legimus; nam, ut alias omittam, Brugensis Populus, asserente Petro Bertio in Tabulis contractis Gallo-Belgicam Flandriam describente, lib. 4. pag. 278. & Bleavio in Novo Atlante, ubi agit de Flandria Teutonica Orientali, Ludovicum Vives natione Hispanum donavit civitate propter egregia merita. Sed & nobilissimæ Familiæ homines alienigenas, illustres tamen propter personales aliquas prærogativas, sibi incorporarunt, & inter alias recensenda mihi est Medicæa, cujus nepotes sunt quicumque in vastissimo terrarum Orbe Reges, Augustinum Niffum, sui temporis verè phœnicem, gentilitiis stemmatibus & sereniſſimâ suâ nobilitate investiens & Principibus aliis adscribens; ut ex Leonis Summi Pontificis diplomate collegit Antonius Sanderus, & in Flandriæ suæ illustratæ Tomo II. edidit, ubi Castrum Autveyver, quod pertinet ad Niffos, describit. Notandum etiam est posse quemcumque hominem propter demerita expungi à civium aut consanguineorum numero, non secus ac propter vitæ merita & virtutes excellentes adscribi.

De adoptis expunctis.

Legitimatio an sit adoptio?

Legitimatio species Adoptionis est, non jam externum, sed illegitimum in filium legitimum adsumens. Sed & posset quis propter crimina damnari, ut jus legitimationis, à natura aut parentis munificentiâ concessum perderet.

Repræsentatio.

247 *An Repræsentatio sit quædam transsubstantiatio moralis?*

NOn solùm parentes filii, sed & nepotes & cognati, avos, patruos, avunculos, cognatos, ubi hoc lege stabilitum, repræsentant. Est autem Repræsentatio quædam moralis actio Repræsentantem in Repræsentatum virtualiter transsubstantians.

Quid ex ipsa sequatur?

Ex ista virtuali Transsubstantiatione in Filiatione, Adoptione, Repræsentatione, ac quacumque alia incorporatione reperta sequitur, quòd eadem omninò jura, quæ priori personæ ante transsubstantiationem competebant, competant secundæ post transsubstantiationem; unde inter alia hoc jure rerum dominia proprietaria mutantur.

Donatio.

248 *Quid ipsa sit?*

VIrtualis transsubstantiationis genus est, & concedit, ut is, cui res donatur, ita se habeat ac si rem produxisset; habet multas species; præcipuæ, Remuneratoria, Dispositoria, Liberalis, Donatio causâ mortis, Testamentum, Ludus. Remuneratoria videtur potiùs esse solutio: Dispositoria, potiùs esse mutuatio: & Liberalis, sola illa quæ non fit in compensationem & præmium servitii præstiti, aut præstandi, sed ob meram liberalitatem. Donatio causâ mortis talis est, qualem nomen exponit. Testamentum est donatio conditione subnixa, exprimenda his clarioribus verbis; *Do Petro tot aureos, si moriar.* Et Ludus videtur etiam imbibere conditionem, sed mutuam; putà, *Dabo centum aureos si vincas, dabis si vincaris.*

Varia donationum species.

Emptio.

249 *Quid Emptio sit; & quem effectum habeat?*

EMptione jam hodie frequentissimè transferuntur dominia, nam liberalitate exules res pauciſſimæ vel nullæ donantur. Ex vi emptionis incipis, qui picturam emisti, ita te habere, ac si illam feciſſes; adquiris enim conservandi & destruendi legitimam authoritatem: venditione incipit pictor se habere ac si eam non pinxisset, amittit enim potestatem destruendi & servandi, quam habebat.

Mixtio.

250 *Qualis & quanta esse debeat mixtio, ut dominium adquiratur?*

ADquiris dominium Mixtione, cùm paucæ res alienæ ita tuis immiscentur, ut distingui non possint; tunc enim teneris recompensare proximo damnum ex hac mixtione illatum, justè tamen res tuis immixtas retines. Ita omnes. Consultò dixi debere ita esse immixtas, ut distingui non possint; nam si alienæ sint multæ, nunquam tuis poterunt ita immiscerì, ut non possint distingui.

Præscriptio.

251 *An in compromisſione fundetur?*

IN authoritate supremi dominii & singularium hominum compromissione fundatur. Prima omnium Rerumpublicarum lex neminem debere reliquis convivere, qui communibus legibus subesse non velit: igitur cùm in Republica Belgica degimus, omnes ejusdem leges acceptamus, & juxta illas dirigi volumus, & si ipsæ contra nos militent, cedimus jure nostro: cùm igitur inter alias sit quod res bona fide præscriptæ transeant in verum dominium præscribentis, qui jure nostro cessimus, debemus perdere verum rerum dominium, & adquiescere Reipublicæ, illud in præscribentem transferenti.

Leges acceptant, qui in tali Republ. vivunt.

An sit utilis & justa præscriptio?

Iustissima Præscriptionis lex: & tametsi veros dominos dominio proprietario expoliet, finem imponit litibus, & efficit ut dentur certi rerum domini, quæ aliàs non nisi per manus ambiguas discurrerent.

Amortizatio.

252 *Quid illa sit: & quos effectus habeat?*

EST juris beneficium dignissimum consideratione, quod non tam transferendis rerum dominiis servit, quàm retinendis & firmandis. Præstat, ut vel res reddatur invendibilis, vel dominus non-venditivus, vel reliqui non-emptivi, juxta ea quæ Commentarij in Reg. Benedict. num. 822. dixi, & paucis additis resumpsi in Philosophiæ Moralis numero 720.

PRÆTER

Istos Titulos enumerari solent alii, qui doctioribus Viris non placent; eos insufficientes esse, nec valere ad dominii veri translationem ex dicendis constabit.

Depositum.

253 CVm res aliqua apud te deponitur, non redderis dominus, sed custos, non poteris ipsâ uti tanquam tuâ, tametsi possis pro custodiæ labore aut pretium proportionatum exigere, aut rei usum pretio illi proportionatum usurpare. *Depositarius non est dominus.*

Commodatum.

CVm rem commodas, usum concedis proprietate tibi reservatâ. Veste sibi commodatâ Petrus uti potest juxta voluntatem commodantis; at illam vendere, alienare, aut corrumpere nequit. 254 *Ex commodato sequitur usus, non dominium.*

Spes.

NOn sine admiratione lego teneri ad restitutionem, qui impedit ne dentur pecuniæ ab aliena liberalitate expectatæ: & visis multorum authorum rationibus dico; damnum emergens & lucrum cessans debere secundùm prudentem timorem aut spem taxari, & addo spe fundatâ in mera liberalitate alterius, nullum jus adquiri; eúmque, qui facta donatione impedit, ne rem donatam adipiscaris, esse tibi injurium; non tamen illum, qui impedit, ne fiat donatio, quæ probabiliter sperabatur. Peccabit tamen contra charitatem, & invidus erit, si hanc donationem impediat solùm, ut tibi noceat; non verò, si ex causa rationabili, nimirum, si aut sibi, aut alteri amico prosit. 255 *An dominiũ adquiratur spe?*

Gratiæ paritas.

PAucas lineas scripturus sum de Gratiæ paritate, sed valde necessarias hoc sæculo, nam audio frequentissimè homines hoc titulo abutentes, ut aliena retineant. *Petrus*, inquiunt, *magis erat nobis obligatus & majori amicitia devinctus quàm Fabius; atqui illis legavit aureos mille sexcentos; ergo totidem poterimus tutâ conscientiâ retinere. Ille enim censendus est non fuisse suis amicis iniquus, & si æquus æqualis, & si æqualis non voluisse plus minùs amicis, quàm magis amicis legare.* Larva quidem tegendis latrociniis apta ratio hæc, non titulus dominii adquirendi: in donationibus enim, cùm stet pro ratione voluntas, nulla datur rationis paritas. 256 *Doctrinæ valde necessariæ.*

Sed quia uberiùs de gratiæ & rationis Paritate egi in Philosophiæ Moralis num. 125. b. non est cur hîc plura dicantur: sed sufficiat contra gratiæ Paritate abutentes Regulam LXXIV. producere, nam *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

Promissio.

IN acceptatam & non acceptatam dividitur; hanc non mutare rerum dominia, nec inducere moralem aliquam obligationem asseritur ab universis; an autem illa obligationem moralem inferat, disputatur. Ego autem probatissimis viris subscribens, & optimis rationibus innitens existimo inducere duas obligationes: alteram merè humanam titulo honestatis, alteram divinam (levem tamen) titulo veracitatis: de quibus inferiùs disputabo. 257 *Promissio duplex utraque exponitur.*

Adjuratione.

Adjuratione.

258 *Juramenta non mutant dominia.*

DE juramento est major difficultas, dico tamen aliud esse jurare me donaturum esse, aliud esse donare. Qui liberaliter & ex nulla præmissa obligatione juravit tibi daturum esse mille aureos & non dat, nullam tibi injuriam facit, sed peccat contra Deum ejus legem violando; unde, si voti aut juramenti relaxationem te inconsulto aut invito obtineat, nihil tenebitur tibi donare.

Servitio voluntario.

259 *Servienti voluntariò ex rigore justitiæ nil debetur: & tamen ex gratitudine multum debetur.*

QVi voluntariò & non requisitus alteri servit, præmium sperare, imò & petere, ut favorem potest, non ut debitum; ac propterea furti arguendus, si per clandestinam compensationem tantum ceperit, quantum ab alio habuisset. Qui voluntariò serviunt, majora præmia sperant quàm mercenarii; exponúntque se periculo nihil habendi; quia si hoc deesset periculum, cessaret ratio, ob quam deberent præmium nobilius sperare.

Titulus legi contrarius.

260 *Tituli injusti interdum ob circumstantias fiunt injusti.*

VT verbo multa comprehendam, quæ uberiùs expendere possem, omnis titulus, qui sub talibus circumstantiis accidit, ut in legem dominii mutationem invalidantem impegerit, insufficiens est ad translationem dominii proprietarii: unde tametsi Donatio, Emptio, Venditio, tituli sint; tamen, si prodigæ, usurariæ, aut simoniacæ, conscientiam inficiunt, & nihil alterant in re. Quod prudenter observans Bonifacius VIII. Regulam LXIV. scripsit; nimirum *Quæ contra jus* (nempe dirimens) *fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

Hinc constat primò, omne dominium in productione (physica vel morali) fundari.

Secundò, neminem posse tractare moralia, qui in naturalibus versatus non sit; qui enim in præmissis physicis oberraverit, inferet consequentias erroneas. Exorbitavit Armacanus *lib. 10. quæst. Armenic. cap. 2. & 4.* & cum illo VVicleffus, Husius, & VValdenses, existimantes morale rerum universarum dominium in gratia & charitate fundari; unde duo debebant inferre, alterum Ethnicos, Mahometanos, Judæos, Hereticos, & ad unum omnes etiam Catholicos dominio rerum possessarum excidere, cum gratia; alterum, omnes in gratia constitutos esse universarum rerum dominos. Hunc tamen errorem damnavit Constantiense Concilium Sess. 8. illum pulchrè refellit VValdensis *in sui Doctrinalis cap. 81.* & Molina *tract. 2. disp. 18. & 19.* Sed & error hoc apparenti syllogismo subtruebatur. *Amicorum*, dicebant prænominati Hæretici, *omnia communia sunt; atqui Deus universorum est dominus: ergo ad Dei amicos omnia spectant. Sed, qui habent charitatem & gratiam Dei amici sunt; ergo.* Si scholastico rigori studeas, nega simpliciter majorem.

An dominiũ in gratia supernaturalis possessione consistat?

261 His Hæreticis nonnulli Gersonem *part. 2. Sermonis in cœna Domini. De domino Evangelico* & Conradum *lib. 1. de Contract. cap. 2.* adscribunt, quod dominium in Civile & Gratificatorium diviserint; illúdque jure, hoc verò charitate fundaverint. Dicastillus hac censura perstringit Gersonis & Conradi sententiam; *In re quidem*, ait lib. 2. tract. 2. disp. 1. num. 83. *non multum aberrat aut nihil; cautè tamen modus loquendi admittendus est & maximè temperandus, ne videamur Hæreticis connivere.* At ego doceri velim, An Hæretici docuerint aliquid, quòd hi Catholici non doceant. Nam exponendum est quid nomine *Gratificatorii dominii* intelligant; si hoc nomine significari velint jus possidendi aut destruendi, errant. Si jus, non tamen possidendi aut destruendi, nugantur; qui enim nec possidere, nec destruere jure potest, dominus vocandus non est.

262 *An verum dominium proprietatis in Fide supernaturali consistat?*

Erravit etiam Hostiensis morale rerum omnium dominium constituens in fide supernaturali; erravit inquam, quia tametsi crediderit malos Catholicos esse rerum suarum veros & legitimos dominos, tenebatur à dominio vero proscribere universos Hæreticos, Judæos, Gentiles, & ut verbo dicam, omnes Non-Romanos. Ex hac sententia sequeretur Catholicos posse ab Hæreticis & Ethnicis sine scrupulo conscientiæ furari, illósque non habere jus defendendi divitias, ac propterea erravisse Christum dicentem, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Conclusio.

MANEAT igitur physicum rerum dominium productione liberâ reali, & Morale dominium productione liberâ morali fundari, exponique summis periculis, qui charitate, fide, aut aliis extrinsecis titulis fundant. *Nunc autem de singulis titulis uberiùs differamus.*

DISPVTATIO I.

De Inventione, primo modo adquirendi dominium morale.

263 *Resolutio communis & vera.*

INVENTIONEM & Occupationem esse legitimum titulum adquirendi dominium statuunt universi Authores, asserentes christallos pretiosas, gemmas, metallorum venas, triferas animantes, in maris littoribus, in arenarum montibus, in saltibus, in saxis, repertas ad Inventorem pertinere. Sed quid si negares hunc titulum? quomodo convinci posses?

264 *Eadem à ratione probatur.*

Fortè qui multa supponunt & pauca examinant, te testimoniis & textibus obruerent, non rationibus; ideóque non urgerent; non enim textus admittendi, si ratione vacui. Puto me posse hunc titulum dominii demonstrare, & ex fundamentis præmissis arguo sic. Omnis causa libera adquirit physicum & naturale dominium rerum à se physicè productarum: ergo & morale, rerum productarum moraliter. Atqui Inventio est moralis productio; igitur Inventione adquiritur dominium morale. Minorem probo. Insulæ non detectæ, gemmæ nondum inventæ, adamantes nondum reperti, & similia, virtualiter non sunt,

sunt, quia licèt physicè sint, ita se habent respectu hominum ac si reverà non essent.

An inventio sit moralis productio?

Cùm inveniuntur, incipiunt humanitùs esse: ergo Inventionis vi ex *non-esse* humanitùs ad *esse* humanitùs transierunt: ergo Inventio est virtualis seu moralis productio. Ille igitur, qui rem invenit, virtualiter producit, hoc est, ita se habet ac si realiter produceret. Atqui, si realiter produceret, esset dominus physicus proprietarius: ergo ita se habet ac si dominus physicus proprietarius esset; ergo est dominus proprietarius virtualiter.

265 *Quid occupatio sit: & an ab inventione distinguatur?*

Inventionem Authores cum Occupatione aliàs conjungunt, aliàs separant: Inventionem enim ipsam rei detectionem appellant; & Occupationem actum primum possessionis, quo Inventor rem inventam capit & sibi appropriat. Et inquiris, *An dominium purâ Inventione, an Occupatione adquiratur?* hoc est, *An, qui invenit & non occupavit, sit legitimus & verus dominus; An verò ad adquirendum dominium, tam Inventio, quàm Occupatio requiratur?*

266 *An dominiũ in occupatione consistat?*

Videretur Occupatio requiri, quia dominium physicum non quacumque productione adquiritur, sed libera; ergo & morale adquiretur etiam productione libera morali: sed ad Inventionem libertas non requiritur, requiritur ad Occupationem: ergo Inventio habet rationem prævia dispositionis, & Occupatio est ratio formalis in qua fundatur morale dominium.

Sed existimo dominium merâ Inventione adquiri, & Occupatione adquiri rei propriæ possessionem; & sententiam duabus rationibus confirmo.

An inventio sit libera?

Prima sit. Si Inventio non sufficit ad titulum dominii, maximè, quia non creditur libera, sed fortuita & casualis; atqui ipsa libera est: ergo ad adquirendum verum dominium sufficit.

Probatur minor. Quia liberè exornantur classes novas insulas & ignotas oras inventuræ; liberè urinatores submatant gemmas & corallos quærentes; liberè montes & eremos homines industrii percurrunt, ut auri venas aut lapides pretiosos inveniant: ergo in talibus casibus summa libertas in ipsâ Inventione invenitur; non igitur excludenda est à titulo veri dominii propter defectum libertatis.

An ad dominium adquirendum libertas formalis requiratur?

Sit secunda. Si Inventio non sufficit ad titulum dominii adquirendi, maximè, quia sæpè non est formaliter & actualiter libera, multa enim liberi invenîmus, quæ non liberè; atqui formalis & actualis libertas non requiritur: ergo. Minorem probo. Quia multi pictores ebrioſi mero capti pulcherrimas figuras delineant, & multi conjugati semisopiti filios generant, & licèt asseramus neutros habere actualiter usum rationis, utrosque adquirere verum dominium credimus; illos proprietarium, istos jurisdictionis.

De Amissione.

267 *Quo modo amittatur dominium?*

DOminium Inventione adquiritur, Amissione perditur; sed quia non quæcumque Inventio fundat relationem dominii, sic nec quæcumque Amissio legitimè fundatam tollit. Talis debet esse Inventio, quæ productio virtualis censeatur; talis Amissio, quæ virtualis destructio judicetur: virtualia enim ita se habent ac si essent physica, & physicæ proprietatis dominium physicâ productione adquiritur, perditur physicâ destructione.

268 *De derelictione & amissione.*

Amissionem animus deserendi & relinquendi sequitur; & inquiro, *An Amissione pura, an Derelictione dominium proprietatis perdatur?* Hæc quæstio est superiori illi similis, quæ interrogabat, *Inventione, an verò Occupatione dominium ipsum adquireretur?* & ideò eodem omninò modo resolvenda.

Res omnes facilius corrũpuntur, quàm fiunt?

Respondeo, pauciora requiri ad formæ destructionem, quàm ad introductionem. Humanum corpus vix quadraginta vel octuaginta diebus natura præparavit, ut animam rationalem reciperet; & tu vel uno ictu ita illum potes perforare, ut illam conservare non possit. Tribus annis impensis Zeuxis Dianæ imaginem ad miraculum pulchram ediderit; tu vel horæ quadrante tabulam potes lævigare, & immensæ artis delineationem perdere. Cùm igitur dominium in operatione consistat, dicendum difficiliùs adquiri, faciliùs perdi. Vt adquiratur opus est, ut rem dominio subditam producat ille qui nominatur dominus; nam si Paulus illam nomine proprio produceret, nunquam Anselmus esset dominus. Vt perdatur, sufficit rem possessam destrui, sive à domino, sive ab inimico, sive à Deo destruatur: nam si, verbi gratiâ, habeas equum, ejus perdes dominium, si vel illum occidas, vel illum inimicus interimat, vel ipse ictus fulmine aut morbo naturali moriatur.

Quomodo perdatur dominium?

169 *An quis possit adquirere dominium invitus: an illud invitus amittere?*

Hinc colligo neminem invitum adquirere posse dominium, invitum illud perdere posse: vel si dubites, præmissum exemplum iterum expendamus. Equum illum, quem legitimè possides, quo uteris, quo carere non vis, morbus extinguat, te contra ejus violentiam pharmacis militante: putabilne equi te habere dominium, cùm nusquam sit? minimè, si sis prudens: habebis enim dominium in equi cadaver & spolia, hæc enim adhuc supersunt; non in equi vitam, hanc enim cùm non sit in rerum natura, nec servare, nec perdere potes. Ecce, quod libens & volens adquisieras dominium, perdis invitus & involuntarius.

270 *An ad amissionem dominii deserendi animus requiratur?*

Hinc igitur ad dubium propositum. Non requiri animum deserendi, sed sufficere meram Amissionem, si talis ea sit quæ destructioni æquivaleat. Verbi gratiâ, instante naufragio in fluctuum vortices sarcinas tuas providus nauclerus immittat, etiam te contradicente & reclamante. Illæ adhuc erunt physicè in rerum natura, sed non erunt virtualiter, nam non erunt humanitùs, humani enim usus respectu ita se habebunt, ac si actu non essent. Illa igitur immissio independenter à voluntate tua fuit destructio moralis. ergo independenter à voluntate tua te vel invitum dominio proprietario privavit.

Sed quia hæc solidè hucusque perducta sunt, ne scrupulo locus aliquis maneat, aliquot Dubia resolvamus.

ARTICVLVS

ARTICVLVS I.

De rebus quæ nullum unquam habuerunt dominum.

271 *Inventio triplex.*

ADstruit D.Thomas 2.2.*quæst.66.art.5.ad* 2. triplicem rerum Inventionem; inveniuntur enim, vel, quæ nullius unquam fuerunt; ut lapilli pretiosi, coralli, gemmæ, & id genus alia, quibus littora maris exuberant: vel, quæ olim alicujus fuerunt, jam nullius, ut thesauri antiquorum superstitione conditi: vel tandem, quæ de facto alicujus sunt, sed incogniti; putà, si scyphum aureum in foro urbis reperias, & tamen factâ diligenti inquisitione dominus non compareat. Positâ hac distinctione inquiris, *An quæcumque, rerum quæ nunquam dominum habuerunt, Inventio, sit productio virtualis, & sufficiens titulus adquirendi dominium proprietarium?* Satisfaciant Positiones sequentes.

Dubium incidens.

272 *An gemmæ, & pretiosi lapides sint Inventoris?*

Prima. *Abstrahendo à jure positivo civili, gemmæ, lapilli pretiosi, & id genus alia, quæ in fluminibus aut marium littoribus inveniuntur, sunt Inventoris.* Demonstratur. Quia ab illo virtualiter producuntur; humanitùs enim non erant, & post Inventionem humanitùs sunt: ergo quòd humanitùs sint, debetur Inventori.

273

Secunda. *Si Franciscus à te conductus, ut arenas maritimas examinet & lapillos quærat, lapillum summi pretii repererit, tibi adquirit dominium.* Vt conclusionem evidenter persuadeam, suppono ex Reg. LXVIII. posse te facere per alium, quod per te ipsum: & ex Regula LXX. perinde esse, si per alium, aut personaliter per te opereris. Et his fundamentis suppositis discurro sic. In tali casu tu es causa principalis, ille enim est tuum instrumentum. Ergo gemmas non reperit Franciscus, ut causa principalis, sed tu ministerio Franciscí. Ergo tu adquiris in illas dominium, & non ille: nam tu es, ut dixi (& hîc est nodus difficultatis) causa principalis moraliter, & Franciscus tuum morale instrumentum, quo uteris ad lapillos quærendos. Hinc patet mercatores Hispanos posse tutâ conscientiâ gemmas pretiosissimas retinere, quas vili pretio lucrati sunt in lacu Margarethæ; habent enim urinatores pretio justo conductos, qui gemmas quærunt, quique aliquando nullam utilem inveniunt, aliquando pretiosas, & tamen semper recipiunt suum salarium.

274 *An thesauri, fodinæ, & gemmæ, quæ inveniuntur, sint Regis?*

Tertia. *Rex aut Magistratus non potest sibi reservare dominium gemmarum in suis littoribus à subditis inveniendarum invito populo.* [*Eodem prorsus modo de thesauris philosophator.*] Hæc veritas suaderi potest, primò communissimâ, secundò speciali ratione. Communissima à populi libertate desumitur, cui invito imponi nequeunt leges, ni fuerint ad ejus conservationem simpliciter & absolutè necessariæ: cúmque hæc lex de gemmarum dominio non possit esse conservationi necessaria simpliciter, invito populo imponi non potest. Cæterùm, si aliquando contingat esse necessariam simpliciter, imponi poterit, & ante expressam acceptationem obligabit, sed fortè alio quàm obedientiæ titulo. At esse simpliciter necessaria vix poterit; sed videtur occurrere unicus casus, cui non dabuntur multi similes.

275 *Casus notandus.*

Esto Cypri Rex à Siculorum Tyranno Dionysio justè victus, & interimendus; delenda Cyprus; insulani perdendi. Salutè miseris concedit Dionysius, si illi Cypriorũ Rex gemmas & pretiosos omnes lapillos concesserit, qui potuerunt in oris reperiri. Et assero teneri victum Regem articulum hunc acceptare; possèque validam & obligatoriam legem ferre, quâ statuat, ut omnium gemmarum in littoribus suis reperiendarum dominium sit Tyranni Dionysii: subjungo hanc legem pro illo rerum statu esse necessariam simpliciter & acceptatione non egere.

276

Specialis ratio ex vero dominio desumitur. Quia ex Positione secunda constitit gemmas hoc modo inventas ad Inventorem spectare. ergo cùm Rex aut Magistratus sibi illas appropriat, vasallum innocentem spoliat: ergo furti erit reus. Regi enim aut Magistratui non est concessa expoliandi potestas, sed gubernandi, fovendi, promovendi, & adjuvandi authoritas. Quod si consentiat populus, omnia licent; quoniam *Scienti & permittenti non fit injuria neque dolus*, ut habet Regula XXVII.

277 *An leges conservant peregrinos?*

Quarta. *Potest Rex aut etiam Magistratus interdicere ne exteri proprio nomine gemmas in suis oris perquirant; imò & ab exteris inventas mandare fisco; & hoc inconsulto populo.* [*Eodem modo philosophator de thesauris.*] Patet; quia hæc lex non militat contra populares, nec ejus actiones aut dirigit aut coërcet, sed militat contra externos, & cadit in utilitatem Reipublicæ. Peregrini autem non tenebuntur legem acceptare, poterunt enim urbe excedere; sed si manserint, debebunt obedire. Vbi obiter notandum, hanc legem quæ exteros directè obstringit, si indirectè bono publico præjudicet aut civibus aliquibus noceat, sine consensu populi ferri non posse.

278 *Leges acceptatæ obligant.*

Quinta. *Leges circa gemmarum à civibus inventarum Inventionem obligant, si fuerint acceptatæ.* [*De thesauris eodem prorsus modo discurre.*] Patet; quia volentibus & permittentibus non fit injuria; & Inventores, siquidem sunt illarum gemmarum domini, possunt cedere dominio juxta præceptum legis; ac si cedant, tenebuntur stare pacto & concordiæ.

279 *Non de omnibus disponit ius naturæ.*

Hinc patet esse temerarios universos Authores, qui leges civiles incusant, injustásque proclamant, ubicumque eas à naturali dissentire aut differre reperiunt, hæc enim multa interdicit, multa præcipit, & tandem multa intermittit, ad quorum omissionem aut admissionem non obligat.

280 *Vbinam & quando leges humanæ locum habeãt?*

Iniqua esset humana lex, si aut præciperet quæ naturalis interdicit, aut interdiceret, quæ hæc præcipit: at verò, quæ naturaliter nec indicta nec interdicta sunt, possunt humanitùs indici & interdici; nimirum, si lex à Principe aut Magistratu feratur, & à populo liberè acceptetur.

Sexta. *Lapis pretiosus aut vena auri* [*imò & thesaurus*] 281

De rebus in loco alieno inventis.

thesaurus] *si in agro Francisci ab Antonio reperiatur, stando puro Iuri naturæ & à civili præscindendo, sit Inventoris.* Est contra Molinam *disp* 54. & Bañez 2.2. *quæst.* 66. *art.* 5. sed asserta à Lessio & Vasquezio, & non-improbabilis credita à Dicastillo *de just. & jur. lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *num.* 400. & ostenditur. Venæ auri & argenti, pretiosi lapides, gemmæ, & similia, ante inventionem nullius sunt: ergo nec domini campi, in quo sunt. Consequentia est evidens; assumptum probo. Moraliter non sunt: ergo nullius moraliter sunt.

282 Patet consequentia; rerum enim, quæ non sunt, non datur dominus. Probo antecedens. Quæ humanitùs non sunt, ita se habent ac si verè non essent: ergo virtualiter sive moraliter non sunt. Tunc sic. Cùm inveniuntur incipiunt humanitùs esse; ergo illa inventor ex *non-esse* virtuali ad *esse* virtuale transtulit: ergo virtualiter produxit: est igitur illorum dominus.

283 Infers. Ergo venam auri in campo alieno repertam poterit Inventor invito domino eruere, nec tenebitur ad restitutionem auri aut argenti eruti, sed damni agro illati, non secus ac si illum perfodisset aliâ ex causa. Admittunt consequentiam Authores jam citati, quibus libentissimè subscribo. Et quidem ego hîc reperirem discordiam aut bellum privatum ex utraque parte iustum: nam inventor venæ aureæ posset directè uti vena à se inventa, & indirectè agro: & agri dominus posset directè uti suo agro, & impedire ne quis illi noceat indirectè. Ergo, ne rixæ essent, prudentissimè de hoc casu in singulis Provinciis leges civiles sunt.

284 *Obiectiones.* Arguis ex Bañez & Molina. Fructus agri, inquis, ad agri dominum spectant, in omnium opinione; at lapides pretiosi, gemmæ, venæ auri & similia fructus terræ illius sunt: igitur ad dominum illius terræ spectabunt.

Confirmas primò, Quia accessorium sequitur suum principale, juxta Regulam XLII. atqui auri vena est quid accessorium respectu campi, & iste est res principalis: ergo illum debet sequi. Igitur ad unum eumdémque campus & vena pertinebit.

Confirmas secundò, Quia in toto partem non est dubium contineri, juxta Regulam LXXX. atqui vena est pars campi: ergo continetur in toto. Igitur, qui totius campi est dominus, etiam erit dominus venæ.

Confirmas tertiò, Quia ex Regula XLVIII. nemo potest locupletari cum alterius injuria vel jactura; at si auri vena ad inventorem pertineret, ditaretur ipse cum jactura & injuria domini agri. Non ergo ad inventorem auri vena, sed ad campi dominum pertinet.

Respondeo concedendo majorem, & minorem distinguendo. Pretiosos lapides, gemmas, & venas auri terræ illius esse fructum physicum & materialem, transeat; esse moralem, nego: ita enim erant, ut virtualiter non essent; nam ita se habebant, ac si in rerum natura non essent. unde non est negandum Inventorem fuisse productorem virtualem.

Ad primam Confirmationem, concedo accessorium sequi suum principale, nego autem auri venam nondum inventam esse quid accessorium, quoniam ut sit accessorium, debet saltem existere, & illa antequam inveniatur, virtualiter non est in rerum natura.

Ad secundam, eodem modo respondeo; non enim potest dici pars rei existentis, id quod non existit: & illa vena, antequam inveniatur, humanitùs non est existens.

Ad tertiam dico nullam domini campi injuriam fieri, cùm capitur, quod ipsius non est: quoniam rei non existentis non datur dominus: ergo illa auri vena antequam inveniretur, siquidem humanitùs non erat, nullius erat; & cùm invenitur, moraliter producitur, & est moralis productoris seu Inventoris.

Instas. Si Inventor est venæ dominus, etiam alter est dominus campi. Ergo sicut ille potest invito domino campi aurum à se inventum eruere; ita etiam hic campum defendere inuito auri Inventore. Erit igitur justa utriusque partis oppositio: & evincet potentior.

Objectionum solutio. Respondeo juxta ea, quæ paulò ante dicebam, causam & controversiam ex utraque parte esse justam stando juris naturalis rigori; nec teneri dominum campi permittere, ut campus ejus fodiatur & corrumpatur, nisi indemnis reddatur. *Quid si indemnis reddatur?* Aio in eo casu habere locum congruentias, quæ à rigidissimo juris rigore longè absunt, & juxta nonnullas quæ succurrunt, suavitas humanæ societatis definire videtur auri Inventorem posse invito domino campi illud eruere; non posse hunc campi integritatem invito domino auri reperti conservare. Ratio est, quia debemus favere proximo extremè laboranti cùm possumus, maximè si indemnes reddamur: atqui auri ille Inventor extremè laborat, ut adquirat quòd suum est: ergo, si campi pretium solvat, vel alium æquè bonum & utilem tribuat, debebit campi dominus illi opitulari permittendo, ut campum effodiat & aurum inventum possideat. Patet consequentia; quia nulla alia suppetit via ad auri realem possessionem habendam, & hæc patere posse supponitur sine alius detrimento. Nec hîc habet locum Iuris Regula LXV. *In pari causa melior est conditio possidentis*, sicut nec LIV. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Non prior; quia contra charitatem & pro invidia nulla valet possessio; & invidus omninò est, qui non favet proximo indigenti, si indemnis reddatur. Non posterior, quia non est illa prioritas circa eamdem rem, quia campi dominus est prior in possessione campi, non autem in possessione venæ: hæc enim antequam inveniretur, nullius fuit.

De autoritate Regum in gemmas, auri venas, & omnes metallorum fodinas.

285 *Quid dicendum stando legi naturali præcisè?* SVnt, qui hæc omnia ad Reges pertinere existiment; sunt, qui eos tyrannidis incusent, si hujusmodi sibi reservent; & ut puto neutrum potest asseri universaliter: nam ut constat ex Positionibus præmissis, stando rerum

rerum nudæ naturæ non Regum, sed Inventorum sunt. At Inventores, qui inviti spoliari non possunt, nullo jure prohibentur, ne proprietate cedant, & publicam res hujusmodi, aut aliquam earumdem partem Regi adscribentem legem admittant. In casu necessitatis posse subditos etiam invitos obligari Positio tertia asseruit, quam Paludanus, Gabriël, Antoninus, Castrus, Covarruvias, Molina, Bañesius, Salon, & Aragon, quos citat & sequitur Dicastillus *lib. 2. tract. 2. disp. 9. dub. 15. num. 409.* stabiliunt. De facto, jure consuetudinis consensu populorum firmatæ, omnes metallorum fodinas, thesauros & similia ad Reges pertinere Paludanus, Antoninus, & alii boni nominis Authores contendunt; negant Sylvester, Sotus, Bartholomæus Medina, Ludovicus Lopez à citato Dicastillo adlegati, asserentes talem legem non posse tutâ conscientiâ à Principe tametsi supremo constitui, addentésque (& hoc omninò mirum est) in nulla Republica benè instituta talem reperiri usum aut consuetudinem: ubi non sine totius Europæ injuria duo dicuntur: alterum non dari tales leges aut consuetudines: alterum, illas, si alicubi dentur, esse injustas. Errant autem in primo: nam in Hispania, Gallia, Germania & aliis Provinciis illæ dantur: errant etiam in secundo, quia cùm constet liquidò hujusmodi leges in variis regnis Christianis reperiri, omnia hæc horum Theologorum sententiâ malè instituta sunt, & contra conscientiæ securitatem leges ferunt. Sed esto omnia iniqua sint Europæ regna; causas ob quas condemnantur, videamus.

Quid autem standō consuetudini, & moribus omnium Provinciarum?

An omnia regna malè sint instituta? Objectio.

Quod nullius erat, inquiunt, cùm invenitur, Inventori & primò occupanti cedit: iniquus igitur & tyrannus censendus ille Rex, qui id sibi appropriat, non secus ac qui te tua privaret domo, & sibi aut alteri appropriaret.

Solutio.

Sed hæc ratio non urget, nam singulæ præmissæ ad sensum Positionum initio positarum expositæ veritatem dilucidant, & nostris adversariis non favent. Majorem enim sic distinguo. Concedo esse Inventoris & primò occupantis quod nullius erat, & hoc si stemus puro juri naturæ, quo ipsemet Inventor non cesserit: at verò stando juri humano ab ipsomet Inventore liberè acceptato, hujusmodi res esse illius, cui lex illas adpropriat, nec esse locum conquerendi; legem enim liberè acceptanti & suo jure libere cedenti, & cedere potenti, non poteris vocare injuriam, juxta illud, *scienti & consentienti non infertur injuria.* Regula XXVII. Vnde ad consequentiam veniens sub eadem distinctione respondeo, negans iniquum esse Regem, qui thesauros inventos de populorum consensu sibi adpropriat; concedo iniquum esse, si contra eorumdem voluntatem.

Sapè ceditur jure naturali.

In gravissima regni necessitate populi, tametsi contradicant, consentire censendi sunt; juxta Regulam LXXXIX. *Censetur consensum præbere, qui tenetur:* nam qui vult finem, omnia vult sine quibus ille non potest consequi; adeóq; populi volētes regni publicā conservationem, dicendi sunt concomitanter omnia velle, sine quibus illa stare non possit. Ergo si contingat thesauros inventos, aut metallorum venas posse omninò huic miseriæ succurrere, ni aliud remedium suggerant, censebuntur populi hæc Regi cedere, non enim censeri possunt velle bono publico & regni conservationi præjudicare. Videris me semper in omni lege publica populi consensum requirere, non enim inviti possunt opprimi, homines liberi & ingenui, qui occidi non possunt. Oppositæ defensores sententiæ sæpè insudant, ut possint Principum leges excusare à tyrannide, ego facili negotio eas excuso, ad juris cessionem recurrens; illæ enim, quæ invitis positæ, essent injuriæ; sunt æquæ, si volentibus & consentientibus imponantur; potenti enim jure suo cedere, & cedenti de facto, nulla fieri potest injuria, ut optimè Bonifacius Pontifex Regula XXVII. (quam habere ob oculos in tota hac Disputatione opus est) observavit. Sed & hoc uberiùs proprio loco, cùm de legum humanarum authoritate disputabo.

De consensu virtuali.

ARTICVLVS II.

De rebus, quæ olim habuerunt dominum, jam non habent.

286 *Plurimi in sepulchris thesauri.*

ANtiquorum divitum superstitione multi thesauri fuerunt conditi, multi bellorum periculis, multi gentium transmigratione. Veteres cum summa auri & argenti vi sepulti reperiuntur: unde adagium,

Divitias quæris? rupta sepulchra dabunt.

Timentes alii urbis excidium, & hostium victoriam, divitias suas sepeliverunt, & postea occisi. Mauriſci ab Hispania proscripti, reverti ab exilio sperarunt, & thesauros suos in prædiis absconderunt; excesserunt in Africam, ibique mortui sunt. In Hispania igitur & in aliis Provinciis multi thesauri latent, multi quotidie reperiuntur. Sit igitur Conclusio.

287 *Cujus sint antequam inveniantur? Cujus post inventionē?*

Prima. *Omnes veteres thesauri in terra sepulti, qui ab universis ignorantur, nullius sunt.* Patet; quia moraliter & humanitùs non sunt, ita enim se habent ac si verè non essent.

Secunda. *Stando Iuri naturæ, omnes illi thesauri fiunt Inventoris, qui nihil tenebitur dare Regi, nihil Reipublicæ, nihil Domino agri, in quo reperti.* Patet; quia Inventor est virtualis thesaurorum productor, ac propterea solus verus & legitimus dominus.

288 *Dubium incidens.*

Sed proponis hunc casum. Petrus conduxit operarium, ut puteum effoderet in domo sua, nempe diurni floreni pretio; & hic ollam auro plenam invenit. Cui autem invenerit, inquiris; sibi-ne, an conductori? Videretur, quod Petro, nam ex Regula LXXII. *Qui facit per alium perinde est ac si faciat per se ipsum.* Ergo Petrus ministerio operarii aurum invenit; nam operarius suum laborem vendidit, & quidquid ex illo labore nascatur ementi laborem adquiritur. Dico tamen aurum esse operarii: ratio est, quia illud est Inventoris, atqui Petrus non est Inventor, ergo ad ipsum non pertinet. Nec valet dicere operarium esse instrumentum Petri, non secus ac

urinatorem mercatoris margarithas quærentis. Subest enim summa disparitas. Vrinator conductus est, ut gemmas quærat, operarius ut puteum fodiat: si Petrus operarium conduxisset, ut aurum quæreret, esset omninò paritas: quia non conduxit ad hunc effectum, cessat similitudo. Si urinator ad quærendas gemmas conductus, ensem in mari reperiret, sibi reperiret: & operarius ad puteum fodiendum conductus illum Petro fodit, reliquæ quæ casu accidunt, habet sibi. Si nimio calore fatigatus in febrim incidat, sibi damnum adquirit, non Petro; si lapidis lapsu vulneretur aut occidatur, Petrus non tenetur illi ratione istius damni non prævisi: ergo si aurum inveniat, non tenebitur Petro ratione istius auri non prævisi, sed taceat, & gratias agens Deo, custodiat; beatior, sine teste.

Discrimen inter urinatorem & fossorem.

289 *Generalis Conclusio.*

Tertia. *Rex aut Magistratus non potest sibi reservare dominium thesaurorum inveniendorum populo invito, nisi sit hæc reservatio necessaria simpliciter ad Reipublicæ conservationem: volente & permittente potest, juxta ea, quæ articuli præcedentis positione 3.4.5.6. & 7. adnotavimus.* Ita Paludanus *in 4.dist.15. quæst.2. art. 2.* Castro *de lege pœnali lib. 2. corollario 3.* Covarruvias *Regul.Peccatum p.3.§.2.n.4.* Molina *disp.56.* Gabriel *in 4.dist.15.q.3. art.3. dub.7.* Antoninus *part.2.tit.1.cap.15.§.2.* Bañez, Salon, Aragon, *2.2. quæst.66.art.5.* Sed quia omnes Respublicæ habent leges de thesaurorum inventione, placuit fundamentales desumere.

Ex Iure communi.

Leges fundamentales.

INter alias, quæ ab Authoribus adducuntur & dilucidantur, hæ sunt præcipuæ.

Leges de thesauris inventis.

I. Thesaurus casu, aut industriâ inventus in fundo proprio, Inventoris esto.

II. Inventus casu in fundo alieno, ab Inventore & domino fundi in partes æquales dividitor.

III. Inventus ex industria in fundo alieno, totus domini fundi, non tamen Inventoris esto.

IV. Arte inventum magicâ fictus habeto.

Placuit has leges generales præmittere: licèt enim ab universis admittantur, non tamen ab omnibus legitimo sensu exponuntur. Desumptæ sunt ex §. *Thesauros. Instit.de rer.divis. & l.unic.lib.10. C.de Thesauris.*

290 *Circa primam* legem nihil occurrit speciale dicendum, est enim juris naturæ pura latio; nam etiam thesaurus deberetur Inventori, si nulla lex civilis esset.

Vbi est probabilitas utrinque prudenter ad divisionem recurritur.

Circa secundam laudanda est Legislatorum providentia & æquitas; nam dissentientibus Authoribus aliis illum domino fundi, aliis Inventori adjudicantibus, videtur instituenda concordia thesauri inventi divisione.

291 *Quomodo & quando obligent leges pœnales.*

Circa tertiam notandum, pœnas juxta Iuris Regulam XXIII. non imponi innocentibus: cùm igitur pœnalis ipsa sit, nec sine culpa obligat, nec ante Iudicis sententiam. Igitur, qui industriâ, quæ civiliter peccaminosa sit, thesaurum in fundo alieno repereris, poteris condemnari ne mediam partem habeas, at illam mediam partem ante condemnationem poteris licitè possidere. Ita Lessius *lib.2. cap.5.dub.15. concl.3. ex verbis ipsius legis.* Rabellus *lib.1.quæst.15.sect.2.num.3.* Mercadus *lib.6.cap.15.§.Iten los thesoros.* quorum sententiam probabilem censet Dicastillus *de just.& jur.lib.2.tract.2.disp.9.num.407.* ubi etiam Vasquezium & Bañezium adlegat.

292 *Industria duplex mala & bona: sincera & incivilis.*

Sed quæ industria lege hac tertia cavetur? Putant aliqui magicam, & errant; hæc enim cavetur lege IV. Puto equidem caveri industriam incivilem; nimirum, si thesaurus fundi domino inconsulto quæratur, tunc enim congruum est hanc incivilitatem expiari: adsono Petro Gregorio Tholosano Syntagmatis juris lib.4.cap.11.num.2. ubi ait, *Si inscio vel nolente domino..... omnis domino debetur.*

293 *Dubium incidens.*

Petis. *An Inventor incivilis, ille inquam, qui tertia lege condemnatur, possit totum illum thesaurum inventum ante Iudicis condemnationem tutâ conscientiâ retinere?* Consultò, an totum retinere possit, interrogas; posse enim retinere mediam partem usque ad juridicam condemnationem jam diximus. Negant Lessius, Rabellus, Dicastillus, Vasquez, Bañez citati; quia judicant ante sententiam Iudicis standum esse dispositioni secundæ legis: Ego tamen existimo quæstionem aliter resolutum iri, si verbis stetur. Quod si mentem Legislatoris velis inquirere, vix probabiliter procedes, si contra tenorem verborum. Non enim Regula LXXXVIII. quæ jubet verbis mentem legis præponi, patitur ut verbis claris & evidentibus præponas sensum violentum dissentaneum & dubium. Sto igitur litteræ, & arguo sic. Quando lex aliqua universalis limitatur lege aliqua particulari pœnali, quæ non obliget ante sententiam, debet limitatio esse exceptio legis limitatæ; & ante sententiam omissâ lege limitante procedi poterit juxta non limitatam. Ergo in casu præsenti, cùm tertia lex sit limitatio & exceptio, procedi poterit ante sententiam juxta illam legem quam limitat: atqui hæc tertia lex non est exceptio aut limitatio secundæ, sed juris naturæ omnes thesauros Inventori adscribentis, ut secunda conclusione tradidimus; ergo ante condemnationem poterit Inventor juxta legē naturæ procedere & retinere totum thesaurum inventum. Minorem probo. In lege excipiente debet generalis claudi, aliàs non esset exceptio. Si dicas, *Omnia animalia possevendi excepto homine;* opus est hunc esse animal: ergo ut sit vera hæc assertio, *Omnis, qui in fundo alieno repererit casu thesaurum, mediam partem habebit, illis exceptis, qui repererint illum ex industria,* opus erit, ut casus de industria prædicetur: quod cùm fieri non possit [industria enim casus non est,] tenendum legem tertiam non esse exceptionem secundæ. Patet ex III. Theologorum Axiomate, nimirum, *Omnis exceptio debet esse de contentis in Regula*, quo utitur Llamas pag.742. & expono Ego superiùs.

Resolutio.

Quo sensu sint intelligendæ & exponendæ leges limitantes & limitatæ.

294 Dices, sequi ex nostra doctrina melioris esse conditionis illum, qui ex inurbana industria thesaurum invenerit, illo qui casu; hoc est, melioris esse conditionis illum, quem leges volunt punire, illo, quem præmio donant.

Respondeo negando consequentiam: nam qui casu invenit thesaurum in fundo alieno, pacificè & sine ullo periculo mediam habebit partem;

partem; qui autem temerariâ & inurbanâ industriâ quærere illum præsumpserit, habebit totum ante judicium, & post sententiam nihil; atqui melius est habere mediam partem citra controversiam, quàm totum cum certissimo perdendi periculo. [Hæc dicta sunto stando rigori verborum: at quia Iurisperiti loqui rigorosè non solent, & Expositores in contrariam opinionem conspirant, tu has lineas attentè considera, at in praxi (nam consuetudo est optima legum interpres) judica secundùm communem opinionem.]

Iudex juxta communem opinionem pronunciet.

De Magia.

295

Magica ars minùs potest, quàm vulgò creditur.

Circa quartam, supponendum dari artem Magicam inveniendi thesauros. Rem fatear; cùm de altis nominibus, thesauris inveniendis, domibus transportandis, & ejusmodi Magicis miraculis Authores differentes audio, subrideo existimans potiùs credulos, quàm curiosos esse. Non nego dari superstitiones & veneficia, at dari tam frequenter ut vulgus existimat, non admitto: multa enim vana sunt, quæ superstitiosa dicuntur, & vanitatem plurimi cum superstitione confundunt. Est hodie in pretio naturalis Magia arcanarum rerum indagatrix, quæ non omnia adsequitur; præter quam non ero facilis in alia Magica admittenda. Multa dicuntur, scribuntur de artibus superstitiosis, quæ nulla. *Sentio* igitur hac lege quarta Magiam naturalem non damnari; unde thesaurus inventus Magiâ naturali esse dividendum inter dominum fundi & Inventorem, si ex communi voluntate quæratur, aut casu reperiatur; aut esse totum adjudicandum Inventori ante sententiam, post sententiam domino fundi, si contra ejus voluntatem quæsitus. *Addo* inventum Magiâ superstitiosâ ad fiscum pertinere.

Magia duplex, naturalis & superstitiosa.

De thesauro invento per Magiam naturalem.

De invento per superstitiosam.

Sed petis: Pertineatne totus ad fiscum, an solùm illa media pars, quæ deberetur Inventori, si aut casu, aut cum domini licentia reperiret? Lessius *lib. 2. cap. 5. num. 66.* quem citat & sequitur Dicastillus *de just. & jur. lib. 2. tract. 2 disp. 9. num. 407.* existimant solummodò mediam partem mandandam esse fisco, & mediam alteram cessuram in utilitatem domini fundi. Et probat, quia fundi dominus non debet esse pejoris conditionis, cùm thesaurus in fundo suo superstitiosè reperitur, quàm esset si naturaliter reperiretur: quoniam juxta Regulam XXIII. nemo debet sine culpa puniri: & juxta XXII. nemo debet alterius odio prægravari. Igitur deliquerit Inventor, aut non, fiquidem fundi dominus est innocens, non potest condemnari, puniri, aut pejoris conditionis fieri. Sed hæc ratio non urget: quia ex natura rei, & secundùm legem naturalem nullum jus habet Petrus in thesaurum à te in suo fundo repertum: ergo Reipublicæ [hoc nomine Legislatorem ferentem & populum legem acceptantem intelligo] erit liberum dare hunc thesaurum superstitiosè inventum, cui voluerit; nam si non debetur Petro fundi domino, & tu ratione criminis superstitione justè condemnatus dominium in illum non adquiris, nemini erit injuria, aut sibi appropriando, aut alteri cuicumque adtribuendo. Ergo de superstitiosè invenienti philosophator eodem modo ac de illo qui industriâ incivili thesaurum quæsitum invenit. Nam uterque ante condemnationem erit totius thesauri dominus; post condemnationem, thesaurus inurbanâ industriâ inventus cedet totus domino fundi; inventus arte superstitiosâ totus fisco.

An totus ad fiscum spectet?

An sit puniendus innocens?

Sed inquiris, *An thesaurum, quem latere per magiam & superstitionem cognoveris, utiâ possis conscientiâ quærere?*

Respondeo affirmativè: nam sicut meretrix divitiis, quas peccando adquisivit, potest uti piè & sanctè: sic scientiâ, quam quis peccando adquisivit, poterit uti sanctè & piè.

Sed quid tenendum est de thesauro tuâ pace in tuo fundo quæsito & reperto?

296

Multa humana quæstiones pendent à pacto.

Respondeo standum esse pacto & concordiæ. *Contractus enim*, ut habet Regul. LXXXV. *ex conventione legem accipere dignoscuntur.* Si enim licentiam dederis, ut tibi Petrus quæreret, tibi invenit; sibi, si ut sibi; utrique, si ut quæreret utrique. Hanc resolutionem limitat Dicastillus *citati operis lib. 2. tract. 2. disp. 9. num. 408.* & apud eum Molina, Sylvester, Lessius, Vasquez, qui existimant totum thesaurum deberi tibi fundi domino, si Petrus certò noviset ibi thesaurum esse, & simulaviset se id nescire; putant enim te ab Inventore deceptum. Sed hanc limitationem non intelligo stando meis principiis; nam, si asseramus cum Molina, & Bañez venas auri (quibus thesauros adjungito) esse fructum terræ, limitatio subsisteret; tunc enim omnia deberentur fundi domino. Posito igitur, quòd ex natura rei thesaurus in agro tuo repertus sit Inventoris; qui scit eum ibi latere, jam invênit; ideóque & dominus esset, ni lege impediretur; nec illa scientia contra legem militat, secreta enim esse supponitur, & & leges juxta Regulam XC. *de actibus internis non judicant.*

297

Leges aliæ sunt definitivæ, pœnales aliæ: illæ mutant dominia rerum ante sententiam Iudicis, istæ non.

Cajetanus *2. 2. quæst. 66. art. 5.* & Salon *ibid.* laudati à Dicastillo *lib. illo 2. de just. & jur. tr. 2. disp. 9. num. 408.* has leges non esse pœnales, sed definitivas proprietatis rerum affirmant; non enim reperiunt culpam, quæ possit legibus relatis damnari. Nos verò harum legum intentum clarissimè ostendimus, asserendo primam in pura lege naturæ; secundam in utriusque partis probabilitate fundari; tertiam & quartam merè pœnalem esse, utraque enim culpam supponit, ut superiùs resolvimus de legibus eisdem disputantes.

298

HÆC *de thesauris inventis in loco habente unum determinatum dominum: Subjungamus aliqua de inventis in loco duos aut plures legitimos dominos habente.*

An una & eadem res possit pertinere ad duos dominos?

DOmus hæc ad Petrum & Paulum jure æquali pertineat totalitate objecti, ita ut uterque sit totius domus dominus (scio esse Iurisconsultos qui casum negent, sed videntur laborare ignorantiâ naturalis Philosophiæ omnem moralitatem fundantis) & fundus ille ad Franciscum & Antonium spectet partialitate objecti, ita ut alter sit mediæ partis & alter alterius mediæ partis dominus, nondum bonorum distinctione instituta. Hanc moralem hypothesin facili negotio concedent universi Philosophi, scientes dari causas partiales partialitate causæ quarum singulæ ad totum effectum concurrant; & dari partiales

partialitate effectus, quarum alteri pars effectûs respondeat, alteri altera pars. Ergo hac præmissâ hypothesi fit

299 *De thesauro invento in loco pluriù, possidentium insolidum.*

Casvs I. Inveniſti fortuitò thesaurum in domo Petri & Pauli; & ad quem pertineat, inquiris.

Respondeo mediam partem ad te; totam alteram mediam ad Petrum, totam ad Paulum spectare: & ostendo. Nam altera media pars ad illum spectat, ad quem domus; atqui hæc tota spectat ad Petrum, tota ad Paulum: ergo illa thesauri pars eodem prorsus modo ad eosdem spectat. Hinc patet, quid dicendum sit de thesauro reperto in loco ad sæcularem aliquam communitatem pertinente; media enim pars ad Inventorem, media altera pertinebit ad communitatem eadem integritate dominii quâ pertinet ipsemet locus. Tunc enim beneficio legis media thesauri pars est quid accessorium domûs, adeóque ad dominum domûs spectabit, quia *accessorium sequitur suum principale*, ex Regula XLII.

300 *De thesauro invento in loco plurium possidentium partialiter.*

Casvs II. Inveniſti alium thesaurum in fundo Francisci & Antonii. Ergo retineas tibi duos quadrantes (hoc est, mediam partem) & vide, an in fundo possit pars Francisci à parte Antonii distingui. Si distinguantur: alios duos quadrantes da domino illius partis, in qua fuit thesaurus inventus. Si non distinguantur (& hic est casus, qui videtur proponi) da unum quadrantem Francisco, alterum Antonio: tibi enim soli debetur media thesauri pars, aliis duobus simul alia media, ob eamdem rationem; quia domum sequitur quod accessorium illius est.

301 *Quid si ab altero possessore inveniatur?*

Casvs III. Petrus in sua domo invenit thesaurum inscio Paulo: ad quem ergo spectabit? Annon poterit dicere Paulus, in mea domo inventus est casu thesaurus, ergo mihi debetur media pars? Et cur non Petrus, ego in domo mea inveni thesaurum, mihi igitur totus debetur. Respondeo utrumque verum dicere, & ante Iudicis sententiam utramque veritatem stare. Sed quam feret integer & probus Iudex? Debebit ad proportionem recurrere. Crassiùs loquendo possit aliquis dicere, mediam partem cessuram Petro soli Inventionis titulo; & mediam alteram utriusque communi dominio ratione communis proprietatis.

Et hæc videretur non esse condemnanda sententia, præcipuè si partes adquiescerent, non enim Iudices tenentur Anarithmicam scire. At stando rigori suppono thesaurum valere 1000. aureis, & sic discurro.

Resolutio ex rigore Anarithmico.

Petrus sibi soli prætendit & justè mille aureos: Paulus sibi & Petro prætendit & justè quingentos: prætenduntur igitur justè aurei 1500. & non sunt nisi 1000. Ergo instituatur analogia. si 1500. ab utroque prætensi respiciunt 1000. tunc 1000. à Petro prætensi respicient $666\frac{2}{3}$: & 500. à Paulo prætensi respicient $333\frac{1}{3}$: Ergo $666\frac{2}{3}$ erunt solius Petri: & $333.\frac{1}{3}$ Petri simul & Pauli.

302 Casvs IV. Antonius in suo fundo thesaurum opulentum invenit inscio Francisco; ad quem ille spectabit? Respondeo tres quadrantes pertinere ad Antonium, unum ad Franciscum. Ratio est; quia Antonio Inventionis titulo debetur media pars; & quia sunt fundi domini, Antonio & Francisco altera media, hoc est, quadrans Francisco, & Antonio alter quadrans: ergo tres quadrantes Antonio, unus Francisco. Omnes istæ resolutiones fundantur illo principio physico, *Modus sapit naturam rei*, & illo Morali, *Accessorium naturam sequi* (sapere) *congruit principalis.* Vnde illa media pars quæ domino fundi debetur sapiet naturam domus; si hæc sit unius domini, debebitur uni; multis, si multorum hæc sit. Si hæc duorum sit indivisibiliter, etiam illa erit eorumdem indivisibiliter; & erit divisibiliter, si & domus.

Nunc igitur dilucidatis dubiis ex Iure communi subortis, examinemus.

Iura particularia

Diversarum Regionum. Sit igitur Conclusio 303

Quarta. *Thesauri in multis regnis pertinent ad fiscum, non omnes, nec toti, nec in omnibus.* Posse Rempublicam [hoc est, Regem & populum] thesauros quoscumque sibi adpropriare Conclusione III. asseruimus. Sed multi Authores existimant jam apud universas obtinuisse, ut veteres thesauri effossi ad Regem aut ad fiscum pertineant. Sed contra illos militant Sylvester *verb. Inventum, quæst. 3. num. 13.* Sotus *lib. 5. de just. quæst. 3. art. 3.* Bartholomæus à Medina *fol. 169. cap. 14. §. 31.* Ludovicus Lopez *2. part. cap. 4.* qui nullibi posse tutâ conscientiâ talem legem à Regibus constitui existimant, & probant. Quod nullius est, jure naturæ ad Inventorem pertinet, non ad Regem: ergo Rex non potest thesauros sibi adscribere sine injuria Inventoris. Cui rationi alii prolixiùs & uberiùs, ego breviùs & clariùs. Respondeo ergo distinguendo antecedens. Quod nullius est, jure naturæ ad Inventorem pertinere, ni ipse suum jus Regi cesserit, concedo; si cesserit, nego. & similiter distinguo illatum consequens: admitto Regem non posse sibi thesauri dominium lege adscribere invitis Inventoribus; non posse adhuc illis permittentibus, nego. Et subsumo. Atqui quando lex lata à Rege à populo acceptatur, singuli suo jure cedunt; ergo. Addo etiam jure cessionis teneri acceptare hujusmodi legem, si simpliciter ad Reipublicæ conservationem necessaria; quia cùm voluerunt vitam communem sub uno Principe instituere, videntur saltem in rebus ad conservationem talis vitæ illi promisisse obedientiam, & jure libertatis cessisse. Sed consultò dixi *videntur*, non enim ita evidens est, ut non patiatur maximas exceptiones: malo enim liberè meam vitam tueri cum periculo, quàm in servitute summam adquirere securitatem: & puto reliquos homines prudentes, ac propterea eidem opinioni subscribere.

304 *An antiqui thesauri ad Regem aut ad fiscum pertineant?*

Qui leges acceptant, cedunt ure faciendi contrarium.

An & quando populus teneatur acceptare legem?

Nota hanc instantiam.

Quinta. *In regno Castellæ omnes thesauri ubicumque reperiantur, sunt Regis, sed daturi Inventori quartam partem.* Constat expressè ex *leg. 7. lib. 6. Ordin. regalium tit. 12.* ubi Covarruvias affirmat se ipsum legisse in originali manuscripto *quintam partem.* Sed nescio an hallucinetur Covarruvias, quia omnia transumpta *quartam* habent, & nuper in nova Recopilatione 305

Recopilatione *lib.6.tit.*13.*l.*1. Inventori *quarta pars* adsignatur.

An aliter philosophandum sit de thesauris in loco Regis, ac in meo repertis?

Sed circa legis intelligentiam inquiris, An agatur ibi solùm de thesauris in fundis regiis aut publicis inventis; an etiam de inventis in agris & domibus civium. Priori parti subscribit Sotus; cui videtur ipsi favere lex novæ Recopilationis, quæ ait, *Si quis invenerit thesaurum ad Regem pertinentem, habeat quartam partem.* Tamen Covarruvias, Castro, Salon, & alii, de omnibus thesauris ubicumque repertis verba legis intelligunt, & addunt hanc esse consuetudinem totius Hispaniæ. Quæ quidem consuetudo non est dicenda contra legem Recopilationis militare, quia si lege statuitur, ut omnes thesauri veteres pertineant ad Regem, qui thesaurum in tua domo invenit, thesaurum quidem invenit ad Regem pertinentem.

Sed ais. *Contra eum, qui potuit legem dicere apertiùs, est interpretatio facienda.* Ergo contra Regem in hoc casu. Consequentia est legitima, & antecedens ex Regula LVII. desumptum.

Respondeo mores populi esse legibus luci, adeóque non posse dici obscuram legem illam, cujus sensum consuetudo manifesta proponit; docemur enim Regula XLV. convertere oculos ad consuetudinem & *inspicere in ambiguis & obscuris legum litteris, quid soleat fieri.*

306 *An lex hæc sit pœnalis?*

Sexta. *Qui in regno Castellæ thesaurum reperit, potest tutâ conscientiâ totum sibi retinere quousque exigatur.* Ita Bañez *ubi suprà concl.*7. & Bartholomæus à Medina *fol.* 168. Patet; quia illa lex imponit tributum; & consuetudine receptum est, ut hæc non solvantur, nisi exigantur. Sed displicet mihi quod subjungunt; nimirum, si invenias thesaurum in fundo Regis, debere illi statim dare mediam partem, quia id non est tributum. Sed quo id jure? An communi, decernente mediam partem domino fundi dandam esse? Et, si communi; nonne vident Bañez & Medina hanc juris communis legem jure Castellano revocatam? Lex, quæ tres quadrantes Regi, unum Inventori, nihil domino fundi designat, consistere non potest cum illa, quæ duos dominos fundi, duos adsignabat Inventori, nihil Regi. Ergo non tenet limitatio.

An sit admittenda limitatio?

307 *An domum possis emere in qua est thesaurus?*

Septima. *Qui scit thesaurum latere in tali domo, potest illam emere, & totum thesaurum retinere.* Multa congeruntur paucis verbis, quæ indigent claritate. Probo *primò*, posse domum pretio currente emere. Quia emit pretio justo; ille enim thesaurus, cùm probari non possit (ex Regula XC. humanitùs ibi non est, & ideò non auget moralem domûs illius valorem. Scientia enim illa non debet prodesse non habenti illam, & habenti nocere. Ita Molina *disp.* 56. & 353. Navarrus, Sotus, Salon, Aragon, Rebellus, Lessius, Valentia, & alii. *Secundò*, posse sibi totum thesaurum retinere persuadeo, quia stando Iuri communi, qui invenit in propria domo thesaurum, totale dominium adquirit. & stando Castellano, tametsi adquirat tres quadrantes Regi, non tenetur illos tribuere quousque exigantur juxta ea quæ diximus superiùs.

Scientia mea mihi potiùs quàm tibi profutura est.

Octava. *Thesaurus inventus in loco sacro est Inventoris.* Si locus ille sacer communis & publicus sit, ut cœmeterium, Ecclesia consecrata. Consentit Covarruvias, *Reg. Peccatum* 3.*p.relectionis.* §.2.*num.*3. Si locus ille sacer non sit publicus, mediam partem dandam illi Communitati, cujus est locus ille sacer, & mediam Inventori judicarunt Navarrus, cui subscribit Molina *disp.illâ* 56. & Vasquez *ubi suprà num.*27. & Dicastillus *lib.*2.*tract.*2.*disp.* 9.*num.*414. contra quos pro mei asserti veritate sic arguo. Si ille thesaurus venit inter loci sacri dominum & Inventorem dividendus, maximè quia sic decernitur Iure Naturali Positivo, aut Canonico. Atqui naturæ jus totum concedit Inventori; ut vidimus *Institut. de rer.divis.* mediam partem thesauri Ecclesiæ non concedit: Ius Cæsareum non mutat bonorum Ecclesiasticorum dominia. Castellanum, si receptum, quadrantem inventori, tres Regi adscribit; Canonicum nihil de hujusmodi thesauris disponit; quo igitur aquæ ductu jus in illius thesauri partem Prælatis aut dominis Ecclesiarum continget?

308 *De thesauris in loco sacro repertis.*

Non dantur de illo humanæ leges: ergo ex divina & naturali est judicandus.

De lignis inundatione translatis.

309

IPsa ad articulum præsentem pertinent; sunt enim res quæ habuerunt proprietarium dominum, jam non habent: sed exponendum nobis, quo jure priores domini proprietatem amiserint, quo illam adquisierit Inventor.

Debemus supponere nostros proximos prudentes esse.

Vt conscientiam tuam dirigas, debes prudens dictamen operationibus tuis proponere, ergo & credere tuum proximum prudentem esse; injurius enim tuo esses proximo, si illum stultum aut imprudentem judicares. Illa igitur proximi bona, quæ ipse prudentem agens debet contemnere, censentur ab illo derelicta & ad inventorem pertinere; non tamen illa, quæ sine imprudentiæ nota potest requirere. Sit ergo generalis

310 *Resolutio.*

Regula. *Quotiescumque ligna tot leucis sunt inundatione provecta, ut rebus omnibus consideratis dominus in quærendo, extrahendis, & ibi, vel proximo loco vendendis tantas expensas faceret, ut nihil lucraretur, censenda sunt derelicta.* Consultò *ibi vendendis* dixi, *vel saltem ad proximum locum, in quo vendi possint, transferendis*; non enim prior dominus trabes immensæ molis per centum leucas provectas domum reportabit, si possit in proximo loco illas vendere. Ita Petrus à Navarra *lib.*4.*cap.*2.*dub.*11. *num.*88. Molina, Gabriël, Navarrus, Dicastillus, & alii jam citati.

Probatio.

Præmissam Regulam solidissimâ ratione confirmo. Si tui horti sepes per quatuor leucas quæreres & lignatim reciperes, multum temporis impenderes interrogando, examinando, perlustrando; parvam partem recuperares (major enim vel ulteriùs profertur, vel in manus tenaces incidit) & rebus omnibus computatis expensæ lucrum, aut superarent, aut æquarent. Quis ergo te in tali casu prudenter procedere assereret? non nisi imprudens. *Media enim imprudenter ponuntur, si pretiosiora fine; imò, si æquè pretiosa.*

Finis debet esse mediis melior.

Hac doctrinâ præmissâ dico *primò*. Si sint parvi valoris, quæ alluvione translata, &

311

dominus

Aliter de rebus parvi pretii, aliter de rebus magni pretii philosophandum est.

dominus distet, derelicta censenda sunt. Ratio est, quia si veniret illa quæsitum, laborem & expensas magnas adhiberet ut medium, intendens levem finem.

Secundò, si sint res pretiosæ (trabes nonnumquam maximæ pretiosæ sunt) & tantùm laboris & periculi in extractione impendatur, ut non multum lucretur inventor, pro derelictis censendæ etiam sunt; quia teneretur prior dominus, itineris expensas facere, ostiatim inquirens & interrogans, singulas oras fluvii lustrans, & hoc cum periculo non reperiendi (quod quidem periculum expensarum valorem auget, sortis diminuit: qui prudenter decem pro undecim certò adquirendis expenderes, *imprudenter decem pro undecim minus probabiliter adquirendis exponeres*) teneretur prætereà probare authenticè illas esse suas; cur enim inventor cui favet *Possessio*, simpliciter asserenti credere teneretur, præcipuè viro avaro & pusillanimi; si enim generosus esset, illas imprudenter non quæreret? probatione præmissâ teneretur itidem solvere expensas factas ab inventore, & illi honorarium aliquod pro ipsamet inventione (pretio est æstimabilis) elargiri: quid ergo lucraretur? aut fallor, aut in recuperatione illa multum perderer.

Dubium incidens.

312 In Civitate A. apud fluvium N. sitâ lege statutum, ut omnia ruinarum spolia aquarum impetu subvecta sint inventoris; & in Civitate B, quòd sint domini loci ad quem translata, non verò prioris domini: & quia multi alterutrâ lege gravantur, utrùm injusta sit, quæris.

Omnes ferè universales assertiones sunt distinguendæ.

Eam damnant absolutè Petrus à Navarra, *lib.4.cap.1.dub.8.num.53.* Cajetanus *opusculo de usur.cap.1.* & *verb.Excommun. cap.23.* Gabriël, Navarrus, Dicastillus, Molina: sed censeo omnes generales positiones, præcipuè in rebus practicis, non nisi periculosè concedi aut negari, deberéque frequentiùs distingui: unde natum adagium, *Nulla generalis regula sine exceptione.*

313 Dico *primò*, illam legem esse justam, si lata à domino totius fluvii, populis superioribus, hoc est, damnum patientibus legem one rosam liberè acceptantibus: quia tunc cedunt suo jure, qui gravamen acceptant.

314 Dico *secundò*, esse injustam si à communitate subditâ eidem Regi, cui reliquæ superiores civitates. Non enim una civitas potest cives alterius expoliare invitos. Quod si contingat civitatem inferiorem superiori prodesse puta, si incursum inimicorum retundat, poterit loco compensationis hæc aut alia ejusmodi jura arrogare, & habebit sufficientem præscribendi titulum. Vnde superiores civitates viderentur illi condescendere, si non agerent lite.

An regna diversa legem habeant cõmunem?

315 Dico *tertiò*, res inundatione perductas ad aliud regnum, esse legibus regni, ad quod translatæ, subditas; nec censendæ injustæ leges regni inferioris, quamdiu non militent contra Decalogum, qui utrique regno est lex. Quid si inventori concedant quæcumque fluvius à regno superiore subrepta littoribus inferioris exponat? Debebit servari Decalogus, & juxta jus naturale difficultas decidi; nam unius regni leges ab alterius commoditate aut incommoditate non dependent.

De bonis naufragis.

PRæmissa aperiunt viam huic quæstioni; rara enim ex regno ad regnum fluviorum inundatione asportantur, multa naufragio pereunt. Examinemus igitur has leges ex tabulis civitatis N. desumptas. 316

Quorumne sunt bona naufragantium?

Leges de naufragis.

I. Navis naufragæ divitiæ fisci sunto.

II. Navi periclitanti nostri opem ferunto: liberatæ Rex mediam partem habeto, quadrantem liberatores, quadrantem liberati.

III. Navis plus aquæ horâ excipiens, quàm anthliæ horæ quadrante evomant, periclitans judicator.

IV. Si gubernaculo careat, etiam censetor.

V. Navis ab inimicis captâ totâ illâ die recuperabilis creditor. Sequenti derelicta putator; capientis esto.

Variæ Authorum censuræ.

Illas condemnant Covarruvias *Reg.Peccatum.part.3. §.1. num.5.* Gabriël, Cajetanus, Dicastillus, Molina, Petrus à Navarra, & alii jam citati; qui docent non posse Christianos sibi adpropriare bona naufraga, licèt sint infidelium aut pyratarum; non enim possunt hujusmodi homines à quocumque expoliari. Navarrus & Sylvester aliquas limitationes admittunt; existimant enim posse retineri & Mahometani naufragi bona, & Christiani, si magno cum labore & vitæ periculo ab undis procellosis erepta. Sed nos verba singula examinemus, ne temerè aut rejicere aut admittere legem dicamur.

317 Prima videtur dura, sed iniquitatem non animadverto. Potest Rex in omnium opinione interdicere ne amicorum naves ad talia loca appellantur, ne fluvios ultra tales terminos adscendant; cur non posset accessum concedere sub onere, quod, si naufragium patiantur, divitias universas perdant. Nemo peregrinus tenetur illa littora adire; & si adit, censetur ultro & voluntarius admittere gravamen impositum. Si consulamus experientiam centesima navis perditur violentiâ undarum. hîc ego. Solvimus Anglis nummum trigesimum, hoc anno 1640. nam bellum inter Hispanos & Hollandos sævit; solvimus, inquam, ut habeamus aperta littora & portus patentes; cur non & bona naufraga illis libentissimè cederemus loco nummi trigesimi, quem damus? Dicendum igitur est unamquamque supremam Monarchiam esse suorum littorum dominam, possèque exteras naves aut non admittere, aut admittere impositio tributo & gravamine etiam exorbitante: cui nimium videatur, non appellat; & si ad nos proficiscitur censendus est suo jure cedere nostras leges admittere.

Nemo tenetur suis portubus naves peregrinas excipere. Si excipiat, potest tributa, etiam exorbitantia, imponere: lege nimirum publicata ante peregrinorum ingressum.

318 Secunda videtur justissima; crudele enim esset deserere animas periclitantes, & nemo tenetur vitam divitis gratis defendere, præcipuè si pactum intercedat. Mediâ illâ bonorum parte eget Respublica; & majore nonnunquam in locis procellosis, ut alat nautas & milites opem laturos exteris periclitantibus, vix illa dimidia pars sufficiet. Et si cui nimium videatur, in suo portu remaneat, nemo enim invitus ad procellosas oras trahitur.

Nemo tenetur diviti gratis servire.

Tertia

319 *Quænam navis judicanda sit naufragans.*

Tertia & quarta sunt utiles controversiis & litibus multis sedandis. Navis rupta, si tantam aquam imbibat, quantam arte extrahere non possis, non jam periclitans sed peritura: nec libera à periculo, quæ tantam, quam extrahere possis. Rimæ semper majores fiunt, quassatio crescit, & singulis instantibus fiunt hiantes asseres dissolutiores. Si careas gubernaculo, quî à vadis, quî à vento, quî à fluctuum incursu liberaberis? ergo prudenter discernitur à lege quænam navis censenda sit periclitans.

320 *Derelicta navis, quæ sit?*

Quinta est omninò necessariâ & prudenter imposita. Conceditur integra dies domino, ut navim amissam recuperet; qui hodie recuperandæ est insufficiens, cras erit insufficientior: expedit igitur, ut die sequenti omnes recuperandæ insudent; præstat enim illam ad manus convasalli venire, quàm sub inimico manere. Possessionis spe illecti invadunt, qui nequaquam se periculo exponerent, si deberent domino hesterno restituere.

Scienti & volenti non fit injuria.

Maneat igitur Leges navales esse justas, in æquitate & pacto innixas, nemini necessariò graves; qui enim rigorem illarum condemnas, ne legas oras legibus hujusmodi subditas; vel si legere vis, vis etiam spontè legibus eisdem subesse. Si ergo liberè acceptas, quis tibi volenti & permittenti injurius?

De Bulla Cœnæ Domini.

Cæterùm, si nulla sit lata lex de bonis naufragis, aut etiam Princeps supra legem naufragantes affligat, peccabit proculdubio, & tenebitur ad restitutionem: & spoliati poterunt Bulla cœnæ iuvari.

An Bulla non acceptata obligent?

Hîc tu, quia hujus sanctissimæ & utilissimæ Bullæ mentionem fecimus, ejusdem authoritate fulciris, & omnia, ais, quæ de bonis naufragis dicta, contra istam Bullam militare. Nego ego, & Assertis sequentibus tuæ instantiæ & desiderio satisfacio. Sit primum. *Bulla cœnæ in multis Provinciis non est recepta.* Secundum. *Illa excommunicationis fulmine inûrit, qui naufragantium bona ab invitis injustè occupat: nam excommunicatio supponit peccatum mortale.* Tertium. *Peregrini, qui secundum legem, quam scientes & volentes acceptarunt, spoliantur, nec inviti, nec injustè spoliantur.* Quartum: *Posset Ecclesia, si darentur causæ sufficientes, cùm inhibere ne ferrentur ejusmodi leges, tum latas annullare & cassare: sed neutrum fecit.* Quintum: *Raræ hodie sunt, quæ affligant naufragantes in populis Christianis leges.*

An ad excõmunicationẽ sufficiat peccatum veniale?

An Pontifex annullare queat Leges Regum & Principum?

ARTICVLVS III.

De rebus, quæ de facto habent dominum, sed Inventori ignotum.

321 DEcidenda est quæstio celebris, quæ examinat, quisnam sit dominus catenæ aureæ, quam in platea inveniſti, cujus dominus factâ inquisitione sufficiente non comparet? Consultò diligentias sufficientes factas supponimus, aliàs enim malâ rem fide detineret Inventor, cùm alienam, cujus posset reperire dominum. Sit

322 Conclusio I. *Stando Iuri naturæ esse In-*

Resolutio communis ab omni jure humano prascindendo.

ventoris, asserunt Authores plurimi pientissimi & eruditissimi. Ita Sotus *lib. 5. de justitia, quæst. 3. art. 3. ad 2.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 18. art. 5.* Sarmientus *lib. 6 selectarum cap. 10.* Bartholomæus de Medina *in Summ. fol. 168.* Petrus à Navarra *lib. 4. de rest. c. 2. dub. 9. num. 82.* Sà *verb. Thesaur. num. 4.* Rodriguez *in Summ. verb. Rest. cap. 4. conclus. 2. & 3.* Bañez 2. 2. *quæst. 66. art. 5. ad 2.* Aragon *ibid.* Salon *ibid.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 152.* & in alia editione *2. part. cap. 2. §. Igitur.* Mercadus *lib. 6. cap. 15. §. de los hallazgos.* Hanc assertionem probabilem putat Vasquez *cap. illo 5. de restit. §. 4. à num. 43.* probabiliorem Dicastillus *de just. & jur. lib. 2. tract. 2. disp. 9. n. 434.* evidentem Cardinalis Toletus *lib. 5. cap. 18.* ait enim contrariam non fundari ratione; actio autem, quæ ne quidem probabiliter mala est, evidenter licita est.

Ratio Resolutionis ad nostra fundamenta elimata.

Probatur ratione. Quia res perdita, quamdiu perdita manet, humanitùs non est; ergo quando invenitur, incipit humanitùs esse: ergo Inventor eam producit humanitùs, quia eam ex *non-esse* humanitùs ad *esse* humanitùs, educit: ergo adquirit dominium; hoc enim non nisi productione adquiritur.

Ratio, quæ nimium probat, nihil probat.

Sed hæc ratio non urget; quia, si esset efficax, etiam probaret res perditas, quarum dominus scitur, esse inventoris: [quia res perdita, quamdiu perdita manet, etsi ejus noscatur dominus, humanitùs non est: ergo quando invenitur, incipit humanitùs esse: ergo inventor eam producit humanitùs, &c. ergo adquirit dominium.] At istam consequentiam nemo admittet: ergo ratio non obtinet. *Accedit*, quòd alia sit ratio, quæ non habet solidam expositionem aut solutionem. Sic inquam: [Bona, quorum dominus scitur, non inventori, sed domino priori inveniuntur, quando illi possunt restitui: at etiam, si ignotus sit dominus, illi possunt restitui: ergo, quando ignotus est dominus res taliter inventæ non sunt inventoris, sed prioris domini.

Qui aliquo modo potest restituere, etiam tenetur.

Probatur minor. Bona debent restitui vero domino eo modo quo possint: si non possint realiter, pecunialiter (nam, qui furatus est equum, & in Indiam transtulit, aut occîdit, non cogetur aut distantem millibus leucis reddere, aut mortuum suscitare: sed poterit, debebítque pretium per cambium, aut alio modo convenienti remittere.) &, si non possint corporaliter, spiritualiter: Ergo debebit in tali casu inventor nomine domini veri, quem ignorat, rem inventam in pios usus convertere; illam nimirum expendendo ad gloriam Dei, & utilitatem Reipublicæ, aut etiam dando pauperibus: aut saltem hoc titulo sibi illam largiendo, si sit pauper.] Tu hanc rationem considera.

Qui aliquid tenetur dare pauperibus indeterminatè, poterit illud sibi elargiri, si sit pauper.

Conclusio II. *Possunt dari leges humanæ non secus ac de gemmis & thesauris repertis, quæ obligatoriæ sint, si vel ponantur populo adnuente, vel exigente summâ necessitate.* 323

Hæ assertio est contra Cajetanum 2. 2. *quæst. 66. art. 5.* Rabellum *de obligat. just. lib. 2. quæst. 12.* Antoninum *2. part. tit. 1. cap. 15.* Navarrum *cap. 17. num. 92. & 171.* Covârruviam *ad Regulam, Peccatum. punct. 3. §. 1. num. 2. & 5.* Valentiam *disp. 5. quæst. 10. punct. 2.* Azevedum

leg.6.tit.5.lib.4.Recopilat. Caſaneum *citatum à Covarruvia.* Leſſium *lib.2.cap.14.num.49.* Molinam *diſp.* 746. *& 52. §. Illud etiam obſerva.* Paludanum, Richardum, Gabrielem, *ubi ſupr.* Sylveſtrum, Angelum, & aliquos Summiſtas *verb. Inventum.* Canoniſtas *cap. Cum tu. de uſuris.* & *cap. Cum ſit. de Iudæis.* Theologos 2. 2. *quæſt.66. art.5.* qui omnes exiſtimant hæc bona debere diſtribui inter pauperes, eſſeque juſtas leges quæ illa pauperibus applicent, injuſtas quæ fiſco.

An taliter inventa res ſpectent ad pauperes?

324 *An leges poſſint fiſco accenſere?*

Sed contra omnes prævalet pondus ſequentis ratiocinii. Volenti & permittenti non fit injuria; atqui leges acceptatæ feruntur volente & permittente populo; ergo certum eſt cedere ſuo jure, qui leges hujuſmodi acceptant: ergo & non fieri illis injuriam.

325 Sed dicent. Injuriam non fieri quidem populo, aut Inventoribus, ſed pauperibus, ad quos ſpectant. Sed ea ad pauperes pertinere nego. Si enim ad illos ſpectarent, vel jure naturali, vel civili; Neutro: Igitur non ſpectant. Minorem probo. Quia concluſio prima oſtendit jure naturæ illa ad inventores pertinere. Et arguo ſic. Si ad pauperes ſpectant, maximè jure civili hæc bona à propriis dominis, hoc eſt, ab inventoribus alienante & pauperibus adtribuente; ergo potuit Reſpublica hanc legem non ferre; ergo & excluſis pauperibus applicare illa fiſco, vel cameræ.

Communis Authorum hallucinatio detecta.

Sed tota hæc partis adverſariæ doctrina ex hallucinatione & æquivocatione ſuboritur; rationem enim, quam ego adduxi contra communem opinionem, non videntur penetrare iſti Authores. Debent dari illæ res pauperibus, dicunt nonnulli: ſed cur? non, quòd ipſæ pauperum ſint (nota hanc cauſalem) ſed quòd ſint domini nobis ignoti, qui cenſendus eſt velle ſibi reſtitutionem fieri, eo modo, quo poſſit: & quia realiter non poteſt recipere rem ipſam quam perdidit, nec ejus pretium pecunialiter, vult ſaltem indipiſci meritum ſpiritualiter, & operum piorum author eſſe. Ergo, ſi per impoſſibile conſtaret aliam eſſe ejuſdem domini voluntatem; deberet illam ſequi inventor. At in Republica, quæ habet leges de rebus perditis & inventis, conſtat de voluntate domini, qui illas perdidit: ergo debebit inventor illam ſequi. Sed quæ eſt domini ignoti voluntas? ut illæ diſtribuantur ſecundùm leges: (cùm enim iſtas dominus acceptaverit, debet illis ſubeſſe.) Ergo inventor non ſolùm poteſt, ſed & tenetur de inventis rebus juxta Reipublicæ leges diſponere. Hac igitur veritate benè cognitâ & examinatâ ceſſabit Authorum diſſidium, quod in mera æquivocatione fundabatur.

Vnuſquiſque cenſetur velle ſibi ſatisfieri eo modo quo poſſibile ſit.

Qui acceptat Leges vult fieri quod Reſpublica jubet.

326 Concluſio III. *Dantur de facto leges publicæ circa hujuſmodi bona.* Eſt contra Sotum, qui ita illa inventori adjudicat, ut dari legem contrariam non admittat.

Hanc concluſionem probant aliqui ex Capite *Cum tu. de uſuris.* Sed hæc probatio Soto videtur debilis, illud enim Caput de debitis incertis malà fide contractis poteſt explicari. Probant alii ex Cap. *ſi quid inveniſti.* Sed hoc aptiſſimè explicatur extra caſum à noſtra concluſione propoſitum; unde miror viros doctiſſimos hoc textu conari perſuadere inventa eſſe diſtribuenda inter pauperes. Verba conſideremus; *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Ex Auguſtino, aut ut alii malunt, ex Hieronymo. Hæc verba non docent res inventas dandas, ſed reddendas: ergo agunt de priori domino, non de pauperibus; quibus non redduntur, ſed dantur. Ergo ex vi textus debes obedire ſeptimo præcepto Decalogi; qui ſi Petri aurum inveniſti, & illi non reddidiſti, rapuiſti. Igitur non fertur novum jus, ſed antiquum, imò ipſummet naturale, refertur. Ergo in textu non agitur de inventore, qui facta inquiſitione non habet, cui reddat; ſed de illo, qui vel non adhibuit diligentiam ſufficientem ut inquireret, aut ſaltem ſcit cui reddere debeat & non vult.

Injuſta retentio, virtualiter loquendo furtum eſt.

Poſſemus tamen expreſſas leges proferre de hujuſmodi rerum dominio.

327 *Quæ ſint res, quæ vocamus Moſtrencas?*

PRIMO quia *lib.4. fori tit.13. l 2. & lib.6. ordin. Reg. tit.12. l.1. & lib.6. Recopil. tit.13. l.6. & 7.* animalia inventa, cujus dominus ignorabatur, adjudicabantur Præmonſtratenſibus, & ſucceſſu temporis eadem judicata ſunt cameræ regiæ. Hîc obiter notandum eſt etymon vocis Hiſpanæ. Ejuſmodi animantes *Moſtrencas* dicimus, antiquo vocabulo, quod Præmonſtratenſibus dandæ.

An ad Præmonſtratenſes, an ad Trinitarios, an ad Mercenarios, an ad Cameram ſpectent?

SECVNDO, dantur leges diſponentes eaſdem animantes Trinitariis & Mercenariis deberi ad redemptionem captivorum. Sed eorumdem jus aut declararunt aut limitarunt Reges Catholici (Fernandus, Iſabella) libro 1. novæ Recopil. tit. 9. leg. 2. aſſerentes illas ipſis animantes deberi, quæ aliàs fiſco competerent, non alias.

Molinæ doctrina recognita.

328 *Molina recurrit ad Summum Pontificem.*

TAnti ingenium Molinæ facio, ut ejus voluerim doctrinam ſeorſim examinare. ipſe *diſp.*746. docet ex natura rei, hoc eſt, ſtando juri naturali animalia ſic inventa non pertinere ad inventorem, nec ad Rempublicam, ſed ad pauperes: hoc tamen eſſe falſum Concluſio prima clarè oſtendit. Addit *diſput.* 749. poſſe ſtatui leges utiles & obligatorias de ipſis: eſſe latas in Hiſpania, & ſolùm circa animantes ſervari, *diſp.*760. quod non nego. De Mercenariis autem & Trinitariis ſic ſcribit. *Fertur Caſtellæ regnum Fratribus Mercenariis applicaſſe* lo Moſtrenco (hoc nomine animantes & res etiam non animatas Molina comprehendi docuerat) *in redemptionem captivorum, locúmque eſſe præventioni,* (nimirum, ut juxta Regulam LIV.) *qui eorum Fratrum priores illud petant ac recipiant. Fertur item Philippum II. idem confirmaſſe, & Gregorium XIII. illud ipſis comprobaſſe, atque à Nuntiis Apoſtolicis eos obtinuiſſe Paulinas, ut per cenſuras meliùs illa bona in tam ſanctum opus pium obtineant.*

Paulina nomen excommunicationis eſt.

Sed ut meliùs hæc verba intelligas, audi alia Dicaſtilli *de juſt. & jur. tract.3. diſp.9. num.* 428. dicentis, *Quarta ſententia aſſerit omnes res inventas deberi in foro conſcientiæ Fratribus Trinitariis aut Mercenariis, quia dicunt habere privilegia à Summis Pontificibus conceſſa.* Et quia uterque agit de Summis Pontificibus, inquiris,

329 *Etiam Dicaſtillus.*

inquiris, possitne Summus Pontifex concedere alicui *mostrenca*, seu bona, quæ carent vero domino? Respondeo iuxta ea, quæ in mea Hierarchia Ecclesiastica doceo Disputatione 58. in fine: in Pontifice præter absolutam & eminentem dari authoritatem directam indirectámque. Si agamus de directa, aio mundum esse latissimum & in diversis regionibus diversam esse Summi Pontificis authoritatem.

De Summi Pontificis authoritate directa, indirecta, ordinaria, & extraordinaria.

Primò, in regno Romano, cui Pontifex ut temporalis Princeps præficitur, posse leges de dominio ferre, quæ à populo acceptatæ obligent, manifestum est.

Secundò, non posse tales leges ferre in Hispania, Gallia, aut aliis regnis sibi sæculariter non subditis.

Tertiò, potest in Hispania, verbi gratiâ, Religiosis concedere ut sint capaces acceptandi favorem à Rege concessum: hoc autem non est ipsis res *mostrencas* adjudicare, sed eos declarare capaces, quibus sæculariter adjudicentur. Et hæc & alia similia directè.

Quartò, indirectè omnia potest, etiam invitis Principibus Politicis & sæcularibus, quæ ad regimen Ecclesiæ, & Fidei Orthodoxæ conservationem requiruntur; & hæc potestas latissima & efficacissima est.

Quintò, extraordinaria directa Summi Pontificis authoritas indirectâ ordinariâ minor non est. Vide Hierarchiam Ecclesiasticam num. 700.

Sicut furta, & injustas rerum retentiones, & consequenter excommunicationes potest aliquando Respublica, aut etiam interdum privatus vir tollere, non directè & formaliter, sed indirectè materialiter & per accidens.

Inquiris. An possint excommunicari rerum *mostrencarum* retentores? Multi superfluis subtilitatibus difficilem quæstionem implicant, quam loco proprio examinabo; nunc resolvo res *mostrencas* posse & solere ab his, exempli gratiâ, retineri iustè & ab illis injustè: illos excommunicari posse, illos non posse.

Interim, quia inter multos prudentissimos Prælatos aliqui etiam reperiuntur interdum imprudentiores & animosiores, qui sine causa, aut ex levi, excommunicationes fulminant, pronuncio in similibus casibus esse, aliquando per accidens apud Rempublicam authoritatem illam excommunicationem tollendi; non quidem formaliter, sed materialiter. Ratio est, quia ideò illa excommunicatio subsistit, quia non solvitur Mercenariis aut Trinitariis, quod ipsis debetur; atqui penes Rempublicam est authoritas faciendi, ne tales animantes debeantur: ergo tollendi excommunicationis materiam, & faciendi, ne excommunicatio illa subsistat. Minorem probo. Quia gratis illas concessit, & potest gratiam revocare; imò de facto revocavit, cùm priùs fisco, postea Præmonstratensibus, deinde Mercenariis & Trinitariis, postea utrisque cùm limitatione concessit, tandem sæpè negavit. Hoc ut altiùs intelligas, supponas te unum equum *mostrencum* retinere; exigentibus Fratribus Trinitariis negas, & excommunicaris, impetras à Rege privilegium ne tenearis illum ipsis cedere, & assero tolli totam excommunicationis materiam; quia nihil illis debebis, & non poteris urgeri excommunicatione, ut solvas, quod ipsis non debes. [Nolo hîc implicari Lectorem aliqua æquivocatione. Aliud est jubere Petro, ut Trinitariis res inventas det; aliud & omninò diversum illis dare. Si Respublica fecerit hoc secundum, Trinitarii adquisiverunt jus, & non poterunt illo privari sine injuria: si illud prius, nullum jus adquisiverunt Trinitarii, & semper erit Reipublicæ liberum in suo præcepto aut lege dispensare; nec illi excommunicationis fulmine juvari poterunt.] Sed hæc obiter, acturus alibi de excommunicatione. Armarium Ecclesiæ est, ex quo fulmina tremenda exploduntur, & sine Christi injuria fieri non potest, quod propter caniculam amissam, feliculam perditam (vidi non sine lachrymis, privatim sæpè, imò & nonnunquam in Sede veritatis reprehendi) excommunicationes à Præpositis indoctis ferantur.

Abuti fulmine excommunicationis nemo debet.

De Amissione destructiva moraliter.

330

Quid ad destructionem moralem requiratur?

VT perdat dominum res, debet destrui physicè vel moraliter. Sed non statim, cùm amittitur, moraliter destruitur; est enim recuperabilis, & sæpiusculè recuperanda. Res amissas, si adhibitis diligentiis non compareat dominus, excidere à prioris possessoris dominio, omnes dicimus: sed quæ & quales debent esse diligentiæ quæ à prudentia exiguntur?

Quanto tempore debeat inventa rei dominus quari.

Dicastillus *lib. 2. de just. & jur. tract. 2. disp. 9. num. 414.* inquisitionem 14. mensium exigit. Molina disp. 646. 747. 740. ad leges provinciales doctè recurrit, & juxta illas debere judicari affirmat. Lego in Castellanis; *Por espacio de catorze meses desde el punto en que la tal cosa fué hallada, la tengam de manifesto, y la hagan pregonar en publico cada mes una vez en el dicho lugar por pregonero conocido del tal lugar; y los pregones se hagan en el dia de mercado.* Et statim, *si todo lo dicho no se guardare, aquel a quien perteneciere lo mostrenco, pierda el derecho que a ello tenia, y lo restituya como hurtado.* Reddo Latinè, *Quatuordecim mensium spatio, ab inventionis die computandorum, res inventa debet haberi publicè* (hoc est, ut alia ejusdem generis haberi solent. Putà, si sit pictura, debet pendere in aula, in qua aliæ picturæ; si equus, debet esse in communi stabulo; si bos, debet ad pascua ad quæ reliqui, adduci) *& debet præconiis evulgari semel singulis mensibus in eodem oppido, nempe per præconem publicum & die fori.* Et additur, *Quod si hæc non observentur, Inventor perdat jus, quod habet ad rem inventam, illámque teneatur restituere tamquam furto ablatam.* Molina exclamat, hæc omnia non observari, & conscientiis Inventorum condolet; sed credo non dari legem obligatoriam, quæ obsoleta esse & non observare dicatur. Cæterùm has leges de rebus levibus non agere certum est; tum quia ipsæmet graves sunt, & rebus levibus non implicandæ; tum etiam, quia illæ circumstantiæ adhibendæ notabiles sunt, & sine gravibus expensis fieri non possunt. Rem servari quatuordecim mensibus molestum est, ideóque pretio æstimabile; fortè vestem quatuordecim florenorum pretio mensibus quatuordecim non servares. Si res inventa animans sit, cibis indiget, & hi secundum summum justitiæ pretium sine injuria taxantur; præco debet habere sua jura, quibus omnibus solvendis si res

Obsoletæ leges obligatoriæ non sunt.

Inventor debet indemnis reddi.

inventa non ſufficiat, poterit cenſeri derelicta aut poſt minus tempus, aut adhibitis minoribus ſolemnitatibus.

Objectiones.

331 *Contra communem opinionem datam Concl I. num. 322. inſtantia.*

PROBATVRVS res inventas debere in uſus pios impendi, juxta ea quæ ſuperiùs diximus, argumentaris ſic. Certum eſt rem inventam habere verum & legitimum dominum, tametſi ignotum inventori: hic igitur debebit illi rem perditam reſtituere, eo meliori modo quo poſſit. Atqui non poteſt reddere corporaliter: ergo reddat ſpiritualiter; hoc eſt, det pauperibus nomine illius, qui perdidit. Nec ſufficit priorem dominum non fuiſſe pauperibus donaturum; quia cenſendus eſt prudens, & velle ſibi corporaliter reddi, & ſi non poſſit ſic, reddi ſpiritualiter: quia ut ex Hieronymo & Auguſtino habent Canones, *Si quid inveniſti, & non reddidiſti* (nimirum, corporaliter, aut ſpiritualiter,) *rapuiſti.*

332 *Solutio.*

Reſpondeo primò, propter hoc argumentum me poſſe dare manus, & tibi ſubſcribere, ſi velim. At quia contraria ſententia, quam impugnas, multorum, & probabilis eſt, ut illam etiam tanquam probabilem propugnem,

Reſpondeo ſecundò, argumentum, quod nimium probat, nihil probare: & addo hoc argumentum probare nimium; quia eodem probaretur theſaurum non eſſe inventoris, ſed debere inter pauperes & egenos diſtribui: at creditur theſaurus non debere concedi pauperibus: ergo ſimiliter philoſophandum eſt de aliis rebus.

An ſit inter theſauros, & alias res inventas diſcrimen.

Dices inter theſauros & bona inventa eſſe ſummum diſcrimen; illi enim Mahometanorum & Ethnicorum veterum ſunt, quibus eleemoſynæ non proſunt; hæc autem Catholicorum & plerumque viventium, quibus prodeſſe poſſunt eleemoſynæ & orationes pauperum.

Interim diſcrimen, quod ſummum vocas, non agnoſco. Non enim eſt evidens theſaurum ad infidelem pertinuiſſe, fortè enim ab aliquo Catholico fuit conditus: nec eſt evidens rem inventam pertinere ad volentem ſibi ſatisfieri ſpiritualiter: ergo vel ad dubia vel ad probabilia recurres. Si ad probabilia, utrumque eſt licitum; ſi ad dubia, juxta Regulam V L. *ſtandum eſt pro poſſeſſione*; ergo & pro te, qui inveniſti & de facto rem poſſides.

333 *Quanam bona pertineãt ad Rempublicam?*

SVASVRVS res inventas pertinere ad fiſcum aut cameram argumentaris ſic. Bona, quorum dominus non comparet, jure naturæ pertinent ad Rempublicam: non ergo poſſunt ab inventore retineri, nec pauperibus dari, ſed debent tradi fiſco.

Probatur antecedens. Reſpublica habet omnium rerum dominium mediatum, quia mediantibus dominis proprietariis omnibus & ſingulis rebus dominatur, dominio ſupremæ juriſdictionis: ergo deficiente domino proprietario Reſpublica habet dominium immediatum. Patet conſequentia, quia ille habet dominium immediatum inter quem & rem poſſeſſam nullus dominus mediat; atqui res inventa debet dari domino immediato: ergo Reipublicæ.

Reſpublica politica non pertinet ad Ius naturæ.

Reſpondeo primò, benè poſſe intelligi Ius naturæ ſine Republica; adeóque ſtando Iuri naturæ & præſcindendo ab omni Republica eſſe, vel inventoris juxta Concluſionem I. aut ſaltem illius, qui rem illam amiſit juxta conſiderationem poſitam.

Reſpondeo ſecundò, Rempublicam civilem (de hac enim agimus) eſſe præter Ius naturæ, & pertinere ad Ius humanum: adeóque hanc inſtantiam non militare contra nos.

Multæ leges ſunt definitivæ & non pœnales.

Reſpondeo tertiò, ſi dentur leges politicæ, ſtandum illis eſſe. Et addo has ipſas eſſe poſſe pœnales aut definitivas, & utræ ſint, ex contextu & praxi judicandum.

An Reſpublica ſit ultimus omnium particularium hæres?

Reſpondeo quartò, ſi in Republica civili habitemus, & nullæ leges dentur de rebus amiſſis & inventis, probabile tunc erit illas adhuc eſſe domini, qui illas amiſit, juxta ea, quæ ſuperiùs diximus. Et probabile erit eaſdem eſſe inventoris, juxta Concluſionem I. Et tandem probabile erit eaſdem eſſe Reipublicæ juxta rationem ibi poſitam, quia experientiâ & ratione probatur communitatem omnium particularium, qui nec teſtamentum condunt, nec cognatos habent, eſſe hæredem, quoniam hodie in Germania, multorum fundorum dominis occiſis, bona incidunt in Rempublicam, quæ non ſolet illa vendere & in uſus pios convertere, ſed abſolutè uti tanquam propriis nullâ ratione aut memoriâ habitâ prioris domini. Et hinc ego à paritate pro Republica fortiſſimum ratiocinium deduco.

DISPVTATIO II.

De Servatione, ſecundo modo adquirendi Dominium morale.

334 *An hæc Diſputatio ſit utilis?*

EXCITO controverſiam, Belgis inutilem, neceſſariam Hiſpanis; illi enim carent ſervis, hi habent. Verùm tametſi illis inutilem, cur non illam in noſtratum gratiam perſequerer? Sanè in Belgio non incurrunt ſervitutem homines, incurrunt res, & controverſiæ de reali & perſonali ſervitute differunt materialiter: quamobrem non omninò inutilis Belgis illa diſputatio, ſine qua intelligere realem ſervitutem non poſſunt. Accedit primò, quòd Theologi de Beata Virgine, de Chriſto inquirant, An fuerint ſervi? An domini? Secundò quod Gregorius IX. & ab eo hucuſque omnes Pontifices ſe *ſervorum ſervos*. Multi Abbates Ciſtercienſes, ſe *ſuorum Religioſorum ſervos*; & ſe etiam Iuſtinianus Imperator *ſervum* vocitet; quorum intelligentia Viro Theologo neceſſaria ab hac controverſia dependet.

An Belgæ habeant mancipia vel ſervos?

[*Nota benè.* ſub annum 1640. navis quædam Africana à Dunquerkenſibus Belgis fuit capta. Quæſitum, An Mauri intercepti eſſent ſervi? Multi ad patriæ benignas leges recurrebant: ſed quia Argeliæ erant non pauci Belgæ à barbaris in ſervitutem acti, ſic Rex interpretatus

interpretatus fuit Belgicas leges, ut nullus Christianus in Belgio possit servitutem incurrere. Et captivi Africani debuerunt captivos Belgas redimere, antequam indipiscerentur libertatem. Quod, quia meo accidit tempore, & fortè à nemine in Tabulis publicis notatum fuit, debuit à nobis recenseri.]

ARTICVLVS I.

Mancipia à Captivis & Servis distincta.

335 *Vocibus indigemus distinctis ut res distinctas dilucidemus.*

CONfunduntur hæ voces, imò & res, cùm tamen toto cælo differant: non enim omnes servi mancipia, nec omnia mancipia sunt servi. Servitus multis modis incurritur, jus mancipii personale est, & à sola victoria introductum. Mancipia igitur sunt manu capti inimici, qui stando juri naturæ occidi possunt. [bellum esse justum supponitur; quia, si illud injustum, homicidia ab eodem resultantia, asseruntur injusta.]

Quid sit mancipium?

Mancipii fortuna misera est: cùm capitur, occidi potest; etiam antequam capiatur, & postquam sit captus. Si captum incarceres, nullum jus perdidisti, nullum ille adquisivit, sed remanent omnia in eodem statu, quo antea.

336 *Quomodo servus & mancipium distinguantur?*

Differt mancipium à captivo, quòd omne mancipium captivus sit, non autem omnis captivus sit mancipium. Mancipium dicitur captivus, qui occidi & servari, ut servus sit, possit; at captivus, qui mancipium non est, occidi potest, incurrere servitutem non potest. Captivi infideles mancipia Christianorũ sunt, quamdiu nec libertate donantur, nec in servitutem rediguntur; at captivi Christiani sine salutis (quam λύτρον Græci, *Reſcate* Hispani, *Rançon* Galli vocant) promissione intercepti, occidi possunt, lytro redimi possunt, fieri servi non solent, adeóque non mancipia sed captivi vocantur.

An apud Christianos sint mancipia? An servi?

Λύτρον, quid sit?

Possint-ne hostes captivi occidi etsi benè se gerant?

Petis, An tales captivi occidi possint sine causa? Respondeo ex Regula XXIII. sine culpa, aut etiam sine causa neminem esse plectendum capite, imò nec puniendum: addo tamen eos posse occidi, cùm placuerit victori, non enim sine causa occiduntur, cùm sine nova: permanet enim causa antiqua, quia eodem titulo quo capi potuerunt, potuerunt postea occidi cùm victori placuerit. Quia cùm certum sit ex Regula IV. *non dimitti peccatum ante satisfactionem restitutionémque*, manet, tunc mancipia omnia dimittenda, cùm Respublicæ pacem contrahant & desinant esse inimicæ. Cæterùm quamdiu tua in meam Rempublicam peccat, & bellum gerit, tu mihi hostis & inimicus es; adeóque semper potes occidi, nisi intervenerit contractus, vi cujus serveris, & fias è mancipio servatus, & ut vulgus loquitur, servus. Vt igitur dicenda intelligamus, addamus brevissimum Nomenclatorem.

Nomenclator.

337 *Quam & qualem potestatem quis habeat in servum captum?*

MAncipium seu *servus potentialis*, est homo in bello justo manu-captus, quo occidendo, vendendo, præcipiendo uti potes. In mancipium nullum jus directum habes, sed solùm indirectum; directè enim salutem & incolumitatem patriæ propugnans, patriæ hostes occîdis indirectè. Hostis captus libertatem non amittit, sed cogitur violentiâ extrinsecâ ne libertate concessâ cœlitùs utatur. Aptè & pulchrè Petrus Gregorius Tholosanus Syntagmatis Iuris universi lib.14. cap.1.num.6. *Quamvis libertas*, ait, *sit naturalis facultas agendi quod velis, tam extrinsecus vel intrinsecus actus impediri potest. Extrinsecus vi, ob quam libertas ne faciat impeditur, eâ tamen facultate nihilominus existente in homine: non enim ideò tollitur aut desinit esse* (nempe, illa facultas quæ libertas dicitur) *quòd non possit operari. Vt non ideò minus hostis homo est, quod ab hoste vincatur & subjiciatur vi; vis quippe majoris est impetus, cui resisti non potest.* Et quia non minus hostis est, cùm captus, quàm erat antequam caperetur, qui pugnans occidi potuit, etiam captus occidi poterit. Hinc patet mancipium, ut à servo distinguitur, esse dominii capax, & sibi adquirere quidquid adquirit, ipsúmque & sua non subesse directè victori, sed solùm indirectè & per violentiam, justam tàmen, in quantum victor defendit patriam directè & tollit indirectè quidquid impedit ne illa tranquillitate gaudeat; at non solùm hostium vitæ, sed & eorumdem divitiæ obesse solent, hostes enim divites conscribunt advenas, quos, si egeni, non possent.

An mancipia sint dominii capacia?

Servus actualis est, qui in bello justo servatur, sub pacto quod non sit occidendus, in quo à mancipio differt, in omnibus aliis conveniens. Servus igitur definiatur *captivus, dominii incapax, qui præceptis regi, imò & vendi potest; occidi non potest.*

Quis sit actualis servus?

Captivus absolutè, qui sub nullo pacto captus, & hic à mancipio non distinguitur.

Quis purè captivus?

Captivus sub conditione generali, qui sub nulla speciali conditione intercipitur, sed solùm potest frui communi sanctione. Cúmque jam apud Christianos introductum sit, ne captivi fiant servi, qui sine conditione aliqua speciali capitûr, occidi potest: non tamen in servitutem redigi. Et cùm diversæ gentes habeant diversa pacta, juxta hæc sunt judicandi, qui sine speciali contractu capiuntur.

Solent interesse in captivitate aliqui articuli: & an debeant servari?

Captivus sub conditione speciali ille est, qui victori cessit sub aliquibus articulis; qui, si non militant contra publicas leges, sunt omninò servandi. Putà; si cedat sub onere, quod id nemini debeat victor dicere; sub onere, quod debeat taliter tractari; quòd possit tantillo lythro redimi; &c.

Corollaria.

338 HInc lux aliquibus casibus, qui in nostra militia sæpè occurrunt, & indigent expositione.

Casus primus.

I. Petrus Legionarius Hispanus misit tibicinem ad hostilem exercitum cum literis,

quem Hostes captum suspenderunt. Rescivit Petrus ; & quia habebat aliquot nobiles hostes captivos, nobilissimum curavit suspendi , arroganter dicens , se tibicinis vel gregarii militis condemnationem ab hostibus factam expiaturum æquali lege , hoc est, sanguine nobilissimi hostis. CASVM examinas, & circumstantiarum æquitatem disquiris.

An, si hostes tabellarium ad eos missũ occidant, nos occidere possimus captivum aliquẽ sine alia causa?

Primò, videtur tibi iniquum esse , captivum nobilem occidi ; contra rationem enim & jus ipsum naturale militat , quod vitâ donati sine novâ causâ interimantur.

Secundò, inter tibicinem Hispanum & nobilissimum hostem summa est diversitas ; & quia nulla inter illos æqualitas , summa erit iniquitas in judicio , quod eos æquales facit.

RESPONDEO tamen , tibicinibus (legati & tabellarii quidam ignobiliores sunt) semper patêre aditum ad inimicos ; debent enim hostes & audire & audiri : igitur hostes occidendo tibicinem fidem publicam violaverunt. Addo Petri captivos bifariam potuisse fuisse captos, vel sub salutis promissæ fide, vel nerâ vi sub nullis conditionibus. Si dicantur secundo modo capti , occidi possunt sine nova causa : Petrus ergo sui tibicinis morte , sive publica sive privata authoritate facta , irritatus , potuit uti suo jure , & occidere , quem & antea occidere poterat etiam sine nova aliqua causa , ex Regula XCVI. *Qui suo jure vtitur , nemini injurius est.* Si capti sub vitæ securitate dicantur , major erit omninò difficultas ; non enim occidi poterunt sine nova causa , eáque gravi ; & videntur aggredientium hostium facinora captivis imputanda non esse , quibus nec imputantur victoriæ ; præcipuè cùm ex Regula XXIII. & XXII. *sine culpa & causa nemo puniri debeat ; aut alterius odio aut delicto gravari.* Sed nihilominus resolvo debuisse Petrum examinare , an ipsius tibicen suspensus fuerit publicâ authoritate , & an etiam lege publicâ ipsis etiam tibicinibus accessus interdictus. Si non obstante interdictione sine speciali facultate tibicen hostium acies adiit , occidi potuit , & non habuit Petrus cur causaretur, violavítque fidem publicam jubendo suspendi illum nobilem, cui vitæ promiserat securitatem. Si tibicinibus patuerit liber aditus , & tamen ille privatâ authoritate suspensus ; cùm ex Regula LXXVI. constet *delictum privatæ personæ non posse in damnum communitatis redundare* , debuit Petrus homicidam apud Legionarium hostem deferre , debuítque is eumdem homicidam tamquam læsæ fidelitatis publicæ reum condemnare ; quod si non faceret , censeretur homicidium illud approbare & publicæ fidelitatis jura infringere. Quod si ille Superior fidem publicam violaverit , aut iubendo illum tibicinem occidi , aut non puniendo privatum occisorem, subesset Regulæ LXXV. asserenti , *frustra fidem sibi servari petere , qui fidem violat.* Sed nihilominus viderentur contractus priores in suo pristino vigore manere, (nisi fortè conditionati dicantur) deberéque potiùs vindictas à capiendis , quàm à captis sumi. Illud , quod *secundo loco* ponebatur de inæqualitate nobilis & tibicinis , hic non habet locum ; quia si contractus intercesserit , vel vilissimus debet servari ; aliàs vel nobilissimus potest occidi , si capiatur. *Igitur* ex hac doctrina resolvendum est, utrùm Petrus illum nobilem hostem jure an verò injuriâ condemnaverit. Captum enim sine pacto concedendæ salutis , aut saltem captum, conditionatè, occidere potuit ; aliàs non potuit.

339 *Casus secundus.*

II. Lege publicâ statutum , ne in tali loco concedatur salus interceptis ; Antonius hostem vicit , petenti salutem & offerenti lythrum , adnuit , & inquiris ,

Primò , An victi hostis petitioni adquiescere potuerit ?

Secundò, An lythrum possit recipere ?

Tertiò, An teneatur stare promissis ?

Quartò , An possit ?

Quintò, An , si lythrum recipiat & postea hostem occidat , teneatur ad restitutionem ?

Respondeo *ad primum* contractum illum victoris & victi esse invalidum , ut pote contra legem publicam : statutum enim est Iuris Reg. LXIV. *Omnia , quæ contra ius facta , debere utique pro infectis haberi.* Non enim contra publicas leges stant pacta privata.

Ad secundum dico , ex vi illius contractus non posse victorem lythrum accipere , quia cùm ille sit nullus , non potest illi concedere novam aliquam potestatem : *Ille enim contractus , qui jure non sortitur effectum , sicut nec impedimentum , sic nec utilitatem præstat* , ex Regula LII. Censeo tamen illud posse recipere alio titulo , nempe jure belli , hostium enim bona capi possunt.

Ad tertium , non teneri stare promissis , imò nec posse , licet promissionem suam iuramento firmasset : lege enim publicâ supponitur talis servatio inhiberi , & ipse contra legem publicam nec licitè nec validè procedere potest : quoniam ut habetur Regula LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Et sanè quod contra legem publicam , contra bonos mores præstaretur. Et hinc etiam responsum est *ad quartum.*

Ad quintum dico eum qui accepto lythro, vitæ pretio , inimicum taliter captum occiderit , non teneri ad restitutionem. Patet , quia occidendo illum bene fecit , obedivit enim legi publicæ ; & retinendo lythrum benè facit , nemo enim tenetur hosti publico pecunias restituere. Peccavit tamen quoad modum captivum spe securitatis , quam non poterat largiri , decipiendo , ac propterea solummodò mentitus est. Sed & hæc mendacia pernicioſa solent esse Reipublicæ , & ideò Superior debet severè in tales homines animadvertere ; qui enim præcipit ne vitam concedant, videtur compræcipere ne promittant, ni aliunde constet mens Legislatoris.

340 *Casus tertius.*

III. Pugnantibus duobus Christianorum exercitibus cohortes aliquot captæ , & in illis Ecclesiastici nonnulli reperti ; cúmque vi mera , sine aliqua concordia intercepti omnes sint , singulos milites occidi posse ex dictis clarè constat ; sed dubitas , An occidi possint Ecclesiastici ? ratio dubitandi est. Quia Summi illos Pontifices donarunt eximiis privilegiis , excommunicantes quoscumque , qui in eos manus violentas imposuerint.

Possint-ne belli persona Ecclesiastica occidi ?

Respondeo Ecclesiasticos vel esse Confessarios vel Concionatores. Hos fortiùs eloquentiâ , quàm Legionarios armis , militare certissimum

Mongallardus laudatus.

certissimum est. Vel qui dubitas Mongallardi memineris, qui contra Henricum IV. populum tam acriter concitavit, ut qui arma non timuit, debuerit hujus eloquentiam horrere, imò & condescendere articulis ab illo suggestis. [Cistercio-Fuliensis ille fuit ; & malè securus sub Henrico IV. ad Belgium veniens ab Alberto ad Aurea vallensem Abbatiam promotus, obiit cum opinione sanctitatis.] Memineris etiam Ioannis de S. Bernardino & aliorum Concionatorum, qui adhuc hodie turbant & decipiunt populum in Lusitania, proclamantes mendacia in veritatis sede, & asserentes securâ potuisse conscientiâ Bargantinum coronam alienam invadere. At verò puros Confessarios crudeliter à castris hostilibus arceremus ; ipsi enim prosunt animabus, negotiis publicis non intermixti : adeóque de Confessariis major videretur & difficilior controversia.

Ioannes de S. Bernardino accusatus.

An debeant Concionatores à Confessariis distingui ?

341 Dico igitur Rempublicam posse tueri suum jus, & hoc directè ; addo eam posse indirectè occidere quemcumque hominem, Sæcularem aut Ecclesiasticum, qui consequutionem justi finis impediat. Subjungo malè ad Pontificum privilegia recurri ; non enim ille aut concessit, aut concedere voluit, ut Ecclesiastici invadant Rempublicam sæcularem impunè : nec interdixit, nec interdicere potuit justam defensionem, aut rei propriæ recuperationem, quam natura concedit ; ac per consequens nec expoliare authoritate indirectâ occidendi Ecclesiasticos, natâ ex jure directo se & sua defendendi. Concionatores si se intra limites privatæ vitæ continerent, suaderéntque vitanda esse personalia peccata, Reipublicæ adversariæ non nocerent : cæterùm quando qualificatores & exhortatores esse volunt, & causæ justitiam firmant, & animos militum excitant, hostes esse confiteor. An & Confessarii hostes sint, decernere non audeo : video tamen pistores, laniones, mercatores hostilis exercitus inimicos censeri, & tamen necessarii sunt, & arma non movent : unde videretur de Confessariis pariformiter philosophandum. Sed de hoc uberiùs in mea *Theologia militari*, quæ omnes casus qui inter milites contingere solent, ad libram conscientiæ reducit. Sed quidquid sit de aliis nationibus inter Hispanos Gallósque servari video, ut Ecclesiastici in acie capti sine lythro, imò & sine literis, quæ redemptis solent dari, mittantur, quasi credantur legitimè capi non posse.

An capi possint mercatores, qui in exercitu hostili serviùt ? An capi possint Ecclesiastici ?

Laudabilis Hispanorum & Gallorum mos.

ARTICVLVS II.

De Servis captis.

342 BEllum justum supponi debet, ut sit justa captivitas ; tale, quod conferat authoritatem occidendi adversarios. Cùm igitur justè militans hostem intercipis, occidere & non occidere potes. Si occidas, jure tuo uteris ; si non occidas, servas, & servando non statim adquiris alienæ libertatis dominium, nec servatus statim servitutem incurrit.

An bellum esse justum debeat ?

Sed ais ; servatio est virtualis productio ; qui igitur servat, virtualiter producit : atqui in productione virtuali fundatur omne morale dominium : ergo, qui hostem servat, adquirit virtuale dominium. Quòd autem servatio sit, virtualis productio, ostenditur. Nam occidendus hodie, non est crastinâ die habiturus vitam : ergo si illum servas, es in causa quod habiturus sit cras vitam : ergo ita te habes ac si vitam dares, qui in causa es, ut habeat, quam aliàs habiturus non erat. Ista tamen non urgent. Victor enim captivum directè occidere non potest, adeóque nec directè servare, at requiritur directa productio ad adquirendum dominium proprietatis.

An servatio sit virtualis productio.

Sed occurrit difficilior ratio. Captum hostem, dicet aliquis, vel potes occidere, vel non potes. Si non potes, cessat quæstio ; non enim servari dicitur, qui occidi non potuit. Si potes occidere, non potes servare : & ostenditur. Si potes hostem occidere, maximè ut defendas Rempublicam, utque eam à viro pernicioso liberes : atqui perniciem Reipublicæ servare non potes, ergo nec illum hostem. Confirmatur. Si privatus à privato impetitur ; debet se defendere, imò & hostem occidere, si aliter se tueri non possit : quòd si contingat, quod invasorem non occidere possit, continget, quòd debeat non occidere. Ratio est. Quia tunc potes hostem non occidere, quando non imminet grave periculum ; atqui cùm grave periculum non imminet, illum occidere non potes : ergo semper tenetur privatus non occidere, cùm non occidere potest : ergo etiam Respublica, quia eodem modo, analogiâ servata, philosophamur de Rebuspublicis, quo de particularibus.

343 *An qui hostem occidere potest, etiam debeat ?*

An de Republica sicut de privato homine sit philosophandùm ?

Respondeo captum hostem bello justo posse occidi stando juri naturali ; addo posse sæpè servari etiam cùm occidi potest. Ratio est, quia cùm duæ Respublicæ confligunt, debet, quæ justam causam habet, exercitum alterius delere, delet cùm reddit pugnando imparem majorem partem occidendo. Igitur si te Legionarium mille homines impetant, ut te & tuos defendas, debes tot occidere, quot occisis, extra aleam periculi maneas ; omnes igitur servare non poteris, sed pauciores : cur autem hos potiùs, quam illos ? verè ratio ex sola tua clementia sumetur : nullus igitur est hostis in singulari, qui non possit occidi, nullus qui debeat ; nullus ergo, qui servari non possit. His positis ad formam, dico te hostem occidere posse. Addo te illum hostem occidere posse, ut defendas Rempublicam, nego tamen necessariò occidendum, ut hæc servetur ; sufficeret enim, si occiderentur alii.

344 *Resolutio.*

Ad confirmationem dico etiam in privatis dari casus in quibus possis aggressorem interimere & servare, unde & in publicis pariformiter poteris philosophari : casus sunt ; primus, cùm causa est probabilis ; secundus, cùm certa & merè probabile periculum. Fateor benè comparari hostilem militem privato aggressori : quia sicut se habet privatus aggressor erga hominem privatum, sic exercitus contra integrum exercitum : atqui nullus privatim impetitus tenetur extinguere suum hostem, sed sufficit illum prosternere, & ad tantam

An hæc doctrina in privatis invasionibus habeat locum ?

tantam miseriam redigere, ut nocere non possit: ergo nec Respublica tenebitur delere inimicum exercitum, sed sufficit illum ita debilitare, ut nocere non possit. Atqui privatus aggressor debilitatur exciso brachio aut pede, exercitus pluribus militibus occisis. Ergo sicut privatus non semper tenetur aggressorem occidere, sic nec Respublica invadentem exercitum tenetur totaliter extinguere: potest igitur, quos voluerit, servare, modò tam paucos, ut nullum evidens periculum immineat. Cùm autem nullâ lege teneatur potiùs servare hunc quàm illum, poterit cum captivo pacisci, & illi vitæ securitatem vendere pretio libertatis.

De bello probabili.

345 PETIS, Vtrùm, cùm bellum ex utraque parte est probabile, possent victi servitutem incurrere?

Respondeo affirmativè; quia etiam tunc justè & sanctè occiduntur; & cùm non occiduntur, servantur, & servatori vitam directè vel indirectè debent.

DICES, non posse justè condemnari, qui procedit ex opinione probabili: ergo nec occidi. Injustè igitur occiduntur milites, quorum causa est probabilis. Antecedens probat Regula XXIII. *Nemo enim puniri potest sine culpa*, & qui gerit bellum probabile non peccat.

Respondeo; in bello non occidi hostes in pœnam, sed in tutelam & remedium: cúmque hæc Respublica possit suam probabilitatem ense defendere, poterit etiam indirectè occidere quemcumque, qui impediat, ne quiescat in sua possessione probabili.

346 *Objectio.* ADDES ex hac doctrina sequi servi dominium servatione ipsâ non adquiri, sed esse ante adquisitum alio titulo, & hunc esse quærendum, & probas. Antequam hostem serves, servare & interimere illum potes: ergo & antequam illum serves, es illius dominus proprietarius; patet, quia proprietatis dominium est jus conservandi & destruendi.

An hostis antequam servetur, sit servus?

Respondeo negando sequelam. Probationis antecedens distinguo; admitto, si agatur de potestate indirecta; nego, si de directa. Quia ante servationem indirectè est quispiam dominus alterius; nempe, quia est sui dominus directè, (non quidem proprietarius, sed innatus) & se aliter conservare non potest: at verò post servationem, verum est dicere quòd servatus vitam emerit à servante libertatis pretio, adeóque quod ejusdem dominio subsistat. Sint igitur morales Conclusiones.

347 *Qui sint servi?* PRIMA. *Ex jure naturæ bello justo capti, possunt servari, & tunc fiunt servi.* Constat ex dictis: & confirmatur Iure divino, quia Exodi cap. 12. & 21. & Evangelii multis locis, & in Epistola ad Ephesios 6. & in 1. D. Petri 2. indicitur servis ut suis dominis serviant: ergo servi habent obediendi obligationem, & domini jus præcipiendi.

Quæstio incidens. Sed & adhuc est examinandum, *Vtrùm aliquis possit incurrere servitutem invitus?* Nam si sit implicitus partium contractus, in quo victor condonet salutem victo sub onere quod sit servus ipsius; victus deberet hanc conditionem acceptare, & si non acceptet contractus videtur nullus esse; non enim sufficit unius voluntas, ne contractus firmetur.

Respondeo, teneri hominem admittere servitutis conditionem, & servatori gratias agere: ni fortè servitus talis imponatur, quæ judicetur pejor morte. Putà si capto Principi opera infamia indicerentur. Alexander Magnus hanc doctrinam confirmat; qui cùm oppidum ad quod multi profugerant expugnasset, omnes profugos damnavit servitute, teste Arriano *lib. 6. de exp. Alex. Magn.* & antea captâ vi Thebanorum civitate, quæ ab eo defecerat, ferè omnes in servitutem redegit asserente eodem Arriano *lib.* 1. Argivi etiam Mycenâ expugnatâ decimum virum sacrificantes cæteros servos fecerunt, ut Dio Sicul. *lib.* 11. testatur. Græcos sunt etiam imitati Romani. Salaces, qui ab Octaviano Cæsare defecerant, vicit M. Terentius Varro & eorum filios vendidit sub pacto quod post vigesimum annum redimi à parentibus possent adnotante Dione Cass. *lib.* 53. *Hist. Rom.* & Lycios, qui in caput Romanorum militum conjurarant, servitute damnavit, ut apud eumdem *lib.* 60.

An teneatur aliquis servitutis conditionem admittere?

Victi sæpè sunt in servitutem acti.

348 *An Christiani captivi fiant servi?* SECVNDA. *Consuetudine inter Christianos introductum est, ut captivi, qui servantur, servi non fiant.* Et demonstratur experientiâ: non enim videmus servos Hollandos Hispanis, aut Suecos Germanis subesse, cùm multos Mahometanos & Infideles habeamus.

Hac consuetudine non obstante posset quæcumque Respublica decernere, quod Christiani bello capti incurrant servitutem, nisi contractu aliquo aut pacto speciali contrarium statuerit. Patet, quia sæpè salutem victis negat, & non datur universalis aut contractus aut lex, quæ servos Christianos interdicat. Non dari persuadet Gallorum Monarcha Clodovæus, qui adeptâ apud Tolbiacum de Alemannis victoria plerosque servos fecit, eorúmque res & personas fisco addixit, unde & *Fiscalini servi dicti*; multos communitatibus subjecit, qui ideò dicti *Ecclesiastici*, eorumdem rebellionem servitutis pœnâ severissimâ puniens. Sed & Bartolus, Baldus, Angelus, Franc. Aretinus captos in bello ab Imperatore & Rege Galliæ, licet Christianos, incurrere servitutem existimant *in l. quæ à latronib. §. fin. de test. & alibi.*

An possint?

Servi Fiscalini.

349 *Multæ Respublicæ non habent servos.* TERTIA. *Potest Respublica decernere ut nulla sint mancipia.* Imò omisso aureo illo sæculo, quod Saturni dicitur, & servitutis insciam creditur [Athenæus *lib. 6. cap. 7.* Lucianus *in Chronos. sive in Saturnal.*] reperiuntur Monarchiæ florentissimæ, in quibus servi non admissi. Apud Indos enim nullus servus asserente *rerum Indicarum* Historiâ; & teste Philone Iudæo *lib. Quod liber sit qui virtuti studet*, Essæi (erant Iudæorum Religiosi) non utebantur servis, fortè nec famulis. Phocensium & Locrorum decreto usus servorum interdictus apud Athenæum *lib. 6. dipnos. cap. 6.* Et *l. 1. ne Christiani*, interdicitur ne Paganis, Iudæis, aut Hæreticis Christiani serviant. Sed & Bituriges habere non voluerunt servos. §. 1. *de conf. jur. stat. Perf. & conf. Bitur.* quibus Tholosanos adnumero adnotante Nicolao Boër. ad dictum §. 1. & Petro Gregorio Tholosano *Syntagmatis juris lib. 14. cap. 1. num. 22.* qui ait, *Tholosæ servi, qui ingrediuntur civitatem, liberi sunt; nec repeti nec evelli inde à dominis possunt.* Talem legem videtur Belgium tulisse

ante

An in Belgio ſint ſervi? An ſi revertantur aliò, qui priùs ſervi erant, iterum ſervitutem incurrant?

ante annos plurimos, non enim mancipia permittit. Hiſpani, qui huc veniunt, ſi conducant mancipia, perdere illorum creduntur dominium, cùm primùm has liberas regiones appellunt. Sed quia praxis eſt optima legum interpretatio, diſputandum non eſt de re quam communis uſus explicat & confirmat. Cæterùm, ſi legamus nudam Diplomatum literam, non reperiemus clauſulam, quæ alienigenis libertatem concedat. Providit indigenis hæc Patria, & eos ſervitutem incurrere non voluit; ſed quia decretum benignum eſt, illud etiam ad ipſos peregrinos extendit, & ampliando favorem juxta Regulam XV. *Belgarum* nomine omnes in Belgio exiſtentes intelligit.

350 Sed ut rem meliùs intelligas, dubium valdè frequens ſupponis. Petrus natione Hiſpanus, habebat mancipium, Antonium nomine, inſciúſque juris Belgici huc illud conduxit: petitur, utrùm illa ignorantia Petro proſit, noceat Antonio? hoc eſt, utrùm non obſtante illa ignorantia Antonius libertate donetur.

Reſpondeo affirmativè: Rerum enim dominia dependent à Reipublicæ legibus, non autem à privato dictamine. Si ſine culpa, mancipii dominium perdiderit, imputet ſuæ fortunæ; quia ſicut ſæpè annulum aureum amittimus inculpabiliter, ſic etiam in tali caſu mancipium. Conſono Regulæ XIII. aſſerenti, *facti quidem, ſed non juris excuſare ignorantiam.*

351 Sed ulteriùs progrederis & inquiris, An ſi reverterentur Petrus & Antonius iterum in Hiſpaniam, hic in priſtinam ſervitutem reincideret? Audivi viros nonnullos aſſerentes, ſed rationem non reperio probabilem, putóque eſſe abſolutè certum Antonium fore liberum in ipſa Hiſpania. Et ut oſtendam, diſcurro ſic. Antonius ingreſſus Belgium donatur libertate, ergo eſt verum dicere, *Nunc eſt liber:* ergo debet dari titulus, ut ſecundò ſervitutem incurrat: atqui ingredi in Hiſpaniam non eſt ſufficiens titulus, ut ſervus reddatur: ergo. Probatur minor; quia aliàs omnes fierent ſervi ingreſſi Hiſpaniam.

352 *An detur libertas ad tempus?* Sed dices, lege Belgicâ Antonium non donari libertate perpetuâ, ſed ad tempus; hoc eſt, habere privilegium, ut liber ſit, quamdiu in Belgio permaneat, non tamen, ſi exceſſerit Belgio: Belgica enim privilegia exiſtentibus extra Belgium non favent.

Reſpondeo non eſſe poſſibile, quod alicui libertas concedatur ad tempus; nam vel eſt verum dicere, *nunc Antonius eſt liber*, vel non: ſi non, ceſſat quæſtio, nos enim agimus de Belgio, ubi omnes eſſe liberi aſſeruntur. Si ſit verum, ergo Petrus perdidit dominium, quod in Antonium habebat: ergo Antonius ſui juris factus tam reddi mancipium poterit, quàm quicumque alius Belga, qui vadat ad Hiſpaniam.

353 *An venia concedatur ad tempus?* Hæc veritas millenis exemplis clariſſimis poſſet dilucidari. Venia non poteſt ad tempus concedi; quia ſi conceditur, in æternum conceditur; & ſi ad tempus ſolùm conceditur, nunquam conceditur: ſi ſit verum dicere; *Petrus, qui heri erat Dei inimicus, hodie impetravit veniam, Dei amicus redditus eſt*, erit verum dicere, non poſſe contingere quod cras ſit iterum inimicus, ni faciat illud ipſum quod & Paulum vel quemcumque alium inimicum Dei conſtitueret. Nec juvat ad pœnas recurrere; hæ enim poſſunt differri ſtante injuriâ. Sed non poteſt intelligi, quod Petro injuriam ignoſcam, & quod ipſe cras ſine novo actu priſtinum reatum incurrat. Si Petrus mancipium manumitteret in Belgio, non haberet jus illud repetendi in Hiſpania; ergo nec habet, cùm illud manumittit Reſpublica; nemo enim tam cœcus, qui non concedat Reipublicæ authoritatem mutandi hominum privatorum dominia in commodum communitatis.

354 *An detur ſervitus inadæquata?* QVARTA. *Poteſt decernere Reſpublica, ut ſervi non ſint totaliter ſervi, ſed habeant tales & tales immunitates.* Probatur; quia ſanctiſſimæ Provinciæ decernunt, ne domini poſſint empta mancipia occidere; ne ſervos ad turpia cogere; ne nimio labore fatigare: homines enim ſunt, & humanitùs tractatum iri videtur humanitas ipſa poſtulare.

355 QVINTA. *Non poteſt Reſpublica concedere vitæ & mortis poteſtatem in ſervos, qui de facto ſunt capti.* Oſtenditur. *Neminem enim innocentem poteſt Reſpublica damnare;* atqui ſervi innocentes ſupponuntur: ergo non poſſunt condemnari. Conſequentia eſt legitima, major deſumpta ex Regula XXIII. minor certa. Subſumo; Atqui committere vitam ipſorum, arbitrio domini, ita ut poſſint occidi ſine nova cauſa, eſt illos condemnare: ergo. *Si dicas*, poſſe illos damnari propter invaſionis dirum crimen, ratione cujus potuerunt & occidi & ſervari: reſpondeo, tunc quidem ſine nova cauſa potuiſſe occidi, jam non poſſe: illa enim culpa eſt illis condonata, & mortis pœna, quam incurrerant, in ſervitutem commutata, ſtandum eſt enim contractui, qui ex Regula LXXXV. habet vim legis.

356 *An domini habeant vitæ & mortis poteſtatem in ſervos?* SEXTA. *Poteſt Reſpublica concedere vitæ & mortis perpetuam poteſtatem in hoſtes capiendos.* Ratio eſt; quia ſi occidi poſſunt die quâ fuerunt capti, cur non & ſequenti? cur non poſt annos aliquot, nempe, cùm primùm placuerit victori? quis reprehendere poterit aliquam hujus ſententiæ circumſtantiam. *Ego qui te nunc occidere poſſum, ſervabo quouſque mihi contrarium placuerit.* Vbi notandum eſt, in tali caſu nihil novi concedi à Republica, ſed poteſtatem ab ipſamet natura conceſſam non limitari: ſtando enim juri puræ naturæ clementior erit, qui tibi hodie occidendo indulgeat unum annum vitæ, quàm qui ſtatim interimat: atqui captivum potes ſtatim interimere, ergo & poſt annum, ni contrarium aut mutatis circumſtantiis periculi & tutelæ debeat fieri: aut valida lege decernatur.

N. B. *Ius indirectè occidendi mutatis circumſtantiis mutatur.*

357 *Semper eſt habenda ratio, ut mancipia à ſervis diſtinguantur.* Sed tunc illi hoſtes mancipia eſſent, non ſervi; non enim minùs inimicus qui victus, ni cum victore paciſcatur. *leg. 2. de eo quod metus cauſa.* pactum enim intelligi ſine aliqua concordia non poteſt. Vnde dicendum eſt, poſſe hoſtem occidi & non capi, capi & occidi prout libuerit victori; inimici enim victi vita ſubeſt victoris voluntati. Hinc aptè inter ſervos & mancipia diſtingueres, ſi diceres, hoſtes manucaptos (hi *mancipia* dicuntur) poſſe ſemper occidi; hoſtes ſervatos (hi

qui & *servi*) non posse. Nam capere non est paciſci: & ante clementiorem concordiam, debet captivus hostis juris militaris extremo rigori subsistere. Cùm autem dominus concedit captivo vitam, cùm ex miserâ conditione illum ad servitutis meliorem conditionem promovet, ipsique culpam contra se commissam condonat, & in pœnam perpetuæ servitutis commutat. Hac culpâ semel condonatâ amici fiunt victor & victus; cessat omnis injuria; & victus vitæ securitatem emit pretio libertatis: jam occidi non potest, qui poterat; jam ad obsequium voluntariò præstandum jure servitutis in conscientia tenetur, qui antea non tenebatur in foro interiori, sed in exteriori cogebatur: quia antea tutâ poterat conscientiâ fugere, detinebatur enim vinculis, quibus jam explicatur, quia contractus vinculis implicitus fugere in conscientia non potest.

Vita emitur pretio libertatis. Pactum est expressum aut implicitum: formulâ dedimus nu. 242. & reponemus n. 375.

ARTICVLVS III.

De Servis condemnatis.

358 *An possint & soleant scelerati sententiâ servitutis damnari?*

OMnes homines naturâ liberi, sed multi cùm servierunt peccato, & hominibus servire debuerunt; congruum enim est privilegium amittere, qui abutitur concessâ libertate, *can. privilegium 11. q. 3. cap. uvarum. de privileg. l. Iudæos. de Iud. &c.* Vide Axioma XXII.

Duobus id modis contingere.

Bifariam possunt crimina scelestum in servitutem inducere; primò, si dentur leges, quæ pœnam servitutis infligant; secundò, si capitales Iudicum clementiâ moderentur. Multas legimus apud Antiquos jam omninò obsoletas, rarò enim impræsentiarùm servitute scelerati damnantur.

An liceat liberis & servis commiscere?

Olim Claudiano Senatusconsulto fœmina libera se servo alieno prostituens, si à domino admonita iterum in crimen incurreret, mœchi conserva fiebat. *l. 2. de Senatusconsult. Claud. tol. lib. 7. C.* Si se proprio servo prostituisset; ille igni, ipsa capite condemnabatur. *leg. unic. de mulier. quæ se propriis servis junxerunt.* Hispanorum lege, *serva, quæ à Domino liberos susceperit, fit libera.* adnotante Anton. Pano. *lib. 1. de dictis & factis Alfonsi cap. 39.* & Petro Gregorio Tholosano *Syntagmatis lib. 14. cap. 6. num. 8.* Sed hanc legem, si benè discutias, non videri omninò æquam reperies. Fateor posse meritò dominio privari, qui servam carnaliter cognoscit; illam autem, vel inde libertatem mereri, quod injustæ domini petitioni adquieverit, justum non est. *Peccata enim non donanda sunt præmiis, sed diris suppliciis damnanda.* Vide Regulam XXII. Posset tamen legis æquitas defendi, si crederetur serva carere libertate politica, & potiùs cogi, quàm induci; dominorum enim petitiones minis sæpius in mixtæ non tam persuadent quàm compellunt. Sed tu examina.

An justum sit ut ancilla cognita à domino fiat libera?

An libertas possit dari conditionatè?

Libertis videbatur conditionatè solùm libertas indulgeri, nimirùm, si ingrati non essent; cùm enim se ingratos exhibebant, in servitutem pristinam redigebantur. *l. 2. Cod. de libert. & cor. lib. §. max. de cap. diminut.*

An filii latronum condemnari?

Latrones capite condemnabantur; illi autem, qui ex eorumdem familia, sententia benigniore fiebant servi capientium. *l. 1. quib. ad liber. procl. non lic. lib. 7. C. tit. 18.* Et quia legis æquitatem non capis, inquiris, An-ne contra Regulam LXXVI. privatæ personæ delictum familiæ communitati possit præjudicare? & iterum, An-ne contra Regulam XXIII. possint innocentes damnari? Et ego ex Regula C. respondeo, leges ita debere exponi, ut non sancitæ solùm, sed sanctæ etiam dicantur. Et ideò existimo, nomine latronis intelligi patremfamilias, & hunc debere ultimâ sententia condemnari; reliquos autem illi subditos (si fuerint scelerum complices, & non aliàs) servitutem incurrere. Sed cur leniùs filii, graviùs pater punitur? quia est Iuris Regula XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Quæ licèt hîc locum omninò non habeat, fundatur necessitatis ratione, quæ hîc delictum non quidem excusat, sed diminuit.

An raptores vendi?

Raptores, raptæ suppeditare dotem tenebantur; si non erant solvendo, vendebantur. *can. de raptorib. 36. q. 1.*

359 *De liberis qui se vendi permittunt.*

Experiebatur Respublica in servorum venditione fallacias; nonnunquam enim liberi homines vendebantur, qui postmodùm reclamantes debebant in integrum restitui, & venditore fugiente, carebant & pretio & servo emptores. Ut igitur iretur obviam huic inconvenienti, statutum majores viginti annis (minores nó solent graviter puniri) qui se vendi ultrò permisissent ignorantibus, ad participandum pretium, mansuros servos emptorum in perpetuum. *l. Si ministerium de lib. cau. C. si ex causa. §. Papinianus de min. 25. ann. in P.* aliàs restituuntur. *l. 1. & 2. si adverſ. vend. C. §. Servi de jure person.*

ARTICVLVS IV.

De Servis natis.

360 SErvus nativitate dicitur, qui servus nascitur, hoc est, qui à servis. Illi enim incapaces dominii sunt, & quidquid adquirunt, adquirunt domino.

Sed statim urget gravis instantia. Non potest ampliùs domino suo servus adquirere, quàm adquireret sibi, si liber esset: quia ut habet Regula LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Atqui, si esset liber, non adquireret servos, cùm filios: ergo non adquirit servos domino, cùm filios.

361 Respondeo tamen servorum filios esse verè servos, & rationem in contrarium adductam nihil convincere; non enim filii servi nascuntur voluntate aut condonatione parentis, sed ex alia causa toto cælo diversa. Rationem veram do: genuinam propono: Quia cùm causa servatur quæ perdi potuit, etiam omnes ejusdem effectus servantur. Cùm dominus ex mancipio quod occidere poterat, servum fecit, non solùm ei vitam moraliter concessit, sed & universis ejus futuris filiis; si enim parentem extinguisset, ipsi non gignerentur.

An filii servorum sint servi?

rentur. Ergo tametsi filii à servo sint physicè producti, à domino moraliter producti sunt; nimirùm, servatione: ergo, qui eodem modo fuerunt servati, quo pater, eamdem servitutem incurrerunt. Igitur servorum filii servi sunt. Fateor potuisse iniri contractum inter victorem & victum, qui filios à servitute eximeret, sed ordinariè aliter fit, victor enim qui captivum occidere & in eo omnes ejus filios impedire posset, hoc jus pro victi & filiorum ejus libertate commutat.

An plus alteri possit quis adquirere, quàm sibi?

Hinc ad rationem oppositam respondeo negando majorem, plus enim domino mancipium adquirit, quàm sibi adquireret, si mancipium non esset; magis enim est domino subditus quàm esset sibi. A se enim ipso interimi non posset, & potest à domino quousque servus reddatur. Servus autem à mancipio solâ salutis condonatione distinguitur: hoc enim occidi potest, ille non potest. Quod si detur lex inhibens mancipiorum cædem, captivi in servos legali authoritate transibunt à lege ipsa servati, at nos *mancipii* nomine hostem manu-captum intelligimus, nullâ lege publicâ, nullo privato pacto servatum.

362
De filiis servi & liberâ: aut serva & liberi.

Sed inquiris. *Cuinam filius servorum adquiratur; domino-ne patris, an matris?* & examinare vis, *An ex libera & servo progenitus, aut contra, debeat servus vocari?*

Quid dicendum ex Iure humano? & quid ex naturali sit?

Si leges humanas spectemus servitus sequitur partum, & hoc ferè in omnibus Regnis, quæ servos admittunt; nunquam patris qualitas examinatur, sed servæ filius servus est, tametsi patre gaudeat libero, liberæ liber, tametsi à servo genitus. At stando puræ legi naturæ, difficilior controversia est, quàm multi putant. Si enim ad concursus paterni & materni distinctionem recurritur, gravissimæ quæstiones implicantur. Quis enim demonstrabit, An mater activè, an solùm passivè concurrat? & si activè concurrere probetur, quis scit, an solam materiam activè disponat, an etiam animæ & corporis unionem attingat? Sanè si Arriagæ sententia, asserens solam matrem animam corpori unire, vera est, ipsa sola hominem quà hominem producit, & humanæ leges cùm partum sequi ventrem determinant, non solùm bono publico prospiciunt, & obviam eunt litibus, sed ipsammet legem naturalem sequuntur: sed quis sciat, an illa unio à sola matre producatur? fortè à solo patre, etsi mortuo vel absente; fortè à solo Deo. Qui jaculo explosо inimicum distantem confodit, activè illum interimere dicitur, & tamen absens esse supponitur, & mori potest antequam jaculum metam adtingat; ergo similiter posset intelligi virum deciso semine in embryonis materiam operari, idque non perdere virtutem tametsi ille aut moriatur, aut distet.

Ad mater cõcurrat activè? An animam & corpus vniat?

An agens possit physicè operari post mortem?

Resolutio moralis Naturæ rei conformis.

QVIDQVID igitur sit de quæstionibus physicis, dico utrumque parentem aut physicè in filiorum generationem concurrere, sublato enim alterutro proles non essent, ac propterea patrem & matrem necessarios.

Vnde colligo *primò* servorum filium ad dominum patris & ad dominum matris pertinere; nimirùm ad utrumque tanquam ad unum adæquatum dominum, ad singulos tanquam ad dominos inadæquatos. *Secundò*, & lythrum, si redimeretur, & pretium, si venderetur, debere dividi in partes; & fortassis, æquales. *Tertiò*, ejus opera, si aliquam artem exerceret, similiter esse distribuenda.

Quid dicendum, si alter parens sit liber?

An esse aliquis possit semiliber?

Si sit ex libero & serva, aut ex servo & libera progenitus, implicatior erit controversia. Nam stando puro naturæ juri semiliber & semiservus esset. Si operaretur, mediam partem rerum & operum adquireret domino, mediam parenti libero vel sibi: sed & dominus deberet victus & amictus medias expensas solvere.

Omnes istæ difficultates sopitæ sunt jure humano universa aliter disponente, & cedentibus suo jure populis. Quæ quidem lex est bona, ut enim bono publico consulat, aliquorum privatam utilitatem minuit. Sint igitur civiles Theses. 363

Humana leges ventrem respiciunt.

PRIMA. *Partus ventrem sequitur.* hoc est, servi nascuntur ex ancilla, liberi ex libera, sive pater sit liber, sive non, *l. & servorũ. §. jure gent. de stat. hõ. § servi. in 2. de jur. pers. l. fi. de lib. caus.*

Genesis duplex: naturalis, civilisque.

SECVNDA. *Si à conceptione ad nativitatem inclusivè, mater in aliquo instanti fuit libera, filius est liber.* Ita decernitur, *l. si, & si quis, & §. è contrario de ingen. l. & servorum. §. ingenui sunt. de stat. hom.* Vt legum clementiam intelligas adnotato duas esse geneses; alteram naturalem, & alteram civilem. Vivere naturaliter homo incipit à conceptione, vita saltem vegetativa, anima enim non statim infunditur, sed multis diebus post: vivere civiliter incipit à nativitate. Iura autem, ut faveant prolis libertati quantum probabilitas possit, volunt prolis vitam computare civiliter aut naturaliter, eo sanè modo, quo computus sit favorabilior. Vnde si ab ancilla conceptus, ex libera nascaris (putà, si tua prægnans mater aut manumittatur, aut redimatur) tu liber es, non enim eras civiliter ante nativitatem, & non poteras servus dici, qui non eras. Si autem à libera conceptus ab ancilla nascaris (putà, si prægnans in servitutem mater incurrerit) liber es. Nam liber fuisti cùm conceptus, nec matris calamitas imputanda venit innocenti. Sic leges, & quidem benignissimè; in hac enim causa infans est reus, matris dominus actor, & ex Regula XI. *Cum partium jura sunt obscura, favendum esse potiùs reo, quàm actori*, didicimus.

Principum clementia favet miseris quantum potest.

Sed occurrit difficultas parallela. Maria Pauli serva prægnans Antonio venditur, & quæritur utrius futura proles sit, Pauli an Antonii? 364

Proponitur curiosus casus.

An sit servus, & cujus, qui filius est ancillæ, quæ gravida venditur.

Respondeo, hanc posse dissolvi controversiam jure speciali; nempe, ex decreto Reipublicæ. Addo tamen stando legibus citatis fortè illum parvulum liberum esse, & ostendo; quia Paulus vendendo illam, non retinet plus juris quam si illam manumisisset (imò minus: quia per venditionem perdit jus absolutè, & per manumissionem conditionatè: juxta ea, quæ superiùs diximus) & Antonius emendo illam, non adquirit plus juris, quàm si illa à die emptionis inciperet primùm esse serva. [nota id benè.] Tunc ergo sic. Ancillæ filius non est Pauli; nam si ille ancillam prægnantem manumitteret, non haberet jus in in prolem: nec est Antonii, quia si Maria

cùm ipsi servire incepit esse serva inciperet, illa proles Antonii non esset : ergo. Confirmatur. Servus, ut leges statuunt ille est, qui conceptus & natus ab ancilla ; non ille, qui conceptus à libera & partus à serva ; nec qui à serva conceptus & ab ancilla partus. Atqui non est verum dicere, *Hic infans est conceptus & partus ab ancilla Pauli* ; nec est verum dicere, *Est conceptus & partus ab ancilla Antonii.* ergo erit verum dicere, *Nec est servus Pauli nec Antonii.* Fateor posse hanc rationem elidi per moralem vendentis & ementis transsubstantiationem, sed fortè hoc ipsum Legislatores ignoraunt ; fortè nec hoc populi legem hanc acceptantes præviderunt ; fortè etiam illa transsubstantiatio non sufficeret. Hujus rationis momenta benigni Iurisconsulti & Theologi examinent, si quando misero alicui servo probabiliter favere possint : sed notent interim has ipsas rationes, quas non facilè demonstrativè solves, contra vulgi apprehensionem & opinionem militare.

ARTICVLVS V.

De Servis emptis.

365 VEnditor juxta Regulam LXXIX. *Plus alienare non potest, quàm habet* ; unde, qui servum emit, non poterit adquirere majus in servum vel mancipium dominium, quàm habebat venditor. Verbi gratiâ. Mancipium occidere potes, & alienare : hoc ipsissimum vendere potes. Sed cùm servum vendis, nequis concedere emptori vitæ & mortis potestatem, quam non habes ; tenebitur enim emptor stare pacto à te & servo inito, cùm servitus illa contracta ; pacta enim ex Regula LXXXV. *Sunt privatæ leges.* Hac animadversione præmissâ veteres & juniores leges venirent explicandæ.

366 Præter dominos, quibus vendendi mancipia & servos jus est ab omnibus concessum, jure naturæ etiam patri permittitur filium vendere, sed suspecta mihi de iniquitate *lex 1. & 2. de patribus, qui filios distrax.* tametsi jus illud summum quodammodo limitare videatur. Ex vi hujus legis famis tempore conceditur parenti filium vendere ea conditione, ut restituto pretio (putà à patre aut ab alio) debeat libertati restitui. Optimè. Peto tamen *primò.* Quid si pretium nec à patre nec ab alio restituatur ? & *secundò* quid pater vendat, cùm filium ? in utroque enim sublatentem invenio aliquam iniquitatem. Filius naturæ jure subditus est parenti usque ad mortem, non filii sed parentis ; hoc enim & omnibus progenitoribus emortuis paterfamilias remanet, & à parentum jurisdictione emancipatus. Pater igitur cùm filium aut nepotem vendit, non potest vitæ suæ tempus excedere, nec justa lex, quæ filium venditum, post mortem parentis in servitute retineat ; aliàs concederet parenti quod alienam libertatem vendendo, contra Regulam LXXIX. *Multò plus venderet, quàm habet.* Accedit, quod hæc venditi filii subjectio non solùm non debet esse diuturnior, quàm esset sub patre ; sed neque alterius speciei. Si enim Ambrosio quatuor libras argenti debeas, ille mihi poterit in te adsignationem conferre, non quidem quatuor librarum auri, sed quatuor argenti. Pater igitur, qui non erat dominus proprietarius filii, cujus hic nec mancipium nec servus erat, non poterit filium vendere in mancipium aut in servum, sed in adoptivum, aliàs emptori potestatem venderet, quâ caret. Hæc breviter notata sunt ; fundata Regulâ LXXIX. quam clavi IV. sic pronuntio. *Potes tantum & tale jus in alium transferre, quantum & quale tibi competit, non aliud diversum, non majus, non diuturnius.* Tu attentè universa considera ; mihi enim videntur clarissima & certissima, quamvis legibus positivis contraria.

An liceat omnibus legibus contradicere ?

Miraris humanas leges Parentibus concedere jus vendendi filios, & miraris me rotunde cornua obvertere & universis obsistere : & ego me & veteres Legislatores excuso. Putarunt illi patrem habere in filios mortis & vitæ potestatem, ergo non errabant inferendo eumdem posse suos filios vendere. At nos Christiani negamus antecedens, & aut malè dialecticamur, aut debemus etiam consequentiam negare. Et quia Christiani aliqui non negarunt hanc consequentiam, dicimus eosdem errare in Dialectica admittendo illationem ab antecedente negato.

Excusantur veteres Legislatores, & erroris occasio manifesta detegitur.

An non hîc ad leges & earum acceptationem recurreretur ? Minimè. Nam inter Christianos jam obsoletæ sunt veteres leges, & nulli patri suos vendere filios permittitur. Quid si permitteretur ? liberos vendere permitteretur, & esset injusta permissio : servitus enim jus personale est, & qui benè intelligimus posse aliquem suos posteros ad onera realia obligare, nunquam bene intelligemus posse eosdem obligare ad personalia, qualia sunt vota, juramenta, servitus & similia.

In nostris provinciis nemo permittitur suos filios vendere.

ARTICVLVS VI.

Servos nunquam potuisse occidi : pura mancipia etiam nunc posse.

367 SI aliquos dominos seruos occidisse legis, scelus commissum legis, si impunè illud patrasse reperis, malè gubernatam Rempublicam fuisse cognoscis. Puto multos, cùm hanc quæstionem tractant, servum cum mancipio confundere, quorum conditionem esse valdè diversam superiùs dictum, nunc probandum.

Tolluntur adquivocationes.

Inimicus publicus, quamdiu talis, occidi potest ; si semel veniam impetret, sine novo crimine non potest condemnari. Infidelis hostis, si capitur, mancipium est ; non amicus, sed inimicus, victus, captus. Illum victor occidere potest, cùm velit : si tamen ei ignoscit, & vitæ concedit privilegium, benignè procedit, non tamen poterit illum interimere sine novo peccato : est enim interdictum Regulâ XXIII. *In innocentes & innoxios sævire.* Servitutem vel servationem ipsam veniam involvere & hostem in amicum convertere cognoverunt ipsimet veteres, qui Macrobio

lib. 1.

lib. 1. Saturn. cap. 11. teste, non servorum domini, sed *patres familias* dici voluerunt, & servos *familiares* vocarunt. Reperio hujus historiæ in Evangelio testimonium: Regulo enim cujus filius morbo laborabat Capharnaümi, Ioannis 4. vers. 50. concessit, quod orabat. Et addit sacer Textus, *Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nunciaverunt*, &c. *Cognovit ergo Pater*, &c. Si dicas, illud nomen *Pater* esse relativum, & non ad servos, sed filium, qui ægrotabat, referri, non disputabo ulteriùs in controversia nominali, sed ad Macrobium te, & ad alios viros doctos remittam.

Domini olim Patres familias mitiori vocabulo nuncupabantur.

368 *An domini possint occidere servos?*

Fuerunt aliqui crudelissimi domini, qui pacti immemores ausi servos occidere. *Gloss. l. 2. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Tertullian. *lib. de Pollione*, nominatim Vidium Pollionem recenset, tanta inhumanitate præditum, ut servos murænis invadendos & edendos objectaret. Contra hujusmodi irrationales homines multæ leges. Constitutione Pii Cæsaris sanctum, ut qui proprium servum occidisset, eadem puniretur sententiâ, quâ qui alienum. Inhibuerunt alii Imperatores, ne sine causa domini occiderent servos; sed quia statim servicidia falso suffulta testimonio impunita manebant, nunquam enim deerat modus fingendi & protrudendi aliquam causam, Adrianus Cæsar omne jus occidendi servos, etiam sontes, dominis negans, in Rempublicam transtulit asserente Spartiano in vita hujus Imperatoris: unde & Vmbriciam, rametsi divitem & nobilem matronam, exilio quinquiennali damnavit, quod atrocissimè ancillam tractasset, *l. 2. §. fin. de iis qui sunt sui vel al. jur.* Adriani Constitutiones amplexi Moscovitæ, permittunt dominos crudeles à servis in judicio reos agi. *Sigism. l. 16. Bar. in comment. rer. Moscovit.* & nullam video benè gubernatam Rempublicam, quæ permittat dominos in servum impunè sævire.

ARTICVLVS VII.

Servos incapaces dominii.

369 *An sit possibilis homo, qui sit nullus civiliter? An servi & mancipia sint talia?*

AMultis asseritur, non autem ab omnibus benè probatur. Suppono igitur esse possibilem hominem vivum & realiter existentem in populo, qui politicè loquendo nullus sit: & hunc aio esse incapacem dominii, hunc non posse esse actorem, nec testem, nec munus politicum obire: & ut verbo dicam, hunc realiter esse, & tamen ita se politicè habere, ac si in rerum natura non esset. An tales sint homines, qui mancipia? an tales, qui servi? Sanè de servo facilis esset resolutio, si diceretur eum hujus capacitatis pretio vitam emisse; hoc enim posito servum esse incapacem dominii dilucidè demonstraretur. Sit igitur

CONCLVSIO I.

Mancipium est dominii capax; quod adquirit sibi directè adquirit, non domino.

PAtet, quia libertatem non perdidit, nec in alienum dominium directum & proprietarium transiit, sed violentia extrinsecâ impeditur ne libertate utatur. 370 *Quid de mancipio dicendum sit?*

Sed obiicis, jus necis omnium supremum est, & ipsammet rei substantiam respicit: ergo sicut omnes domus partes, & quidquid ad illam spectat) est domini proprietarii, qui illam destruere potest, ex Regula enim LXXXI. *Partes continentur in toto.* Sic mancipii membra, & quidquid ad illud spectat sunt domini, qui id occidere potest. Ergo quidquid mancipia adquirunt, non sibi, sed domino adquirunt, quia bona accedunt ad vitam, & ad eum pertinere debebunt, ad quem vita; quia accessorium sapit naturam & ingenium principalis, ut Regulâ XLII. docemur.

Respondeo ad primum antecedens jus necis taliter substantiam respicere, qualiter ipsum est; nimirum illam respicere directè, si directum; & si indirectum, indirectè.

Ad consequentiam nego suppositum, non enim datur mancipii dominus directus, sed manucaptor; nam si daretur dominus directus, aliquid ista ratio convinceret. Et idem ad secundam etiam consequentiam. Fateor tamen omnia mancipii bona, quæ directè pertinent ad ipsum mancipium tanquam ad proprietarium dominum, ad manu-captorem pertinere indirectè, (qui, si ideò vocetur *indirectus dominus*, voces non condemnabo) nam sicut mancipii vita indirectè pertinet ad victoris arbitrium, sic & universæ fortunæ, si & manu-capi possint. *An mancipia habeant dominum?* *De dominio indirecto.*

CONCLVSIO II.

Servus dominii est incapax; quod adquirit, suo directo & proprietario domino adquirit.

PRobatur; servitus mors virtualis ac civilis est, *l. interdicit de condit. & demonst. l. servitutem. de reg. jur. l. cum hic status, §. si donator. de don. inter vir. & uxor.* Atqui mortui physicè, carent omni dominio physico; ergo & mortui moraliter & virtualiter, omni morali & virtuali. 371 *Quid de servis dicendū?* *Servitus est politica mors.*

Confirmatur: Servi sunt virtualiter & moraliter nulli: ergo & dominii incapaces. Patet consequentia, quia quod dominio subjicitur, alicujus dominio subjicitur. Antecedens probat *l. quod attinet. de reg. jur.* asserens idem esse *nullum*, ac *servum* esse. *Est politica nullitas.*

Si servus sit duorum habentium dominium in communi, illis servus adquirit bona possidenda in communi: si autem habentium bona in particulari, eisdem adquirit bona possidenda in particulari. *Servus domino adquirit, & quomodo?*

Aliorum Authorum sententiæ.

SErvos non posse sibi adquirere rerum dominium, mancipia posse non sen. 1 dixi- mus; sed debemus in præsenti probare, 372 *An servi adquirere dominium possint?*

variorum Scriptorum ſententia ventilando, ut veritas clariùs innoteſcat. Ago de actualibus ſervis ſpecialiter, ſed quia communes ſunt quæſtiones & fundamenta eadem, etiam reſolutiones ad famulos, filios, & Religioſos (de quibus omnibus ſeorſim agendum eſſet) ſtudio brevitatis extendam.

373 *Sanchez quatuor ponit ſententias.*

Thomas Sanchez *Opuſculorum Moral. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 1.* quatuor Authorum opiniones recenſet. Sed prima parum abeſt à noſtra, & reliquæ ſi benè intelligantur, poterunt ad primam reduci. Prima enim, quam ad ſenſa noſtra explicatam tenebimus inter captos & emptos diſtinguit; hos docet nihil, ut proprium poſſidere, illos nec teneri quidquid ſunt eſſe dominorum, nec reddere dominis dona quæ ſuſcipiunt, vel hæreditario jure, aut labore & induſtria, aut tandem ſorte & ludo comparant. Sic Scotus *lib. 4. de juſt. quæſt. 2. art. 2.* Ludovicus Lopez *1. part. inſtruct. cap. 152. fol. 347. & lib. 2. de contract. cap. 40.* Sed & Salon *q. 3. de dominio art. 1.* & alii quoad captos bello juſto docent eſſe omnium Iuniorum ſententiam.

374 *Debet mancipium à ſervo diſtingui.*

Puto hos Authores eamdem ipſam tenere ſententiam, quam nos ſuperiùs tenuimus & tradidimus, mancipia à ſervis diſtinguentes. *Mancipia* diximus homines bello captos, antequam ſerventur, (quos & poſſumus *ſervos potentiales* dicere, quod poſſint ſervari) at *ſervos* abſolutè diximus ſervatos, qui & *ſervi actuales* congruè nominarentur, ut hoc charactere à potentialibus diſtingui poſſent. Dicendum igitur eſt ſervis bello captis, hoc eſt, mancipiis ſeu ſervis potentialibus jus habendi dominium competere; ſervis autem emptis vel alio titulo adquiſitis, imò etiam bello captis, modò etiam ſervatis; quia jam actuales ſervi ſunt, non item.

375 *Aliorum ratio.*

Vt autem ſervos potentiales capaces eſſe dominii probent, hac utuntur ratione; Quia cùm non propriâ ſponte in has anguſtias & ſervitutem redacti ſunt, non ſunt coarctandi. Et ex ipſa ratione conſtat non agere de ſervis ſervatis, nemo enim invitus ſervatur. Invitus Petrus potentiam proximam incurrendi ſervitutem incurrit, cùm à victore juſtè capitur, incurrit enim conditionem, in qua licitè poſſit aut ſervari aut occidi pro arbitrio domini ſine novo titulo aut cauſa: at ſi ſervetur, ex Regula LXXXV. *Stare debet ſervationis contractui:* qui ſtando juri puræ naturæ poſſet eſſe multiplex & ad tempus; at ſtando civili hic eſt. *Habeo poteſtatem te occidendi ſi voluero, & tu viciſſim fugiendi ſi potueris; condonabo tibi vitam ſub onere quod meus ſis, mihi in perpetuum opereris & vivas, & cedas poteſtate fugiendi.* Hac initâ concordiâ (quia non niſi ſecundùm leges initur) remanebit dominus obligatus ad ſervandum vitam captivi ſecundùm legum tenorem; & ipſe erit domini, & carebit fugiendi jure eo modo quo leges civiles diſpoſuerint. Cùm autem ante hanc concordiam captivus actu ſervus non ſit, ante eamdem non amittit capacitatem habendi dominium, tametſi rebus habitis violenter expoliari poſſit: violenter enim captus, violenter detinetur, violenter expoliatur; & tota illa conditio non niſi continua, juſta tamen, violentia eſt. Si quid illi dones, licitè accipit ſibi, & licitè abſcondit; ſi ludens lucretur, ſibi prodeſt; ſi parentes in ſua patria moriantur, heres eſt: ſed quidquid ſibi ipſe adquiſierit, ſi reſciat dominus, violenter capiet; non enim ſolùm occidere, ſed & hoſtem ſpoliare licet; & ille quouſque ſervetur & donetur vitæ ſecuritate, hoſtis eſt. Hic enim latiſſimè videtur habere locum Regula LIII. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.*

Contractus inter ſervum & dominum. Vide & num. 242.

Videtur novitio ſimilis, aut etiam illi cui adoptio promiſſa; neuter enim actu habet quod deſiderat, adeóque neuter amiſit jura antiqua: novitius enim & adoptandus adoleſcens dominium habent, quod ille per ſolennem profeſſionem perdet, iſte per adoptionis beneficium, multis limitationibus obſtringet. Mancipium autem, ſeu potentialis ſervus, eſt quaſi ſervitutis candidatus; eſt enim in ſtatu, in quo vitam habet, ſed jure occidi poteſt; bona habet, ſed & poteſt legitimè ſpoliari; poteſt licitè fugere, ſed violenter vincitur & tenetur; & ut ab his miſeriis & periculis evadat, & ſaltem vitam ſecuram retineat, omnia libenter impendit; adeóque adſpirat ad ſervitutis ſtatum in quo ne mortem phyſicam & realem incurrat, mortem politicam & moralem admittit: in quo jus fugæ & dominii expendendo, jus vitæ perditum recuperet, & occidi non poſſit.

376 *Mancipium eſt Novitio ſimilis.*

Imò & adoptando.

Servi ſunt politicè mortui.

Sunt qui ſervos captos, hoc eſt, potentiales dominii capaces exiſtiment, ſed aliis omnibus, quos emptitios nominant, non negent abſolutè; docet enim in hujuſmodi diſtinguenda eſſe quotidiana obſequia & ſervitia à labore extraordinario ſine detrimento domini alicui externo exhibito: putà, ſi ſervus pictor, aut die feſto, horis quibus otiari poſſit, ſine domini damno pretioſam imaginem pingeret & venderet. Hac rerum præmiſsâ diſtinctione omnia quæ horis domino debitis lucratur, domino lucrari concedunt: aliíque dies & horas, quibus non erat operaturus domino, in duas claſſes diſtinguunt; nam vel lucratur cibos, veſtes aut alia conſumptibilia, vel res permanentes, ut aurum, argentum, &c. hæc docent adquirere eos domino, illa ſibi; adquirunt enim uſum, qui in talibus rebus non diſtinguitur à dominio. Ita reliqui recentiores aſſerente citato Sanchez *num. 2.* & citante Salonem *2. 2. quæſt. 3. de dominio, art. 1. ſub fin. fol. 358.* qui illos adlegat.

377 *Aliorum ſententia examinatur.*

Cæterùm hæc ſententia partim falſa, partim implicantia ſupponit. Falſa quidem; quia veſtium uſum à dominio non diſtingui improbabile eſt. Implicantia etiam, quia ſupponit horis vacantibus poſſe operari & pretium recipere & retinere ſibi. Si hoc enim verum, jam ille ſervus eſſet & non eſſet, quia in hoc famulus à ſervo diſtinguitur, quod iſte ſemper ſit domini, ille perſonaliter ad dominum non pertineat, niſi horis debitis ſecundùm mores patriæ & concordiæ.

378

Igitur occaſione diſtinctionis poſitæ à ſecunda ſententia, has Theſes valdè neceſſarias adjungo.

Prima. *In res unico actu conſumptibiles adquirit verum dominium mancipium, ſervus, famulus, filius, religioſus.* Probatur; quia in illis uſus à dominio non diſtinguitur. Ita ſtatui *Commentarii mei in Regulam Benedictinam num. 871.*

379 *An in res unico actu cõſumptibiles verum dominium adquiratur?*

num. 871. ita etiam inferiùs & fortibus rationibus evincam : at in vestes semper usum à dominio distinguam , videmus enim eas commodari à retinentibus dominium.

Dices, hanc ipsam Thesim contradictoria involvere : nam dominium adquirit aliquis, at servus non est aliquis, sed nullus : ergo, nec in res unico actu consumptibiles, dominium adquirere potest.

Respondeo servum esse civiliter nullum, at realiter aliquem : cùm autem comedere non sit actus civilis , sed realis , non debet videri mirum, si servus eo sensu , quo aliquis est, illo etiam dicatur dominium adquirere.

380 *De cibis in mensura datis.*

Secunda. *Vbi domesticis dantur cibi determinati* (Hispan. *quando se dan raciones*) *potest mancipium , servus , famulus , filius , religiosus, sibi aliquid detrahere & dare pauperi aut amico: quinimò si vendat , peccabit quidem contra decentiam & authoritatem* (hanc mancipia , servi , & famuli non semper curant) *non tamen contra justitiam.* Ita de servo Sanchez ubi suprà *num.* 15. de Religioso Ego in Comment. à *num.* 872. Ratio est , quia in commestibilia adquisivit verum & reale dominium.

Hæc doctrina poterit habere inconvenientia , & poterit à domino respectu servi , & à Prælato respectu Religiosi interdici : sed ipsamet interdictio tollet casum , qui enim hanc doctrinam interdixerit , non dabit cibos in mensura determinata ; sed cibos , ex quibus licerat subdito quantum volet comedere.

381 *De cibis sine mensura datis.*

Tertia. *Vbi cibi non determinantur , non peccarent contra justitiam eædem personæ, si id quod aliàs essent comesturæ & possent decenter non comedere , darent alicui pauperi aut amico : si autem ad satietatem comederint , nihil donare poterunt.* Ita Sanchez *num.* 14. & apud eum nonnulli viri docti de servis , & de famulis idem *num.* 15. & Ego de Religiosis probabiliter , licet contrarium magis consonum menti Sancti Benedicti videatur , & religiosæ sinceritati convenientius. Volui sic discurrere juxta ea, quæ de servis Authores boni dixerant, ductus rationis paritate *mei Comment. num.* 874. tametsi cum aliquibus limitationibus ab obedientiæ voto , & debitâ civilitate desumptis.

Non determinantur cibi , ubi non dantur singulis singulæ portiones , sed fercula communia exponuntur , ut unusquisque capiat quod vult , & quantum vult.

An sobrietas consistat in indivisibili ? An suos habeat latitudinis terminos ?

In refectione terminos latitudinis admittendos esse certum est : non enim consistit in indivisibili. Terminus magnitudinis ille, quem si excesseris , crapula & ebrietas superveniat ; parvitatis ille , ultra quem , si quidpiam substraxeris , corpori sis tyrannus : inter istos duos terminos versatur sobrietas ; & tamen licèt neutrum licitè attingere possis , licitè ad utrumque appropinquare poteris.

382 *An cibos subripere sit furtum ?*

Quarta. *Eædem personæ , si ex cibis ordinariis domus suæ soleant clandestinè aliquid sumere & hoc frequentissimè , ut consumant in actualem usum sui aut aliorum domesticorum , non peccabunt in furti materia.* De famulis , servis & mancipiis Sanchez *num.* 17. quia domini non sunt inviti quoad substantiam actus, sed quoad modum ; & licèt justè inviti essent , non est materia quæ subripitur considerabilis , qui enim jentaculum sumpsit , minus prandet. Quæ rationes etiam habent vim in Religiosis & filiis ; vide *Commentarii num.* 888.

383 *An homo non suus possit servire amico aut pauperi ?*

Quinta. *Potest mancipium , servus , famulus , filius , religiosus horis vacantibus, si sine officii sui detrimento possit , servire amico ; putà , pingendo , scribendo , cælando.* Consultò detrimenti memini cùm vacantium horarum , non enim omnes vacantes horæ sine domini detrimento impenduntur. Homo fragilis est , & indiget recreatione aliqua ut restauretur : lassus opus fastidit , & fastidiens nihil curiosè & exactè operatur. Igitur , si aut servo , aut famulo, ut meliùs pingeret , unam aut alteram horam quietis indulgeres , tibi esset injurius , si hanc ipsam in aliorum obsequium impenderet , & lassus fractúsque ad tuum opus veniret. Hac consideratione præmissâ, quæ in artibus, quæ industriam & mentis summam attentionem requirunt , præcipuè locum habet , dicendum est horas , quæ ex domini benignitate aut concordia possent impendi in nugis , possent amico dari , aliquid pro eo operando. Est tamen in hoc ipso maxima differentia : nam Religiosus Conversus aut Choristæ , & servus possunt talibus horis alteri servire , sed si laborem venderent , pretium non sibi sed suo superiori (putà communitati Religiosi , domino servus) adquirerent : at filius sibi proprietatem & patri administrationem ; famulus sibi dominium plenum rei, quam dominus capere non posset , at mancipium vel servus potentialis , plenum rei dominium adquireret, sed subditæ violentiæ domini potentis illam capere & retinere , cùm voluerit. [Inter horas successivas dies festos enumera , nemo enim famulus aut servus Christianus his diebus laborare tenetur ; adeóque si laboraverit, peccabit contra Ecclesiæ præceptum , & artefactum eidem subjacebit censuræ , cui reliqua quæ horis vacantibus sunt facta. Vide *Commentarii in Reg. num.* 869.]

Homo recreatione aliqua indiget.

Nemo subditus tenetur laborare die festo.

384 *Servus inadæquatus.*

Sexta. *Qui venditur à se aut ab alio , posset sub aliquibus articulis vendi , & tunc isti essent servandi , ex Regula LXXXV.* Putà , si vendatur sub onere , quod moriente emptore, aut post tot annos debeat manumitti ; si sub conditione , quòd non debeat nisi diebus alternis operari, aut quòd possit sibi dominium talium rerum adquirere , aut quòd possit tot aureos in honesta recreatione impendere ex bonis suâ adquisitis industriâ. Taliter tamen venditus non esset totaliter & adæquatè servus, sed solummodò secundùm quid. Possent addi conditiones , quæ non jam personam servi respicerent , sed emptoris : putà si is teneretur eum in tali civitate aut loco continere , aut ad talem regionem mittere ; tunc servus esset adæquatè servus , sed emptor non redderetur adæquatè dominus , venditor enim harum circumstantiarum dominium retineret : unde, si homo sub his se conditionibus venderet, non esset omninò servus , siquidem harum sibi circumstantiarum dominium reservavit.

385 *De rerum permanentia dominio.*

Septima. *In res permanentes, nec servus, nec religiosus , adquirere dominium potest.* Ita Sanchez *dubio illo primo num.* 4. de servis quibuscumque tam emptis, quàm bello justo captis; ubi citat pro se D. Thomam, Abulensem, Gregorium Lopez , Sylvestrum , Arm. Ang. Tab. Navarr. Petr. Covarr. Arragon , Matienzum, Navarram,

Navarram, & Molinam: quorum ſententiam quoad emptitios, hoc eſt, ſervos actuales libentiſſimè admitto: at verò quoad captos non admittam ſine examine prævio; puto enim illos loqui de captivis ſervatis & donatis vitæ tranquillitate & ſecuritate; iſti enim veri ſervi actuales cùm ſint, dominium habere non poſſunt. At manu-capti antequam vita & ſalute donentur, ſervi actuales non ſunt, ſed potentiales, adeóque quia privilegiis ſervorum carent, etiam illorum miſeriis non ſubſiſtunt. De religioſo eſſet major difficultas; benè enim intelligitur voto reddi bonorum poſſeſſionem illicitam, non tamen invalidam: quia ſi ſæcularis juret ſe non ductum talem uxorem, aut non venditurum talem equum, illicitè validè tamen illam ducet, hunc vendet: ergo poſſemus de religioſis pariformiter philoſophari. Sed reſpondeo paupertatis votum quà votum non militare contra dominium, ſed quà ſolenne; ſtudioſi enim Societatis & veri religioſi ſunt, & verè pauperes, & tamen retinent rerum dominium: at votum ſolenne authoritate publica elevatum amortizat perſonam illud emittentem, & illam privat morali poteſtate adquirendi dominium.

An, & qui Religioſi ſint dominii incapaces?

386 Octava. *Nullus caſus dabitur, in quo, aut ſervus, aut religioſus qui ſolenniter profeſſus ſit, (quin illorum ſtatus alteretur & mitigetur) poſſit alicujus rei permanentis dominium adquirere.* Eſt contra Sanchez, qui exiſtimat ſaltem ſervos in aliquibus caſibus adquirere verum dominium.

387 *An detur caſus in quo ſervus adquirere dominium poſſit?*

Primvs casvs, quem producit, eſt, in quo intervenit contractus aut pactum inter dominum, ſervúmque, ut ſit contentus quotidie duobus argenteis, & reliquum ſervus adquirat. Sed hic caſus illæſa ſervitute impoſſibilis eſt; fateor enim poſſe contractum fieri inter dominum & ſervum, ſi hic ante contractus celebrationem manumittatur, aut ſaltem manumittatur inadæquatè, hoc eſt, ad effectum illum: nego tamen poſſe componi quod ſervus totaliter ſervus ſit, & tamen cum domino contrahere poſſit.

338 *An poſſit fieri contractus inter ſervum & dominum?*

Sanchez *num.* 6. arguit ex Ariſtotele 8. *Ethicor. cap.* 11. quia licet inter ſervum ut ſic & dominum, non ſit propriè juſtitia nec contractus, eſt tamen inter dominum & ſervum, ut homo eſt. Lego & miror tam doctum Theologum tam frivola ratione abuti. Hoc habent omnia, quæ Ariſtotelis aut aliorum, quibus multum deferimus, nominibus circumferuntur: hoc inquam habent, ut inconſideratè admittantur. Quod tametſi frequentiſſimè aliàs accidat, in hoc caſu clariſſimè videmus; nam ſi ratio illa Ariſtotelica, quâ ſuam ſententiam ſuadet Sanchez, ſubſiſteret, etiam in ſimilibus caſibus urgeret. Daretur igitur tempus in quo Religioſus ſibi proprietatem adquireret, quo poſſet emere, vendere, ducere uxorem; quia tametſi hæc omnia repugnent illi quà Religioſo, non repugnant ut homo eſt. Conjugata poſſet ſecundò nubere, imò & ſine adulterii macula cum aliis commiſceri; quia tametſi hæc non poſſit ut uxor, poteſt ut fœmina: quæ omnia ſunt ſimillima ſenſui compoſito & diviſo Thomiſtarum, cùm tollentem indifferentiam phyſicam prædeterminationem defendunt.

309 *An juſtitia ſit duplex: civilis naturaliſque.*

Dari juſtitiam civilem & naturalem docent Ludovicus Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 40. *fol.* 487. Molina *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 38. *fol.* 304. & Sanchez *Conſ. Mor. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 6. & addunt dominum obſtringi in tali caſu ſervo non civiliter, ſed naturaliter. Sed chimœrica hæc ſunt. Quia quando leges decernunt, ut omnia quæ adquirunt ſervi adquirant domino, vel volunt eos cedere jure naturali adquirendi bonorum proprietatem, vel hoc illæſo bona tranſire ad dominos. Si hoc ſecundum ſtatuant, furta permittunt, & nemo dominus bona ſervi retinere tutâ conſcientiâ poteſt; ille enim jam ſervatus, hoſtis non eſt nec inimicus. Si autem illum privant capacitate adquirendi dominium, certum eſt, aut hanc in caſu reſtituendam, & per conſequens remittendam ſervitutis miſeriam, aut ſervum ſibi nihil adquirere poſſe.

390 *An aliqua legari poſſint ſervo, & non domino?*

Secvndvs casvs. Si ea conditione expreſsâ vel tacitâ bona aliqua ſint ſervo donata vel relicta, ut non adquirantur domino, tunc ipſe ſibi adquirit, ait Sanchez, nec tenebitur domino communicare: qui aſſonat Navarræ *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 1. *num.* 216. & 217. & Molinæ *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 38.

An conditio tacita ſemper æquivaleat expreſſæ?

Sed in hoc caſu omnia diſplicent. Primò, quia licet conditio expreſſa haberet vim prætenſam, tacita habere non poſſet, dari enim non poſſet. Nam conditio tacita eſt, quæ non exprimitur ſed colligitur ex aliis circumſtantiis, quæ ſine illa ſtare non poſſunt: cùm autem in donationibus una ex præcipuis circumſtantiis ſit perſona *cui*, hæc debet etiam conſiderari: ergo quando aliquid ſervo donatur, & donator non exprimit ſe velle, quòd hoc adquiratur ſervo, cenſendus eſt velle quòd adquiratur eo modo quo ſecundùm communem ſtatus politici curſum adquiritur: ergo quod adquiratur domino.

391 *An poſſit aliquid donari religioſo, ut non illud adquirat Communitas?*

Sed etiam conditio expreſsè poſita non prodeſt; non enim in voluntate donantis eſt rem adquiri illi, cui datur; aliàs enim etiam poſſem donare Religioſo fundum ſub conditione expreſſa quod non adquirat eum communitati, ſed ſibi: vel detur diſparitatis ratio, uterque enim dominii incapax, imò magis incapax ſervus quàm Religioſus, quia veros & adæquatos Religioſos in Societate videmus habere dominium, non tamen dantur ſervi totales, qui illud habeant.

392 *De donationibus conditionatis. Quomodo conditiones exponendæ: an primariò, an verò ſecundariò?*

Sed arguit Sanchez. Eo ipſo quod domino ſervus bona illa communicaret, non eſſent ei donata vel relicta, quivis enim rei ſuæ conditionem apponere poteſt. Si fortis videatur hæc ratio, mutatâ materiâ applica Religioſo. Eo ipſo, inquies, quòd monaſterio bona illa Monachus communicaret, non eſſent Religioſo donata aut relicta: ergo debent Religioſo & non Monaſterio ipſa adquiri: quivis enim rei ſuæ conditionem apponere poteſt. Nonne vides nullius ponderis rationem eſſe. Sed reſpondeo duas Authorum reperiri ſententias circa donationum conditiones appoſitas; alterámque docere donatorem præſumendum eſſe juſtum, velléque donationem vel contractum abſolutè facere & conditiones apponere ſecundariò ſubintelligendo hanc clauſulam, *ſi per leges liceat*: alteram

docere

docere hanc esse voluntatem operantis, eúmque velle circumstantiam illam primariò, & secundariò donationem aut contractum, ita ut si per leges non liceat fieri ut disponit, non contrahere, quàm aliter contrahere malit. Neutra tamen sententia servo aut Religioso favet, quia stando primæ, dicemus bona illa, quæ donantur servo aut Religioso, adquiri servi domino vel monasterio, juxta communem ordinem quo sic subditi adquirere solent dominium: at stando secundæ, illam donationem esse nullam defectu voluntatis; donator enim malle donationem non facere, quàm in utilitatem monasterii vel domini facere asseritur.

Sed quia has duas opiniones insinuavimus, statim sciendi desiderio subriperis, & utra sit habenda, perquiris. Et respondeo stando nudo juri naturæ secundam sententiam esse solam veram; at stando Canonico, videtur prior illa sententia firmari Regulâ LXVI. *Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Nam ex ipsa videtur colligi donationem factam Religioso sub conditione quod rem appropriet sibi & non monasterio, & factam sæculari sub conditione quod consanguineam ducat, esse validas: nec à conditionum positione pendere, modò donatarii quantum in se sit fecerint, ut conditiones ponerentur. Vnde in tali casu ad nihil teneretur religiosus, non enim posset ponere circumstantiam illam requisitam. Sed sæcularis ille teneretur petere dispensationem, quam si nollet petere, non haberet jus in donationem, cùm per ipsum staret ne poneretur conditio: aliter tamen si dispensationem sollicitaret, nec tamen obtinere posset. *Sed ad mancipia & servos redeo.*

393 *An servus se redimere debeat?*

Aliâ viâ Navarra nos impetit. Non posset, ait, aliàs servus pro redemptione sua pretium offerre, cùm quidquid offerret esset domini. Sed quid inde? estne de contractus & servitutis perpetuæ quidditate, quod redimi possit aut debeat? Sed ut sit: cur redimi non poterit amicorum & consanguineorum pecuniis?

394 *An ancilla quæstu corporis domino adquirat?*

Tertius casus sub iis terminis à Sanchez proponitur. Si detur ancillæ ab amasio aliquid ob quæstum proprii corporis, esse ancillæ & non domini; eò quòd tacita amasii voluntas sit, quod illud pretium soli ancillæ adquiratur. Et confirmat; quia donatur pro usu corporis, qui domino non subest. Et hic casus etiam ponitur à P. Molina.

An communitati Monialis?

Sed hic casus minùs urget, quàm præcedens; quia etiam Monialis, si quæstum proprii corporis faceret, sibi & non monasterio lucraretur; & si dicas non usum corporis propter castitatis votum monasterio subjici, non urgebis, primò, quia etiam dominus habet jus cogendi suam ancillam, ut castè vivat; secundò, quia facillimo negotio poterimus materiam mutare. Postulo, an audacia in homicidiis, veneficiis, aut quibuscumque aliis sacrilegiis aut facinoribus committendis subsit communitati potiùs, quàm castitas ancillæ domino: & si non, cur non dicemus aut ancillam pretium sui corporis adquirere domino, aut religiosam pecuniam ob venefi-

Donantis intentio nihil curat.

cium datam sibi & non communitati lucrari: nulla enim est disparitatis ratio. Nec proderit ad intentionem donantis recurrere, quia si ancilla est dominii incapax, non reddetur capax propter amasii voluntatem.

395 *An servus sit suorum membrorum dominus?*

Qvartvs casvs. Molina ponit alium casum; nimirùm, si servo aliquis restituat pecuniam in compensationem aut membri mutilati, honoris detracti, aut cujuscumque alterius damni recepti; & tunc putat servum adquirere verum illius pretii dominium, quia datur pro re, quæ non suberat domino. Vbi etiam distinguit Sanchez servum quà hominem à servo quà servo.

An etiam religiosus?

Sed hunc casum non esse verum constabit, si materia mutetur. Habueris cum religioso At aliquam difficultatem; illum graviter percusseris, & manum abstuleris, manum quidem, quæ non magis erat monasterii, quàm tua tui servi manus, imò fortassis multò minùs. Venîtur ad concordiam; agitur de satisfactione, offers quingentos aureos, & ille acceptat. Sanè non satisfeciſti modò, sed & satisdediſti. At interrogo. Cuinam adquirentur illi quingenti aurei? religioſóne, an communitati? Ergo de servo, aut ancilla pariformiter philosophare.

396 *Servus duplex: totalis & non totalis.*

Fateor posse servum de licentia expressa domini adquirere rerum dominium, sed addo tunc extrahi ex serie totalium servorum ad seriem servorum non-totalium. Imò & posse de licentia implicita; hâncque præsumi, quando ipse dominus dat servo aliquid ex causa (putà, in compensationem injuriæ) aut sine causa ex mera liberalitate. Si semel servus habeat alicujus rei permanentis dominium, poterit eam exponere ludendo, mercando, aut alio quocumque modo licito, & lucrari augmentum; quod quia nascitur ex propria pecunia & à persona dominii capaci, non domino, sed servo adquiritur.

Omnes istæ resolutiones consonant *Instit. per quas person. nob. adquir. §. Item vob.* ibi enim, *Vobis adquiritur, quod servi vestri nanciscuntur, sive quid stipulentur, vel ex donatione, vel ex legato, sive ex qualibet alia causa adquirant; servus enim nihil suum habere potest.* Consonant etiam *Legi 7. tit. 21. part. 4.* ubi sic, *Todas las cosas, que el siervo ganare, por qualquier via que las gane, deben de seer de su señor.*

ARTICVLVS VIII.

An Servi possint fugere?

397 *De Bœotis agit iterum ad num. 433.*

Hominem alii obstrictum personaliter, fugere non posse certum est, imò nec se occidere posse; unde homo hujusmodi, si sibi mortem conscisceret, committeret unum peccatum, quod præter malitiam homicidii, haberet malitiam injustitiæ, eodem modo (majorem tamen) ac si occideret alienum equum. Lego in Athenæo lib. 6. cap. 7. *Ii ex Bœotis, qui Arneam coluerunt, qui non recesserunt in Bœotiam, propter timorem (al. amorem) regionis, se ipsos Thessalis in servitutem dederunt, ex stipulatione, ex qua neque se extra regionem recipient,*

pient, neque occident, ipſique (Bœoti) *regionem illis* (Theſſalis) *colentes tributa perſolvunt.* Ecce ſervitutis tres diſtincti & valdè notandi characteres.

Servus non poteſt fugere,

Primò enim ſervus cedit jure fugiendi, adeóque non poteſt ſe extra regionem recipere.

nec ſe occidere.

Secundò, jure ſe occidendi; veteres enim ſtabant pro mortis & vitæ libertate: unde ſequitur ſervum, qui ſe occideret, novam deformitatem criminis hodie committere; quia abſtrahendo ab homicidii communi malitia, adhuc remaneret in illa actione deformitas alia ſpecialis.

nec habere dominium proprietatis.

Tertiò, jure habendi proprium & colendi agros ſibi; nam ex vi hujus contractûs non ſibi agros colere debebant, ſed dominis; ni malis illud *illis* non referri ad *colentes*, ſed ad *perſolvunt*, quod tamen ſine textus injuria vix poſſet fieri. Servus igitur poſt ſervitutis ſtipulationem vel contractum, tacitum vel expreſſum, fugere non poteſt: ante contractum ſervitutis poteſt. Maurus enim antequam caperetur liber erat, dominii capax, nulli homini obnoxius; cùm capitur, nihil perdit intrinſecum phyſicum aut morale, ſed potentioris virtuti ſubcumbens, non tanquam amicus, ſed tanquam inimicus occidendus cùm victori placuerit, detinetur. Salutem à victore poſtulat, & ut obtineat nihil non offert: ille communes conditiones proponit dum tacitus vitam concedit; cenſendus enim eſt juxta leges civiles procedere: juxta ſeveriores vix poſſet, fortè enim iſtas Legiſlatores proſcribunt; ſed ſi benigniores proponeret, illæ ſolæ ſervum obſtringerent.

Ad quæſtionè principalem venitur.

Dubium tamen eſt, *An leges civiles fugam omnem actualibus ſervis inhibeant.*

398

De eo, qui ſe vendiderit.

DICO IGITVR PRIMO, *eum, qui ſe vendidit, ni contrarium expreſſum in contractu ſit, fugere non poſſe.* Sic Sotus, Ludovicus Lopez, Ioſephus Angles, Navarra, & alii docti Iuniores, quos citat & ſequitur Thomas Sanchezius *Concil. moral. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 1.* Ratio Sanchezii eſt; quia ſua ſponte ſe libertate privavit & facultate fugiendi.

Nemo invitus ſit ſervus.

Sed hæc ratio, tametſi fortis videatur, non eſt ſpecialis huic caſui; nemo enim ſervus actualis eſt, præter eum, qui ſe ſua ſponte libertate privavit & facultate fugiendi: ergo nullus ſervus poteſt fugere. Negabit conſequentiam Sanchezius, putat enim ejuſdem dubii *num. 3. & dub. 7. 8. & 9.* eſſe aliquos ſervos qui poſſint fugere: ergo illa ratio non omnimodo efficax eſt. Sed eum non poſſe fugere ſic oſtendo. Ceſſit fugiendi jure, ergo ex Regula LXXXV. tenetur ſtare contractui: atqui nullæ leges civiles concedunt quod ſtante illa ceſſione & contractu poſſit fugere: ergo nulla ratione poteſt fugere.

399

De eo, quem parentes vendiderint.

DICO SECVNDO, de vendito à patre me omninò dubitare; ſed cur dubitare me dicam, cùm nulla ratio, ſed ſola hominum doctiſſimorum authoritas me ancipitem reddat? Sanchezius num. 2. ſic inquit. *Certum eſt eum, qui à patre venditus eſt, fugere non poſſe.* & hæreo, cùm video viro tanto eſſe certum, quod mihi, ſi rationes nudas ſpectem, improbabile. Scio filios patrum eſſe, & non poſſe fugere, at quis non videat aliter homines apprehendere fugam filii, aliter fugam ſervi? illa levis culpa creditur, petulantia & juvenilis actio dicitur; hæc crimen, hæc ſcelus, quod ſolet diris & furiis, ne dicam cruciibus, nonnunquam expiari. Aut fallor, aut hæc filios vendendi poteſtas reperta in veterum libris & non examinata defenditur. Potuerunt olim Patres filios in ſervitutem redigere, quia & occidere poterant, lege civili id clarè & expreſsè permittente; hodie occidere filios non poſſunt, quia meliùs docti ſcimus hominem nec in ſemetipſum, nec in filios habere mortis & vitæ poteſtatem: quam ſi ponas, ſervituti fundamenta ſuppones; at ſi auferas, ut debes, nihil remanet quod favere oppoſitæ ſententiæ poſſit. Peto enim primò, an ſit mortalium aliquis qui negaverit, eſſe veram Regulam LXXIX. *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur?* An aliquis, qui non admittat hæc Aſſerta; *Nemo poteſt vendere, quod ſuum non eſt; Nemo in re ſua poteſt majorem authoritatem concedere, quàm ipſe habet: Nemo aliam quàm habet?* ergo & hoc erit verum, *Pater nec poteſt vendere quod ſuum non eſt; & ſi vendat filium, non poteſt vendere majorem in eum authoritatem, nec aliam alterius ſpeciei, quàm habet.* Subſumo, *Atqui emancipatus & exhæredatus filius patris non eſt: iſte igitur vendi non poteſt.* Subſumo iterum. *Atqui in filium non emancipatum nec exhæredatum pater non habet authoritatem dominicam, ſed patriam; atqui filius erga patrem non habet ſubjectionem ſervilem, ſed filialem: ergo pater poteſt transferre in alterum (donatione aut venditione) authoritatem, quam habet, hoc eſt, patriam; non verò dominicam, hac enim caret: ergo filius, ſit Petro donatus aut venditus, ex vi commutationis Petro filialiter, & non ſerviliter.*

An parentes poſſint vendere filios?

Attentè legatur iſta ratio.

MANET igitur optimè fuiſſe Ethnicos philoſophatos, aſſerentes patrem poſſe filium in ſervum vendere; qui enim poterat illum licitè occidere, cur non poſſet etiam ſervare, & ſervando ſervum efficere, & ipſi ſupponebant ut certum filios à patribus occidi poſſe.

Gentiles optimè dialecticabantur in hac materia: at Chriſtiani malè.

ET MANET ſummè fuiſſe deluſos antiqui Iuris correctores, cùm proſcripta patria vitæ & mortis authoritate filios vendendi in ſervos poteſtatem, quæ ſine altera ſtare non poteſt, reliquerunt.

ET MANET TERTIO patrem, ſtando puro juri naturæ, poſſe filium vendere aut donare, non ſolùm in extrema neceſſitate conſtitutum, ſed etiam ſine cauſa.

ET QVARTO filium ſic venditum vel datum Petro, ſubeſſe Petro ut filium, non ut ſervum; non poſſe fugere, at ſi fugiat puniendum, ut alii filii propter ſimiles petulantias puniuntur.

ET TANDEM hunc contractum eſſe potiùs adoptionis ſpeciem, quàm ſervi venditionem aut emptionem.

ACCEDIT, quod qui habet uſumfructum alicujus fundi ad vitam, non poſſit æternam fundi utilitatem vendere: unde cùm pater ſit uſufructuarius dominus, & habeat dominium utile in filium, & hoc ad vitam, poſſe illud ipſum vendere, non tamen in æternum: adeóque cùm primùm pater phyſicus obierit, illum mâſurum liberũ à Petri, cui venditus eſt, poteſtate.

His

400 *An patri & filio sit una moralis voluntas?*

His positis rationem, quâ Sanchezius nos oppetit, examinemus. Certum est, inquit, eum qui à patre venditus fugere non posse. Ratio: quia voluntas filii dum sub patria est potestate reputatur voluntas patris. Sicut ergo, qui propria voluntate se vendidit, fugere nequit; ita, nec potest, quando venditur voluntate paterna; quia reputatur eadem voluntas. [Citat Navarram, Molinam, & aliquos doctos Recentiores.]

Respondeo distinguendo. Filium venditum in servum fugere non posse; nego, imò puto aliquando debere; non enim potest esse prodigus suæ libertatis; nam venditus à non habente authoritatem dominicam invalidè venditus esset. Filium verò venditum in filium non posse fugere, subdistinguo: non posse ante mortem naturalis aut saltem moralis patris concedo; post eam non posse, nego. Ad rationem respondeo, voluntatem filii non venire considerandam (esto sit eadem cum paterna, aut non sit) sed considerandum solùm esse patris dominium; nam Paulus, qui usufructuarius fundi est per quatuor annos, nec posset usumfructum decem annorum vendere, & ne quidem unius diei proprietatem; non enim ex Regula LXXIX. permittitur quis vendere, quod non habet: qua veritate posita, supponamus fundum habere voluntatem, an ideò Paulus vendere proprietatem posset? Dico igitur patrem posse filii illa vendere, quæ sibi subsunt, & qualiter sibi subsunt; sive hic voluntate sit privatus aut præditus; hâncque ad quæstionem non referre, potest enim vendi etiam invitus & involuntarius.

DVBIVM INCIDENS.

Circa intelligentiam Institut. De rer. divis. §. Item ea. quæ ab hostib.

401 *An servi possint fugere?*

DAs ex citato loco hæc verba. *Liberi homines capti in bello justo in servitutem nostram reducantur, qui tamen, si evaserint, ad suósque reversi fuerint, pristinum statum recipiant.* Et postulas, an intelligenda de servo potentiali, an de actuali? hoc est, An de captivo, antequam donetur vitâ, & servetur, an de illo qui jam servatus est, & actualem servitutem incurrit? Ratio dubitandi est; quia si de nondum servato intelligantur, vera sunt, ipse enim verè & actu liber est, & violentiâ redactus ad proximam potentiam incurrendi actualem servitutem; unde cùm ad suos rediit, hæc violentia tollitur, & ab illa potentiali servitute liberatur: at de servo actuali verificari nequeunt; quia si fugeret ad suos, esset fidei publicæ temerator, violator contractus, & furti (se enim rem domini subtraxit) reus. At respondeo dicendo,

402 *De mancipiis nondum servatis. Laudatur Ferdinandus Nissus.*

PRIMO, *Mancipium, seu servum potentialem licitè fugere posse.* Patet, quia solâ victoris detinetur potentiâ.

SECVNDO, *si probabiliter existimet se causam justam defendisse, non solum fugere, sed & quemcumque occidere, aut spoliare posse licitè.* Patet; quia ipse inimicus capientium est, & sicut spoliari potuit & occidi potest, ita etiam spoliare & occidere, imò si posset etiam totam civitatem licitè Regi suo traderet, ut Ferdinandus Nissus Augustini Nissi Philosophi Medicæi filius, Hieronymi Nissi optimi amici næi pater, anno 1595. qui captus & Hanium (Civitas est quinto à Fera & quinto etiam à S. Quintini sita lapide) ductus referente Carnero Historiæ suæ lib. 11. cap. 3. pag. 151. alios paucos captivos concitavit, imò & armavit, palatium invasit, portam fortalitii, quam *succursus* vocant, intercepit, & Petro Galleco in suppetias venturo liberum introitum expedivit. Caruit effectu res, at hoc non fuit Nisso imputandum.

403 *De servis, hoc est, mancipiis jam servatis.*

TERTIO, *Servum actualem, hoc est, jam servatum, amicum esse, & sicut nec ladi, ita neque ladere posse: deberéque suo domino adsistere nec habere aliam fugiendi potestatem, quam leges civiles concedant.* Patet; quia debet stari contractui, & hic omnem fugam illegitimam excludit, legitimam enim, hoc est, quæ fit secundum leges, non potest. Leges civiles posse omnem fugæ potestatem præcludere certum est, sed an præcluserint, inquiris.

Videntur hi non posse fingere.

Respondeo utrumque esse probabile: sed mihi magis literæ consonam videri partem affirmativam: quia citatus textus nemini fugiendi ad suos copiam videtur concedere, sed agere de servis potentialibus, quos definit in pristinam libertatem redire si se ad suos recipiant. Vnde Comes de Fera à Gallis captus & Trajectum missus licitè fugit, & redux ad nostros liber omnino fuit, & si postea de Statuum licentia (*Pasaporte* dicimus) rediret ad Hollandiam à Gallis recipi non possit. Proderit historiam recensere. Apud Namurcum Marte adverso pugnatum fuit: Comes in acie stetit ultimus (erat enim post Principem Thomam ipse primus) & tandem captus Trajectum ductus. Rogatus, an vellet captus esse sub verbo, an sub milite? id est, An vellet promittere se non esse fugiturum, an potiùs custodiri à militibus? respondit, nolle se strictiùs Gallis obligare quàm erat: si enim fidem obstringeret, non posset fugere. Ergo jubetur diligenter custodiri à militibus, & tamen illorum summâ vigilantiâ non obstante evasit & ad nos rediit. Captivus ergo, si non promisit se non esse fugiturum, potest fugere: si promisit, non potest. Hanc positionem ex medullis veritatis desumptam confirmat exponit & illustrat Lex *lib. 23. titul. 29. part. 3. & lib. 23. tit. 14. part. 7.* ubi dicitur, quòd ubi semel quis ad suos revertatur, sit liber, nec possit capi à Domino licèt posteà redeat. *Cæterùm* hanc legem etiam prodesse servis actualibus, nec aliter acceptatam fuisse servitutis conditionem quàm cum fugiendi libertate, docent communiter Iuniores, & ut puto ex æquivocatione & hallucinatione, nam servum potentialem & actualem confundunt. Interim eorum authoritas profit servis quantum prodesse possit: hanc enim benignam & erga servos clementem sententiam habet Sotus, Menchaca, Iosephus Angles, Salonius, Covarruvias, Bañez, Ludovicus Lopez, Navarra, & alii quos citat & sequitur Thomas Sanchez *Consil. Mor. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 5.* qui hanc benigniorem sententiam judicat communem & probabiliorem. Vbi

At opinio contraria, quidquid de ratione sit, authoritatem magnam habet.

An servus profugus λύθρον teneatur solvere?

non est audiendus Navarra asserens sic fugientem, si dives sit, debere lytrum solvere, quia leges quæ ei fugam concedunt, si concedunt, ad lytri solutionem non obligant: vidimus tamen aliquando à secundò captis duplex lytrum extorqueri, sed quo jure ipsi viderint.

DVBIVM II.

An qui promiserit se non esse fugiturum, possit fugere?

404 *Nota benè hanc hypothesim, ne putes eamdem iterum controversiam resumi.*

SVpponis Sanchezii sententiam nimirum quemcumque servum posse licitè ad suos remeare: inquiris tamen, An peccet, si se non fugiturum promiserit?

Respondeo hanc promissionem vel potuisse esse non acceptatam, vel acceptatam, vel firmam contractu, vel juramento. Quibus positis

An promissio acceptata obliget in cõscientia? & quo nomine?

PRIMO, *Promissio non acceptata ne humanam quidem obligationem imponit: acceptata humanam imponit, non divinam: aut si divinam, solo titulo veracitatis.* Hæc conclusio, quoad priorem partem certa est, quoad posteriorem est merè probabilis, multi enim existimant promissionem acceptatam obligare conscientias, essèque injustum rei alienæ detentorem, qui rem promissam non dederit, præstiteritve. At nos, qui inter *do* & *dabo* magnam differentiam invenimus, & per *dabo* transferri dominium non putamus, eum qui acceptatis promissis non steterit, non judicamus esse furem, sed mendacem; adeóque ipsum, non contra justitiam, sed contra veracitatem peccare. Stando igitur nostræ communiori & veriori doctrinæ, si tuus tibi servus stabilitatem promisit, & tamen tu non acceptasti (putà, qui eum contemnebas, & putabas satis esse tuis rigoribus obstrictum, nec novis catenis indigere) si fugiat, tibi injurius non est, vtitur enim jure suo, sicut tu tuo: si autem illam promissionem acceptavisses & nihilominus servus fugeret, fidem humanam violaret, mendax esset, non tamen injustus aut injurius, quia promissio etiam acceptata

An & quomodo obliget promissio acceptata?

in foro interiori non obligat. At si illa promissio firmata fuisset juramento, peccaret quidem servus contra te humanitùs, contra Deum divinitùs, non tamen teneretur redire, aut lytrum mittere, neutrum enim, jurando se non esse fugiturum, jurarat: ergo reversus ad suos liber esset. At, si dicas illam legem esse præceptivam, non poterit illa authoritate privata cassari aut restringi, adeóque omnis promissio contra illam, etiam firmata juramento erit invalida. *Non enim est obligatorium contra leges præstitum juramentum.* ex Regula LVIII. De contractu major videtur latêre difficultas: nimirum, An etiam tunc fugere possit. Puto tamen etiam fugere posse, primò si existimemus legem illam, quam hoc dubio exponimus, præceptivam esse; non enim contra Reipublicæ præcepta possunt dari contractus, qui sint obligatorii: secundò, si contractus extortus & iniquus, essèque talis si violentus, involuntarius, coactus, aut si dominus daret quod alias teneretur. Cæterùm contractu legitimo & libero, puto, servum ex Regula LXXXV. obstringi ne fugiat, & hoc sensu intelligendos esse Salonem 2.2.*quæst.*5. *de dominio art.*1. Sotum *lib.*4.*de just.quæst.*2.*art.*2. Iosephum Angles *in floribus quæst. Theolog.*2.*punct. quæst. de domin. difficult.*4.*art.*2.*fol.*134. 135. Thomam Sanchez *Consil.Mor.lib.*1.*cap.*1. *dub.*6.*num.*6. qui docent captos bello posse fugere, ni contrarium promiserint. Vt autem contractus sit legitimus requiro, ut dominus cedat jure aliquo, quando vult servum etiam suo cedere. Teneret contractus, qui fieret per hæc verba. *Ego habeo jus impediendi ne horis vacantibus pro aliis labores, & si facias puniendi te & lucrum auferendi; tu redeundi ad patriam cùm violentiam evadere possis; cedo jure illo meo, & tu cedas hoc tuo.* Et si esset partium concordia, utrumque obstringeret.

Promissio debet esse libera.

Secundus inter dominum & servum contractus.

DVBIVM III.

Circa illud verbum SVOS *Textus citati.*

IN loco illo, quem expendimus, dicitur, *Si evaserint, ad suósque reversi fuerint, pristinum statum recipiant.* Et postulo quid sit *redire ad suos?* An sit solùm evadere, an etiam ad patriam reverti? 405

De servo potentiali.

Respondeo primò, servum potentialem seu mancipium qualitercumque posse fugere; verè enim liber & captoris inimicus, & non tenetur aut libertatem perdere, aut inimico servire; adeóque posse ita fugere, ut intra hostium ditiones lateat, habitet, aut commoretur: nam contra illum sola violentia militat, quam si subterfugiat, liber est.

De servo actuali.

Secundò me probabiliùs judicare servum actualem bello captum non posse fugere: attamen alios etiam probabiliter, & ut ipsis videtur, probabiliùs æstimare contrarium, quorum suppositâ sententiâ certum est non recuperare libertatem servum, qui intra regionis suæ captivitatis limites vagatur; & si capiatur, justè reduci & castigari posse: certum eum esse liberum, cùm primùm ad suam patriam redierit; probabiléque eum esse liberum, si ad patriam amicorum divertat; quia nomen *sui* tametsi ad patriam videatur referri, probabiliter ad amicos referri poterit, ita ut non opponatur alienigenæ sed hosti, unde idem sit dicere, *Si ad suos reversi fuerint*, ac *si ad suos non-hostes reversi fuerint.* Vide Thomam Sanchez *lib.*1.*Consil.Mor.cap.*1.*dub.*7.

Addo tertiò etiam servos vernaculos ex matre bello justo captâ natos aut oriundos posse fugere eodem prorsus modo, quo mater illa bello justo capta potuit. Ita Navarra *lib.*3.*de rest. cap.*1.*num.*209. & alii viri docti à Thoma Sanchez consulti, ut & ipse asserit *lib.*1.*Conf.Mor.cap.*1.*dub.*8. Et ratio est, quia partus sequitur ventrem & conditionem matris; ergo si matris conditio erat servitus sub qua adhuc fugere posset, eamdem nativitatis titulo, & non majorem servitutem incurris.

De servo vernaculo.

Henriquez *in quadam epistola morali*, Angles *in floribus* 2.*part.mat.de dominio, fol.*135. & Ludovicus 406

Ludovicus Lopez 2. *part. instr. cap.* 3. & alii: contrariæ subscribentes sententiæ, sic objiciunt. Servi vernaculi non habent patriam, ad quam fugiant: atqui solùm conceditur libertas servis fugientibus ad patriam: ergo non conceditur ipsis. Confirmant. solùm libertas conceditur bello captis, si fugiant; atqui vernaculi bello capti non sunt: igitur nihil illis conceditur.

An servi vernaculi habeant patriã?

Et respondeo primi Syllogismi utramque præmissam probabiliter negari posse; nam & filius habet etiam patriam matris, & libertas conceditur non solùm fugientibus ad patriam, sed etiam fugientibus ad suos, hoc est, ad non hostes, ut paulò antè vidimus.

Ad Confirmationis majorem respondeo negando illud *solùm*, conceditur enim libertas & bello captis fœminis & earundem filiis si fugiant, ut ostendi cum meam partem probarem.

408 *An possit quis servo fugam consulere?*

Addo quartò, servo, qui potest fugere, licitè fugam persuadere, ni ex illa fidei aut morum perversio timeatur. Sicque conciliandos puto authores qui asserunt & qui negant; illi enim fugæ honestatem præcisam à periculo videntur respicere, hi pericula annexa, quæ non semper amoveri & radicitus vitari possunt. Vnde ratione istius periculi,

409 *An sit opus pium manumittere servos?*

Addo quintò, non semper esse pium concedere servis libertatem, frequentes enim manumissiones urbes furibus & patibula cadaveribus opplerent, sed debere considerari circumstantias & mores, & hac consideratione homines prudentes & pios in manumissione dirigi. Ita Thomas Sanchez *lib.* 1. *cit. cap.* 1. *dub.* 10. Simancas *lib. instit. tit.* 61. *num.* 7. & alii.

DVBIVM IV.

De DD. Benedictinis.

410 *Valdè sunt similes obligationes servi & Monachi.*

EFfectus servationis & professionis similis, causa diversa. Servum frequentiùs injustitia & iniquitas (bellum injustum gerentes, aut scelerati homines sententiâ Iudicum in servitutem rediguntur) Religiosum devotio & virtus constituit; at uterque dominii incapax, obedientiæ obnoxius, & stabilitatem servare in conscientia tenetur; sed legalem: ille qualem Ius præscribit, iste qualem Regula Benedictina. Illud servis, ut vidimus, probabiliter permittit, ut ad suos redeant; hæc, ut ad ignotum monasterium confugiant, demonstrante D. Bernardo *Epist.* 67. & 68. & ego ex ipso *in Comm. in Reg. Benedict. num.* 583. Positis legibus hujusmodi dico de Religiosi & servi obligationibus istis debere nos analogicè philosophari, advertendo certiora esse, si eadem de Benedictinis dicantur, quia lex Benedictina est certa, & illa quæ servis actualibus, si ad suos reversi fuerint, libertatem indulget, solummodò merè probabilis. Sit igitur

411 *De servis juxta Ius commune.*

CONCLVSIO I. *Servus potest licitè detineri, ne fugiat.*

II. *Non potest ita fugere, ut in territorio hostium maneat.*

III. *Potest tamen ad exteras regiones non-hostium confugere.*

IV. *Si semel eò veniat, liber est.*

V. *Licet illi consulere hujusmodi fugam, si non subsit alicujus peccati aut damni gravis, quod licitè admittere non possit, periculum.*

VI. *Potest dominus sine causa aliquando servum manumittere, non tamen semper.* Omnia sunt certa, ut patet ex dictis.

412 *De Monachis juxta Regulã D. Benedicti.*

CONCLVSIO PARALLELA I. *Benedictinus Religiosus potest licitè detineri etiam invitus, si timeatur fuga, aut transitus ad aliud quodcumque, etiam ignotum, monasterium.*

II. *Non potest ita fugere, ut in sæculo aut noto monasterio maneat.*

III. *Potest tamen ad ignotum monasterium confugere.*

IV. *Si semel eò veniat, liber est à stabilitatis promissione facta primæ communitati, potéstque stabilitatem secundæ communitati promittere, & frui omnibus juribus & privilegiis, quibus secundi hujusce monasterii Religiosi.*

V. *Licet igitur ipsi consulere hujusmodi fugam, ni per accidens præpediatur aliquo peccandi novo periculo.*

VI. *Poterítque communitas etiam sine causa volentem Religiosum dimittere, non tamen semper; nam contingit dimissionem sceleratis hominibus occasionem liberiùs delinquendi parere.* Constant hæc omnia ex Regula D. Benedicti, & ex cap. LXI. At hîc obiter notandum hæc, sicut alia multa, Decretis & Bullis Pontificiis esse in multis Congregationibus alterata, adeóque quæ ex textu Regulæ doctè dicuntur, sæpè posse, & debere interdum ob Iura specialia negari.

DVBIVM V.

De omnibus juri alieno subditis.

PEtitur I. An ancilla sollicitata à domino, ut periculum illud effugiat, possit fugere? 413 *Quæstio est nonnulla sus. currentes.*

II. An sollicitans dominum, si sentiat se moraliter contineri non posse?

III. An quæcumque altera persona cohabitandi alteri necessitudine obstricta, si experiatur proximum peccandi periculum?

IV. An Confessarius addictus audiendis fœminarum confessionibus, si experiatur sine peccatis officio non posse satisfacere, sciatque non posse ab officio liberari, possit extorquere Dimissorias, aut fugere?

V. An etiam Monialium Pater, qui scit non posse sine conscientiæ jactura tali officio satisfacere, teneatur acceptare & remanere in ministerio? an possit ad suum monasterium invito Prælato reverti? an si ad Moniales redire cogatur, possit ad aliud monasterium, aut si id non reperiat, ad amicos quoscumque confugere? Hæc omnia conjunxi, quæ videntur ejusdem doctrinæ consequentia sumari.

414 *Primæ quæstionis dissolutio.*

Ad primum Thomas Sanchez *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. respondet his formalibus verbis. [Dico primò, ait, quòd talis ancilla potest tutâ conscientiâ fugere, & stare ac si esset libera & implorare officium (adsistentiam) Episcopi, ut manumittatur; & potest ipse ad hoc compellere, quia dominus abutitur sua potestate. *L. si lenones, C. de Episc. audient. L. Finali, C. de spectaculis, lib.* 10. Sylvester *verbo servitus quæst.* 5.

Bill.7. Angelus *ibid. num.2.* Navarrus *summ. cap.16. Hisp. num.22. Lat. nova 21. 22.* dicit quòd potest fugere, si putat quod propter suam fragilitatem non potest resistere..... Et quod possit fugere tenet P.Molina *tom.1. de just.tract.2.disp.38.fol.302.* & addit non teneri reverti nisi cesset periculum, & dominus paratus sit nullam pœnam, nullúmque gravamen ob id illi inferre: quia cùm justè fugerit, non est digna pœnâ.] Hucusque Thomas Sanchez; & Lessius *lib.2.de just.cap.5.dub.5. n.19.* idem sentit & probat ex illo; *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Quibus ego subscribo.

415 *Quæstionum aliarum dissolutio.*

Ad secundum dico benemoratum hominem teneri non solùm cavere, ne se committat extremo periculo peccandi, sed etiam si involuntarius incideret, debere fugere; quia res lubrica luxuries est, & vincitur non resistendo, sed fugiendo. Iacobus enim Apostolus vitiis omnibus resistere nos jubet, non tamen vult vt fornicationi resistamus, sed ut fugiamus; non enim benè resistitur cùm non fugitur. Quid igitur? lasciua ancilla poterit fugere à sancto & innocuo domino? nescio quid dicam; resolvo tamen non teneri manere in periculo proximo peccandi. Et addo ex hac doctrina inferri posse, quid ad reliqua debeat responderi, distinguendo voluntarium periculum à necessario: qui enim potest, periculum tollere tenebitur, & cum alterius damno aut injuria non potest fugere: & qui est in causa ut periculum sit, illud etiam tollere oratione, jejunio & aliis mediis potest.

ARTICVLVS IX.

Aliquot Dubia dissoluta.

OCcurrunt Dubia, quæ ex dictis lucem habent, & receptos communicando radios multas alias controversias dilucidant.

Primum.

416 *Servus peccati quis?*

IN capite 8. Evangelicæ Historiæ descriptæ à D. Ioanne legimus; *Qui facit peccatum, servus est peccati:* & inquiris, An ea verba metaphoricè debeant intelligi? & si rigorosè, de quo genere servitutis?

Abailardus qualis?

Petrus Abailardus ingenii acris ac floridi Grammaticus, Theologica docuit, antequam didicisset, & multa ab omni probabilitate aliena immiscuit. De peccatoris servitute & dæmonis dominio multa effutiit, quæ impugnat acutè & mellifluè Bernardus, & alibi prolixiùs prosequor: sed contra ipsum orthodoxa veritas stabilienda.

Libertas triplex.

Dico igitur hominem justum habere in hac vita libertatem arbitrii à natura, libertatem consilii à gratia, & libertatem beneplaciti in potentia. Peccatum primam vulnerat, infirmat, debilitat; secundæ possessionem, & tertiæ capacitatem proscribit. Peccato infectus consilii libertate caret, & capacitate positiva adquirendi beneplaciti futuram libertatem. Sed hæc omnia curiosè expendi in Thesibus, quibus anno 1642. Sermonem 82. in Cantica & Melliflui Doctoris Theologiam illustravi. Exstant in Metalogica à *num.* 1482.

417 *Peccare est servire.*

Verè *Peccati servus* dicitur; quia licet liberum sit homini peccatum mortale non incurrere; si incurrat, statum æternæ servitutis incurrit: nam, si sibi relinquatur, egredi non poterit, tametsi velit: servus igitur peccati jure dicitur, qui volens nolens debet esse sub lege peccati, quousque Dei misericordia & gratia liberetur.

Vivere sanctè est dominari

Sicut peccare est servitutem miseram incurrere; sic etiam Deo servire, regnare est. Sed cur regnare dicuntur, qui Deo serviunt? propter rationem similem. Qui gratia caret, peccati legi subditus gemit, & de culpa in culpam præceps, nescit dæmonis suggestioni resistere, & ideò dicitur servire cui obedit: sed qui servit Deo, & ejus legem implet, Rex est, omnibus suis potentiis imperat, & nulli sensui servit.

Quis verè liber?

Vtrumque pulchrè conjunxit Philo Iudæus edito speciali volumine, inscripto, *Quod liber sit quicumque virtuti studet*, sæpè inculcans peccatores servos, probos liberos esse.

Secundum.

418 *An aliquis naturâ suâ servus sit?*

NEminem naturâ esse servum docemur, & docemus: sed statim objiciuntur verba difficilia Aristotelis ex 1. Politicor. 3. *Statim ex generatione*, ait, *quædam distincta sunt, alia quidem ad imperandum, alia verò ad parendum. Quorumcumque est opus in corporis usu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt naturâ servi, quibus melius est ut imperentur; est enim naturâ servus, qui potest* (debet) *alterius esse; quapropter alterius est* (nimirum, quia sibi non sufficit.) Infers. Ergo teste Aristotele dominos & servos natura ipsa distinxit.

419 *An detur servus, qui nullius sit servus?*

Petrus Gregorius Tholosanus *Syntagmatis Juris universi lib.14. cap.1. num.8.* docet dari naturâ servos, hos tamen nullius domini subjici potestati. Sed quis intelligat talia verborum monstra? An pater naturâ, qui nullius filii pater? An naturâ dominus, qui nullius? minimè. Cur ergo naturâ servus esse poterit, qui nullius servus? Alii cautiùs respondent, se non velle tempus terere in Aristotele exponendo; ipse enim aut nobis consonat, aut non. Si consonat, non est contra nos objiciendus: si non consonat; erravisse censendus est.

Quomodo sit respondendū authoritatibus Aristotelis?

Ego autem, tametsi veterum ingenium venerer, asserta, si vera, admitto; nego, si falsa: & à quo sint dicta vel indicta non curo. Assero tamen Aristotelem consonare Salomoni Proverb.11. dicenti, *Qui stultus est, serviet sapienti.* Quæ verba, non veniunt intelligenda de vera servitute, sed de subordinatione & obedientia debita prudentioribus: & eodem prorsus modo intelligendus venit Aristoteles, apud quem natura prudentes & imprudentes distinxit; illos condidit dignos imperio, hos tales ut vel obedirent, vel perirent: periclitatur enim qui sibi non sufficit, & tamen excutit jugum alterius.

Tertium.

Tertium.

420 *An sit aliquis dominus?*

ORitur novum dubium ex dictis. Videtur enim, ne unus esse homo, qui liber sit, & suarum actionum dominus. Olim Euripides *in Hecuba act.* 4. Φεῦ ὦ ἐγώ. &c.

Heu! non est quisquam liber mortalium;
Aut enim pecuniæ servus est, aut fortunæ,
Aut multitudo civium & legum sanctio
Vetant suo ne quis vivat arbitrio.

An Cæsar sit dominus: an servus?

Cui subscripsisse videntur Octavianus & Tiberius qui *Domini* vocare noluerunt [Suetonius *in Octaviano cap.*53. & *in Tiberio cap.*28.] & Iustinianus, qui non solùm *Domini* arrogantem titulum evitat, sed & se *servum* nominat *in l.*1. *de offic.præfect.prat.Afric.* & Gregorius IX. in procem. decret. sese *servum servorum* dixit, quem alii omnes Pontifices sequuti sunt: quæ omnia confirmat Ecclesia, cùm solum Deum Dominum rerum confitetur.

An Summus Pontifex sit servus servorum?

De servitute naturali erga Deum.

Respondeo nullam creaturam esse absolutè dominam, nullam absolutè servam. Omnes virtuti creatrici ancillantur, & Deus est unus universarum dominus: hæc autem servitus omnibus & singulis creaturis naturalis est.

De morali servitute peccati.

Præter hanc datur servitus moralis, quæ peccando incurritur, nam qui peccat, servus peccati efficitur; sed quia sunt diversa peccatorum genera, sic & diversæ servitutes. Alii enim pecuniis serviunt, alii comessationibus, alii ebrietati, alii omnem honestatem & cultum politioris vitæ proscribentes, sese fortunæ subdunt, alii coguntur & servili timore legibus obtemperant coacti. Sed de his omnibus non disputamus in præsenti. Agimus de servitute illa, qua humana persona fit hominis, & talis servitus non solùm convenit omnibus, sed potiùs competit perpaucis.

De legali.

Quartum.

421 *An libertas majoris sit facienda quã vita?*

AVdis libertatem rem esse pretiosissimam & inæstimabilem, *l.libertas.de reg.jur.* §. *sed dum libertas.quibus ex caus.man. non lic.l.*1. §. *sed cum homo. de iis qui dejec. in P.* & nihil servitute infelicius, Cicero *Philipp.*2. Seneca *Epist.*52. & Poëta;

Non benè pro toto libertas venditur auro.

Vnde collectis variis diversorum judiciis supponens ex Regula XCIV. *Media esse debere ignobiliora fine*, subdubitare incipis, *An vita sit ignobilior libertate? An possit quispiam malle mori, quàm in servitutem redigi? An possit calamitatem instantem prævenire sese interimendo?*

422 *Cato se occidit, ne servus esset.*

Multi sunt, qui sibi mortem conscivere, ne servitutem incurrerent. Vticensis Cato Dione Cass. *lib.*4. *Hist. Rom.* asserente, ne cogeretur subesse arbitrio Cæsaris, se ipsum interfecit. Aliquibus postulantibus ne introducerentur in triumpho responsum, *Votum in dextera vestra est*; quasi imprudenter peterent, qui poterant non introduci, modò vitam contemnerent. Vnde Strabo *lib.*15. *Geogr.* nullum invitùs servitutem incurrere persuadet dicens, eum, qui voluptatem, dolorem, vitam, mortem contemnit, servitutem non pati. Et Iudæus Philo *jam citatus*, contemptorem mortis, servum esse non posse.

423 *Nemini licet se occidere.*

Statuenda tamen est primaria veritas, quæ asserit, nemini licere sibi mortem infligere, nec contrarium veterum exemplis probari. Erravit enim Cato se interimens, & ubi fortis videri voluit, convincitur fuisse pusillanimis. Maluit propriæ crudelitati subjacere, quàm Cæsaris benignitati: ergo venari laudem voluit, quòd sibi fuerit pejor, quàm inimicus ille fuisset, quem extinguere desiderabat. Triumphalibus captivis nonnunquam mors suasa, imò & persuasa legitur; nunquam tamen hujusmodi actiones laudantur.

424 *An belli teneatur aliquis implorare salutem?*

Sed hac quæstione, utpote clarâ & manifestâ, prætermissâ, nova excitatur difficilior. Inquiris, *An tanti facienda libertas, ut possis illam ad ultimum anhelitum tueri, tametsi evidenter cognoscas te ab hostibus supprimendum & occidendum?* Hujus novæ controversiæ solutio proderit pacandis generosissimorum conscientiis, qui scrupulis imprudentibus acti mori formidant, cùm glorioſiùs & jucundiùs possent.

Petere salutem Hispanicè Pedir cuartel.

Respondeo primò inter puros hostes (sic illos nomino, qui nullo pacto aut concordia obstringuntur) neminem teneri concedere salutem petenti, neminem teneri postulare. Primum est certum apud omnes; & secundum deducitur à primo. Quia illa tua petitio pusillanimis, vel impetrabit necessariò vitam vel probabiliter, vel dubiè. Non quidem necessariò, quia alter concedere vitam petitam non tenetur: ergo probabiliter, ut plurimum. ergo illa petitio probabiliter erit inutilis: atqui nemo tenetur actionem probabiliter inutilem elicere: ergo. Si ad dubium recurras, clarior erit libertas; quia dubia in ratione levi vel nulla fundantur, adeóque non sunt regulæ morum: cúmque miles non iverit ad conflictum ut salutem peteret, quamdiu non sit evidens se occidendum si non petat, & evidens se servandum si petat, viriliter pugnare potest.

Quid in probabilitate, aut dubio dicendum sit?

425 *Quid in incertitudine?*

Sed quid, si evidens sit occisum iri; putà, si unus in acie hostili manserit, & offerant inimici salutem? Adhuc, si potest pugnando suæ prodesse Reipublicæ, non cedere inimico potest. Prosunt graviter, qui occidunt plures aut meliores; non tamen qui pauciores aut ignobiliores; imò nec illi, qui numero & qualitate æquali, non enim prudentes sunt, qui impendunt media æqualia fini, hæc enim ex Regula CIV. semper ignobiliora debent esse, ille verò multò debet esse nobilior. Consultò illud *multò* addidi, non enim leve lucrum impensis notabilibus quæritur.

Finis mediis nobilior.

An invasus à multis vitam petere debeat?

Sed quid tandem, si ad tales miserias redactus sit, ut non possit servire & prodesse Reipublicæ; putà si ense instructus invadatur à centum mosquetariis & debeat necessariò occidi antequam vel unum impetere possit: Respondeo supponi casum vix possibilem; vidimus enim generosam unius hominis præcipitationem victorias glorioſas peperisse. Quoties nostri milites contra omnem spem victores evaserint, scimus qui vidimus; scient peregrini, qui legent. Sæpè amici, ne amicus pereat, accurrunt & fugant hostes; sæpè pudore suffusi milites profugi redeunt, & novis animis

Multa præter spem faciunt & obtinent belli milites generosi.

animis inimicos impugnant. In casu proposito, An miles à suis desertus, septus ab inimicis, teneatur arma sua submittere, & se subdere hostili clementiæ promittenti salutem, non resolvo, timidus enim sum, ut de eorum audacia generosa disputem. Resolvam in Militari Theologia quam paro; sed interim præmissas aut prælibatas potiùs rationes aliis ponderandas objicio.

Quintum.

426 *An servitus sit contra naturam.*

CVm miserrimam servorum conditionem consideras, dubitas, An servitus sit contra naturam? Respondet affirmativè Florentinus Iurisconsultus *in l. libertas. 4. §. servitus. de stat. hom. in P. lib. 1. tit. 5.* & Iustinianus *in §. 1. de jure pers. lib. 1. inst. lib. 3.* apud quos servitus definitur, *Constitutio Iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* quam admittit Petrus Gregor. Tholos. cap. 2. lib. 14. jam citati, advertens illud verbum *constitutio* passivè esse sumendum, ita ut idem ac *constitutum* sit.

427 *Si esset contra naturam, esset illicita.*

Sed nihil in tota definitione, quod placeat. *Primò* quia servitus non est constitutum vel statutum juris, nec statuta jure; quia & servi essent, etiam si gentium jura non essent: imò & etiam nunc jus gentium distinctum à Decalogo non datur. *Secundò* (& hoc est, quod specialiter inquiris) displicet illud *contra naturam*, nam contra jus naturæ nulli juri humano potestas à prudentibus universis conceditur. Si servitus juri naturali contraria, illicita; si illicita, servi tutâ conscientiâ retineri non possent; quod necessariò infertur, & tamen ab ipsis non admittitur.

An Ius Gentium à Decalogo distinguatur?

428 *Alia sunt connaturalia: alia contranaturalia: & alia præternaturalia: & ad hac ultima servitus pertinet.*

Vt igitur quæstionem intelligas, adnotato, à natura aliqua concedi, alia præcipi, alia interdici. Operabitur contra naturæ jus, qui vel faciat quæ illa interdicit, vel omittat quæ præcipit: qui autem omittit, quæ nec præcipit nec interdicit, non est censendus contra naturam operari. Libertatem natura non inhibet, non præcipit, sed permittit. Ergo servitus non est contra, nec secundùm, sed præter naturam introducta.

Sextum.

429 *De voluntaria servitute.*

INquiris, *An possit se aliquis in mancipium aut in servum tradere?*

Respondeo stando vocum *Mancipium* & *servus* distinctioni, aliter de mancipatu, aliter de servitute philosophandum esse. Qui jus vitæ & mortis homini in semetipsum, & in filios concesserunt, tenerentur doctrinæ consequentiâ concedere eum posse non solùm se in servum dedere, sed in mancipium: at Christiani doctiores jus vitæ & mortis tam in semetipsum, quàm in filios, homini cuicumcumque negamus, ideóque inter mancipium & servum distinguimus, & dicimus *Primò*, neminem posse se alteri in mancipium tradere: *Secundò*, posse in servum, si causæ rationabiles suppetant.

430 *Nemo potest vendere aut dare, quod non habet.*

Primum probatur; Quia, ut constat ex Regula LXXIX. *Nemo potest concedere alteri, quod non habet*; atqui nemo habet jus occidendi seipsum: ergo nemo potest tale jus alteri concedere: ergo nec se in mancipium tradere. Patet, quia mancipium dicitur homo, qui occidi & non occidi potest.

An sit libertas inter fortunas recensenda?

Secundum ostenditur; quia libertas inter bona fortunæ solet numerari, & homo illa potest liberaliter impendere & dare: liberaliter quidem non prodigè, quia sicut donationes prodigæ invalidæ sunt, sic & invalidè sese in servum traderet, si prodigè.

431

An sit vita politica?

Sed ais. Libertas non pertinet ad fortunæ bona, sed ad vitam politicam, servus enim *civiliter-nullus* est; atqui non potest se occidere physicè, qui *physicè-nullus* est; ergo nec poterit, qui est *nullus-moraliter.*

An sit bona consequentia: Licet physicè, ergo moraliter, aut contra? An saltem negativè videlicet, Non licet physicè, ergo nec moraliter?

Respondeo, consequentiam esse legitimam, si agatur de occisione valida, malam, si de licita. Addo hominem verè validè & realiter posse se occidere, tametsi licitè non possit. Subjungo autem majorem esse absolutè falsam; quia cùm Iura servum *nullum* esse dicunt, non loquuntur absolutè, sed secundùm quid, & in uno genere; at quia mors physica existentiam totius hominis tollit, sic & moralis mors non est, quæ non aufert totam moralem. Seruus *nullus* est in genere dominandi, habendi, possidendi; non verò in genere serviendi, postulandi alimenta, imò & agendi contra suum dominum juridicè si vel illa neget, vel crudeliter tractet: mortuus igitur civiliter non est: qui adhuc actiones civiles operatur. Consultò tuæ instantiæ consequentiam distinxi, hæc enim est bona consequentia, *Homo validè & verè potest se privare vitâ physicâ; ergo validè potest se privare morali*, nam cùm de moralibus eodem prorsus modò philosophemur quo de physicis, ubi physica impossibilia sunt physicè, ibi moralia sunt impossibilia moraliter. Hæc autem consequentia est mala, *Homo non potest licitè se privare vita naturali; ergo nec licitè morali.* Ratio est; quia actionem moralem esse licitam non dependet ab analogia Systematis physici & moralis, sed à lege interdicente, quæ potest interdicere homicidium physicum, & non interdicere morale. Donatio enim, privilegium præceptum, cùm sæpè à mera voluntate dependeant, *Non debent in exemplum protrudi*, ut Regula LXXIV.me docet: nam hæ consequentiæ nihil valent, *Centum aurei dati sunt illi pauperi, ergo totidem dabuntur huic. Peregrinatio est præcepta illi monacho, ergo etiam præcipietur huic. Christiano est interdictum bis in una die Eucharistiam realiter sumere; ergo etiam est illi interdictum bis sumere moraliter, hoc est, devotionis affectu.* Quamobrem tametsi servi mortui civiliter dicerentur, non esset statim condemnanda servitus voluntaria.

432 *Item de Bœotis.*

Hinc veniunt Bœoti judicandi. Egi de illis superiùs: nunc aut eodem modo aut fortè paulò aliter eorumdem servitutem expono: quoniam Authoris verba non unicam tolerant expositionem. Nam *li. 6. c. 7.* Athenæus *Ii ex Bœotis, qui Arneam coluerunt, qui non recesserunt in Bœotiam propter amorem regionis se ipsos Thessalis in servitutem dederunt, ex stipulatione, ex quâ neque se extra regionem recipient, neque occident: ipsique regionem illis* (hoc est, *Thessalis*) *colentes tributa persolvunt.* Et verbis Historiographi consideratis, dico primò Bœotos se Thessalis, non quidem donasse, sed vendidisse, colligo

colligo ex illis verbis, *propter amorem regionis.* Secundò hanc ſervitutem eſſe benignam & ſimillimam vaſallitio, vel fortè purum vaſallitium: ex ſtipulatione enim tenebantur tria præſtare, quæ etiam vaſalli & famuli pro tempore præſtare debent: conductor enim hæreditatis, nec poteſt ſe occidere, nec fugere, nec tributum negare: & hoc etiam admiſsâ mortis & vitæ libertate; quia licèt aliqui Ethnici hominem ſe occidere poſſe deliraverint, nullus unquam aſſeruit hominem alteri obnoxium, eſſe ſuæ vitæ dominum. [Nota obiter dari etiamnum in Europa vaſallos reales & perſonales, quorum illi tenentur ratione bonorum, iſti ratione perſonarum; & videri Bœotos ad hos ſecundos pertinere; nam intuitu bonorum vaſallitium incurrere voluerunt perſonale.]

433 *An ſe poſſit aliquis vendere?*

Sed ſi admittamus Bœotos libertatem vendentes veram ſervitutem incurriſſe, adhuc videtur contractus ille rationabilis, & ab omni prodigalitatis ſuſpicione ſecurus: viri enim pauperes, qui vivere aliàs non poterant, regionem pretio libertatis emerunt, & voluerunt Theſſalis ſubdi, ut ſubderent ſibi regionem. Sed & hoc patitur difficultatem, quam inferiùs expendam: nam & voluntaria ſervitus apud multas nationes reperitur. De Ægyptiis enim habemus apud Moyſen Geneſ. 47. quod Ioſepho ſummo Regis Vicario omnem prius pecuniam, omnia deinceps pecora, & tandem ſemetipſos vendiderint.num.14. *Omnem pecuniam* (Ioſeph) *congregavit pro venditione frumenti & intulit eam in ærarium Regis. Cúmque defeciſſet emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Ioſeph dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te deficiente pecuniâ? Quibus ille reſpondit; Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi pretium non habetis. Quæ cùm adduxiſſent, dedit eis alimenta pro* (hoc eſt, *acceptis in pretium*) *equis, & ovibus & bobus & aſinis: ſuſtentavítque eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt ei: non celabimus Dominum noſtrum, quod deficiente pecuniâ pecora ſimul defecerunt; nec clam te eſt, quod abſque corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te videnti? & nos & terra noſtra tui erimus, eme nos in ſervitutem regiam & præbe ſemina ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem. Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubjecítque eam Pharaoni, & cunctos populos ejus à noviſſimis terminis Ægypti uſque ad extremos fines ejus, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Ecce vitam libertati præponunt, & ne illam perdant hanc expendunt. Sed & Galli ante bis mille annos pretio libertatis vitæ ſecuritatem & tranquillitatem emebant. Libro enim ſexto de bello Gallico Iulius Cæſar, *Plebs penè ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet, & nulli adhibetur conſilio. Plerique cùm aut ære alieno aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus: in hos eadem omnia ſunt jura, quæ dominis in ſervos.* Sed & nunc aſſerente Triglautio apud Sinenſes maximus eſt ſervorum numerus, multi enim ſeſe inſufficientes victui quærendo exiſtimantes, voluntariam ſervitutem ineunt, & ut ſecuriùs victitent, ſuos omnes poſteros miſeros reddunt.

Veſe vendiderunt Ægyptii.

Galli olim ſe vendebant:

& hodie Sinenſes ſe vendunt.

Septimum.

434 *De diſtinctione ſervi & famuli.*

MAncipii & Servi diſtinctionem, quam nonnulli confundunt, examinaſti, & Servi & Famuli diſtinctionem inquiris: Superiùs ſervitii characteres expendi, & nunc cum characteribus famulitii componam, cenſeo enim famulandi obligationem eſſe quamdam inadæ quatam ſervitutem.

Primò igitur, ſi vitam reſpicias, neuter occidi poteſt.

Multi domini immiſericordes erga ſervos.

Secundò utrique victus & amictus debetur: diverſimodè tamen; famulo enim debetur honeſtus, ſervo præcisè neceſſarius: ſunt ſervi, quibus vix panni dantur, quibus nuditatem protegant; vix panis & aqua, ut famem & ſitim extinguant; & nihilominus eorum domini parci audiunt, non verò iniqui: at famulis ſalarium & ratio conceditur pacto & partium concordiâ præmiſſis.

Quomodo tractandi ſint famuli?

Tertiò, famulus ſervit ad tempus, ſervus verò in perpetuum: ſed & in hoc reperio mores & leges famulos humiliantes. Apud Moſcovitas enim Sigiſmundo Libero Barrone *in rerum Moſcovit. comment.* aſſerente, nemo famulus poteſt à Domino invito recedere, & ſi receſſerit à nullo admitti poteſt: ſed & apud Belgas mos eſt regiâ conſtitutione firmatus & legi *ſervus. 12. de agric. & cenſ. lib. 11. Cod. tit. 47.* conſonans, ſtatuens ne famulum, qui alii hero ſervierit, recipias, ſine prioris domini commendatione.

An recedere poſſint invito hero?

An alii famulari ſine prioris domini commendatione?

Quartò, filius famuli non eſt famulus, nec illi herus debet dare alimenta; & ſervæ filii ſervi ſunt, & eis dominus debet omnia neceſſaria procurare.

Quintò, ſervus dominii incapax eſt, & quidquid adquirit, adquirit proprio domino: at famulus dominii eſt capax & ſibiipſi, quod lucratur, adquirit.

Octavum.

435 *Dubium ſubtile.*

VErba ultima dubii præcedentis perpendens ſubdubitas, An ſervus capax ſit dominii domino permittente? Et abſolutè nego, quidquid alii clament, nec exemplis agendum, ſed rationibus: illa enim eſſe capax uſus probant, quod non negamus, non tamen dominium proprietatis oſtendunt; nam ſicut Religioſi habent rerum uſum, & tamen, nequidem Prælato permittente, queunt habere proprietatem; ſic etiam dominus aliquarum rerum uſum concedere poteſt ſervo totali, proprietatem non poteſt. Nota illud *totali*, quia ſervum totalem à partiali diſtinguimus. Arguo ſic: ſervi perſona eſt domini; ergo omnia quæ hæc perſona adquiſierit, erunt etiam domini: ergo nunquam ſervi.

Servus duplex: totalis & partialis.

Dices poſſe Petrum concedere Antonio ſuo ſervo talium pecuniarum directam proprietatem: & ego reſpondeo diſtinguendo; poteſt talem proprietatem permittere cum à ſervi totalis conditione liberando, conce-

do ; eum in ſervi totalis ſtatu retinendo, nego.

436 Meam ſententiam perſuaſurus ſuppono Regulam LXXXIV. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo* ; & Regulam XLII. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Et infero, cùm aliquid conceditur, concedi etiam omnia quæ ſequuntur ex illo, omnia acceſſoria, omnia prærequiſita, ſine quibus ſtare non poſſet conceſſio. Et arguo ſic : Nequit Petrus Antonio ſuo totali ſervo concedere proprietatis dominium, quin concedat omnia prærequiſita ſine quibus hujuſmodi dominium ſtare non poteſt. Atqui unum ex prærequiſitis eſt quod Antonius ſit civiliter, dominium enim aliquid civile eſt, & non-enti civili competere non poteſt : ergo Antonio, quod ſit perſona & membrum morale hujus Reipublicæ conceditur cùm dominium. Ergo & conceditur quòd non ſit ſervus : patet, quia hæc omnia componi cum ſervi conditione non poſſunt.

Hinc patet noſtram reſolutionem non eſſe practicam, ſed ſpeculativam : quando enim ſuo ſervo Petrus aliquid dat, non dico : *ſervus eſt incapax dominii, ergo donatio eſt invalida.* Sed dico, *donatio eſt valida, & tamen ſervus totalis incapax eſt dominii : ergo Petrus ſuo concedit ſervo, ne ſit ſervus totalis : ergo illum liberum reddit vel ex parte.*

Nonum.

437 *De ſervo inadæquato.* MAjor difficultas oritur ex ultimis verbis Reſolutionis præcedentis. Inquiris enim de ſervo inadæquato ; *An talis detur? An ſaltem iſte poſſit habere dominium ex licentia domini?*

Reſpondeo ſervum totalem, nihil habere, quod non ſit domini, ſervum autem partialem & inadæquatum (eum inquam, qui partim liber, & partim ſervus eſt) habere nonnihil libertatis, & poſſe ex domini liberalitate non ſolùm habere majorem, ſed & totam. Mancipii vita, perſona, & actiones externæ domini ſunt, ad eum enim ſpectant tametſi indirectè. Cùm privilegium ſervitutis impetravit, vitam emancipavit. Sicut igitur Dominus ceſſit jure in vitam, retento jure in perſonam & in operationes ; cur non poterit etiam cedere jure in perſonam, jure in ſolas operationes retento ? cur non poterit ſervo concedi, quòd habeat propriam perſonam, cujus nomine talem aut talem rem poſſideat, talem non : hoc eſt, ut habeat propriam perſonam ad talem effectum, & ad alios qualeſcumque non habeat ? Nec inde ſequitur illum eſſe totaliter liberum ; quia totalis ſervus dicitur homo, qui totus eſt alterius, hoc eſt, cujus perſona eſt alterius non quidem in ordine ad exiſtentiam, ſed in ordine ad operationem ; ille inquam, qui operatur alteri, ſive nomine alterius : Ingenuus verò, qui totus eſt ſuus, qui nomine proprio vivit & operatur. Et in hoc ſervi à famulis diſtant, quod iſti liberè ſerviant, illi verò neceſſariò famulentur. Cùm autem actiones humanæ multæ ſint, multæ erunt ſubditæ domino ſervi, qui poterit cedendo ſuo jure in aliquibus libertatem concedere, in aliis authoritatem ſuam ſervare.

An ſervus inadæquatus ſit aliquis? An ſit perſona?

Servorum & famulorum differentia.

Decimum.

438 *An ludo quis poſſit perdere libertatem?* LEgis in libris Cornelii Taciti de Germanorum moribus hanc periodum ; *Aleam etenim ſobrii inter ſeria exercent tantâ lucrandi perdendive temeritate, ut cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate ac de corpore contendant ; victúſque voluntariam ſervitutem adiit, quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac vanire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia (fidem ipſi vocant)* &c. Et inquiris, *An poſſit libertas aleâ perdi?*

An prodiga donationes ſint licita an ſint validæ? Reſpondeo ſtando juri naturæ poſſe ; quia omnis prodiga donatio jure naturæ eſt valida, invalida jure poſitivo. Qui enim ſine juſta cauſa occîdit phyſicè validè occîdit ; non verò qui ſine cauſa juſta occîdit moraliter, validè occîdit moraliter, quia cùm moralia dependeant à pacto & legibus, condemnari ſolent nullitate plurimæ actiones imprudentes. Sanè ludendo levem aliquam partem pecuniarum amittere laudabile eſt ; gravem aliquam quantitatem perdere, imprudens & vituperabile, à jure tamen toleratum : at verò aleâ contendere de libertate prohibitum apud nationes univerſas.

Undecimum.

439 *Homines etiam ſunt merces.* CVm videas tot ſervorum millia ex Indiis in Hiſpanias adduci, ſubdubitas, *An omnes illi injuriâ, an jure legitimo ſervi dicantur?* & quia multis modis capiuntur, multa etiam dubia occurrerent, ſi & tempus proponendis, & otium ſolvendis ſuppeteret. Inquiris nihilominus, *An liceat Europæis Indos, aliàs ab antropophagis comedendos, aut etiam ſacrificandos emere, & in ſervitutem redigere?* Capti enim ab ipſis in macello pecorum inſtar dilaniantur, exponuntur, venduntur, & nonnunquam Idolis ſuis ſacrificantur.

An ſit licita hæc negotiatio : & quando?

Reſpondeo poſſe inter Indos dari bella juſta, & ideò tali bello captos poſſe occidi, ac à fortiori vendi : unde ſi Europæus à juſtum bellum gerente victos milites emeret, poſſet eos procul dubio in ſervos conſervare.

Addo & poſſe emi etiam injuſtè captos, & aliàs occidendos : imò & aliquándo debere, quia innocentes ſunt & in extrema neceſſitate conſtituti, & ratio ipſamet dictat favendum eſſe innocenti in extremam neceſſitatem redacto.

440 *An & quomodo ſit in extrema neceſſitate, qui habet pretium?* Sed dices, Poſſe illos quidem, imò & fortè debere emi, non tamen in ſervitutem redigi ; quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, & ſi tua pecunia illi communis eſt, quo jure illum tibi ſubjicere poteris ?

Libertas ipſa pretium eſt.

Qui poteſt panem homini in extrema neceſſitate conſtituto vendere, non tenetur donare.

Reſpondeo neminem laborare extrema neceſſitate, qui habet pretium, quo illa emat, quæ creduntur præcisè neceſſaria. Vnde diviti carenti panibus, non teneris illos dare, ſed vel dare vel vendere : ergo illi Indo ad ultimum vitæ diſcrimen redacto, non teneris gratis ſalutem & tranquillitatem procurare, ſed debet ille ſaltem re reddere indemnem, & poteſt, ſervitutis pretio tibi ſatisfaciendo ; non enim dicendus eſt nihil habere, qui libertatem adhuc habet. Vide Sanchez *Conſiliorum Moral. lib. 1. cap. 1. dub. 1.* ubi examinat, *An*

ſit

sit licita negotiatio, quâ Lusitani emunt & venduunt nigros tanquam servos? & an etiam quicunque privatus peccet, si aliquem ex ipsis emat?

ARTICVLVS X.

De recuperanda libertate.

441 *An libertatē servus aliquando recuperet domino invito?*

STando juri naturæ solâ domini liberalitate libertas pristina recuperatur: sed dantur jura humana, quæ etiam invito & contradicente domino servis libertatem concedunt.

Omitto manumissionis solennitates, quas multi Iurisconsulti expendunt, quia apud diversas gentes variæ sunt, & hic rerum naturas exquirimus; sed obiter notamus servandas esse prout provinciales mores & leges decernunt. Et dico

442 *A morte domini non dependet libertas.*

Primò, *Morte domini hæredes relinquentis non recuperari libertatem.* Ratio est, quia servus est bonorum pars & cum aliis bonis transire debet ad hæredes. Sed quid, si dominus obierit ab intestato, & careat hærede? standum est legibus patriæ, & illius erit servus, cujus reliqua bona. Quòd si purum naturæ jus respiciamus, bona taliter derelicta essent primò occupantis, & servus mera domini morte desineret alterius esse, non secus ac reliqua bona. Et cum illa maximè occupari possint, ille non posset: homo enim qui nullius est, liber est; & qui liber, extra bellum capi non potest. Sed hic casus accidere hodie in Europa non potest, omnes enim sunt redacti ad Rempublicam, in qua nemo sine hæredibus moritur, ubi enim alii non sunt, ipsamet Respublica hæres est.

Cujus sit servus domini qui intestatus & sine hæredibus obierit?

Respublica ultimus semper hæres est.

443 *Potest manumittere servos ex causa invitis dominis.*

Secundò, *si Respublica, lege nimirum publicâ & acceptatâ* (semper enim acceptationem in ejus legibus suppono) *libertatem promittat servis, qui talem egregiam actionem fecerint; qui illam feceris, liber eris vel invito tuo domino.* Verbi causâ, statutum est *l.1.quib.ex caus.serv. pro lib.præm. acc. C.* ut servus, qui domini mortem vindicaverit, liber sit. & *l.2. eod.tit.* ut & liber sit, qui adulterinam monetam detulerit, & *l.2.eod.tit.* qui & raptorem virginis detexerit. & *leg.4.* qui militem transfugam aut militiæ desertorem. In regionibus igitur, quæ hujusmodi legibus obnoxiæ sunt, cùm servus emitur aut venditur, subintelligetur contractus civilis juxta leges publicas, emíque & vendi servum recuperaturum libertatem, si generoso spiritu præditus actionem libertate dignam præstiterit.

Et cur id possit sine dominorum injuria?

444 *An condemnari dominus possit, ut servum manumittat?*

Tertiò, *si condemnet dominorum crimina Respublica servorum amissione.* Hanc legem esse justam, ostenditur; quia non solùm præmia strenuè gerendis, sed & supplicia criminibus publica authoritate imponenda. Potest igitur tantâ aut tantâ pecuniæ summâ vel amissione talis rei sceleſtos homines Respublica damnare; qui si servis abutendo deliquerint, justissimè servis privabuntur. Servum prostituens ex vi Pandectarum, *l.2.de his,qui sunt sui vel alien.jur.* tenebatur eum vendere, quod jure civili novo, *l. si leones.C.de Episcop.* *aud.* manumittere. Ancilla empta sub onere, quod non posset prostitui, libera fit, si prostituatur *l.1.si mancip.ita veni*, &c.

An dominus ancillam possit prostituere?

Et ex hac ipsa limitatione patet, quàm absurdè & sordidè veteres utebantur ancillis: delirabant enim fornicationem simplicem non esse peccatum, & ancillas lucri ergo prostituebant. An id hodie etiam domini Christiani faciunt? Ancillas ipsi ad lupanaria non perducunt, at interdum habent lupanaria domestica, jubéntque servos inter se commiscéri, ut multiplicent filios, quos possint vendere vel impendere. Hoc scelus in emporiis communius est: illúdque Castro-verde eloquentissimus Concionator Hispanus Hispali perstrinxit iis doctissimis verbis: *Que os vais ad infierno por negros de vuestros pecados, malo es; pero sucede en muchas partes: mas no en muchas, que os vais ad infierno por pecados de vuestros negros.* Illa Latinè reddat, qui sit doctior: tu enim circumloquio non indiges, & rigorosè verti nequeunt.

An ex servorum & ancillarū mixtione quæstū quærere?

DVBIVM INCIDENS.

445 *De hac materia egi numero 403. sed ne pereat hæc charta, illam interfero.*

INquiritur, *An postliminium donet servos profugos pristina libertate?*

Respondeo Iurisconsultos hærere, & jura esse valde dubia & perplexa; alia asserere, alia negare; adeóque ingeniosè tametsi specie repugnantia, à viris doctissimis componi. Concedit libertatem Ius servis, qui evadunt manus hostium, *l.2.& fin.de capt.P.l.cum non redempt.& l.cum & postliminii. C. eod.l.adeo quidem.de adq.rer.dom.l.postliminii,l.postliminium est jus,de capt.& postlim.rever.in P.* negat transfugis, *l.postliminii §.transfugæ. §.statu liber de captivis. Quis porrò transfuga & emansor in l.3. de re milit.in P.dicitur.* Nos verò claritati studentes rei naturam examinabimus, & quid leges hac in parte possint, aut non possint aperiemus.

446 *Inter victum & Victorem contractus.*

Cùm hostis infidelis vincitur & manucapitur, mancipium est, occidi & non occidi potest; victoris arbitrio subest, penes quem est absoluta vitæ & mortis potestas: potest tamen tutâ conscientiâ fugere, non enim incurrit obligationem remanendi. Quid si manucaptor cum manucapto paciscatur his verbis, *Ego quidem habeo jus te occidendi, tu evadendi si possis: ergo cedas jure evadendi, & vicissim cedam jure vitæ & necis quod in te habeo.* Volo scire, An ex vi hujus contractus servatus & vitæ securitate donatus possit fugere? Anno 1635. propè Namurcum adverso marte pugnantes multi nobilissimi Hispani ceciderunt, multi sunt capti. Inter alios intercipiebatur Dominus Lacro de Guevara, militiæ nostræ Princeps, & majoris securitatis gratiâ mittebatur Trajectum. Rogatus ibi qualiter vellet custodiri, verbo vel milite; hoc est, an vellet habere militarem custodiam, an promittere se evasurum non esse; respondit prudentissimè, Viros ingenuos strictiùs verbis obligari quàm vinculis; & injustum videri, quòd sese ipse tenaciùs captivaret, quàm hostis posset. Et meritò; judicabat enim vir prudens carcerum vincula dissolvi posse, pacti obligationem non posse: Post paucos dies evasit, qui non potuisset fugere, si jus fugiendi à natura

Virum nobilem strictiùs ligant verba, quàm vincula.

conceſſum cum commoditate carendi cuſtodibus inconſideratè commutaſſet. Stat igitur, quòd legitimè captus, non poſſit fugere, ſi ceſſerit jure evadendi; & à fortiori, ſi illud vendiderit, aut emerit vitæ ſecuritate.

447 Hæc dicta ſunto ſtando juri purè naturali; quòd ſi talis contractus humana lege limitetur; ſtandum eſt publicæ limitationi, contractus enim politici non ſunt præſumendi exleges, nec ſchiſmatici, ac propterea nec invalidi (eſſent enim tales, ſi contra jura poſitiva) quamdiu poſſint exponi, & ad legum tenorem & ſpeciem reduci. Leges autem concedere etiam ſervatis, ut ſi evadant liberi ſint, probabile eſt, juxta ea, quæ num. 403. notavimus.

DVBIVM ALTERVM.

448 *De manumiſſione.* SEd quia recuperatio libertatis præcipuè à manumiſſione dependet, inquiris. *An ſemper ſit liberum Domino ſervum quemcumque manumittere?*

Reſpondebo diſtinctè, quia ſunt nonnulli caſus, qui poſtulant magnam attentionem. Dico igitur

De venditione inadæquata. PRIMO. Qui emerit mancipium ſub onere quòd non poſſit illud manumittere, ex vi hujus emptionis non poteſt illud manumittere: Non aliter, ſi emerit ſub onere, quòd decem annorum ſpatio non poſſit manumittere, hoc decurrente tempore manumittere non poterit, decurſo poterit: *Contractus enim ex conventione legem accipere dignoſcuntur* Regulâ LXXXV. Sed hîc obſervandum eſt, non poſſe intelligi dominium plenum & integrum tranſire ad emptorem & in venditore remanere; quamobrem illud quod in venditore remanet, venditum non eſt; ergo ex vi hujus contractus non adquirit emptor plenum jus in ſervum, nec plenum dominium, ſed inadæquatum; adeóque dicendus eſt prior dominus retinere ſibi dominium proprietatis & vendere ſolummodò dominium utile. Poſitâ hac doctrinâ, occurrit contractus is examinandus.

Ego Titius mancipium meum Anſelmum Friderico vendidi & vendo pretio centum aureorum, omne jus & poteſtatem ipſi cedo, & eum plenum dominum conſtituo, volo tamen quòd manumiſſibile non ſit.

449 Et exiſtimo his verbis contradictionem involvi. Anſelmus enim potentiam paſſivam habet ut manumittatur, capax enim eſt manumiſſionis privilegii, ſi aliunde non obſit: ergo Titius non potuit Anſelmum hac paſſiva capacitate privare. Ergo debuit voluiſſe privare Fridericum activa manumittendi authoritate. Si igitur eum Fridericus manumittere nequit, non habet omne jus & omnem authoritatem in Anſelmum, caret enim manumittendi jure, quod habebat Titius. Præterea. Si Fridericus non poteſt Anſelmum manumittere, quis poterit? Titius ſolus, an Titius cum Friderico? alterutrum dicatur, eliditur illis verbis, *omne jus cedo.* Non enim cedit omne jus qui retinet aliquod jus.

ADDO tamen, hunc poſſe contractum ſuſtineri, ſi illa vox *omne*, non intelligatur univerſaliter, ſed cum limitatione ex ultimis verbis ſuborta; *generi enim per ſpeciem, & univerſali per particulare*, juxta Regul. XXXIV. *derogatur.* Cæterùm ſi hoc modo exponatur, venditio plena non eſt; venditor enim jus, quod in mancipium habebat, dividit, & partem vendit ſibi reſervata comparte.

SECVNDO. Olim moribundis licuit omnes ſervos, ſi vellent, manumittere. Sed quia Reſpublica ſordidis hominibus ſcaturiebat, hæc poteſtas lege Fuſia vel Furia Caninia limitata eſt; ſed & limitatio abrogata ſucceſſu temporis legibus novis. 450

TERTIO. Dominus tenetur alere ſervum vel manumittere. Vnde ſervus æger à domino deſertus, ille inquam cui dominus non procurat neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, jure Codicis libertatem conſequitur, ne patronatus quidem jure domino reſervato, *l. uni §. ſed ſcimus, de Lati. lib. coll. C. §. ſi verò ab initio. & §. ne multò potiùs de nuptiis collat. 4. l. fin. §. his videlicet. de bon. lib. C. l. fin. pro derelict. in P.* Ratio Iuris in eo ſita videtur, *quòd fruſtra fidem ſibi ſervari poſtulat, qui eam non conſervat.* Regulâ LXXV. & cùm dominus fidelitate contractus teneatur alimenta præbere, & ſervus miniſterialem vitam agere; juſtè ab eo derelinqui poterit, qui violato fœdere ſervum laborantem dereliquit. 451

Sed ſi libertatem conſequi nolit, quid juris? Reſpondeo, hoc libertatis privilegium quo ægrotus ille donatur pro Reipublicæ bono & contra militare. Propugnat bonum publicum, cum punit inclementem dominum ſervo, qui utilis futurus eſt; impugnat verò Rempublicam, quia illam gravat hujus pauperis ægroti cura; quæ bono publico ita nociva eſt, ut Publio Furio Camillo, & C. Caninio Conſulibus lege publica, à Legiſlatorum nominibus Furiâ-Caniniâ dictâ, caveretur, ne multi ſervi manumitterentur, nam qui à dominis non alebantur, non niſi expenſis publicis ali debebant. Quod ſi ſervus morbo laboret incurabili, nimirum, ſenectute, podagra, morbo ſontico, longo delirio, &c. non punitur domini inclementis auſteritas, ſed ſola Reſpublica gravatur. Sentio igitur in tali caſu non poſſe dimitti ſervum invitum, tunc enim hæc manumiſſio eſſet contra Rempublicam, ut ſupponimus; militaret etiam contra manumiſſum, quia nolenti & repugnanti non fit favor: eſſet enim duriſſimum, *ſi quod in gratiam deberet concedi; in diſpendium detrimentúmque retorqueretur*, [Regula LXI.] unde hæc lex uni & ſoli domino, qui propter duritiem & inclementiam dignus pœnâ, videretur prodeſſe. 452

An ſervus ægrotus poſſit negligi & deſeri à domino?

An inutilis aut incurabilis manumitti?

An manumiſſiones interdum militent contra Rempublicam?

Sed quid, ſi ſervus ægrotus velit manumitti, & habeat ſolamen in hoc quod libet moriatur? videntur leges ejus voluntati adnuere, etiam cum incommodo publico: tanta enim Reipublicæ benignitas, ut malit hujuſmodi ægrotos habere ſolamen, licèt ære publico (putà eleemoſynarum aut contributionum) nutriri & curari debeant, quàm eos illo ſolamine carere, licèt ipſa libera ab expenſis permaneat. 453

Sunt Authores qui docent poſſe manumitti invitum, inter quos non infimum locum ſibi vendicat Iacobus Cujacius, cujus memini alibi cùm iterum hanc quæſtionem altiùs examinavi.

examinavi. Et quidem audiendi sunt, si dicant non videri, qui adquisierunt servos voluisse adquirere gravamina, adeóque addant, *in servatione captivum stabilitatem & ministerialem vitam in perpetuum promittere; & servatorem compromittere se nunquam eum occisurum, sempérque omnia necessaria suppeditaturum, aut aliàs dimissurum esse.* Et quidem contractum ex parte domini hanc ipsam conditionem involvere videntur firmare leges, quæ servo privant dominum, qui illum deserit nec necessaria præbet ægroto, quasi alterutrum debeat fieri; nimirum, manumitti vel ali.

DVBIVM TERTIVM.

454 INquiris, *An Christianus possit esse servus Iudæi?* Ratio dubitandi est: quia Petrus Gregorius Tholosanus *Syntagmatis Iuris universi lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 10. negat, & probat ex *c.* 2. *de Iudæis, cap. mancipia* 54. *dist. l. unic. ne Christi. manc. Iudæ. hab.* negat, & videtur satis plausibilia testimonia adlegare; & tamen Dicastillus & alii Iuniores affirmant.

455 *An Fideles Infidelibus servire possint?* Respondeo, non esse contra jus naturæ quod Infideles, servos veros & legitimos habeant. Addo posse Principem vel Rempublicam cavere, ne Iudæi sibi subditi servos habeant, putà, si Pontifex, vel etiam Imperator, imò & Magnus Turca qui Iudæos in Vrbibus permittunt, servos Christianos Iudæis servire prohiberent. Subjungo non posse Principes Christianos interdicere Iudæis habitantibus Constantinopoli, ne servos baptizatos habeant, sicut nec summus Persarum Sophius, nec Tartarorum Chamus, nec Sultanus Turcarum, ne Romæ, aut Amstelodami. Sed adnoto hæc omnia cessare frequentissimè ratione periculi spiritualis, lege enim naturali non solùm conceditur, sed & fuga præcipitur, cùm instat proximum periculum peccandi; unde sit universalis Thesis, *Quicumque tenetur fugere locum aut personam, in quo, apud quam est in periculo proximo peccandi, sive filiusfamilias sit, sive famulus, sive religiosus, sive servus, sive mancipium.* Ago de periculo, quod patienti voluntarium non sit, nec tolli aliter, quàm fugiendo possit. Ita Antoninus 3. *part. tit.* 3. *cap.* 6. §. 7. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 3. Molina *disp.* 38. quos citat & sequitur Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 11. *num.* 148. Et quidem rem benè consideranti hoc periculum videtur rariùs aut nunquam occurrere: cæterum si occurrat, stet Thesis.

456 *Doctrina valde necessaria.*

457

ARTICVLVS XI.

De perditione Dominii in mancipia & servos.

458 DOminus perdit dominium indirectum mancipii, cum primùm istud ad suos remeat. *Indirectum* consultò dixi; quia, ut ostendi superiùs, nemo dominium in mancipia directum habet, nemo proprietarium quale in servos: est enim dominium in mancipia ex innato, quod singulis in seipsos concedimus, indirectè resultans.

Probatur nostra Resolutio. Cum primùm ad suos mancipium redierit, non est verum dicere, *Iste vir est mancipium*: ergo nec erit verum dicere, *In hunc virum habet dominium, qui illum intercepit.* Exempli gratiâ. Hispanus à Mauris interceptus & Argelliam deductus, mancipium est: si fugiat & iterum adveniat Hispaniam, liber est. Et sic intelligenda sunt me judice omnia Iura & Leges, quæ agunt de postliminio. Nota illud *me judice*, quia alii aliter exponunt, ut vidimus. 459

Sed quid, Si post fugam ipsius Hispania & Mauritania stabiliant inducias? poteritne Argelliam reverti? & si hostilitas mutua perduret, Poteritne litetis fiducialibus (Hispani *Pasaporte* dicimus) redire Argelliam, quin iterum mancipii conditionem incurrat? Sanè si apud Argellios esset lex, quæ captivos ad patriam reversos declararet liberos, cessaret quæstio; sed in hoc regno pauciſſimæ leges sunt, & sententiæ à tumultuario populo feruntur, & ideò is excursus præcluditur, & ad rerum naturas & essentias recurrendum est. Resolvo ergo mancipium (idem de absolutè captivo dixero) non perdidisse libertatem, sed cogi fortioris & potentioris impetu, ne illa utatur. 460 461 *Mauri vix Leges habent.*

Addo hanc violentiam cessare, cùm primùm fugerit: agentia enim finita sunt, & manucaptores habent sphæram activitatis definitam suæ regionis terminis. Subjungo eumdem, ut justè reddatur captivus, debere secundò justè capi. Quod si dentur leges humanæ contrarium disponentes, dicendæ sunt jus naturale limitare, & si acceptentur aut saltem nullum præjudicium inferant communitati, esse omninò servandas. 462

ARTICVLVS XII.

De Servitute reali.

HVcusque de servitute personali egimus, & ostendimus qualiter & quale dominium in homines adquiri possit: nunc ad reale devenio, cujus & notitia facilior & magis necessaria est, præcipuè Belgis & Germanis, qui servos non habent. 463 *Servitus realis duplex est:*

Servitus ergo realis duplex, nimirum realis-personalis, quæ & mixta dicitur; & realis-realis, quæ & purè realis appellatur. Illa definitur servitus, quæ à re personæ debetur, & in tres subdivitur; videlicet, in Vsumfructum, Vsum, Habitationem. Hortus servitutem ususfructus habere dicitur, cùm alicui personæ fructus universos pendit: servitutem viæ diceretur habere, si deberet transitum præbere alicui; vestis ad usum serviret, si aliquis haberet jus utendi: domus habet servitutem habitationis, cùm venditur, locatur, aut fideicommittitur sub onere, quòd debeat cedere tali personæ talia aut talia ad habitationem cubicula. *Servitus purè-realis*, est quæ rei à re debetur; putà, si dentur duo prædia, & alterum debeat alteri præbere semitam, vel duæ dentur domus, quarum altera debeat excipere aquas alterius. 464 *nimirum, realis-realis, & realis-personalis.* *Quales sint?* 465

466 *& unde subortat*

Notandum est hujusmodi servitutes esse in rerum ipsarum possessione acceptatas expresè aut implicitè, natásque ex venditione, donatione aut permissione dominica, rem conferentem sub talibus aut talibus Articulis, qui debent omninò observari.

DISPVTATIO III.

An Curatio & Corruptio sit legitimus titulus adquirendi & perdendi dominii?

467 *Quid sit corruptio?*

CORRVPTIO curatione prior potest definiri, rei usibus humanis servientis pejoratio: & duplex est; inadæquata & adæquata: contingit illa cum res corrumpitur, sed non tota: & si tota, non tamen totaliter: hæc autem cum corrumpitur tota & totaliter. Corruptio curationi opponitur, quæ perfectionis pristinæ restitutio est. Vtraque in realem & personalem subdividitur; personalis salutem hominis respicit, realis aliarum rerum.

ARTICVLVS I.

De Curatione & Corruptione reali.

468 *An & quando corruptio sit destructio moralis?*

RES cùm primùm ita corrumpitur, ut totaliter inutilis usui humano reddatur, esse sub hominum dominio desinit, quia moraliter destructa supponitur. Consultò *totaliter* dixi, ut excluderem partiales corruptiones, quæ in partem non corruptam dominium &

469 authoritatem reservant. Totaliter res corrupta non dicitur, cùm tota corrupta non est; nec cum ita corrupta, ut recuperare pristinam perfectionem possit. Si domus corruat, non corrumpitur totaliter; lapides enim & ligna remanent, & iterum reædificari potest: si ardeat, non corrumpitur totaliter; quia fundus remanet, & in eo saltem aliquæ parietinæ: si equus moriatur, non corrumpitur totaliter; quia adhuc pellis hominibus servire potest: diceretur tamen corruptus totaliter, si morbo contagioso obiisset; tunc enim, nec caro, nec pellis, nec dentes, nec ossa, nec ungues hominibus possent servire; suppono ita morbum illum has omnes partes infecisse, ut maneant medicinæ incapaces. Et quia in Germania hæc scribo, ad hujus patriæ mores hanc periodum subjungo. Qui equum mor-

470 *An sit infamis, qui bestiæ cadaver tetigerit?*

tuum tetigerit, infamis creditur: ergo posito hoc gentis præjudicio, quando equus quomodocumque moritur, nihil relinquit domino, nisi curam solummodò advocandi carnificem, & ei pro labore solvendi. Sed hoc in aliis regionibus locum non habet. Sit ergo

471 *An-ne dominium corruptione amittatur?*

Conclusio. *Corruptione dominium amittitur; nimirum totali totaliter; & partiali partialiter.* Ostenditur; quia non-entis non datur dominus: & res corrupta totaliter, totaliter non non est, & corrupta partialiter, non est partialiter. Hinc solutio aliquibus difficultatibus.

Casus primus.

PEtrus pretiosissimos pisces emit in portu & summâ diligentiâ & expensis Madritum vexit, sed caloris & agitationis rigore multis concusis & corruptis, pauciissimos illæsos reperit. Petitur, An illos paucos tanto pretio possit vendere, quo omnes vendidisset, si nullus corruptus esset? hoc est, si centum pisces venditurus erat centum aureis, an corruptis octuaginta, possit viginti illos quinis aureis vendere, ut habeat etiam centum aureos?

472 *De rerum pretio.*

473

Respondeo in rebus omnibus tria pretia reperiri; Summum, Medium, Infimum; extra quæ quidquid additur aut subtrahitur, contra justitiam commutativam est. Si mille aureos dederis pro re quæ centum valet, non es dicendus mille illam emisse, sed aureis centum, nongentósque alios aut donasse liberaliter, aut fraudulenter amisisse: donavisse quidem, si sciens & volens, scienti enim & consentienti non fit injuria neque dolus. [Regula XXVII.] at amisisse, si deceptus.

Tri lex est: maximum, medium, infimum.

Hinc infero Petrum debere illos pisces vendere pretio currente (nempe, infimo, medio, vel summo) unde si aureus pretium illorum summum sit, non poterit illos majoris vendere, tametsi pro vectura singulorum quaternos aureos insumpserit.

474

Quid si non habeant determinatum valorem? poteritne vendere exorbitanti pretio propter ipsammet raritatem? Puto, tunc posse, se reddere indemnem, omnes itineris expensas, & omnia quæ piscatoribus dederat, & hujus pecuniæ summum (legitimum tamen) interesse, & pro suo labore summum (rationabile tamen) stipendium, & quia ipsamet raritas pretio æstimabilis (vel arguendi sunt de iniquitate, qui metalla & lapides propter raritatem magni vendunt) aliquid secundum prudentis judicium propter ipsammet raritatem recipiendo.

475 *An raritas pretium augeat?*

Sed quid, si omnibus piscibus corruptis nullus incorruptus remanserit? Quid, inquam, Petrus facturus est, si adhuc gulosi homines occurrerent, qui propriæ salutis incurii illos licèt corruptos vellent pecuniis summis emere?

476 *An cibi corrupti & pernicioſi possint vendi?*

Respondeo casum esse frequentissimum in eadem civitate; pisces enim illi, quos *Vesugos* linguâ maternâ nominant, delicatissimi cùm sint, facili negotio corrumpuntur, & ni summâ diligentiâ vehantur, putrescunt. Examinantur authoritate publica, & si corrupti judicentur, expensis miseri mercatoris extra civitatem sepeliuntur, ne à canibus ipsis devorentur; creduntur enim nocivi & pernicioſi, & Respublica debet saluti etiam corporeæ providere. Si pisces, quos corruptos dicimus, Iudices illi publici examinaverint, & sincerum suum dictamen sequentes sanos censuerint & vendi permiserint, poterunt vendi pretio currente, sunt enim probabiliter sani & incorrupti, quia Iudicibus illis, utpote expertis, tanquam probabiliùs decernentibus credendum est. Quod si vel Petrus eos munere subornaverit, vel deceperit, pisces

Vesugo, piscis nobilis apud Hispanos, in Anglia ante adventum Antonii, qui se dicebat Lusitanorũ Regem, Regina halecum dictus, & contemptus.

Iudicibus credendum est.

corruptos

corruptos vendere non poterit; & si vendat, contractus utpote initus contra legem publicam, & de re quæ valorem civilem non habet, ex Regula LXIV. nullus erit, tametsi gulosi reperiantur, qui majoris faciant saporis lenocinium quàm salutem.

An sint aliquæ, quæ nihil civiliter valeant?

Peccabit igitur *primò*, vendendo contra legem publicam.

Sint-ne leges politicæ pœnales an morales?

Secundò, vendendo, quæ valorem non habent.

Tertiò, cooperando mentium morbis: primum peccatum rarò mortale est, frequentiùs enim pœnaliter Respublica præcipit, quàm moraliter: secundum & tertium possunt esse mortalia, si materia sit gravis; secundum in genere furti, si pretium tantum sit, ut ad gravem quantitatem ascendat: tertium in genere homicidii, si nocumentum notabile inferat, quale nemo ultrò sine peccato mortali possit pati.

Casus alter.

477 *Proponitur.* HAbebat generosissimum vinum Antonius, & acetosum redditum debebat vili pretio vendere. At Franciscus secretâ doctus experientiâ scivit illud ad pristinam perfectionem reddere, & emptum vilissimo pretio curavit, & posteà magno vendidit, currente tamen.

Inquiritur, *Primò* an Antonius possit illud pretio antiquo; hoc est, eodem omninò, quo ante corruptionem vendebatur, vendere.

Secundò, An Franciscus vili pretio potuerit emere, quod sciebat se maximo venditurum.

Tertiò, An tandem Franciscus vili emptum pretio, poterit magno vendere.

Res pejorata minori debèt pretio vendi. Ad primum respondeo negativè. Ratio est; quia illud vinum propter generositatem magno pretio vendi supponitur; cúmque hæc asseratur corrupta, cessavit ratio propter quam magno pretio vendatur. Debuit ergo Antonius illud eo pretio vendere, quo acetum; acetum enim erat, non vinum.

Res curata, & ad pristinam perfectionem restituta possunt communi vendi. Ad 2^um. & 3^um. respondeo affirmativè; quia Franciscus emit justo pretio: acetosum enim illud vinum, quod emit, non valebat pretio majori, quàm ipse dedit: quod autem illud ipse curaturus sit, & magno pretio venditurus, non militat contra æquitatem, quia vendet generositatem, quam ipse arte curiosa in materia illa acetosa producet, ac propterea generositatem cujus ipse est dominus directus & proprietarius. Pictor vili pretio pigmenta emit, quæ scit sua arte ita attemperanda, ut oculis gratissima magno pretio vendantur, & hoc tutâ conscientiâ in omnium opinione: ergo similiter Franciscus poterit vili pretio emere acetum & alia, quæ scit sua arte ita attemperanda, ut gustui gratissima magno pretio vendantur.

478 *An, & quis teneatur proximum docere?* Sed postulas, An Franciscus ab Antonio consultus teneretur secretæ illius curationis legem revelare? an saltem ipsum adjuvare vinum illud Antonii potiùs curando, quàm emendo? & sanè videretur quod sic; quia est opus misericordiæ ignorantem docere, & unusquisque jure naturæ obstringitur suppetias ferre proximo in extrema necessitate constituto; Antonius autem in extrema est, non enim habet scientiam quâ jacturam illam, quæ summa esse supponitur, caveat, & nemo est præter Franciscum, qui illi possit succurrere.

An occulta humanæ legi subsint? Et respondeo ad primum, Franciscum revelare illud secretum non teneri; ratio est, quoniam si teneretur, lege humana, aut divina teneretur. Illa in secreti revelationem jus non habet: illud enim Axioma, *De occultis non judicat Ecclesia:* est probabilissimum; & prudentissimè ad omnes humanas leges trahitur. Cæterùm quidquid de hoc Axiomate sit, neutra lex (nec humana, nec divina) datur: ergo vel qui contrarium opineris, legem exhibe.

Magister alius publicus, & alius privatus: quo modo teneantur alteruter? Ad secundum respondeo distinguendo artifices publicos à privatis; fortè illi tenentur solventi justum pretium, servire, hi tamen nullo jure tenentur. Qui hæc legis, scis linguam Latinam, non tamen teneris eam docere; tenereris tamen, si esses magister publicus publico stipendio ad istum effectum donatus. Cùm igitur Franciscus non habeat stipendium publicum ad curanda vina, sequitur non teneri artem, quam callet exercere, tametsi summa argenti copia offeratur.

479 *An sit in extrema necessitate, qui habet aliquid?* Nec rationes dubitandi urgent; quia opera misericordiæ consuluntur, & solùm habent vim præcepti in extrema necessitate. Antonius autem in extrema necessitate constitutus dicendus non est, habet enim saltem acetum & dolia, quæ possit vendere, nec extrema laborat inopia, qui aliquid habet.

De curatione animalium: DICTA poterunt animantibus etiam ægrotis appropriari: si enim optimus equus moribundus jaceat, & nemo sit qui eum curare possit, poteris vir privatus, qui curandi equos publicum officium non habes, illum vili pretio emere, & curatum vendere maximo.

domorum: Poterunt etiam appropriari domibus, quæ dicuntur obsessæ, quæ ruinam minantur; nimirum, quando tu scis remedium ponere, & non habes officium ex vi cujus servire tenearis. In mari sunt innumeræ Insulæ à bestiolis diversis infestatæ & inhabitabiles redditæ (unam aut alteram ex Valentia conspicimus, quam à colubris eam infestantibus *Colubrariam* vocamus) sed si curarentur & purgarentur, dicerentur virtualiter produci, ideóque ad curatorem pertinere: modò enim virtualiter non sunt, quia cùm usibus humanis non serviant, ita se habent ac si verè non essent, & si fugarentur illæ bestiæ, inciperent servire hominibus, hoc est, civiliter & humanitùs esse.

aut etiam insularum.

ARTICVLVS II.

De curatione personali.

DOctrinæ consequentia dubia nonnulla excitat circa personarum dominium, An & hoc ex curatione oriatur. Sit

Primum.

Primum.

480 *Casus proponitur.* AMbrosius servus Anselmi correptus gravi morbo periclitatur, deseritur à Medicis, & tamen Petrus, qui non profitetur artem Medicam scit Pharmacum quo sanari possit. Petitur, An teneatur illud ipsi præbere? An possit ipsum vili emere pretio, & postea curare?

An uti medicinis teneamur? An strictiùs curare alienam vitam quàm nostrã? Ad primum dico variare Authores cùm agitur de medicinis; hominem strictiùs teneri conservare suam vitam, quàm alienam, vel saltem non teneri strictiùs alienam servare quàm propriam certum est, quia proximus unusquisque sibi: & tamen multi docent neminem teneri uti Medicis aut Pharmacis, sed posse se committere Deo, ut multi sanctissimi Viri fecerunt. Si ergo Petrus extremo laborans morbo non teneatur Pharmacis uti, nec tenebitur ea præbere alieno servo periculosè laboranti.

Ad secundum dico, posse servum illum vili pretio emere (non enim magni debet fieri ille, de cujus vita desperatur, nec tanti æger quàm sanus) & posteà curatum suâ industriâ magno vendere, ut constat ex his, quæ Articulo præcedenti probavimus.

Quid sit dicendum ex hypothesi, quod medicinæ sint necessariæ? Addo ex hypothesi quòd teneatur quis uti Pharmacis cùm necessaria sunt, Petrum debere dare etiam illa, vel vendere proximo extremè laboranti; & nihilominùs Petrum posse illum servum emere pretio vili, curaturum, & posteà venditurum magno. Ratio est; quia, si tenetur; ex charitate, non tamen ex justitia tenetur: ergo debebit facere ut Ambrosius Pharmacum illud habeat, atqui poterit illud Ambrosius recipere etsi servus Anselmi non sit: ergo poterit illum Petrus emere, & emptum curare.

Secundum.

481 *Quæstio succurrens.* SEd de homine libero occurrit difficultas, *An per curationem redigi in servitutem possit?* Verbi gratiâ. Sit Paulus lethali morbo correptus, & desertus à Medicis ab uno & solo Antonio possit curari. Inquiris, *An possit eum Antonius arte sua sublevare, & ad pristinam salutem restitutum sibi in servum servare?* Ratio asserendi posset ab ipsamet natura curationis desumi. Ille enim, qui rem moraliter producit, adquirit productæ dominium: at taliter laboranti Antonius dat moraliter vitam, cùm suâ arte & diligentiâ à morte instanti liberat: ergo. Consequentia legitima est, major toti huic Operi fundamentalis, & minor extra omnem aleam controversiæ posita.

An curatio sit moralis productio?

Qui curatur, si liber sit, non debet servitutem incurrere: Respondeo tamen *primò*, Christianum & liberum ægrum non posse taliter servitutem incurrere; communi enim & constanti consuetudine stabilitum est, ut liberi Christiani ante Iudicis condemnationem, quæ propter crimina fit sed rarò aut nunquam, nunquam servitutem incurrant.

nec dominus mutat, sed servum. *Secundò*, servum non mutare dominum propter curationem, sed ad primum pertinere, tametsi ab altero curetur. Ad primum inquam, si ab illo desertus non est; lege enim publica stabilitur, ut servus æger liber fiat, cum primùm à domino suo deseratur, & necessaria ad vitæ conservationem non recipiat. Moraliter perdidisse vitam censendum judico, cùm moraliter impossibilis credita fuit ejusdem sanitas: ac propterea vitam moraliter debere suo curatori non difficor; nego tamen fieri illius servum, quia Respublica talem modum adquirendi dominium in personas non patitur. *Et cur?*

Tertium.

482 *Quid sit dicendum de barbaro ægroto, si nulli legi est subditus?* SEd, ut meliùs rei naturas cognoscas, & legis physicæ seu naturalis vires, inquiris, *An barbarum nulli Principi aut legi humanæ subditum, lethali & aliàs immedicabili morbo laborantem curans, adquiras in servum?* tunc enim cessant civiles omnes limitationes, & standum est puro juri naturæ.

Puto tam liberari à morte hujuscemodi hominem, quàm illum qui vel à manibus antropophagorum, vel immolaturorum: atqui ferè omnes admittunt, quod homines ab ara aut macello empti sint servi: ergo & empti à lectulo mortis, vel detur disparitatis ratio.

ARTICVLVS III.

De Cicuratione.

483 *An cicuratione dominium adquiratur?* ET nominis & rei analogia curationi videtur adjungere cicurationem; & puto capere sylvestria & nulli domino subdita animalia, eáque aut violenter vinculis detinere, aut suaviùs benignitate cicurare, esse adquirere virtuale dominium.

Probatur, quia quicumque videt bestiam, quæ alterius non sit, potest illam occidere; ergo & potest illam sibi retinere & conservare. Ergo, quas feras capis & detines, possides. Detines verò tuæ dispositioni subditas, quas vinculis coërces, carceribus vel renitentes comprimis, aut cicuratas evagari permittis.

Quo modo dominium in feras adquiratur? Pro majori hujus quæstionis claritate, adnotato neminem debere dici dominum animalis, quod non potest occidere cùm voluerit. Ergo qui fugitivo cervo pepercit cùm occidere potuit, fuit illius dominus quandiu potuit illum licitè occidere; dominium perdidit cùm ille fugiens spem illusit venatoris. Si caperet, haberet in eum dominium, quoniam posset occidere cùm vellet, esset enim vita illius cervi captivi sub dominio venatoris.

Feræ detinentur vi, cicures arte: si ad sylvarum recessus fugiant, dicendæ sunt fuisse venatoris quamdiu detinebantur, jam nullius esse: ac propterea pertinere ad primum occisorem aut conservatorem, juxta ea quæ hucusque disputavimus.

Cur instituta Rogationes. Hinc lux difficultati, quam movent Chronologi ad annum 458. Nam Rogationes (quas vocant Minores, & triduo ante Ascensionis solennitatem fiunt) dicuntur institutæ sub Mamerco Episcopo Viennensi, tum propter prodigia meteorica quæ universos terruerant, tum propter animantium confusionem; feræ enim in medias urbes se ingesserunt, cicures

Cicures servitutem excutiunt ad quem pertinent?

cicures in montes & sylvas. Si respiciamus rationem naturalem, feræ cùm primùm muratam civitatem ingrederentur, captivæ erant, & pertinebant ad eum qui illas primus occideret aut caperet. Cicures excusso servitutis jugo liberæ reddebantur, nec dicendæ pertinere ad illos in quorum non erant potestate: igitur in sylvis & montibus ferocientes poterant illaqueari, capi, & occidi pro venatorum voluntate.

Huic portento simillimum accidit anno 1086. sub Henrico VI. Imperatore; anseres, gallinæ, pavones & reliquæ aves domesticæ ad sylvas confugerunt: ergo & veteres domini perdidêre earumdem dominium, & ipsæ cicuratione excussa inceperunt ad nullum spectare, spectaturæ ad venatorem primum, qui illas caperet.

Schendal, *latinè* Speciosa Vallis, *Monasterium Ordinis Cisterciensis, in quo multos viros sanctos & doctos veneratus sum.*

At hîc curiosa difficultas occurrit, aut etiam succurrit in re clara. Anno Domini M. DC. XLIV. inundabant Sueviam & Provincias conterminas hostes. Præoccupati Specioſæ-Vallensis Cœnobii Religiosi, vix se liberè potuerunt subripere totâ relictâ supellectile. Erant inter alia animalia, quæ aut serviebant aut ornabant, galli Indici & Pavones non pauci: & isti cùm primùm abfuerunt Religiosi & milites supervenerunt, profugerunt ad sylvam, & ibi se continuerunt diebus multis, quousque à Ioanne de VVierdt fugatis hostibus, capto Equitum summo Magistro, & magno numero militum interfecto, via per sanguinem & cadavera patuit, & Religiosis licuit ad spoliatum suum Monasterium reverti. Vix domum ingressis, aves profugæ, tunc jam etiam reversæ, occurrunt, & quo irrationalibus licebat modo, gratulantur.

Proponitur, & resolvitur quæstio.

Hac igitur historiâ, cujus fui testis oculatus, præmissâ, inquiro, *Cujusnam illæ profugæ bestiolæ fuerint, cùm latebant in sylva?* Respondeo, illas non excussisse servitutis jugum, sed mirabili instinctus vi, (ne in rebus tam parvis recurram ad cælestia prodigia) voluisse se servare suis dominis, & militum luxui non servire. Erant igitur Monasterii etiam in sylva, ad quam tanquam ad asylum confugerant, reversuræ cùm primùm affulgeret occasio: bestiæ enim, quæ ad sylvas transeunt reversuræ, etiam ibi ad dominum priorem spectant.

DISPVTATIO IV.

An per Filiationem & Cognationem adquiratur rerum dominium?

484 An filii hæredes sint?

Filios esse parentum hæredes apud omnes gentes, quæ cultæ audiunt, certum est; nec videtur sine gravis rationis pondere mos tam communis & universalis obtinuisse: igitur qui radicaliter omnia desideramus investigare, præcisis hominum legibus, rerum ipsam naturam contemplemur, cum qua medullitùs cognitâ humanas consuetudines & leges componemus: &, ut hoc meliùs præstare possimus, explicabimus, quid sit filiatio? Communis Thomistarum opinio esse realem & actualem relationem statuit: at nonnulli juniores docent esse ipsammet generationem passivam moraliter perseverantem: nam sicut in Divinis, sic etiam in Humanis, nec Paternitas à generatione activa, nec Filiatio distinguitur à generatione passiva: at inter Deum & hominem hæc est differentia, quòd in illo, quia æternus & immutabilis est, hæ processiones durent realiter; in homine verò moraliter.

Quid sit filiatio? An sit relatio realis?

Relationum divinarum & humanarum differentia.

Præterea generatio ipsa est duplex; realis, moralisque. Sara peperit moraliter Ismaëlem priùs, & realiter Isaacum posteriùs. Conceptum & partum hunc moralem exprimit sacer Textus his verbis. *Sarai uxor Abram non genuerat liberos, sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar dixit marito suo: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem; Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam liberos.* Adquievit ille: ingreditur ad ancillam: quæ *vers.* 4. concepisse se vidit: & *vers.* 15. peperit Ismaëlem.

Generatio duplex: realis, moralis.

Gen. 16. 1.

Sara Ismaëlē concepit & peperit moraliter.

Hîc nota primò, ideò recurrisse Saram ad generationem moralem, quia erat sterilis, ut vel hinc corrigatur Iustinianus, qui Eunuchis adoptationem interdicit. Vide *num.* 582.

An Eunuchus possit adoptare?

Nota secundò illud verbum *suscipiam.* Ergo Sara erat, quæ susceptura erat liberos per Agarem: ergo sicut Iudex per carnificem reum occidit: sic Sara per Agarem concepit & peperit filium: concurrente ipsa *ut quod*, & ut causa principali: & hac *ut quo*, & ut instrumentali. Sic ipsi jura matrimonialia intellexerunt: quæ de facto erant alia: at esse potuerunt talia ut debitum per personam vicariam solvi posset, si Institutor voluisset. Et quidem tale non repugnare matrimonium ex natura rei constat clarissimè; nam si illud instituisset Deus, non haberemus duas contradictorias simul veras. Ergo, si debitum matrimoniale non potest moraliter per interpositam personam solvi, quid de Abrahamo dicturi sumus? Erit sanè dicendum, vel Deum dispensavisse cum Abrahamo: vel sub illud tempus jura matrimonialia fuisse obscura, & & Abrahamo sequi licuisse suum dictamen. Hanc secundam solutionem sequitur S. Ambrosius, qui, ut habetur capite, *Dixit Sara* 32. *quæst.* 4. dixit, *Considera, quòd Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit: nondum ergo adulterium interdictum videbatur.* Perpende benè ipsam literam: non enim inquit sanctus Archiepiscopus, *nondum interdictum erat*, sed *nondum videbatur*: quia sub illud tempus non constabat liquidò de adulterii interdictione; maximè, si cum licentia alterius conjugis committeretur.

Si Iudicem carnificémque realiter consideremus, dicemus reū occidi ab hoc, & ab illo non tangi: si moraliter, reum occidi ab hoc, ut quo, & ab illo ut quod. Eodem modo de Sara & Agare philosophator.

Cur Agareni etiam Saraceni dicantur.

Nota tertiò Saræ sententiam etiamnum propugnari ab Arabibus, qui & illam suis moribus firmant, & à matre reali *Agareni*, & à morali *Saraceni* vocantur. Hæc nominum ratio est verissima, à paucis tamen observata.

His igitur præmissis, quomodo Filiatione (reali, morali) adquiratur rerum dominium exponamus.

ARTICVLVS I.

Filiationem idemtitatem includere: physicam-ne, an moralem?

485 *Hæredes necessarii, qui? An, quando, & quomodo possit pater filium declarare exhæredem?*

Filii, uxor, parens dicuntur hæredes necessarii, ita omnes Doctores ad legem *Cum hæres. ff. de acquirenda possessione.* Et necessarii quoniam directè hæreditate privari non possunt; privantur aliquando indirectè; nempe, cùm gravissimæ rationes cogunt consulere bono publico postulanti in casu aliquo exhæreditatem. Verbi causâ; Pater percussus, potest filium percutientem exhæredem facere, non quidem directè, sed indirectè; nempe directè consulendo bono publico & statui communi postulantibus ne filii inobedientes & contemptores tolerentur. Hæres ex natura rei repræsentat illum cujus est hæres, imò moraliter est unus cum illo; ita unus, ut in sensu morali neque ratione distinguatur, quoniam tota distinctio physica est, at moraliter loquendo est omnimoda identificatio, quoad dominium. Idcirco hæres, moraliter est ille ipse Dominus, cui succedit in hæreditate. Cúmque dominus necessariò includat rationem productionis liberæ & activæ, hinc est, quòd hæres moraliter fiat ejusdem rei productor, hoc est, dominus. Vnde omnium gentium consensu cùm aliquis physicè moritur relicto hærede, moraliter non moritur, quia hæres remanet, qui physicè quidem à defuncto distinguitur, moraliter verò est unus illi qui physicè moritur, ideóque succedit in universum jus quod defunctus habebat. Constat ex leg. 1. *Nihil de verborum significe.*

Qui hæredem relinquit, moraliter loquendo non moritur.

486 *Vocantur ad hæreditatem, primò Posteri: secundò Antecessores: tertiò Collaterales.*

Hæredes necessarii ab intestato, sunt Posteri, Antecessores, Fratres. Mortuo Petro succedere debent filii, & his deficientibus nepotes, pronepotes, abnepotes, &c. si Petrus non habuerit successorem, erit hæres suus Pater, & hoc deficiente Avus, aut proximior Antecessor: si successore & antecessore vivo careat, succedent fratres, & his deficientibus propinquior consanguineus usque ad decimum gradum inclusivè. Molina *de contract. disp.* 164. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst. ult. part.* 3. *num.* 14. Basseus *verb. Hæres num.* 2.

Quæstiones incidentes.

Sed mihi non leges sed rerum essentias discussuro, occurrit statim hæc quæstio; *An filii sint hæredes ex natura rei, an verò ex humano instituto?* hoc est, *An sublato jure humano positivo, tam sæculari quàm Ecclesiastico, adhuc remaneant hæredes necessarii? & cur potiùs hæreditatem adeant filii, quàm fratres?* Majoris claritatis causâ satisfacient sequentia.

487 *Quid sit generatio? & quid filius?*

Filius est physicè similis patri. Patet, quia aliàs non esset filius; generatio enim ex communi omnium Philosophorum & Theologorum consensu, *Est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ.* Vbi notanda est distinctio essentiæ & naturæ: quia Spiritus-Sancti processio est origo viventis à vivente in similitudinem essentiæ, non autem in similitudinem naturæ, & ideò non est filius. Manuducor à D. Thoma qui cum aliis plurimis docet in eo distingui essentiam à natura, quòd illa ab essendo, & hæc ab operando dicatur. Filius igitur in ordine physico similis est patri in operationibus, quarum satis notabilis est libera productiva, in qua docuimus consistere dominium formaliter. Ergo filius non solùm in essendo est Patri similis, sed etiam in dominando. Vnde Eccles. 30. 4. dicitur, *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se*, quæ verba complectuntur expressè meam conclusionem. Resumamus iterum, & expendamus. *Mortuus est Pater ejus*, nempe physicè: *& quasi non est mortuus*, hoc est, ita se habet ac si mortuus non esset, & subinde dicendus est vivus virtualiter & moraliter: & ratio est, quia *post se reliquit sibi similem*, nimirùm, in natura, hoc est, in operatione libera productiva, sive quod idem est, in rerum dominio: producere enim liberè nihil aliud est, quàm dominari.

Essentia à natura distinguitur:

Filius patri est similis.

Ecce quàm rigorosè, & quàm scholasticè loquatur Salomon.

Hoc testimonium esse germanè expositum, & non posse intelligi de similitudine specifica tantùm, demonstro satis clarè; quia non dicitur *quasi non mortuus* sive vivus virtualiter, qui sine filio moritur, & nihilominus relinquit multos homines sibi specie similes & operativos: ergo major debet esse similitudo filii & patris, quàm duorum, qui non sunt consanguinei. Dico igitur ideò esse hominem homini similem, quia producit moraliter effectus similes, hoc est, ejusdem speciei, sed distinctos numero: filius autem, cùm similior sit patri, quàm peregrino, debet producere moraliter effectus similiores distinctis numero; ergo producere moraliter effectus, qui nequidem numero moraliter loquendo distinguantur. Ergo si eædem numero res dependent efficienter moraliter à filio & patre; eædem numero subsunt morali dominio filii & patris; nempe primariò dominio patris, & dominio filii secundariò, videlicet cùm pater fuerit mortuus.

488 *Pater & filius sunt unica persona moralis.*

489 *An in continuo sint actuales partes?*

Filius similior est in natura patri quàm extero; sed non solùm moraliter, licet hoc intento sufficeret; sed etiam physicè, & hac assertione intentum nostrum roborabitur. Omnia Entia corporea divisione mera numericè multiplicantur, ideò ex duabus aquæ partibus, quas continuando identifico, formo unam aquam; & dividendo habeo plures aquas realiter distinctas: (sequamur hîc Aristotelis & illorum sententiam, qui docent duas homogeneas materiæ partes per continuationem idemtificari.) Nullum est inconveniens; si dicatur Leonis catulus esse Leonis pars physica decisa in generatione, sed de hoc uberiùs alio loco: unde Ethnici, qui putarunt omnes animas corporeas esse, tenebantur asserere filios esse Patrum particulas actu generativo abstractas: imò & Poëta, quia Deum corporeum deliraverat, ut hominum Patrem assereret ab eo animas decidi credidit, cùm illas *Divinæ particulas auræ* nominavit. Nos autem, qui sinceriorem Philosophiam sectantes, fidei lumine adjuti, scimus rationales animas non esse materiales, negare non poterimus materiam ex qua homo gignitur, decidi à parentibus; nempe aut à patre solùm, aut solummodò à matre, aut verosimilius ab utroque simul: quia cùm materia non possit per generationem

Materia patris & filii ante decisionem fuerunt una realiter.

generationem fieri, opus est fuisse sub alia forma. Ergo filii materia quæ hodie distinguitur à materia patris, ante genesin non distinguebatur. Ergo patris & filii materiæ habent hodie unitatem specificam & distinguuntur puro numero, ante genethliam verò nequidem numero distinguebantur: materiæ duorum non consanguineorum vix unquam fuerunt una numero: vel si fuerunt inde incipiunt numerari gradus consanguinitatis.

490 *An omnis filius sit hæres?*

Filios esse hæredes ex natura rei, probatur satis clarè. Quia aliàs non argumentaretur Paulus efficaciter 8. Epist. ad Rom. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Infert Apostolus nos esse Dei hæredes, ex eo quòd simus ipsius filii. Ergo consequentiæ materia necessaria est, quia si esset contingens, non esset consequentia infallibilis. Ergo supponit hanc Majorem, *Omnis filius est hæres.* quâ semel negatâ aut rejectâ, Pauli non subsisteret ratio.

491 *Et quo jure?*

Confirmatur. Filii succedunt patribus in hæreditate: aut ergo succedunt ex vi legis humanæ, vel ex vi juris positivi divini, aut ex natura rei, hoc est ex connexione terminorum. *Si primum* asseratur; debebit etiam dici discursus Apostoli ineptus & indoctrinalis: quia quis non videat esse consequentiam ridiculam; *Lege Salicâ excludantur fœminæ à corona corporea, ergo & à cœlesti:* item hanc; *Omnes leges excludunt à corona adoptivum, si detur filius naturalis; atqui Christus filius Dei naturalis est, nos adoptivi; ipse igitur nobis exclusis erit regni cœlestis hæres?* Ratio clara est, quoniam humanis legibus non venit cœlestis æternitas determinanda. *Si asseras* hæreditatem competere filiis virtute juris divini positivi; hoc sanctum divinitùs fuisse, debuisset persuadere Paulus, antequam absolutissimam illam consequentiam eliceret, *Sunt filii, ergo hæredes;* quia quicumque illud divinum jus non cognosceret, negaret Paulo consequentiam. *Argumentationis* igitur Apostolicæ robur consistit in necessaria connexione extremorum; quia sicut rationalis animus postulat risibilitatem quâ sine violentia privari non poterit, sic etiam filius lege innati appetitus hæreditatem postulat, quâ expoliari violentia est. Postulat quidem etiam vivente patre (§. *Sui autem, Inst. de hær. qual. & differ.*) adeundam tamen non nisi patre devivente.

Ex jure humano ad cœlestia consequentia non valet.

ARTICVLVS II.

Quomodo filii debeant adire hæreditatem deficientibus fratribus, diversi mores.

492 *An unius hominis unus tantùm sit hæres?*

SI gentium mores examinemus, nullus consensus est, unde asserendum venit hæreditatis adeundæ modum, vel à natura ipsa non esse determinatum, vel saltem non ita clarè, ut ab omnibus cognosci potuerit. Fuerunt gentes quæ putaverunt hæreditatem esse indivisibilem & unius defuncti non nisi unum & simplicem hæredem esse; aliæ divisibilitatem tuentes diviserunt bona parentis inter proles.

493 *An hæreditas sit indivisibilis?*

Regna omnia, Ducatus, Marchas, Comitatus, & reliquos jurisdictionis titulos, quia hæreditariò deferuntur, esse indivisibiles, communior hominum sententia statuit: possessiones verò, hæredia, & divitias quæ jurisdictionem non important, sed proprietatem, similiter indivisibiles statuerant olim Scoti, Angli, Britanni, Galli, imò aliquando Hispani; sed etiam est in modo discrimen.

494 *An primogenitura sexui anteferenda?*

Debent Scoti Maccabæo Regi leges publicas, quas multis annis observarunt. Inter alias notabilis illa, quæ de hæreditate. *Proles primogenita, cujuscumque sexus ea sit, in hæredio succedito. Primogenita, quæ alterius agri Domino nupserit, cedat hæreditate.* Ecce, Maccabæus ille Legislator tanti primogenituram fecit, ut & sexui anteponeret. Vide Boëtium lib. 12. sed aliæ nationes majoris quàm primogenituram sexum faciunt, hoc tamen tam superstitiosè apud aliquas observari contingit, ut primogenituræ nulla ratio.

De lege Salica, quæ mulieres excludit.

Regnum Gallicum, & multi majoratus in Francia, Hispania, & Germania, dicuntur subesse legi Salicæ, quæ fœminas universas excludit, etiamsi primogenitæ; & hoc tam rigidè, ut sæpè nothi admissi, nunquam non exclusæ mulieres.

495 *Viri exclusi.*

E contrario Amazonum regio (à Tanai ad Thermedoonta fluvium se extendit) viros non tolerabat. Et si vera sunt, quæ de illa veteres scripserunt, culta & habitata fuit à solis fœminis. Hæ posteritatis studio finitimis congrediebantur; & nascentes mares occidebant, ut illustriores essent, censentes generosius sine virorum copiis fortissimos exercitus triumphare. Dicebantur Amazones ab ἄμα & ζαν, quòd cœnobiticῶς & in communi agerent. Habuisse leguntur Reginas invictissimas, quarum præcipuæ Marthesia & Lampedo; quæ majorem Europæ partem subjugarunt. Marthesiæ successit filia Orithya, cujus soror fuit Antiope. Post Orithyam Pentesilea regni habenas obtinuit, & ad bellum Trojanum profecta auxiliatura Phrygibus, facinora præclara gessit, sed tandem ab Achille victa & occisa. Vide Servium *in Virgilium*, Iustinum *lib.* 2. Silium Italicum *lib.* 2. Sed & reperies apud Dionysium *lib.* 4. Amazonas Lybias, Scythicis similes. Neutras tamen extare manifestum est. Vtrùm olim talis populus fuerit multi dubitant. Agunt pro parte affirmativa frequentia monumenta Historiographorum veterum, quibus non facilis assentiar, nisi priùs expunxerint ab hac historia aliquas indignas circumstantias.

Regio Amazonum.

Earumdem Reginæ.

Lybiæ Amazones.

Si conjecturis locus sit in re dubia, asseram fuisse Amazonas Vestalium æmulas, à vita communi nominatas. Addam habuisse solummodò tria Cœnobia, aut saltem tria illustriora; aliud ad Tanaim Scythiæ, aliud ad Thermedoonta Thraciæ, aliud autem in Africa. Si Amazones Vestales, aut similes Vestalium asserantur, omnia quæ de illis recensentur, ita possunt exponi, ut credibilia evadant.

Quales fuerint?

Cæterùm, ne in rebus ambiguis immoremur ad certas historias transeamus. Pandæ (Indiarum est populus) filias ad regnum promovent, omissis filiis. Reginæ ducunt origi-

496 *Filiæ filiis prælatæ.*

nem ab Herculis filia & imperant oppidis trecentis : Plinius *lib.6.cap.*20. Cantabri omissis filiis filias ex asse instituunt : Beyerlinckius *verb.Cura, pag.*636. f. Lycii, (Alexandro *lib.6. cap.*10. Stob.*Serm.*42.*ex Nicol.de Morib.gent. hist.* & Herodoto *lib.*4. testibus) non filios, sed filias hæredes nuncupant, & à matribus cognomina familiæ trahunt. Vnde Lyciorum opinione fœmineus sexus virili ita prævalet, ut debeat præponi filia minor natu ipsimet primogenito. Econtra apud Brasilienses sorores non solùm postponuntur frattibus , sed ancillantur. Nascuntur immunes à parentum dominio , subsunt fratribus ita despoticè , ut vendi sine causa queant. Osorius *lib.* 2. *rerum Emm.*

Ancillantur ororos.

497 *In communi sententia gradus præponitur sexui : sexus ætati.*

Communior tamen bonorum indivisibilium successio anteponit gradum sexui , sexum virilem ætati ; atque propterea filia debet anteponi cognato , filius minor ipsimet primogenitæ. Nec omnis hæreditas censetur esse indivisibilis , sed quæ authoritate publica vinculata. Duodecim Tabularum legibus non cognoscebantur hæredia vinculata , quia asserente Alexandro *lib.*16.*cap.*10. pariter masculi & fœminæ ad bona parentum vocabantur. Id ipsum observaverunt Israëlitæ , qui primogenito duplicem partem attribuerunt, cùm simplicem reliquis filiis ; constat ex *Deut.*21. nec primogenitura erat prærogativa politica pendens à parentis arbitrio, sed erat circumstantia naturalis , unde *ibid.* interdicitur , ne invisæ filius primogenitus amatæ uxoris filio postponatur.

ARTICVLVS III.

An fratres debeant filiis anteponi ? Diversæ leges, & exempla.

498 *An apud Arabes filio præponendus sit frater ?*

LEge Arabica fratrem filio præponi sine ulla limitatione Laurentius Beyerlinckius *litteræ P. pag.*156. affirmat , sed pace diligentissimi collectoris in materia retum Lusitanarum mihi fidendum , qui ex professo jam à multis annis eas examino. Hæc Arabum lex illud peperit bellum , in quo generosus Sebastianus occubuit : & viget apud Marocenses & Fezienses , ut accuratè notavi in mei *Philippi Prudentis lib.*1. *pag.*75. de Rege Sebastiano tractans , & iterum tango *lib.*5. *disp.*3. *quæst.*1.*art.*1. anno enim à nato Domino 1548.

Regni Marocii & Fezii historia.

Muleyus-Mahamedus Fezii & Maroci Rex habuerat quatuor filios , Abdalam, Abdelem-Munem , & Abdelem-Melecem legitimos, nec-non Hamedum nothum. Comitia celebrat , & consentiente populo lata lex, ut omnes Regis filii in regno succederent , nempe fratres fratri , exclusis filiis. Hanc legem multi de barbarie incusant , imò nunquam fuisse observatam constat , quia Abdala Muleyi-Mahamedi primogenitus , contempto fratre suo secundo Abdele-Munen declaravit coronæ hæredem filium suum. Post Abdalæ mortem è vivis etiam sublato Abdale-Mune regni competitore, successit Muleyus Abdalæ filius, & alterius Muleyi nepos. Abdel-Melecus suppetias à Rege Argeliæ obtinens Muleyum superat & imperio potitur. Victor Rex Sebastianum Monarcham Lusitaniæ implorat , & his trium Regum morte contingente manst irresoluta. Non igitur de universa Arabia dici à Beyerlinckio potest , quod nequidem semel vel in uno regno observatum.

Occumbunt in uno conflictu Reges tres.

Sed extra Arabiam Parthorum Regem Pharnacem apud Fulg. *lib.*5.*cap.*5. contemptis filiis legitimis , fratri suo Mithridati coronam reliquisse reperias.

499 *Fratres anteposti filiis apud Parthos,*

Item Iazatem Adiabenorum Regem viginti quatuor filiorum patrem fuisse, morientem tamen universis exhæredibus factis Monobazo fratri suo regnum reliquisse. Fulg.*ibid.*

Adiabenos,

Apud Æthiopas fuit notabilis lex asserente Alexandro *lib.* 6. *cap.* 10. Exclusis Regis defuncti filiis & fratribus , fratrum filii ad hæreditatem vocabantur.

& Æthiopes.

Hæc exempla nascuntur ex rationali illo amore , quo fratres diligimus : testatum eum reliquit Intaphernæ uxor , quæ eò miseriæ venit , ut videret maritum , fratrem , & filium ultimâ sententiâ condemnari. Solicitaverunt afflictæ juvenis lachrymæ pectus Darii Persarum Regis ; quæ ne orba maneret , concessit unius vitam , quam optaret. Exspes salutis frater mansit ; subdubitans , filiúne marito , an maritus alteri præponeretur. Interim illa incolumem voluit esse fratrem. Eum marito antepositit , sed nondum miror , quia multæ non modò maritis , sed & maritos sunt exosæ. Majoris quàm filium fratrem fecit , & resolutionis suæ hanc rationem exhibuit. *Iuvenis adhuc sum* , inquit , *maritum alium reperire, & alios filios gignere possum ; fratrem alium habere non potero , quoniam parentes mei mortui jam sunt.* Ita Sab. *lib.*3.*cap.*7. Herodotus *lib.*3. & alii.

De Intapherna uxore.

Cur marito & filio anteposuerit fratrem ?

Resolutio desumpta ex æquitate.

VT faciliùs rem examinemus defuncto Cornelio , sint superstites Claudius pater ; frater Theostomus ; Aurelia uxor ; Sabia primogenita ; filii Drusus & Caurus. Petitur, quis stando naturæ legibus debet succedere in hæreditate ? Supponitur Cornelius fuisse verus & legitimus dominus ; quoniam ni talis asseratur , non est locus quæstioni.

500 *Quo ordine sint hæredes vocandi?*

Dico igitur Cornelii hæredes vocandos esse ordine. Primò Filios , secundò Patrem, tertiò Fratrem , quartò Vxorem. Vt hoc altè apprehendas indiges attentione.

Physica patris & filii consanguinitas intima est , & omnium maxima , sed non æqualis. Se debet patri filius , nihil verò filio pater. Cùm igitur pater sit filii dominus , opus est, ut omnium rerum quæ ad filium pertinent, sit etiam immediatus dominus ; ac propterea filius non est capax dominii antequam moraliter aut physicè devivat pater , & ipse emancipatus maneat. Quod si Imperatoriæ leges illi peculii aliquam proprietatem concedunt, etiam aliquando emancipant & à patria subtrahunt potestate. Quamobrem , si Cornelius non esset , nulli disputationi locus remaneret , quia cùm non haberet rerum dominium, non posset habere hæredes. Ergo dicendum est Claudium qui supponitur vivus, esse mortuum

501 *Nihil pater debet filio : & filius se patri debet totum.*

An filius sit dominii capax antequàm emancipetur?

tuum moraliter, hoc est ex lege aliqua legitima ita se habere ac si revera mortuus esset. Cornelii igitur filii debent præponi Claudio Cornelii patri. Postea est considerandaClaudii amortizatio, quia qualis ipsa fuerit, talis debet servari: est enim liberum Legislatori emancipanti occidere moraliter Claudium respectu unius, & respectu aliorum incolumem & indemnem servare.

502 *Vita & mors moralis.*

Pater quidem obtinebit locum, quem lex determinaverit, & credendus est vivus moraliter quamdiu respectu alicujus personæ contrarium non sit lege clara decretum. Vnde ex vi emancipationis postponendus necessariò est emancipati filiis, non uxori, non fratribus, quoniam in filios suos Cornelius jam emancipatus verum dominium habet, & independenter à Claudio est cum illis una & eadem persona moraliter. Frater fratri identificabantur physicè in patre, quia uterque habet materiam, quæ identificata fuit materiæ patris: maritus & uxor identificabuntur physicè in filio, nempe habent materias realiter distinctas, quæ identificabuntur in filio. His igitur consideratis esto

503 CONCLVSIO I. *Cornelii filii jam emancipati necessariò præponendi sunt Claudio Cornelii patri.* Constat ex his quæ dicebamus.

504 *Fratrum materiæ fuerunt idemtificatæ in patre.*

CONCLVSIO II. *Claudius Cornelii pater anteponendus est Theostomo Cornelii fratri.* Ideò Theostomus & Cornelius sunt fratres, quia habent materias, quæ aliquando fuerunt identificatæ in Claudio suo patre: atqui ista identificatio fuit intrinseca Claudio, qui in seipso fuit identificatus utriusque materiæ, & est extrinseca confratribus quorum neuter in seipso fuit alteri identificatus: ergo magis intrinseca unitate identificatur pater filio, quàm frater fratri.

505 *Coniugum materiæ erãt idemtificatæ in filiis.*

CONCLVSIO III. *Frater anteponendus est uxori.* Constat, quia moralis utriusque identificatio sumitur à fundamento physico quod est in rebus. Fratres ideò sunt unus moraliter, quia materiæ ipsorum fuerunt in patre una physicè; habent enim materias, quæ antequam deciderentur, erant una physicè & realiter. Conjuges ideò sunt unus moraliter, quia habent materias in se realiter distinctas, quæ in generatione sunt identificandæ physicè. Atqui magis necessaria est identificatio præterita, quàm futura] futura enim sæpissimè impediuntur, & ad præteritum non datur humana potentia:] ergo major est unitas realis fratrum, quam conjugum.

An amasii sint una persona moraliter?

Dices. Hanc rationem aut nihil convincere, aut probare æquè conjuges esse unam personam moraliter, ac amasios: quia etiam amasiorum materiæ, quæ ante generationem realiter distinguuntur, in prole identificabuntur realiter.

Nothi & spurii in Republica benè gubernata sunt nulli.

Respondeo non dari moraliter amasiorum proles, quia nothi sunt nulli moraliter, & ideò cùm illa unitas physica, quæ asseritur, virtualiter non sit, hinc est, quòd non possit esse fundamentum alicujus denominationis moralis: ex Regula enim LII. *Nullum habent effectum moralem quæ sunt nulla moraliter.* Igitur eadem ratio quæ persuadet cõjuges unã & simplicẽ moraliter personam esse; eadẽ probat amasios solutos duas esse personas moraliter.

ARTICVLVS IV.

De Hæreditatis divisione.

506 *An ex natura rei aliqua bona sint indivisibilia?*

NVlla hæreditas, sive in proprietate sive in jurisdictione consistat, habet indivisibilitatem naturalem, sed omnis indivisibilitas oritur à lege positiva bona & titulos concatenante. Ipsamet regna possunt dividi & fuerunt de facto divisa.

Divisiones Imperii.

507 *An Veterum historiæ sint veræ?*

SI ad veteres Romanorum historias veniam, spongiâ utar ut eas purgem fabularum pulvere, quo Chronologorum incuria & studio Poëtarum sunt infectæ. Saturno igitur non jam Deo, sed Rege, victo, proscripto, expulso, filii tres de Imperio concertarunt. Concordiâ sic divisum est. Oriens (hoc est Asia) Iovi, Plutoni Occidens (hoc est Europa,) Transmarinæ regiones (ipsæ sunt Lybicæ) Neptuno contigerunt. Hinc fabulæ celeberrimæ occasio. Poëta nescioquis,

Obtigit imperii Lethæi opulentia Diti,
Neptuno pelagus, sydera sorte Iovi.

Cur Iupiter dicatur cæli Rex?

Aptè Iupiter cœlorum Rex dicitur, cui sorte obtigit Asia, ex qua nascuntur Sydera: regio autem Astripara analogia pulcherrima cœlum cognominata. Pluto *Dis* dictus quasi *dives*, quia sorte obtinuit Hispaniam, ubi Theologiâ veterum Elysii campi locabantur. Petrus Bertius in tabulis contractis pag. 156. describens hanc regionem sic ait. *Possidonis Hispaniæ subterranea non inferno, sed Pluto ipso opulentiæ Deo dixit inhabitari; tantam ratus est in eo tractu metallorum fœcunditatem. Imò verò & Homerus opum ejus Provinciæ haud ignarus in ea Elysium effinxit campum & Diis dicatam sedem, ad quam vaticinans Proteus Menelaum decinit emigraturum.* De Lymia (fluvius est Lusitaniæ) in mei Philippi Prudentis proœmio num. 2. *Lymia apud Metrographos antiquos celebris, Ληθὴ æolicè cognominatur, & creditur nocivus reminiscentiæ organo propter excessum humoris: atque hinc fabulæ occasio, & radius Poëtarum sacramentis.* Audit Plutus, quia πλοῦτος *opulentiam* sonat, & antequam Hispaniæ præesset, nec dives erat, nec Plutus, sed Agesilaus dicebatur. Observavit inter alios Conradus Gesnerus in Onomastico. *Infernus* appellatur nonnunquam, quoniam & Occeanus *mare inferum* dicitur in quem per Herculis columnas exonerat Mediterraneum. Ignes, & flammas, illi attribuunt propter Pyrenæos montes, qui tales audiunt asserente Diodoro *lib.* 6. quod semel pastorum negligentiâ aut malitiâ succensi conflagrarint. Nec dissonat Neptuno imperium maris, cui sors contulit insulas & terras transmarinas.

Cur Pluto Dis?

Hispaniæ opes.

An campi Elysii sint in Hispania?

Lethe qualis sit fluvius?

Mare infernum.

Hanc divisionem totius mundi in Claro 508
civitate esse factam eruditissimi Scriptores asserunt, inter quos Nearchus citatur à Gesnero *verbo*, *Claros*; Lactantius & Natalis à Beyerlinckio *verbo*, *Divisio*: cujus rei index est ipsius civitatis vocabulum Κλάρος

enim dicitur ἀπὸ τῆς κληρώσεως hoc est, *à sortitione.*

Regionis Laconicæ divisio.

Euryſtines & Procles Heraclides Laconicas oras ſubegerunt manuducti induſtriâ Anonymi cujuſpiam proditoris. Regione potiti diviſerunt in ſex Provincias, quarum Principem (Sparta fuit) ſibi retinentes, ſecundam proditori, & quatuor alias amicis conceſſerunt. Strabo *lib.*8. ex Ephoro.

509 *Diviſio regnorum Alexandri.*

Poſt ſubjugatum mundum, miſerrimè devixit Alexander, quem nec generis claritas, nec cordis magnitudo, nec victoriarum terror à proditore liberavit. Tollitur ante diem, qui ſi minus fœlix fuiſſet in vita, in obitu fœlicior eſſet. Obiit, & reliquit ſucceſſores diſcordias, clades, diſſentiones, & bella. Tandem rebus compoſitis aut pacatis Imperio potitur Arridæus Philippi, qui poſtea etiam Philippus audiit. Is igitur ex Primatum conſilio Ptolemæo Lagi filio Ægyptum dedit; Laomedonti Mitylenæo Syriam; Philotæ Ciliciam; Pythoni Mediam; Eumeni Paphlagoniam & Cappadociam; Antigono Pamphyliam, magnam Phrygiam, & Lyciam; Caſſandro Cariam; Meleagro Lydiam; Phrygiam, quæ Ponto adjacet, Leonato. In Europa Thraciam Lyſimacho, Macedoniam Antipatro; Paropamiſadiam apud Caucaſum ſitam Oxyartæ Bractiano Regi, cujus filia Roxana ipſi Alexandro nupſerat; Sibyrtio Arachoſiam & Gedroſiam, Staſavori Solionem, Ariam, & Dranginam; Philippo Bactrianam & Sardianam, Phrataphernæ Parthiam & Hyrcaniam; Peuceſtæ Perſidem; Tlepolemo Carmaniam; Atrapæ Mediam; Archoni Babyloniam; & Arceſilao Meſopotamiam.

Vnius infortunio multi ſæpè fœlices fiunt.

Vide unius infœlicitate innumeros reddi fœlices. Quî poterat ſecurus inter illos Alexander vivere, qui fœlices eſſe non poterant eo ſuperſtite, & ſublato non poterant eſſe infœlices? O miſera cordis humani ambitio? ſe miſerum cenſens Alexander novos mundos ambiebat, ne miſer eſſet; ſed tunc incepit eſſe miſer, cùm fœlix videri: nam tunc primùm expoſitus ultimo diſcrimini cùm aſſecutus coronas ſufficientes, ut univerſos ſuos Primores ditaret.

An Princeps ſecurè poſſit vivere inter illos, quorum fœlicitas à ſua morte dependet?

510 *Diviſio Imperii ſub Auguſto.*

Auguſtus Cæſar Imperium Romanum diviſit in duas partes; alteram largitus populo, alteram ſibi retinens. Conceſſit eam quæ quietè & fideliter imperio ſuberat; adſcivit ſibi Provincias difficiles, indomitas, & jugum Romanum recuſantes. Strabo *lib.*17.

Diviſio facta ſub Severo.

Matris clementia & amor vitâ privarunt Getam Severi Imperatoris filium, & Imperium Romanum ſtabilita diviſione. Severo poſthumo remanſerunt duo filii, Geta & Baſſianus, qui aliàs vocatur Caracalla. Vt reducerentur ad concordiam conventum eſt, ut Aſia Getæ cederet, & Europa Baſſiano. Iulia eorum mater ne filiorum præſentiâ privaretur, conſtanter reſtitit, & in cauſa fuit, ut diviſio eſſet caſſa. Vtrumque æquè amabat, utrique volebat totum mundum; ipſi autem ſubacti imperandi ambitione inſidias ſibi tendebant. Baſſianus inſidiarum impatiens Iuliæ penetrale ubi & Geta erat, repentè ingreditur, & fratrem apud matrem interimit, & curis expeditus potitur toto imperio. Sabell. *lib.*5. *Ennead.*7.

Getam occidit Caracalla.

Deocletianus & Maximianus communi conſilio & authoritate orbem terrarum gubernabant, & nullius exemplo reſignarunt. Succeſſerunt Conſtantius & Galerius, qui rerum communionem pertæſi Imperium inter ſe diviſerunt. Elegit ſibi Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Italiam & Africam Conſtantius; Galerius Aſiam, Indiam, Ægyptum, Syriam, Armeniam, Arabiam, Meſopotamiam, Thraciam, Mœſiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Dalmaciam: imò & Italiam cum Africa obtinuit ex liberalitate Conſtantii.

511 *Deocletianus & Maximianus reſignant. Dividitur iterum imperium à Galerio & Conſtantio.*

Hæc Imperii pars, quæ Galerio obtigit, iterum ſubdiviſa: nam veniens in Italiam ex Illyrico duos filios Cæſares cooptavit, Severum & Maximinum. Illi Italiam & Africam; huic Aſiam, Ægyptum & regiones orientales (ſunt Syria, Armenia, Arabia, & Meſopotamia) conceſſit; retinuit Illyricum, quod Thraciam, Mœſiam, Græciam, Dalmaciam, Daciam, Pannoniam, & Macedoniam comprehendit. Sigonius *Imp.occid. lib.*2.

512 *Subdividitur Galerii portio.*

Magni etiam Conſtantini Imperium, quod latiſſimum fuit diviſum, fuiſſe legimus. Decimo imperii anno Conſtantinum Cæſarem creavit & ei conceſſit Hiſpaniam, Galliam, Britanniam & omnes Provincias Tranſalpinas: Conſtantio autem, quem anno 20. Cæſarem nominavit, Orientales à Propontidis freto: & Conſtanti, quem 30. anno donavit imperio, partes medias, nempe Illyricos, Noricos, Pannonios, Moëſos, Liburnos, Dalmatas, Thraces, Græcos, Macedones, Achajos, Africos, Italos. Euſebius *lib.*4. *de vita Conſtant.* Socrates *lib.*1. *cap.*39. Theodoretus *lib.*1. *cap.*31. à quibus parum abeſt Sozomenus *libri* 2. *cap.*34. Cuſpianus addit Conſtantinum jam moribundum conſtituiſſe Cæſarem Dalmatium Anniballiani fratris extincti filium, qui poſt tres annos à Conſtantii militibus ſimiliter extinctus eſt.

513 *Diviſio inita ſub Conſtantino magno.*

Valentinianus militum acclamatione Imperator creatus conſortem imperii Valentem fratrem deſignavit, quibus poſtmodum diſconvenientibus diviſum imperium. Oriens ceſſit Valenti, & Occidens Valentiniano. Sigonius *Imp. occid.lib.*7.

514 *Diviſio facta ſub Valentiniano & Valente.*

Theodoſius cognomento Magnus imperium diviſit teſtamento: legavit Arcadio Orientem, Occidentem Honorio. Sed quia ætate adhuc tenera non erant ſufficientes tanto oneri, illi Ruffinum, huic Stiliconem adjunxit in imperio Aſſeſſores. Cuſpianus A. D.

Diviſio ſub Theodoſio facta,

Reges Galliæ curaſſe ſemper unitatem & indiviſionem regnorum à nonnullis dicuntur: ſed ſi hiſtorias legamus, videbimus latiſſimum Magni Caroli imperium diviſum fuiſſe in tres coronas: Carolo ceſſit Alemanica, Pipino Italica, Ludovico autem Bono Cæſarea & Francica. Platina & Æmil. *lib.*3.

Carolus Magnus etiam imperium divisit.

Imperator Ludovicus Pius de Primatum ſuorum conſenſu imperii ſui coronas, diſtribuit inter ſuos hæredes. Lotharium imperii conſortem declaravit, donavit Pipinum Aquitania, Bavaria Ludovicum. Obiit ante patrem Pipinus, quamobrem Lotharium tutorem uxoris Iudithæ & Caroli conſtituit, & hunc declaravit Regem Aquitaniæ. Platina *in Sergio* II.

etiam Ludovicus,

Lotharius

516 *& Lotharius.* Lotharius Imperator providens suorum quieti, ne filii dissiderent imperium subdivisit hac lege: Italiam dedit Ludovico, & titulum Imperatoris; Lotharingiam Lothario; Carolo autem Burgundiam & Provenciæ partem: & valedicens sæculo in Prumiensi cœnobio Monachum induit, ubi laudabiliter vixit ad annum 855. Sigonius *lib. 5. regni Italici.* Caroli mortui Ludovicus & Lotharius hæreditatem diviserunt: Ludovicus sibi optavit Provenciam, Burgundiam Lotharius. *Æmilius lib. 3.*

Carolus V. dat regnum filio: imperiū fratri. Tandem Caroli V. quem si Magnum non nomines, saltem non poteris non dicere fuisse majorem illis omnibus, qui consensu gentium catholico Magni cognominati. Magnus fuit quidem cùm barbaras nationes & indomitas regiones subjugavit; major tamen, cum se vincens universa contempsit. Conspexit claris oculis omnia esse vanitatem, & Deo uni servire desiderans terrena despexit, ut expeditior cœlestium contemplatione frueretur. Cessit Regnum Hispaniæ filio, Imperium fratri; & qui Mundorum fuerat dominus, remansit pauper voluntarius.

517 *Divisiones Hispaniæ.* Omitto aliorum Regnorum divisiones, quia volumine egerent, si deberent expendi. Non recordabor Atilæ, post cujus obitum regnum forte divisissent filii superstites, ni Ardarici Gepidarum Regis fortissimus miles universa turbasset. Sigonius *lib. 13. Imp. occid.* Nihil de filiis Clodovei, qui asserente Æmilio *lib. 1.* regnum Gallicum in tetrarchias subdiviserunt circa annum 515. nihil de filiis Clotharii Regis, qui iterum Galliam diviserunt. Omittam Caroli Martelli historiam, qui moriturus Austriam & Sueviam dedit Carolo natu majori, Burgundiam & Franciæ partem Pipino. Ad Hispanias venio, & reperio innumeras Monarchiæ divisiones, ex quibus pauciores quidem, sed celebriores dabo.

sub Alphonso Magno, Alfonsus Magnus Hispaniarum Rex adhuc superstes investivit Ordonium filium suum coronis Galleciæ & Portugalliæ. Probo *in mei Philippi Prudentis proœmio 9.* Ecce duo regna ab aliis separata, & hoc ex Regis Optimi liberalitate. Regnabat Ordonius ann. 909.

Fernando, Anno 1064. Magnus Fernandus moritur; & relictis tribus filiis regna distribuit. Dat Castellam Sancio, Alfonso Legionem, Galleciam & Lusitaniam Garziæ. Brandao *lib. 10. Monarch. Lusit. cap. 6.* Garibayus *lib. 34. cap. 4. pag. 773.* Ioannes de Rojas *in Epit. succes. cap. 5. num. 30.*

Alfonso VI. Alfonsus VI. Hispaniarum Rex dedit Tarejam filiam suam Henrico Comiti & in dotem regnum Lusitanicum, anno 1094.

& Alfonso X. Alfonsus III. Lusitanorum Rex duxit Mathildem Bononiæ Comitissam, & ea superstite Beatricem Alfonsi X. Castellæ Regis filiam allectus coronâ Algarbicâ, quam Castellanus capite suo deponens & ab aliis separans Beatrici contulerat in dotem.

Divisio privatæ hæreditatis.

518 *Primogenito data apud* VArii apud varias nationes dividendæ hæreditatis modi. Apud Hebræos Primogenito cedebat duplex pars, unde si remanebant quatuor filii, hæreditas in quinque portiones diuidebantur, quarum duas haberet major natu, alii tres reliquas. Constat ex lege expressa Deut. 21. *Hebræos duplex portio.*

Romanorum decreto, si deviventis bona non fuerant suprema voluntate divisa, hæreditatem quam *Assem* vocabant in duodecim partes æquales dividebant, *Vncias* dictas. Hinc lux veterum libris. *Hæres ex asse* dicitur, qui unus & solus totam hæreditatem accipit: *Hæres ex uncia*, ille, cui cedit solummodo duodecima pars. *Hæredi ex sextante* debebantur duæ unciæ, & sic analogicè hæredes ex quadrante, ex triente, & ex quincunce instituebantur. *Vide Alex. lib. 1. cap. 1.* *Hæres ex asse quis?* *Assis partes.*

Videntur Romani non habuisse plures quàm duodecim filios politicos: sed quia hoc ipsum clarè non constat; esse verum eruditionis gratiâ supponamus, & ex hypothesi dialecticemur. Sanè si contingeret alicui esse viginti, octo ultimi censendi fuerant exhæredes. Ratio est, quia sicut ad hæreditatem indivisibilem tantummodò vocatur unus filius, sic etiam ad divisibilem solùm erant vocandi duodecim majores natu, & reliqui hæredes non erant; uncias enim voluerunt esse indivisibiles, ne nimia divisione omnes manerent pauperes: sic aliqui, licèt alii aliter Assem exponant. *An Romani habuerint plures quàm duodecim filios civiles?*

Communes hujus sæculi mores & leges nullum filium excludunt ab hæreditate divisibili, sed hanc jubent distribui æqualiter inter omnes nullo respectu habito aut ætatis aut sexus. *Hodie nullus filius excluditur.*

Resolutio à ratione.

519 *An hæreditas sit divisibilis aut indivisibilis secundum se?* SI hæreditatis naturam & ingenium considéremus, dicendum est non esse ex se indivisibilem moraliter, nec esse necessariò dividendam; sed esse prorsus indifferentem. Ratio est, quia si ex natura sua esset indivisibilis, numquam illæsa æquitate divideretur; atqui in omnium opinione dividitur frequentissimè illæsâ & inviolatâ justitiâ: ergo non est essentialiter indivisibilis. Hac eadem ratione parùm alterata demonstrabitur, hæreditates non esse necessariò dividendas; quia aliàs iniquum esset jus Majoratuum, & injustè leges de vinculandis bonis & titulis non dividendis; atqui nulla est Provincia, quæ non habeat & conservet summa cum laude tales leges: ergo dicendum eas non obversari juri naturæ morali; ac propterea addendum divisibilitatem non esse de essentiali conceptu hæreditatis.

Igitur hanc hæreditatem esse indivisibilem & illam divisibilem, pendet à concordia legitima hominum, & publica institutione: quia Respublica prospiciens bono publico tenebitur lege determinare quomodo posteri debeant Majoribus defunctis succedere; & si semel legem instituerit, quam populus acceptet, ex Regula XCI. standum erit illi legi.

Petis, *Vtra lex sit utilior, illáne quæ hæreditates divisibiles esse decernit, an quæ indivisibiles?* 520 *Quæstio politica, scilicet digna: & hac rerum tempestate maximè necessaria.*

Prudenter dubitas, utra utilior bono publico sit; non utra sit æquior, quia utraque esset æquè justa, cùm sit de re prorsus indifferenti, quæ legi naturæ morali nec consonat, nec

nec dissentit. Nec valet dicere illa esse æquiora, quæ sunt utiliora bono publico; quia negare Machiavelo non possumus, multa esse aliquando utilia conservationi status publici, quæ militant contra conscientiam. Pono exemplum. Invadunt Mauri Septam titulo religionis; incolumem servaturi, si defectionem faciat à fide & à fidelitate; deleturi si maneat fidelis Deo & Regi. Sanè in tali casu conservationi status publici utilior esset infidelitas, non tamen justior; quia debebant Septenses priùs mori quàm fidem Christianam abnegare.

Præstat perire Rempublicâ, quàm sine fide & religione vera conservari.

521 *Non expedit omnes hæreditates esse indivisibiles:*

Dico igitur utramque legem nocivam esse, si fuerit universaliter lata; utramque esse utilem, si invicem commisceantur.

Primò, si omnes hæreditates essent indivisibiles, Respublica scateret pauperibus imò & mendicis, quia communiter loquendo rarò hæreditas civium est tanta, ut primogenitus possit congruam sustentationem fratribus designare: frequentiùs verò hæreditatis portio sufficit ut filium adjuvet, ingenio, officio, aut arte instructum.

nec expedit esse divisibiles.

Secundò, si omnes divisibiles essent Monarchia debilis & careret nervis Communitas. Nam si Regia hæreditas divideretur inter filios, & istæ portiones iterum distribuerentur inter nepotes, potentissimo Regi succederent filii Reguli, nepotes Principes, pronepotes aut abnepotes pauperes. Et tandem facta divisione Communitas contra hostes & inimicos defendi non posset.

522 *Summa hæreditas non debet dividi.*

Ergo in Monarchia summa hæreditas sit indivisibilis, ne ipsa Communitas in partes divisa labascat. Corona cedat primogenito; fratribus alimenta assignantor; ipsis bona mobilia defuncti Regis, & si qua habebat, quæ non pertinebant ad Coronam, cedunto: imò & ipse ad publica officia digna suis personis, promoventor: sic bono publico providebitur, quin ipsi miseri & pauperes maneant. Eget Respublica Primoribus opulentis ut possint servire patriæ cum splendore & authoritate in variis occasionibus, aut in bello, aut in pace: ergo & istorum hæreditas sit indivisibilis, quia aliàs splendor, authoritas, & opulentia conservari non poterunt. Primatum (nempe Ducum, Marchionum, Comitum, &c.) fratribus congrua alimenta assignantor ex Majoratus bonis, ne ipsi pauperes maneant. Reliquo vulgo bonorum vinculatio interdicitor, & hæreditates privatæ inter propinquiores hæredes dividuntor. His positis controversiam hanc Assertis sequentibus claram reddamus.

523 *Resolutiones.*

PRIMVM. *Nulla hæreditas ab intrinseco & essentialiter petit dividi, aut petit non dividi.* Patet ex supradictis.

SECVNDVM. *Respublica petit suam conservationem directè & per se appetitu innato morali: indirectè autem omnia, quæ sunt necessariò requisita ad hanc conservationem.* Tam clara est, ut à nemine negari possit.

TERTIVM. *Respublica innato morali appetitu postulat non dividi* Patet quia fortior est virtus unita quàm dispersa. Postulat habere Primores opulentos, qui tales conservari non poterunt, si illorum hæreditates dividantur.

Dices, posse ad tantam molem excrescere, ut pondere ruat suo, & debeat vel perire, vel dividi. Respondeo nullam esse tantam, quæ si benè gubernetur, non possit subsistere: & quæ, si malè gubernetur, non debeat collabi & perire. At nos agimus de benè gubernata, & ideò Resolutio stat, stabitque hac objectione non obstante.

Hac in materia potest & solet in excessu peccari.

Majoratuum numerum ratio præcisè non determinat, demonstrat tamen dari vitiosa extrema. Laborat corpus physicum defectu & abundantia humorum; laborabit morale, si non habeat Primores sufficientes ad omnia munia publica, & legationes militares; laborabit identidem, si multos habeat; quia sicut non expedit quod in corpore humano omnis materia ad pedes confluat, sic nec expedit quod gravet manus; tunc enim corpus robustum, cùm humorum & materiæ quantitas proportionantur. Non aliter de Republica philosophemur: corpus mysticum est, & laborabit capite, si omnis regni substantia ad id pertineat, ut apud aliquas nationes factum. Si Rex exorbitet, omnes Ministros, omnes subditos laborare opus est; benè Poëta.

Corpus morale est simile corpori physico.

Cùm caput ægrotat, cætera membra dolent.

Rex caput regni, Primates sunt publici Status manus, vulgus pedes; si regnum laboret capite, ne unum quidem habebit membrum morbo liberum. Si manus regni essent plures pedibus, impedirent se mutuò; si pedes, gravarent. Si manibus regnum careret, esset expositum summis periculis & non posset se ab adversariis defensare.

Quid dicendum sit sublatis omnibus humanis legibus?

524 *Dubium incidens.*

INquiris; *Quî deberent hæreditatem adire filii hominis exlegis, qui ad nullam pertinerent Rempublicam; vel saltem essent in Republica quæ non haberet aut legem aut obligatorios mores in hujusmodi materia?*

Resolutio.

Respondeo in tali casu standum esse ultimo morientis decreto, qui ex causa rationabili posset aliquem exhæredare, aut suo arbitrio dividere; utpote verus dominus: quo nihil decernente, aut decernente sine causa, controvertunt curiosi quî debeant defuncti bona inter filios distribui.

525 *An plures sint ejusdem patris hæredes?*

PRIMA SENTENTIA asserit singulos in tali casu esse ex natura rei totum patrem moraliter, & singulos esse dominos in solidum totius hæreditatis: habere tamen inter se ætatis (& fortè sexus) subordinationem, quam persuadent sic. Idcò filius est hæres patris, quia moraliter est unus cum patre; atqui priùs fuit unus cum patre primogenitus, quàm reliqui: ergo priùs est hæres, ex Regula enim LIV. *Qui prior est tempore, potior est jure*, ergo ipse habebit hæreditatis dominium sine subordinatione, quod etiam fratres ipsius habebunt seniori subordinatum. Non poterit senior interdicere juniori hæreditatis usum, poterit tamen ea uti etiam juniore invito, quia cùm sit prior dominus, habet jus utendi priùs quàm alter, & si rem corrumpat legitimè corrumpit, quia si illa res esset pluries corrumpibilis, senior haberet jus corrumpendi illam priùs quàm alius. Nec urgeretur

senior

senior Regulâ LVI. *In re communi melior est conditio prohibentis*, diceret enim non esse legem naturalem sed humanam, & nos hîc agi ab omni humana præscindentes.

526 *An potiùs omnes filii sint unicus indivisibilis hæres?*

SENTENTIA ALTERA subtilior est, & asserit, ex jure naturæ morali non dari multos, sed unum hæredem moralem; quia unius patris non datur nisi una imago physica: addítque omnes filios esse unum & eundem hæredem moraliter. Si hæc opinio esset vera omnes hæreditates essent indivisibiles, & filii singuli non essent hæredes in particulari, sed omnes simul in communi. Nullus haberet jus speciale corrumpendi, dandi, aut alienandi illam rem invitis reliquis, sed deberet ex omnium consilio. Nam *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari deberet*; ut, ex lege naturæ ad Pontificiam jura transferens, Reg. XXIX. notavit Bonifacius VIII.

527 *An pater unica relatione respiciat multos filios?*

Probatur hæc sententia, & *primò*. Pater, qui habet sex filios, in Angelici Doctoris & illustrium Thomistarum sententia, non afficitur sex paternitatibus, sed una, qua universos respicit; ergo ipsi sunt sex termini physici, & simplex terminus moraliter: Patet consequentia, quia omnes identificantur physicè extrinsecè in connotato, hoc est in patre.

528 *An sit verũ illud Axioma,* Quæ sũt eadem uni tertio, sunt eadem inter se?

Secundò. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: atqui filius major & reliqui moraliter sunt una persona cum patre: ergo sunt una persona inter se. Major mihi est cõtingens, quia in Metaphysicis ostendo hanc non esse consequentiam infallibilem, *Identificantur uni tertio, ergo sunt identificata inter se.* Cæterùm eadem major à pluribus admittitur, apud quos hæc ratio fortissima esse debet.

529 *An fratres idemtificentur moraliter?*

Tertiò. Morienti fratri sine patre & liberis frater succedit: ergo quia erat una & eadem persona moraliter cum ipso, hæres enim & ipse qui physicè moritur, sunt eadem persona moraliter. Fratres igitur, siquidem sunt una & eadem persona moraliter inter se, non sunt plures hæredes, sed unus hæres. Omnes igitur per modum unius communitatis debent succedere in bonis parentis.

530 *Quid & qualis familia sit?*

Quartò. Familia est corpus politicum compositum membris moralibus; atqui sublato capite corporis physici, non dissolvuntur alia membra: ergo sublato è vivis patre, qui familiæ est caput, ipsa conservabit eandem membrorum moralium connexionem, quàm ante. Atqui ante patris obitum nullus filius habebat dominium rerum in particulari: ergo nec postea. *Confirmatur*, quoniam nec pater ipse est in speciali rerum dominus, quia proprietas pertinet ad totam familiam substantialem, quæ ex patre, matre & liberis componitur: in hoc enim distinguitur familia à famulia, quod familia sit Respublica connectens homines nexu intrinseco physico & substantiali, qualis est inter filios, patrem & uxorem: famulia autem, quæ aliàs familia accidentalis dicitur, sit congregatio hominum facta quasi per accidens; famulorum enim & domini nulla est connexio naturalis.

Discrimen inter familiã & famuliã.

Secunda sententia satisfit.

HÆC SENTENTIA subtilis est: & subnititur rationibus, quibus possumus facili negotio satisfacere.

531 *Ad primam* concedo antecedens, & consequentiam nego. Ratio est, quia, licèt probabile sit, quod relatio relativum respiciat, clarior & verisimilior videtur ea sententia, quæ docet, illam non relativum, sed absolutum formaliter respicere: sex autem illi filii secundùm suas entitates absolutas nullam habent identificationem moralem; quia hæc, ut supponitur in argumento, desumitur à connotato, filiorum autem absoluta entitas non afficitur aliqua connotatione, quia aliàs non esset absoluta, sed relativa.

An relatio respiciat relativum?

Ad secundam nego illud assumptum, quod quasi juratum & ab omnibus admittendum principium, præmittitur; quia multa sunt, quæ identificantur tertio & realiter distinguuntur inter se; & ne exemplis gravemini, proponatur solùm Trinitatis Mysterium, in quo Paternitas & Filiatio identificantur uni & eidem Divinitati, & tamen realiter distinguuntur inter se.

532 *Multa axiomata recepta in scholis, sũt falsa.*

Sed esto admittatur hoc assumptum, ut verum, inferant, Ergo, quia illi sex filii moraliter identificantur patri, identificantur moraliter inter sese: ergo priùs sunt hæredes, quàm identificentur, ergo pro illo priori non sunt unus hæres, sed plures. Probo consequentiam; esse hæredem formaliter consistit in identificatione morali defuncti & superstitis: atqui priùs filii superstites sunt una persona cum patre, quàm identificentur inter se, ergo priùs sunt hæredes patris quàm dicantur mutuò identificari. In illo igitur priori ostenduntur esse multi hæredes. Hæc solutio est fortissima, & altè memoriæ commendanda; quia in ea consistit præcipuum fundamentum hujus resolutionis.

Filii, si identificantur, priùs sunt hæredes, quã idemtificentur inter se.

Ad tertiam satisfacio ex dictis, non nego fratres esse unam personam moraliter, sed assero priùs identificari patri quàm sibi, ac propterea priùs esse hæredes quàm identificatos.

533

Ad quartam admitto omnia quæ in ratione præmittuntur, nego autem illam consequentiam, *Ergo nec postea*. Sanè mortuo patre fratrum identitas non dissolvitur, sed quid fieret argumentanti, si diceremus patrem non mori, quia licet physicè moriatur, moraliter æternus est, vivit enim æternùm in hæredibus, qui ab illo moraliter non distinguuntur; non quod ipsi identificentur illi tanquam alicui tertio; sed quod ille moraliter transsubstantiet hæredes, & sub eorum accidentibus moraliter substantialiter maneat. *Præterea* si hoc argumentum aliquam vim haberet; probaret utique filios non esse hæredes, quia si est necessaria & legitima hæc consequentia, *Ante patris obitum nullus filius habebat dominium in particulari, aut in communi: ergo nec postea.* Si igitur filii post patris obitum carent rerum dominio tam privato & speciali, quàm communi, qui dici potuerunt hæredes, maximè cùm hæres ille sit, qui succedit alteri in jure & dominio?

534 *An pater moriatur?*

Confirmatio supponit falsum, pater enim bonorum est absolutus dominus, quia si alicubi alienare non possit, hoc provenit non à rei natura, sed à jure speciali legitimè lato & admisso.

535 *Prima etiam sententia satisfit.*

SED ET PRIMÆ satisfaciam. Supponebat priùs tempore identificari patri primogenitum quàm filios reliquos, sed hoc falsum

est, quia vel agitur de identificatione physica vel morali; illa definit in conceptione, & ad hanc controversiam non refert, & moralis, si necessitatem naturæ, quæ nihil operatur frustra considerem, non identificatur cùm nascitur, sed cùm pater decivit, quia si pater æternus esset, non indigeret hujusmodi transsubstantiatione à qua identitas illa suboritur. Potest dici primogenitus identificari priùs, hoc est præstantiùs, digniùs, quia tempore nobilior est: non autem potest dici temperiùs identificari.

RESOLVTIO.

536 *Eligitur secunda sententia.* CEnseo secundam sententiam veram esse, & omnes filios esse eumdem patrem, sed divisibiliter, unde ille qui ante mortem erat physicè indivisibilis, fit moraliter superistes, divisibilis tamen. Vnde cùm omnes filii sint eadem persona patris, sequitur omnes habere idem dominium quod pater; cùm autem filii sint una persona moralis divisibilis, hinc est quod habeant dominium divisibile.

Resolvitur, quid fieri debeat juxta naturæ jus: Cùm hæreditas divisibilis est, ratione ipsa dictante, inter ipsos dividitur; nec contra æquitatem naturalem esset dare primogenito majorem partem, ut faciebant Hebræi ex indicto legis *Deut.* 21. quia in proportione servatur æqualitas Geometrica: nec eidem naturali justitiæ obversaretur Arithmetica æqualitas, cùm etiam probabiliter defendi posset in ratione imaginis & moralis identitatis, respectu patris omnes æquales esse.

quid juxta jura humana. Si lege aliter divisio hæreditatis instituatur, standum ipsi est; quia qui lege gravantur, cesserunt jure suo cùm illam admiserunt, ac propterea non possunt de gravamine inflicto causari.

De hæreditate indivisibili. Si hæreditas sit indivisibilis, putà majoritas, aut vinculum, à lege humana hanc indivisibilitatem sortita, cui debetur? Iuxta Europæorum mores debetur primogenito, & si qua concomitentur divisibilia, distribui solent.

ARTICVLVS V.

An consanguinitas habeat magnitudinis terminos?

537 *Realis nullos terminos habet:* SI rem altè indagemus gradus consanguinitatis physicæ omni termino carent, unde Petrum & Ioannem triginta gradibus distare asserimus, aut aliàs quadraginta: moralem autem consanguinitatem terminos habere opus est; quia aliàs omnes essemus consanguinei, quod bono publico non expediret.

at moralis illos habere debet. Termini consanguinitatis moralis necessariò ponendi sunt, sed in quo gradu? debet id prudentia decernere, sed non esset talis, si careret fundamentis quibus inniteretur.

Consanguinitas quid?

538 *Quid sit consanguinitas: & quotuplex?* FAvet ipsorum nominum consideratio; synonyma sunt hæc. *Consanguinitas, Cognatio, συγγενεῖα συγγενεῖα ὁμαιμοσια.* Dicitur *consanguinitas*, quasi communis sanguis unitas: imò qui ab eodem progenitore nati sunt *Cognati* nominantur. Συγγενεῖα autem sive συγγενεῖα (juxta varias scribendi opiniones eadem vox est) est idem ac communis genesis.

Consanguinitas carnalis, spiritualis, & legalis. Abstrahendo igitur à consanguinitate physica moralis debet dividi in Carnalem, Spiritualem, & Legalem. Cognatio legalis lege civili est instituta, Spiritualis Ecclesiastica, Carnalis pendet ab ipsa rei natura, ut prudenter cognitâ, in hoc enim à physica distinguitur, quod physica sit consanguinitas secundum se, prout præcedit humanam opinionem: at verò carnalis moralis (sic enim vocari debebit, ut à reali, seu purè carnali distinguatur) est ipsa realis consanguinitas prout subest dictamini prudenti proscribenti gradus aliquos remotos boni publici causâ.

Cognationis termini ad effectum matrimonii.

539 COgnationis termini introducti sunt propter urgentes causas, quæ cùm sint variæ, etiam varios effectus sortiantur necessarium est. Celeberrima est materia matrimonii, ideò exponenda priùs, quia est fundamentum juris hæreditarii.

An matrimonia inter consanguineos sint invalida ex natura rei? Si agamus de cognatione carnis primò inquirendum est, an ex natura rei sint matrimonia irrita inter cognatos, an verò jure positivo?

Ratio, quâ communiter talia matrimonia condemnantur, hæc est. Natura postulat filios subjici patri, marito uxorem; atqui si non vitaretur consanguinitas, leges hujusmodi temerarentur, ergo consanguinitas debet in matrimoniis evitari. Minorem probant; *An filius possit ducere matrem?* quia si filius matrem duceret, temeraretur patria authoritas; mater enim filio subesset, & si hæc maneret inviolata non posset non temerari connubiale jus naturale aut divinum, subjiciens fœminam viri authoritati. Consultò *naturale aut divinum* disiunctivè ponitur, quia ex rei natura uxor non subest dominio viri, sed est condomina, ipsi servire non debet sed condominari familiæ, subordinatè tamen, nempe secundum prudentiam non propriam, sed mariti: in paradiso miserabiliter deliquit, & condemnata fuit divinitùs subjectionis pœna ab universorum Domino eam arbitrio & dominio mariti subjicienti. Fortia sunt illa verba, Genes. 3. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Ex hac enim condemnatione clarè colligitur in innocentiæ statu maritum non fuisse fœminæ dominaturum.

An pater filiam? An frater sororem? Sanè, si hæc ratio admittatur prout exponitur ab adversariis, probabit non obversari naturali rerum ordini matrimonia contracta inter fratres, imò nec contractum inter patrem & filiam, quia tunc hæc esset subjecta duplici titulo (filiationis videlicet & matrimonii) quia per tale matrimonium non tolleretur debita subordinatio.

Præterea, qui historiam Adami & Evæ 540

ignorant,

An uxor marito ſit ſubdita ex naturæ rei?

ignorant, aut non admittunt, ſi prudenter philoſophentur, uxorem mariti dominio non ſubjicient, & ſi uxor non ſit marito ſubdita, cur non poterit eadem eſſe & conjux & mater?

Conſideretur iſta ratio.

Sed eſto; ſit uxor ſuo marito ſubdita jure naturæ, & ſtatûs ipſius ingenio poſtulante, *An repugnat eandem perſonam reſpectu ejuſdem præponi & poſtponi, jubere & obedire, dominari & ſervire in diverſis generibus?* Si filius ad Reipublicæ faſtigium evectus & Princeps factus patrem habeat: illi ſuberit in ordine cognationis, præerit in ordine civili: ergo ſimiliter, ſi filius matrem duceret, ipſi præeſſet in ordine connubialis, ſubeſſet in ordine patriæ authoritatis.

Nec proderit dicere utramque authoritatem (patriam & connubialem) conſanguinitatis eſſe, quia etiam utraque illa authoritas (nempe patria & politica) moralis eſt & nihilominus compatiuntur in eodem ſubjecto. Ergo ſicut ſub eodem genere phyſico non opponuntur album & non dulce, neque dulce & non album; ſic etiam nec opponi poterunt præeminentia patria & non præeminentia connubialis, aut connubialis præeminentia & carentia præeminentiæ patriæ.

541 *Apud Hibernos pater ducere poterat filiam.*

Patris & filiæ matrimonium non fuiſſe contra legem naturalem expreſsè docuerunt multi Ethnici, quorum hiſtorias quotidie legimus in variis libris. Hiberni ingenio ſunt fœlices & præcoces, habuerunt viros præclaros & doctos antequam Evangelium admitterent in ſua idololatria fuerunt exacti, timorati, & ſolliciti, nihilominus aliquando publica reſolutione decreverunt licere filiam duci à patre. Hiſtoriam expendit Surius die 15. Maia ex Petro Cameracenſi & aliis, aſſerens B. Dympnam pulcherrimam adoleſcentem Regis Hiberniæ filiam, & cæleſti lumine illuſtratam nomen dediſſe Chriſtianæ Religioni, Mortua matre in comitiis de Dympnæ ſponſo, Regis genero, imò futuro Rege tractabatur. Dilectæ filiæ Rex Monarcham tanta dignum Principe exoptabat. Examinatur, controvertitur, diſputatur, & tandem ex plurium ſuffragiis Conſcripti Patres reſolverunt, cuinam deberet nubere; *Nos quidem*, inquiunt, *Invictiſſime Rex, Majeſtatis tuæ juſſis obtemperantes, nullum præter Te tanta Principe dignum reperire potuimus; & præter Dympnam, nullam inter Principes dignam te conjuge. Si placet, jube illam tibi potiùs fœlici matrimonio conjungi.* Placuit parenti reſolutio, diſplicuit virgini, quæ ſub initium diſſimulans in Belgium profûgit, ubi capitur, & in patriam redux, cùm conſtans remaneret vltima ſententia condemnatur.

542

Omitto hujus hiſtoriæ circumſtantias aliquas, licèt digniſſimas ponderatione. Video tamen inter Hibernos ſupponi talia matrimonia eſſe licita, quia ſi ipſi ſenſiſſent illa jure naturæ, cui etiam in Gentiliſmo tenebantur, eſſe irrita, nullo modo decreviſſent illud connubium, nec inſolenti decreto adquieviſſet Rex; aut ſaltem, ut vulgo ſatisfacerent, colore & prætextu juris excuſaſſent. Præſumendum eſt igitur non fuiſſe inſolens, quod decretum nullo contradicente.

Nec ſufficit reſtitiſſe conſtanter Beatam Principem, quia ipſa Chriſtiana erat, & in noſtra Religione interdicuntur talia matrimonia. Imò hinc videtur deduci conjecturam aliquam in contrarium. Ideò Dympna corde virili reſtitit quia Chriſtianis in primo gradu contrahere matrimonia non licet; ergo ideò Regis Conſiliarii, imò & ipſemet Rex connubium hujuſmodi inſtituerunt, quia in Religione idololatrica permittebatur; fortè eò collineantes ut illam longiùs à Chriſtianiſmo averterent.

Sed omiſſis aliorum ſententiis, quid tenendum ſit aperiamus.

543 *De matrimonio avi & neptis: aviæ & nepotis.*

Conclvsio I. *Matrimonia inter avum & neptem, nepotem & aviam ſunt valida jure naturæ.* Ita Sanchez *lib.7. d. 51. num.19.* Filliucius *tract.10.2.part.cap.5.* Bonacina *quæſt. 3.punct.5.§.1.nu.8.* Sà *verb. Matrimonii imped. num. 4.*

544 *De matrimonio fratris & ſororis.*

Conclvsio II. *Connubia inter fratres ſunt valida jure naturæ.* Hanc probabilem cenſent Baſſeus *in Floribus, verb. Matrimonium, num.24.* Præpoſitus *in Additionibus ad 3.part. quæſt.7.dub.9. num.73.* & alii. Abſolutè illam defendunt Hurtadus *de Matrim. diſp.17.diff. 5.num.12.* ubi citat Scotum, Cajetanúmque. Baſilius Pontius *lib.7.de Matrim. cap.32.n.3.* ubi citat S.Thomam & alios: & nuper P.Acacius March.de Velaſco *tom.1. verb.* Diſpenſacion. *reſol.249. num.3.* qui *num.4.* ex Pontio monet poſſe Pontificem faciliùs diſpenſationem concedere, quando fraternitas non eſt uterina. Et hîc ego aliquid non intelligo. Sanè fratres ex eodem patre & matre natos ſtrictiùs teneri non uterinis certum eſt: at uterinos ex eadem matre & duobus patribus ſtrictiùs uniri non uterinis ex eodem patre & duabus matribus, conceſſurus non ſum.

An uterini magis ſint fratres, quàm non uterini?

An hæc Concluſio ſit erronea?

Hanc Concluſionem *erroneam* vocat Sotus *in 4. diſt.40. quæſt.unic. art.4.* & Acacius hanc cenſuram inurit hac cenſura. *Engañaſe*, ait, *el dicho P.Maeſtro, porque la opinion affirmativa es muy provable*, &c. Sed cur illam vocat *erroneam* Sotus? Quia *cap. Gaudeamus. de divort.* ſtatuit Innocentius III. *converſos ad fidem, qui antea in ſecundo gradu, & in ulterioribus contraxerunt, non eſſe ſeparandos.* Ergo ſupponebat Pontifex, eos, qui in primo gradu contraxerant, eſſe ſeparandos. Reſpondet Acacius Pontificem rogatum fuiſſe de ſecundo & aliis remotioribus gradibus, & ideò de illis reſpondiſſe: non fuiſſe rogatum de primo, & ideò de hoc nihil dixiſſe. Et hîc obiter miror P.Sotum, cujus Logica etiamnum laudatur, vi unius argumenti negativi noſtram ſententiam notâ gravi inuſiſſe, cùm ignorare non poſſet argumento negativo nil probari efficaciter.

An argumentum negativum ſit efficax?

An dentur gradus divinitùs interdicti: & quinam illi ſint?

Fortiùs probaretur Soti opinio, aut etiam cenſura ex *cap.literas.de reſt.ſpoliat.* ubi Pontifex dicit. *Se non poſſe diſpenſare in gradibus prohibitis Divina lege.* nam ibi Gloſſa omninò conſonat agens *de gradibus interdictis.* Ex his verbis hoc argumentum poteſt fieri. In plurali loquitur Pontifex. Ergo dantur gradus interdicti. Patet: quia, ſi ſolus primus eſſet interdictus, *ſe non poſſe diſpenſare*, diceret, *in gradu prohibito Divina lege.* Ergo, cùm graduum nomine intelligere non poſſimus primum ſecundúmque, aliàs enim hoc caput

Literas capiti *Gaudeamus*, contradiceret: debemus intelligere primum in linea recta, & primum in collaterali. Reſpondet Acacius verbum illud, *non poſſe*, ſignificare *non debere ſine magna cauſa*. Sed non ſatisfacit, quia ut mater nubat filio, aut pater ducat filiam non poteſt diſpenſare Pontifex in Acacii ſententia: ergo, ſi æquè interdixit Deus matrimonia inter fratrem & ſororem, ac inter patrem & filiam, aut matrem & filium, non poterit diſpenſare Pontifex, etſi ſuccurrat magna cauſa. Reſpondeo Pontificem agere de gradibus Divina veteris Teſtamenti lege interdictis, & hoc poſito ſtat ſolutio ſcitè data ab Acacio: & ſic illud *lege Divina* intelligi debere conſtat; nam ibi etiam agitur de fratris uxore non ducenda, cùm tamen poſtea ipſemet Innocentius in hoc gradu conceſſerit diſpenſationem: quem imitati ſunt alii Pontifices, nam Emanuël Luſitaniæ Rex duas ſorores duxit ſub Alexandro VI. & uxorem fratris Henricus VIII. Angliæ Rex ſub Iulio II. Domina Princeps de Ligne, & Regina Poloniæ nupſerunt nuper duobus fratribus: illa ſub Vrbano VIII. & hæc ſub Innocentio X. Vide Dianam *part.4.tract.4. reſol.93.* & Antonium Cotonium *in ſumm.verb.* Diſpenſare. *num.* 4.

An non poſſe *ſignifieet* non debere?

An poſſit diſpenſare Pontifex ut aliquis duas ſoroves ducat?

Sed unde probabitur matrimonia inter fratres non eſſe prohibita jure naturæ? Cajetanus in cap.19.Matthæi lit. D. & ex illo Acacius, ut id ſuadeant utuntur illis Chriſti verbis. *Propter hanc* (uxorem) *relinquet homo patrem & matrem.* Et cur non dixit Chriſtus, *Propter hanc relinquet homo fratrem & ſororem?* Cajetanus. *Per hoc ſignificatur omnes alias perſonas eſſe habiles, ut ſint conjuges: ex eo quod ſolos patrem & matrem excludit, reliquos (ſcilicet, fratres, ſorores, &c.) liberos ſignificavit.* Sed in re tam gravi hæc probatio non videtur firma: ibi enim agitur de dimiſſione, aïtque Chriſtus tam ſtricto vinculo maritum ſuæ uxori teneri, ut potiùs patrem & matrem debeat, quàm uxorem dimittere.

An Deus matrimonia inter fratres interdixerit, eſt quæſtio facti.

Ego autem duobus argumentis hanc ſecundam Concluſionem perſuadeo. *Primum ſit.* Ex matrimonio fratrum non ſequentur duo contradictoria ſimul vera, ergo non repugnat ex natura rei. Ergo, ſi eſt invalidum, dirimitur lege divina. Ergo, ſi hoc impedimentum dirimens poſuit Deus, erit invalidum, validum ſi non poſuit. At inhibuiſſe hæc matrimonia Deum ſub pœna nullitatis, ita ut illicita & invalida ſint, eſt quæſtio facti, & factum debet probari. At nemo illud hucuſque ſufficienter probavit. Ergo poterimus prudenter dicere ejuſmodi præceptum non dari. *Secundum ſit.* Primi fratres non contraxerunt contra jus naturæ, & tamen matrimonium contraxiſſe certum eſt. Nec juvat ad neceſſitatem extremam recurrere, quia rerum naturæ neceſſitatis violentiâ non mutantur. Vel attende.

Quàm ſeverè obliget lex naturalis?

An & quis in illa poſſit diſpenſare?

Fornicatio, mollitiéſque ſunt contra legem naturalem. An-ne ad vitam conſervandam, aut gentem propagandam, licebit aut ægrotum pollui, aut ſanum fornicari? An, ſi de toto mundo ageretur, liceret alicui mentiri? minimè. Ergo Lex naturalis talis eſt, ut nullam humanam diſpenſationem admittat: & hoc in omnium Theologorum ſententia: & in ſchola Angelici Doctoris eſt talis, ut nec Divinæ diſpenſationi ſubjaceat. His poſitis ſic argumentor. [Filii Adami duxerunt in uxores ſuas ſorores de facto, & non reprehenduntur à ſacra Scriptura: ergo fuit illis licitum hæc matrimonia inire. Non erant igitur interdicta jure naturæ.] Nec juvat ad diſpenſationem recurrere: quia hanc non admittunt Thomiſtæ: & cum Scotiſtis dico, poſſe Deum diſpenſare in Decalogo, at non conſtare in illis matrimoniis diſpenſaſſe. Ergo, qui diſpenſaſſe Deum in illis diceret, temerè & ſine fundamento pronunciaret.

An Eccleſia aliquando in matrimonio fratris & ſororis diſpenſaverit?

Si hæc matrimonia non dirimuntur Iure naturæ, ſed ſolo Eccleſiaſtico, ſequitur poſſe in illis diſpenſare Pontificem. An aliquando diſpenſavit? Aliqui docti ab Angelo affirmant: at ipſos hanc doctrinam dedocet P.Iacobus Gordonus in Opere Chronologico ad annum 1420. dicens. *Quod ſcripſit Author Summæ Angelicæ, verbo* Papa. *Martinum Papam cuidam matrimonium indulſiſſe cum ſorore germana; purum putumque mendacium eſt: propinquam tantùm notat Antoninus, quem ille citat. Lege Genebrardum in Martino V.* [Et quidem aliud eſt errare, aliud mentiri. Eſto erraverit Angelus; unde ſcit Gordonus illum mentitum eſſe?] Ergo, cùm ſit hæc quæſtio de facto, & hoc non probetur, dicendum eſt, *Summos Pontifices in fratris & ſororis matrimonio nunquam diſpenſaviſſe.*

545

De matrimonio patris & filiæ: matris & filii.

Conclvsio III. *Matrimonium in primo gradu rectæ lineæ* (putà patris & filiæ, filii & matris) *irritum jure naturæ docent omnes.* Subſcribo, ne ſingularis videar, licèt non reperiam rationem quæ perſuadeat eſſe hoc impedimentum naturale. Si contingat Authores reperiri, qui negent, illis me adnumera, aliàs in ſententia communi remaneamus dicentes eſſe contra naturæ jus, licèt lumine naturæ conſule non videatur aliquam habere repugnantiam: meliùs eſt enim intellectum in doctrinæ communis obſequium captivare, quàm aperire novam viam in materia graviſſima.

An debeamus viam tritam deſerere in rebus practicis & quæ Sacramentorum valorem concernunt?

Sed ſtatim Caramuelis ſcrupulum demiraris, quem ſcis non turbari cùm ſolus vias novas frequentiſſimè ingreditur, & maximè in hoc Opere, quod totum novæ viæ aperiendæ & firmandæ conſcribitur. Et reſpondeo puſillanimem eſſe, qui in ſcientiis naturalibus claras notitias proprias alienis conjecturis poſtponit. Et quia multæ quæſtiones in Theologia ſunt, quæ mores non tangunt, etiam puſillanimem illum, quem aliena authoritas moretur contra rationes ſolidas. At ubi de Sacramentorum valore, & conſcientiæ ſecuritate agitur, non tam liberè procedendum eſt. Eſto neſciam, cur matrimonia patris & filiæ, filij & matris debeant credi irrita jure naturæ, eſto rationes fortes videantur mihi contrarium perſuadere; facilius eſt unum quàm omnes Doctores errare; ideóque prudenter, ut opinor, doctrinæ communi ſubſcribam, quamdiu non niſi ſolus ab illa diſcedere poſſim; quod ſi reperiam comites ſufficientes, ut contraria ſententia evadat authenticè probabilis, ſi illis adnumerarer; dolerem: eſſet in cauſa timor meus, quod illa probabilitate careret, ac ideò illicò eiſdem ſubſcriberē.

Conſanqui

Consanguinitatis gradus in Lege veteri.

546 *Recensentur varii gradus consanguinitatis in sacris Bibliis interdicti. Patris & filiæ, aut matris & filii matrimoniũ. Fratris & sororis.*

REperio varias sanctiones in Testamento veteri graduum impedimenta designantes ; impedimenta inquam , quæ dirimunt contractum & consummatum matrimonium.

Primò igitur decernitur matrimonium cum patre aut matre esse invalidum Levitici 18. 7. *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est , non revelabis turpitudinem ejus.*

Secundò annullatur contractum cum sorore. Ibid. vers. 9. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* Et cap. 20. 17. *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illáque conspexerit fratris ignominiam ; nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi sui.*

Avi & neptis. Aviæ & nepotis.

Tertiò cassatur matrimonium initum cum nepte. Ibid. vers. 10. *Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis , quia turpitudo tua est.*

Matrimoniũ cum matertera aut amita.

Quartò , consummatum cum matertera & amita nullum esse exponitur vers. 12. *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies , quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis , eò quod caro sit matris tuæ.* Assonat cap. 20. vers. 19. *Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies : qui hoc fecerint, ignominiam carnis suæ nudabunt : portabunt ambo iniquitatem suam.*

Matrimoniũ patrui.

Multi putant fuisse etiam interdicta matrimonia cum patruo, quia vers. 14. dicitur, *Turpitudinem patrui tui non revelabis.* Sed hæc verba conjungenda esse cum consequentibus, *nec accedes ad uxorem ejus , quæ tibi affinitate conjungitur*, colligitur ex Iudic. 1. 13. ubi Axa nupsit Otomieli patruo suo.

Gradus affinitatis in Lege veteri.

547 *Adduntur etiam varii gradus affinitatis in sacra Scriptura interdicti.*

PRimò , non licuit contrahere cum novercâ, dirimente tales contractus sacrâ paginâ Levit. 18. vers. 8. *Turpitudinem uxoris patris tui* (hoc est novercæ) *non discooperies , turpitudo enim patris tui est.* Hanc legem temeravit Absalon ; ut constat ex 2. Reg. 20.

Secundò , dirimitur cum uxore patrui : constat ex vers. 14. cap. 18. jam citati : & confirmatur ex cap. 20. vers. 20. ubi dicitur, *Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui , & revelaverit ignominiam cognationis suæ , portabunt ambo peccatum suum.*

Tertiò, cum sorore uxoris vers. 18. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non admittes , nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.* Vbi notandum ex vi hujus sanctionis non interdici viro ducere sororem uxoris jam mortuæ. Quia tametsi utrumque sensum possit habere littera , in materia odiosa etiam tunc favorabiliorem elegerunt ; ut & nos faceremus nunc ex Regula XV.

Quartò , interdicitur matrimonium cum nuru vers. 15. *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis , quia uxor filii tui est , nec discooperies ignominiam ejus.*

VIOLAVERAT Absalon decem Patris concubinas ; quas David ampliùs non cognovit, quia censebat eas esse quasi nurus. 2. Regum 20.

Quintò, nemini licebat uxorem fratris adhuc superstitis, aut post suscitatum semen ducere , vers. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis , quia turpitudo fratris tui est.* & cap. 20. vers. 21. *Qui duxerit uxorem fratris , rem facit illicitam.* Hanc legem temeravit Herodes, & arguitur à Ioanne Baptista. Mortui fratris sine liberis uxorem tenebatur frater superstes ducere , ut constat ex Deuter. 25.

Sextò, interdicebatur conjugium cum filia uxoris , & cum uxoris nepte ex filio , aut ex filia. Clarissima sunt illa verba vers. 17. *Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis ; filiam filii ejus & filiam filiæ illius non sumes , ut reveles ignominiam ejus , quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.* & cap. 20. vers. 14. *Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus , scelus operatus est : vivus ardebit cum eis , nec permanebit tantum nefas in medio vestri.*

Præter istos gradus , reliqui omnes cognati ad matrimonii effectum censebantur consanguinei non esse. Ecce veros consanguinitatis termini à Lege antiqua constituti, breviter etiam de terminis Lege Ecclesiastica constitutis apud orthodoxos Christianos disseramus.

Cognationis gradus in lege Catholica.

548 *Resolutio ex Iure novo Pontificio desumitur.*

COgnatio carnalis ultra gradum quartum non cognoscitur , sive linea sit recta, sive transversalis ; *cap. non debet. de consang. Concil. Trid. sess. 24. de matr. can. 3.* si duo inæqualiter distent , denominatio sumitur à gradu remotiore , *C. finalis de consanguinit.* Hinc est quod cognati, qui quinque gradibus distant, quoad matrimonii considerationem non sint consanguinei moraliter , sed solùm physicè , quoniam moralis consanguinitas in ordine ad matrimonium non extenditur nisi per quatuor gradus. Hæc dixerim consulendo jus novum, scio enim antiquitùs latiùs patuisse gradus consanguinitatis , unde *cap. nullum* , & *cap. æqualiter 33. quæst. 3.* ubi notat Basseus *in florib. verb. Matrim. num. 71.* usque ad gradum septimum moralis consanguinitas extendebatur.

Gradus affinitatis.

549 *Quid sit affinitas ?*

AFfinitas definitur esse *propinquitas personarum proveniens ex carnali copula, perfecta licita aut illicita.* Ita Doctor Angelicus *in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 3.* Filliucius *tractat. 10. 2. part. cap. 6.* Reginaldus *lib. 31. num. 145.* Sanchez *lib. 7. disp. 64.* Gutierrez *de matrim. c. 99. num. 6.* Basseus *in flor. verb. Matrim. num. 68.* & alii.

Carnalis copula perfecta est illa in qua intra vas naturale vir & fœmina seminat : quia cùm hæc materia odiosa sit , juxta Reg. XV. restringi debet.

An ad contrahendam affinitatem, aut matrimonium copula debeat esse completa?

Hinc constat copulam ad contrahendam affinitatem debere talem esse , qualem requirit matrimonium ut asseratur consummatum : ac propterea , non contrahi pollutione tactibus fœmineis procuratâ ; neque Spadonum concubitu ; neque ex copula , in qua vir non

seminat licet fœmina, aut contra; neque ex sodomitica; neque ex habita cum muliere defuncta. Ratio est, quia nullo ex his modis sequitur, aut sequi potest generatio. Ita Bonacina *quæst.3.punct.12.num.12.* Sanchez *disp. 64.num.10.* Gutierrez *cap.54.*

550 *Quid sit cõpleta copula?*

Examinant authores an copulâ carnali in qua deciditur semen tantùm virile, aut consummetur matrimonium, aut contrahatur affinitas? Quæstio potiùs medica quàm Theologica est, quia certum illud consummari & hanc contrahi illâ copulâ quæ sit sufficiens ad generationem. Vtrùm semen fœminæ sit requisitum necessariò, peti debet à Physicis. Horum teste Basseo *ubi suprà num.70.* communior sententia illud requiri affirmat, quibus in Metaphysicis subscribo.

Gradus ex copula licita.

Affinitas contracta licitè, nempe in thoro connubiali, dirimit matrimonium eisdem gradibus, quibus carnalis consanguinitas; nempe olim usque ad septimum & nunc solummodò usque ad quartum. Concilium Tridentinum *sess.24.de matrim.cap.4.* Roderiq. 1. *part.cap.228.num.4.* Reginaldus *lib.31.n.147.* Filliucius *tract.10.2.part.cap.6.*

Gradus ex illicita.

Quæ autem contrahitur illicitè & extra matrimonium non se extendit ultra secundum gradum. Hinc est, quod maritus non possit ducere uxoris consanguineam in quarto gradu: possit autem ducere consanguineam in gradu tertio illius cum qua est fornicatus.

551 *Dubium incidens.*

Sed petis, *Vtrùm affinitas dirimat matrimonium ipso jure naturæ?* Qui asserunt, levi fulciuntur fundamento, ac propterea negativam sententiam eligo, quam aptè Basseus vocat probabiliorem; & probo sic. Sæpè Ecclesia dispensavit in primo gradu affinitatis, ergo potuit. Patet consequentia; quia aliàs diceretur excedere limites propriæ authoritatis, quòd esset manifesta injuria. Tunc sic; Atqui, si affinitas ex natura sua matrimonium dirimeret, non posset Ecclesia dispensare; ergo. Minorem probo. Ecclesia non habet authoritatem mutandi essentias rerum; ergo sicut non potest concedere quòd homo non sit rationalis, non poterit concedere, quòd summus affinitatis gradus matrimonium non dirimat, si affinitas & matrimonium ex se & necessariò opponantur.

Dispensationes ab Ecclesia concessæ.

Ecclesiam dispensasse in primo affinitatis gradu dixi, dixerunt ante me Basseus *verb. Matrim.num.72.* & alii, in quorum gratiam & confirmationem aliquas dispensationes, quæ ab Ecclesia concessæ hodie inveniuntur authenticè adnotatæ, *num.* 544. recensui.

De noverca, cùm sit in primo etiam gradu, est eadem omninò difficultas. Bellarminus *contr.de matrim.lib.2.de imped.* & ex eo Beyerlinckius *in theatro, verb.Matrim.pag.328.cap.* nunquam dispensatum fuisse ab Orthodoxa Ecclesia credit: Basseus autem *in florib. verb. Matrim. num.72.* [cito edit. prim.] non matrimonium solùm, sed & matrimonia fuisse celebrata cum novercis ex dispensatione Ecclesiæ affirmat, sed non probat.

De spirituali cognatione.

553 *Quid sit cognatio spiritualis?*

Sicut generatione corporea contrahitur consanguinitas, sic generatione spirituali, ex instituto mero Ecclesiæ, & solùm in Baptismi & Confirmationis Sacramentis Cognationem spiritualem esse dicimus *propinquitatem quandam personarum ex Baptismo aut Confirmatione consurgentem, & hoc ante ipsum matrimonium.* Ratio est, quia si illa sequatur, non dirimit matrimonium præcedens. Gutierrez *cap.100.* Filliucius *tract.10.2.part.cap.5.* Reginaldus *lib.31.num.148.* Sanchez *lib.7. disp.54.* Bonacina *quæst.3.punct.5.* §.2. Basseus *verb. Matrim. num.26.*

Inter quos reperiatur?

Cognatio hæc spiritualis primò connectit baptizantem & patrinos, non quidem inter se, sed cum baptizato: & hæc cognatio vocatur *Paternitas spiritualis.*

Secundò connectit baptizantem & patrinos cum parentibus baptizati: & hæc vocatur *spiritualis Compaternitas.* [Et eodem prorsus modo de Confirmatione philosophaberis.]

Hæc cognatio spiritualis violatur, non verò transfunditur per copulam: quamobrem patrini possunt conjungi matrimonio, & conjuges possunt patrini esse. Constat ex declaratione Pii V. in Bulla, *Cùm illius vicem.* Rodericus *tom.1.cap.229.* Henriquez *lib.12. cap.11.*

Hîc occurrunt duo casus, qui in nostro sunt Consistorio resoluti, me Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach vices gerente.

Vt contrahat consanguinitatem spiritualem oportet ut levet infantem de facto.

Primvs fvit. Titius advocatus à parentibus ut esset Petronillæ Patrinus, dignitatem acceptat, & ad Ecclesiam cum cæteris vadit: ibi Fridericus Legionarius & Titii superior comparet, cui Titius urbanitatis gratiâ cedit, permittítque ut puellam teneat & è fonte elevet. Post annos sexdecim Titius Petronillam vult ducere: & quærit, An impedimento laboret?

Fuit negativa Resolutio: non enim per invitationem aut acceptationem contrahitur spiritualis cognatio, sed per levationem ex fonte: in hoc ergo casu ejusmodi cognationem non Titius, sed Fridericus contraxit.

An patrini contribuant aliquid?

Secvndvs fvit. Solent multi advocari Patrini: quia ubi moris est, ut singuli dent infanti aliquid, pauperes multos advocant, ut eorumdem liberalitate juventur. An cognationem spiritualem omnes contrahunt?

Quot esse debeant?

Iussi in Bohemia, ut unicus adhiberetur: concessi interdum ut honoris gratiâ advocarentur plures, at unicus infantem levaret, & volui hunc libris ut patrinum inscribi, alios ut amicos & testes: nunc ad casum respondeo. Si multi sint, & omnes infantem levent è fonte, omnes consanguinitatem hanc contrahunt: si non omnes infantem levent, illi qui non levant, non contrahunt. Addo debere libris illos solùm inscribi, qui tenent seu levant infantem, cæteros honoris gratiâ adhibitos, esse patrinos politicos (si nomen placeat istud) non Ecclesiasticos.

Patrini alii Ecclesiastici, & alii politici sunt.

De

De cognatione legali.

553 *Quid cognatio legalis sit.*

LEgalis cognatio est *propinquitas quarumdam personarum ex adoptione proveniens.* Adoptio autem est duplex, perfecta videlicet, & imperfecta. Per *perfectam* adoptatus transit in potestatem adoptantis, & redditur hæres necessarius & adquirit jus in legitimam ac si esset proprius filius. Per *imperfectam* adoptatus non transit in adoptantis potestatem, sed fit illius hæres, non quidem necessarius, sed si ab intestato devixerit.

Adoptio duplex: perfecta & imperfecta.

Adoptionis solennitates legales observare necesse est, quia aliàs non teneret hic favor; ubi tamen nullæ sint leges de adoptione, hujuscemodi favor pendebit ab acceptatione & concordia, firmatâ juramento aut contractu; *Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur*, juxta Regulam LXXXV. sublatis autem legibus nulla solennitas requiritur ex natura rei. Coninck *d.* 32. *dub.* 3. *num.* 42. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 158. Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 5. §. 3. Sanchez *l.* 7. *disp.* 63. *num.* 2. Basseus *in florib. verb. Matrim. num.* 33.

554 *Adoptionis effectus.*

Hæc legalis cognatio contrahendum matrimonium impedit, & dirimit contractum, & extenditur hoc modo.

Primò, adoptans non potest contrahere cum adoptata, nec cum successoribus ejus usque ad quartam generationem.

Secundò, adoptans non potest ducere uxorem adoptati, nec adoptatus uxorem adoptantis.

Tertiò, filii adoptantis non possunt ducere adoptatam, nec filiæ nubere adoptato, nisi aut moriatur adoptans, aut ipsi emancipentur. Basseus ubi suprà, num. 35. ubi citat cap. *Per adoptationem* 3. *quæst.* 3. *cap. diligere* 30. *q.* 3. & Navarrum *cap.* 12. *num.* 45. *& cap. final. de adoption.*

HINC CONSTAT consanguinitatem moralem in ordine ad matrimonium habere suos magnitudinis gradus, & ultra quartum non extendi; imò non semper quartum ipsum pertingere, ut vidimus. Sed de cognationis, adoptionis, & naturalizationis essentia etiam in aliis locis tracto.

De consanguinitatis terminis in ordine ad hæreditatem.

555

NVllus hæres necessarius matrimonio & adoptione ablatis, ideò postquam egimus de consanguinitate in ordine ad matrimonium & adoptionem, opus est ut agamus de eadem prout cum hæreditate comparatur.

An, & quomodo filius distinguatur à patre?

Filius imago naturalis suorum parentum moraliter ab ipsis non distinguitur; etiam avus identificatur moraliter nepoti, sed per filium, hoc est priùs filio quàm nepoti vel nepti: & sic in posterum per lineam rectam. Etiam omnes, qui in linea collaterali, sunt idem moraliter inter se; quia illorum materia aliquando fuit una realiter, ut ostendi suprà. Ex rei natura ille est defuncti hæres, qui fuerit una persona cum illo in propinquiori gradu: sed petitur, *An qui remotè à devivente distat (putà in vigesimo gradu) dicendus sit esse cum illo una & eadem persona moraliter? an verò hæc identificatio habeat suos virtualitatis & extensionis gradus, quos transire non liceat?* Ago de hærede necessario; quia instituta hæreditas potiùs videtur habere rationem donationis aut legationis, quàm hæreditatis.

556 *Athenienſiũ ſententia.*

Athenienses ante Solonis leges semper moriebantur ab intestato, & bona ad propinquiores deveniebant. Notavit Plutarchus in Solone. Et propterea in eorum sententia non habebat ullos terminos moralis consanguinitas, sed in infinitum protendebatur. Etiam apud Germanos asserente Alexandro *lib.* 6. *cap.* 10. testamenta condere non licebat; liberi enim ab intestato hæreditatem adibant, & his deficientibus cognati propinquiores in quocumque gradu consanguinitatis. Testandi jus à Carolo Magno Saxonibus olim ereptum, à Ludovico Pio Imperatore restitutum est. Æmilius *lib.* 3.

Solonis lex.

Solon sanctis prudentissimis legibus hæredes necessarios absolutè distinxit à necessariis secundum quid. Hæres simpliciter & absolutè necessarius ille est, qui sine causa legitima exhæres evadere non potest: hæres autem secundum quid, qui potest privari hæreditate etiam sine causa, sed ex hypothesi quod directè aut indirectè non privetur, remanet hæres necessarius. Non privatur hæreditate quoties ille cujus est hæres moritur ab intestato; privatur autem directè, cum expressis verbis exhæres declaratur in testamento aut codicillo; indirectè verò, cum omnia bona aliis legantur. Voluit igitur Solon, solùm filios esse simpliciter & absolutè necessarios, qui sine gravi causa exhæredes declarari non possent: reliquos consanguineos nullo termino graduum constituto, esse hæredes imperfectos atque secundum quid. Ecce ad mentem Solonis necessaria consanguinitas non habet nisi unum simplicem gradum; imperfecta atque non-necessaria extenditur sine vllo termino.

An sit cognatus, qui distat undecim gradibus?

Potest Respublica determinare cognationis gradus in ordine ad hæreditatem privatam, tam in linea recta, quàm in collaterali, & ponere graduum determinatum limitem, ultra quem nemo consanguineus sive hæres dicatur. Potest, inquam, imò & debet tollendæ confusionis gratiâ; sed & fecisse asserit Basseus *in florib. verb. Hæreditas. num.* 2. Molina & Bonacina doctissimis viris citatis. *Deficientibus ascendentibus*, ait, *descendentibus, fratribus, & eorum filiis succedunt propinquiores per capita usque ad decimum gradum inclusivè.* Cognati igitur qui undecim aut pluribus gradibus distiterint κληρονομικῶς, seu in ordine ad hæreditatem, consanguinei non sunt, ergo eorum bona dicenda sunt carere hæredibus & cedere primò occupanti, ni lege publica aut fisco aut alii personæ applicentur.

557 *Quid in Coronis & Regnis dicendum?*

Sed inquiris; *Vtrùm in Majoratibus & Coronis dicendi sint esse morales consanguinei illi qui undecim gradibus distant à possessore?* Qui responderet negativè, deberet addere Henricum IV. cognomento Magnum, fuisse regni invasorem, & adhuc suppositâ lege Salica nostram Isabellam Claram Eugeniam aliàs legitimam Franciæ Reginam excludente ipsum illegitimè Coronam usurpasse; ratio est, quia Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex, & Henricus

Henricus IV. qui illi ſucceſſit, habent communem progenitorem S. Ludovicum Galliæ Regem, à quo ille diſtabat undecim gradibus. Igitur ſi conſanguinitas ultra decimum gradum non adſcenderet, debuiſſet Gallia cenſeri libera, poſſéque Monarcham eligere, ſi vellet; aut ſi maluiſſet, regimen univerſum mutare & induere Ariſtocraticum, aut quemcumque alium modum gubernationis.

Cæterùm cùm ſucceſſerit de facto Henricus, licet undecim gradibus ab altero Henrico ſejunctus, quem ægrè admiſſum legimus ratione religionis, (imò nec admittendum fuiſſe ni abjuratâ hæreſi ad fidem Catholicam reverteretur) non vetò ob carentiam politicæ conſanguinitatis, dicendum eſt in Galliæ coronâ vocari conſanguineum propinquiorem, licèt ab ultimo poſſeſſore pluſquam decem gradibus diſtet. Vix habemus notitiam alterius Monarchiæ quæ aliquando hæreditario jure ad conſanguineum gradûs undecimi delata ſit. Cæterùm cùm etiam futuris temporibus debitores ſimus, non ſolùm quæ de facto acciderunt, ſed etiam quæ poterunt, examinabimus. Proderunt ſequentes Concluſiones.

558 *Reſpublica in regni inſtitutione libera eſt.*

PRIMA. *In inſtitutione legitima Monarchiæ poſſunt Leges qualeſcumque ferri de hæreditate; nempe excludentes aut admittentes nothos & fœminas; vocantes proximiorem inſtitutori aut ultimo poſſeſſori, & hoc ſine ullo limite, aut gradibus determinatis.*

Monarchia inſtituitur non in quacumque tranſlatione, ſed in ea quæ Coronam adæquatè amortizat nemine juſtè reclamante.

559 Cùm bello juſto Regio aliqua adquiritur, pertinet ad victorem; excluſiſque Rege & omnibus hæredibus antiquis deferetur ad poſteros jure ferendo, ni ſubacta ſit ſub conditionibus, tunc enim ipſæ ex Regula LXXXV. debent ſervari.

Quid ſit Ius ſanguinis? quo ſuccedit proximior Inſtitutori.

PRIMO in tali caſu poterit victor Princeps, ſi nemini ſubditus, ſancire ut ſuccedatur in illo regno jure ſanguinis; quam ſanctionem eſſe prudentem ipſa rerum natura videtur acclamare, quia cùm ipſe ſit penes quem eſt victæ regionis diſpoſitio, videtur rationi conſentaneum, ut præponat ſibi propinquiores; ergo prudenter poterit præponere, ſi velit, nepotibus primogeniti filiis, filium ſuum ſecundum, quoniam ſecundus filius nepotibus proximior eſt. Hæc ratio propugnat æquitatem legis latæ à Muleyo Mahomedo ſub anno Chriſti 1548. de qua egi *in Philippi Prudentis lib. 1. in Sebaſtiano, pag. 75.* quia ſi belli tituli aut alio Muleyus erat abſolutus & exlex Marroci & Fezii Rex, potuit minores natu filios ſuos præponere primogeniti filii nepotibus.

Quid eſt Ius hæreditarium? quo ſuccedit proximior ultimo poſſeſſori. Sic intelligo voces, quas alii interpretantur aliter.

SECVNDO, ſi hæreditario juri ſucceſſionem regionis ſubjugatæ ſupponeret, etiam prudenter ageret; quia hoc jus ſubeſt paucioribus inconvenientibus.

TERTIO, ſi excluderet filias, juſtè excluderet; quia per filiarum ſucceſſionem transeunt Coronæ ad peregrinos, quorum imperium ſicut minùs gratum, ſic minùs aptum eſt; inconvenientia quæ Reipublicæ imminent, cui dominatur peregrinus expreſſit Eccleſiaſticus cap. 11. *Admitte ad te alienigenam*, ait, *& ſubvertet te in turbine, & alienabit te à tuis propriis*, & expendi *in Philippi lib. 5. diſput. 8. num. 47.* Victor igitur Rex excludere peregrinos à regimine poteſt, & efficaciter faciet, qui fœminas à ſucceſſione excludat, aut inducat, ut nubant indigenæ. Accinit Luſitanica lex, quam dedi *in mei Philippi lib. 2. quæſt. 1. art. 4. num. 7.* fertur à Rege Lamegi in Comitiis per hæc formalia verba. *Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum & habuerit filiam, iſta erit Regina poſtquam Rex fuerit mortuus de iſto modo: non accipiet virum niſi de Portugal.* Iſabella Magni Emanuëlis filia excluderetur hac lege, ni nupſiſſet viro de Portugal, ſed debuit neceſſariò admitti, quia nupſerat Carolo V. viro Portugallenſi, filio Philippi I. nepoti Maximiliani I. Imperatoris, pronepoti Leonoræ Luſitaniæ Infantis, & abnepoti Eduardi I. Luſitanorum Regis. Vide *Philippi mei lib. 5. diſp. 8. quæſt. 4. art. 1. num. 46.* Sanè prudentiùs fœminas à regni ſucceſſione excluderem, quàm permitterem nubere vaſallo; naſcuntur inconvenientia plurima in ſtatu politico, ſi ſubſit alteri, quæ habenas regni moderatur; ſcatet miſerrimis inconvenientibus ſtatui connubialis, cùm conjux uxori debet obedire. Teſtimonio ſit Scoticum illud regnum, quod matrimonio Reginæ Mariæ Stuard, & Henrici Stuard infœlix fuit, controverſiis afflictum, & tandem utroque privatum. Cùm indigena Reginam ducit, vel coronatur Rex vel vaſallus remanet. Si coronetur, jugum intolerabile imponitur Miniſtris & populo, imperabit illis, qui eis obtemperabat; præerit qui heri comitabatur: ſimiles autem Metamorphoſes ſine inconvenientibus non fiunt. Si non coronetur, ſed maneat ſubditus ut antea, & ſolùm ſit Reginæ maritus, qualia non accident? non deerunt, qui ſuadeant ipſi defectionem à debitâ fidelitate aſſerentes eum quà Reginæ maritum etiam Regem eſſe: quod eſſe falſum oſtendi *in Philippi lib. 5. diſp. 4. num. 41.* quid ſi ipſe adquieſcat? erunt bella inteſtina, & proditiones multæ ſub colore æquitatis. Ioanna II. Siciliæ Regina ducitur à Iacobo Borbonio Comite de la Marche, Ioannis Comitis de la Marche & Catharinæ de Vendoſma filio; contractus verò connubialis inter alias conditiones, quæ mea non referunt, ſtatuit, ne *Rex Siciliæ* appellaretur. Conſummatur matrimonium, & ambit Regis titulos; incipit eſſe exoſus conjugi, miniſtris inimicus, vulgo moleſtus, & tandem propriæ vitæ conſulens in Galliam transfugit, & Minorita factus dedit anſam Zoïlo ut aſſereret, deſperatione fieri nonnunquam Religioſos. Igitur, qui nolunt peregrino obedire, excludant potiùs fœminas à ſucceſſione, & vocent conſanguineos.

An excludendæ filiæ ſint? An alienigenæ benè gubernent?

An Philippus II. fuerit hæres Coronæ Luſitanicæ?

An expediat ut Regina vaſallo nubat?

De matrimonio Mariæ & Henrici in Scotia.

An Regina maritus ſit Rex?

De Regina Siciliæ matrimonio.

QVARTO, Princeps Victor poteſt ſancire ne conſanguinei vocentur ultra talem gradum lineæ rectæ aut tranſverſæ. In regno Hiſpaniæ, ni aliæ leges & conſuetudines faverent, conſanguineis ultimi poſſeſſoris, lex 2. tit. 6. part. 4. collaterales omnes gradus excluderet, dicit enim, *que el Señorio del Reyno heredaſen ſiempre aquellos que viniеſen por linea derecha.* Nempe, *Regni dominii illos hæredes eſſe, quirectâ lineâ provenirent*: non igitur qui tranſverſali.

An in Hiſpania collaterales ſint hæredes?

transversali, Imò & lex 2. tit. 15. part. 2. in linea recta videtur cognoscere solùm primum gradum, & nepotes excludere; id sonant ista verba, *Tubieron por derecho que el Señorio de Reyno no lo ubiese sino el Fijo despues de la muerte de su Padre.* hoc est; *Fuit jure sanctum ut præter filium ad nullum Regni corona deveniret, & hoc non nisi post mortem sui patris.* Consonat etiam litera Comitiorum Conimbricensium, quorum Protocolon extat Conimbricæ, ex quo noto hæc verba. *Segundo costume & leis de Hespanha dos filhos afora não pode soceder tal dignidade.* id est, *Ex consuetudine & legibus Hispaniæ, qui non sunt filii, non possunt succedere in tali dignitate.* Has leges aliter interpretandas esse ex contextu & moribus Hispaniæ docui *in Philippi lib. 5. disp. 4. num. 40. 41. & 86.* quæ si crudè intelligerentur, non omninò essent iniquæ, si futuros excluderet sibi subjectos; potest enim Monarchiæ institutor universos posteros suos excludere committendo populo electionem; & prudenter faceret, quia probabilis sententia fert utilius esse regno electionis jus quàm hæreditariũ, & qui huic sententiæ subscriberet prudenter Monarchiam, quam instituebat, afficeret jure electionis.

Modus instituendi Monarchiam.

Cùm Respublica libera instituit Monarchiam, potest similiter creare sibi Principem, nempe eligendo aut unam solummodò personam, aut unam integram genealogiam, aut solùm lineam rectam, aut qualitercumque censuerit expedire: est enim sui juris, & quæ potest nemini subesse, potest si malit eligere cui subsit, statutis conditionibus, quas consentaneas judicaverit.

560 *De jure adquisito & adquirendo.*

Secvnda. *Post Monarchiæ institutionem, si jura de successione alterentur, solùm obligabunt subditos, & hos sine præjudicio juris jam adquisiti; non verò illos qui coronæ non subsunt.*

Verbi gratiâ, Esto lex lata in Comitiis Lusitanicis sub Henrico Cardinale Rege per hæc verba; *Sit expers coronæ Lusitanicæ, extra Vlyssiponem natus.* Hæc lex non excluderet Philippum II. Castellæ Regem; quia is non tenebatur Lusitanicis Comitiis nec Henrico obedire; ac ideò non obstante hac lege deberet succedere in Corona. Excluderentur autem hac lege omnes nondum nati Regum filii, subditi eidem coronæ. Ratio est, quia in hoc distinguuntur leges à privilegiis & condemnationibus, quia leges non habent potentiam ad præteritum, quam privilegiis & condemnationibus concedo. Iniqua esset hæc lex; *Plectantur capite qui intrarunt heri in forum;* quia [Regulâ XXIII.] *Sine culpa non est aliquis puniendus;* cùm tamen intrare in forum, bonum aut indifferens sit, nec possit lege sequenti malum reddi. Esset justa, si dirigeret actus futuros & diceret, *Plectantur capite, qui cras adierint forum.* Privilegiis & condemnationibus posse adtingi & mutari præterita, constat ex legitimatione & exhæredatione. Illa quidem privilegium est, & concedit quod à parentibus conjunctis matrimonio sis moraliter natus, licèt physicè natus sis à solutis: hæc condemnatio est, & qui exhæres exponeris, declararis non esse moraliter illius hominis filius, qui te physicè genuit: ubi benè Iurisperiti retrotrahi jura dicunt & ipsa præterita mutare.

Præterea, non posse invitos & sine causa à Corona excludi nova lege, qui habebant jam adquisitum jus in regnum ex vi legum priorum, constat clarissimè; quia nulla lex nova potest spoliare aliquem bonis propriis sine causa legitima; ergo nec jure jam adquisito: atqui oriundi ex Portugalliæ Regibus legibus Lusitanicis subditi licèt non essent nati Vlyssipone, habebant de facto jus in regnum; ergo ex Regula XXIII. non deberent ante sententiam sine causa damnari. 561 *Nihil potest fieri contra jus adquisitum.*

Maneat igitur ratum præmissam doctrinam esse veram, Legésque solùm esse regulam operationum futurarum; cúmque Monarchiæ institutionem nullum jus præcedat, hinc est quod omnia successionum jura institutio determinet; hinc etiam est jure novo non posse sine causa illos declarari exhæredes, qui ex vi juris antiqui habebant jus in regnum de facto ante juris novi lationem. Consultò *sine causa* dixi; quia si detur sufficiens, non minus Princeps primogenitus, quàm privatus homuncio potest exhæredari, nempe ob crimen commissum post legem, quæ decernebat talem pœnam. *Omnes ferè quæstiones politicæ ad Reipublicæ institutionem revocandæ: inde enim omnis oritur authoritas & jurisdictio.*

DISPVTATIO V.

An Naturalizatione adquiratur dominium?

Svnt in provinciis, urbibus, pagis, multa bona communia (putà, sylvæ, fontes, pascua.) Illarum arbores indigenæ cædere possunt, peregrini non possunt: illos exteri adire non possunt: ista oves & pecudes peregrinorum non tenentur admittere. 562

Dico igitur Antonium hominem peregrinum sola naturalizatione fieri sylvarum, fontium, pascuorum & reliquarum rerum omnium communium dominum: quoniam ex Regula LV. *Qui sentit onus, etiam commodum sentire debet.* [Verba expono. Est indigena, natus in tali territorio, & quòd natus inibi sit, *illius territorii naturalis* vocatur. Naturalizatus; qui natus alibi obtinuit privilegium, ut ita se habeat, ac si ibi natus esset. Ponamus exemplum, vt clarior hæc doctrina evadat. Lege Hispanica peregrini, verbi gratiâ, à talibus & talibus officiis & ministeriis arceantur; talibus privilegiis fruantur indigenæ: Anselmus natione Romanus, nec ad illa munia admittitur, nec hisce fruitur privilegiis. Cæterùm si concedatur ipsi ut Hispanus sit, ita se habebit ac si Hispanus esset, ita ac si indigena; ad illa officia poterit promoveri, ad quæ Hispani; & illis uti poterit privilegiis, quibus Hispani utuntur, nullâ habitâ nationis differentiâ.] *Quænam intra naturalizatione adquirantur?*

De Polygeniis.

Sic Græcè vocantur, qui lingua vulgari *Geniſari.* qui ex alienigenis in aliqua regione nati. Putà, qui ex Hispanis in Belgio, aut qui ex Belgis nascuntur in Hispania. Si leges respiciamus. 563 *Monitum politicum, de his, qui pertinent ad di-*

versas patrias ratione parentum.

respiciamus. Omnes illis favent, & melioris conditionis dicuntur illis qui ad unam solam patriam pertinent; sed si hominum mores, omninò miserabiles sunt. Si ex Belgis in Hispania sis natus, aut in Belgio ex Hispanis, censeberis Belga inter Hispanos, Hispanus inter Belgas; & eris apud utrosque exter & peregrinus. Si parentum alius sit Belga, Hispanus alius, gravius adhuc discrimen incurres; & ubicunque sis, minoris fies quàm indigenæ, difficiliùs promoveberis, & tamen habere majora privilegia dicêris, & cùm omnia obtinere posse censearis, ab omni officio proscribêris. Ergo si prudens sis, ne duas patrias, ne duas regiones affectes. Congruentem elige, & alteram ut potueris oblitera, ne duos insequens lepores neutrum capias.

De Exnaturalizatione.

564 *Quid exnaturalizatio sit?*

CVm aliquis exnaturalizatur, ita se habet ac si tali regione aut oppido natus non esset: & aliquando est favor, aliquando supplicium. Supplicium, cùm à fideli patria indignus propter delicta expungitur: favor, cùm à rebelli & indigna ad nobilem & illustrem propter egregiè acta transfertur. Videtur exnaturalizatio ipsa proscriptione severior; proscriptus enim in exilium missus, indignus patria declaratur; & tamen tametsi malus, manet filius: at expunctus à filiatione ipsa civili excidit, & in posterum filius non est.

565 *Dubium notandum.*

Sed inquiris, *Debeatne exnaturalizatio naturalizationi ipsi præmitti?* hoc est, *An nemo possit in nova naturalizari regione, quin in altera sit exnaturalizatus?* clariùs, *An donari aliquis possit civitate Romana, quin expunctus sit à civitate in qua fuit natus?*

An quis possit in duobus locis nasci?

Respondeo *primò*, non videri impossibile aliquem habere duas vel multas patrias; alteram nativitatis titulo, alteram titulo privilegii. Et si objicias, Oportere eo de moralibus philosophari moraliter modo, quo de physicis physicè: cúmque nemo possit habere plures patrias physicè, nec habiturum esse multas moraliter. Ego objectioni admittendo res omnes morales esse physicis omninò parallelas; addendo esse impossibile hominem habere plures patrias morales si verum sit quod multas physicas habere non possit. Cæterùm cur non possit multas patrias physicas habere, non scio. Omitto hominem posse esse Parisiis genitum, Madriti natum; quia Leges plus concedunt nativitati quàm geneси; & agendo de ipsamet nativitate reali & physica, hominem posse nasci in diversis locis ostendo. Mater gravida, Divina virtute in multis locis (putà, Parisiis, Romæ, Pragæ, Ormusii) replicetur: annon in omnibus his pariet locis? non enim est major ratio, cur potiùs in uno quàm in alio: proles ergo in multis simul & distantissimis locis nascetur. Nec juvabit casus possibilitatem negare, meâ enim opinione corporum replicatio Deo possibilis est, & debeo ex propriis fundamentis procedere; nec affirmare proderit talem corporis replicationem sine miraculo fieri non posse, benè enim ad miracula recurritur, ut rerum naturæ noscantur, has enim Deus mutare non potest.

Secundò, ex hypothesi, quòd non possit quis duas patrias simul (physicas vel morales) habere, adhuc dicendum est excorporationem non requiri, nisi personaliter obnoxius sit patriæ, quia alibi incorporatur. Vt hoc altiùs intelligas, adnotato, alios vasallos teneri suis Principibus ratione bonorum, alios ratione personarum. Prior obligatio, solâ bonorum derelictione aut donatione dissolvitur, at posterior licentiam superioris requirit.

Subditus duplex: realis & personalis.

Dubium resolvitur.

DISPVTATIO VI.

An Repræsentatione, rerum dominium adquiratur?

566

DE hac materia *in mei Philippi l. 5. disp. 4. num. 89. & disp. 5. num. 18. & disp. 6. num. 10. & disp. 8. quæst. 2. per totam.* Et quia ibi multa ad Iuristarum mentem, hîc ne videar rescribere illa, expendam, quæ videntur jus naturale ipsum concernere.

Quid sit Repræsentatio?

Est ergo Repræsentatio, identitas moralis personarum repræsentantis & repræsentatæ: vel ut citatæ Disputationis 8. num. 14. definivi, Repræsentationis beneficium (sic dicitur) est fictio quæpiam Metaphysica, & veritas rata moralis. Id enim patrem & filium, aliàs realiter distinctos, moraliter identificat; ideóque, qui aliàs essent duæ hypostases, uniuntur hypostaticè, & fiunt una persona, & hoc, in sensu morali & politico, non verò in sensu naturali.

567 *& quomodo fiat?*

Sed quia hæc identificatio potest fieri trifariam, nempe vel per identificationem duarum personarum: vel per transsubstantiationem moralem: vel per unionem hypostaticam duarum naturarum in una & eadem personalitate. Subtili rerum examini studens inquiris, quoniam ex his modis filius idem sit cum patre, cùm asseritur illum repræsentare.

Legantur attentè omnia hæc, siùt enim curiosa & subtilia.

Respondeo omnes tres probabiliter defendi posse, & asseri ex repræsentationis beneficio resultare, quod ita filius identificetur patri mortuo, ut sit verum dicere hic vir, designato Philippo Prudenti, est virtualiter seu moraliter Carolus V. hoc est, non est quidem realiter Carolus V. sed ita se habet quoad jus in regna Hispaniæ ac si realiter Carolus V. esset.

568 *Primus modus dicendi explicatur & dilucidatur.*

Repræsentationem esse identificationem virtualem duarum personarum realiter distinctarum, eo modo quo identificatur in multorum sententia animal & rationale, & identificarentur Petrus & Paulus, si inter illos unio intercederet illi similis, quæ est inter ipsum animal & rationale; aut tandem, ut identificantur individua angelica in opinione illorum, qui dicunt ideò non posse dari duo distincta numero, quia sub unaquaque specie sunt omnia individua identificata; aut tandem clariùs, ut partes distinctæ continui in opinione illorum, qui existimant eas realiter identificari; ac propterea esse quandam realem identificationem, sic ostendo. Ex repræsentationis beneficio non habet Philippus Prudens, quod non sit Philippus, sed adquirit

An partes continui identificentur? An dentur plures Angeli distincti numero sub una & eadem specie?

quod

quod moraliter virtualiter sit Carolus V. ergo quod simul sit duæ personæ : atqui hoc non potest habere per transsubstantiationem moralem, quia in hac non dantur simul duæ substantiæ ; neque per unionem hypostaticam, quia in illa non dantur duæ personæ: ergo debet hoc habere per moralem continuationem. [Hanc moralis continuationis ideam videbantur habere Nestoriani, quorum multi, ut hæreticorum mos est, loquentes cum Catholicis hæresin Magistri retinuerunt. Verbum & Iesum duas esse personas realiter distinctas asserebant, & moraliter identificatas; Iesus enim tot favoribus & prærogativis fuit divinitùs præditus, ut Verbum intimè repræsentaret, & ita se haberet, cùm purus esset homo, ac si esset purus Deus : At hic error jam est obsoletus & cum suis sepultus Authoribus.]

Deus & homo in Christo una est persona : an hæc unitas sit realis, an moralis ? Error Nestorianorũ impugnatur.

569 *Significatio est quædam moralis trãssubstantiatio.*

Eamdem Repræsentationem moralem transsubstantiationem esse, illi omninò similem, quâ in physicis tota panis & vini substantia transit in corpus & sanguinem Domini manentibus solis accidentibus ; vel in moralibus signum ttan sit in rem significatam manentibus solis accidentibus oculo vel aure (prout signum visibile vel audibile sit) perceptibilibus, videretur sic suaderi posse. Quia cùm filius adit hæreditatem avi quòd patrem repræsentet, filius repræsentans & pater repræsentatus non sunt duæ personæ morales, nequidem moraliter identificatæ, sed filius exuens filii personam & paternam induens in patrem virtualiter transsubstantiatur ; ex cujus virtualis transsubstantiationis vi, ita se habet, ac si realiter transsubstantiaretur : quia tametsi personam filii realiter retineat, videtur eam moraliter & virtualiter amittere, ita enim se habet ad effectum hæreditatis ac si filius non esset, eam adit ratione patris. Verbi gratiâ Petrus habeat filios Antonium & Anselmum, & hic ante patrem devivens habeat Franciscum & Hipolytum, mortuo postea Petro adeunt hæreditatem Antonius, Franciscus & Hipolytus, non quidem ut tres hæredes, sed ut duo ; quia Antonius est alter hæres, Franciscus & Hipolytus Anselmum repræsentantes in eum transsubstantiantur moraliter, & omnem pluralitatem exuunt : ergo virtualiter non retinent proprias personas ; patet, quia ipsæ plures, & ad finem hæreditatis solùm una.

Et Repræsentatio, significationi simili, est etiam quædã transsubstantiatio moralis seu virtualis.

Quomodo nepotes cum filiis adeant hæreditatem avi ?

Repræsentationem tandem posse per modum unionis hypostaticæ exponi suadebitur si rationes superiùs adductas consideres. Pater repræsentatus & filius repræsentans sunt duo extrema moralia ; quia aliàs non intercederet relatio, hæc enim non nisi inter duo extrema reperitur : atqui non sunt duæ personæ morales, ut suadebatur, cùm & transsubstantiatio ipsa virtualis : ergo sunt una & simplex persona virtualiter. Atqui duæ substantiæ in una & simplici persona nequeunt aliter reperiri, quàm per unionem hypostaticam : ergo in repræsentatione datur unio hypostatica moralis.

Repræsentatio est unio personalis moralis.

570 *Ex tribus probabilibus modis dicendis eligitur*

Tametsi omnes tres isti modi sint plausibiles, verosimiles, à me diversis occasionibus pro inclentia temporis voce propugnatis, semper mente concepi secundum probabiliorem esse, ideóque existimo nullâ viâ repræsentationem posse melius quàm per virtualem transsubstantiationem exponi. Sed & argumenta omnia solvi possunt, satisfaciemus tamen pro primo & tertio modo militantibus, ut nostra sententia ipsorum solutione firmetur.

secundus, qui ait Repræsentationem esse transsubstãtiationem moralem.

Ad argumentum pro primo modo militans respondeo illa verba *ex repræsentationis beneficio non habet Philippus Prudens quòd non sit Philippus*, esse falsa ; quia ut constat ex superiùs dictis, persona repræsentans exuit se moraliter, & in repræsentatam convertitur ; unde vel non datur repræsentatio, vel virtualis desitio personæ repræsentantis admittenda est.

Satisfit primo modo dicendi.

Ad argumentum verò, quod militat pro ultimo modo respondeo benè dari relationem inter duo extrema non coëxistentia, qualis prioris & posterioris est, conversi & convertentis, nam sicut est verum dicere, quod panis in corpus Christi realiter transeat, non tamen quòd realiter illi coëxistat ; sic etiam erit verum dicere quòd persona filii virtualiter transiverit in personam patris, non verò quòd realiter coëxistat.

Satisfit tertio.

DISPVTATIO VII.

An etiam Legitimatione dominium adquiratur ?

571 *An detur potentia ad præteritum?*

UTRVM detur potentia physica ad præteritum examinant Philosophi & Theologi ; illi dum humanas, hi dum examinant vires divinas. Sanè Legitimationis conceptus sine potentia ad præteritum intelligi non potest, & videtur potentiam physicam ad præteritum clarissimè convincere, nam si oportet de moralibus ut de physicis philosophari, qui potentiam moralem ad præteritum necessariò admittes, cur physicam negabis ? Legitimatio igitur, si quidditativè definiatur, *erit privilegium exercens potentiam moralem in præteritum, & nothi parentes fortè jam mortuos, virtuali matrimonio conjungens.* Singula verba declaremus. *Privilegium* dicitur, est enim gratia à Republica vel Rege concessa, quæ nullo titulo debetur. *Potentiam moralem in præteritum exercere* dicitur, quia cum hoc privilegium moralis sit entitas, non nisi moralem activitatem habere poterit : hanc autem exercet in præteritum, quia sæpè in defunctos ; & si in vivos, illis concedens quòd habuerint olim quod de facto non habuerunt, videlicet vinculum legitimi matrimonii, *Nothi parentes virtuali matrimonio* conjungit ; virtuali quidem, quia ex vi hujus privilegii, non erit verum eos reverà fuisse conjugatos, sed fuisse conjugatos virtualiter ; hoc est, non fuisse quidem reverà, sed ita ex particulari privilegio se habere, ac si fuissent.

Quid sit Legitimatio ?

De matrimonio virtuali.

572 *Potentia ad præteritum relucet in legitimatione,*

Nec hæc moralis aut virtualis potentia ad præteritum peculiaris est in legitimatione ; in multis enim rebus reperitur. In adoptione, illi qui verè à Paulo non fuit genitus, conceditur ut

adoptione, venia, &c.

ut virtualiter ab illo sit genitus ; hoc est, ita se habeat ac si revera fuisset ab illo genitus. Eadem vires in venia cognoscimus ; illi enim qui verè peccavit cùm humanitùs concedi non possit, quòd non peccaverit, quod ita se habeat ac si revera non peccaverit indulgetur : ergo cùm venia, tunc etiam peccatori quòd virtualiter non peccaverit, videtur concedi.

Legitimationis virtute nothus ita se habebit ac si esset filius, cúmque filius sit hæres, ille etiam erit hæres : concedit igitur legitimatio omnium illarum rerum dominium quæ vera filiatio concederet, est enim filiatio virtualis, sed quia Legum favore subsistit, oportet Legibus humanis regulari. Sunt enim Provinciæ quæ legitimatis majora, sunt etiam quæ minora privilegia concedunt.

DISPVTATIO VIII.

An rerum dominium transferri possit Adoptione ?

573 *Quid sit adoptio ?*

LEGITIMATIO in filium legitimum convertit nothum ; peregrinum *Adoptio*, quæ ut Canonistæ omnes definiunt, *est extraneæ personæ in filium assumptio.* Ita D. Thomas *in 4. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 1.* & ferè omnes. Si debeamus quidditatem & formalem effectum adoptionis exprimere, dicemus adoptionem esse moralem generationem, quâ positâ resultat in adoptante moralis paternitas, & in adoptato filiatio etiam moralis. Generatio autem moralis est *origo moralis personæ intellectualis à persona intellectuali in similitudinem moralis naturæ.* Nomen *personæ intellectualis* potiùs quàm *hominis* assumpsi, quoniam Deo quà Deo competit adoptare, & sub hac consideratione homo non est, nec esse potest. Cùm autem Deus nos adoptat, non est dicendus esse pater adoptivus metaphoricè, ut putavit Beyerlinckius in theatri literâ A. 98. b. sed (modò tollatur vocum æquivocatio, & omnia dicantur & intelligantur sobrio sensu) esse rigorosè adoptivus pater, imò ratio adoptionis activè perfectiùs reperitur in Deo quàm in creaturis, ut suo loco ostendemus. Identificationem moralem in adoptione non negabit qui admittat adoptatum fieri moralem filium, & ipsi competere moraliter quidquid filio physico ratione filiationis convenit ; nam patrem & filium esse unam & eandem personam moraliter ostendi superiùs. Sed & dominii identitatem concedere necessarium est, saltem quoad illam hæreditatis partem ad quam adoptantur. Vivente patre filius non est eadem persona moraliter cum patre, sed erit, positâ circumstantiâ obitûs, sic similiter patre superstite non habet dominium in bona parentis, sed necessariò habebit si post patrem moriatur.

Quid generatio moralis?

An Deus sit hominum sanctorum pater adoptivus metaphoricè?

An ex adoptione dominium proprietatis nascatur?

574 *Exheredatio est politica mors.*

Dices, hoc ultimum non benè statui ; quia potest contingere quod justis ex causis declaretur exhæres ; ergo in tali casu non succedet patri in dominio, quantumvis supervivat patri.

Respondeo, non esse possibile quod exhæres supervivat moraliter patri, quia ipsamet exhæredatio civilis mors est, unde si Petrus Ioannem filium suum exhæredet, occidit moraliter, & remanebit Ioannes quidam, qui non sit filius Petri moraliter.

575 *An adoptatio sit identificatio moralis ?*

Hanc identificationem virtualem probat ipsummet adoptionis vocabulum, Græcè enim Θέσις, hoc est *positio* dicitur ; quia adoptionis beneficio supponitur adoptatum esse verum adoptantis filium, & postea ut talem ab omnibus iri tractatum. Proderit videre adoptionis formulam, quâ teste Gellio *lib. 5. cap. 19.* utebantur veteres. Procurator populi dicebat à partibus sollicitatus ; *Velitis, jubeatis ut L. Valerius L. Titio tam jure legéque filius fiet, quàm si ex eo patre matréque familias ejus natus esset : utique ei vitæ necisque in eum potestas fiet, uti pariendo filio est. Hoc ita, ut dixi, vos Quirites, rogo.*

Adoptionis formula.

576 *Quotuplex illa sit ?*

Adoptio est duplex, nempe Mancipatio & Arrogatio. Mancipatio, contractus est, quo Ioannes pater Petri cedit Francisco ipsummet Petrum in filium ; ex cujus contractus vi, incipit Petrus non esse filius Ioannis, sed Francisci ; & quia fieri non potest ne realiter loquendo ejus sit filius, incipit moraliter non esse Ioannis filius, & incipit moraliter esse Francisci filius : hoc est, virtualiter. Hic contractus *Emptio* solebat dici, quia adoptans pretio assis (hoc est hæreditatis integræ) filium à reali patre emebat. Augustus Cæsar Caium & Lucium adoptavit domi per assem & libram emptos à patre Agrippa. Suetonius. Arrogatio est cùm aliquis emancipatus, qui sui juris aut morte parentum, aut superiori legitima quacumque authoritate, effectus est, arrogatur ab aliqua persona in filium. Utraque adoptio, ut perennis sit, debet non opponi legibus & sanctionibus publicis. *Illa enim, quæ contra Leges fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Regula LXIV. Apud Romanos fiebat solemniter, Mancipatio per Prætorem, & per populum Arrogatio : quæ authoritate publica factæ, annullari & cassari non poterant. Vbi non supperebat publica & politica Lex, jurejurando utraque pars adstringebatur institutore Q. Mutio apud Ethnicos Pontifice Maximo : *Privati enim contractus etiam habent vim Legum*, ex Regula LXXXV.

Mancipatio, Emptio, Arrogatio.

577 *Non solùm adoptare possunt homines sed & communitates.*

Iterum dividitur Adoptio secundùm personas adoptantes. Adoptat Galba Cæsar persona realis Pisonem nobilem adolescentem, quem maximoperè dilexit, asserente Tacito. Adoptat etiam Respublica, quæ persona est moralis, aliquem, cùm concedit ut inposterum sit illius Reipublicæ. Hæc autem adoptio aliàs fit à Reipublicæ capite, aliàs ab ipsamet Republica, & hoc juxta varias leges. Ex rei natura ab ipsa Republica adoptari debent, qui in membra mystica admittuntur ; Principi licet adoptare in Rempublicam, cùm vel victor est & victis præsidet, vel aliàs cùm Respublica in Principis decretum compromittit.

578 *Publica adoptionis divisio.*

Adoptio publica, est quadruplex : Monarchica, Provincialis, Vrbica, & Genethliaca. Monarchicâ adoptaberis in regnum, & dicitur *Naturalizatio*, hujus beneficio conceditur

Arnulpho

Arnulpho, verbi gratiâ, esse moraliter natum in Hispania, hoc est, ita se habere, ac si physicè in nostra Hispania natus fuisset: si hæc naturalizatio non ad totam regnum, sed ad provinciam extendatur adoptatio provincialis est: putà, si Petrus adoptaretur in Castellam, verè moraliter Castellanus esset, sed ex vi hujus adoptionis Lusitanus non esset. Donari tali civitate dicuntur, qui in eam adoptantur. Et tandem tali donari familiâ dicuntur, qui decreto publico tali familiæ incorporantur.

Requisitæ in adoptante qualitates.

579 MVltæ requiruntur, ut Adoptio hodie teneat; sed hæ non sunt cum Adoptione necessariò connexæ, sed ex sanctione humana.

Hæc conditio etiam requiritur jure naturæ.

Stando juri positivo requiritur *Primò*, quòd sint sui juris adoptans, & mancipans in mancipatione; & in arrogatione arrogans & arrogatus. Ratio est, quia mancipatio contractus est quidam initus inter adoptantem & realem patrem adoptati, atque ideò opus est ut contrahentes sint liberi & emancipati, unde si alter sui juris nondum sit, adoptio erit invalida. Vt aliquis sui juris esse dicatur, debet supponi habere saltem politicè usum rationis: quia fatui & phrænetici ex rei natura debent subjici alterius potestati.

An possit adoptare mulier? An Spado?

Secundò, requiritur, ut adoptans sit major 25. annis, & excedat adoptatum 18. annis.

Tertiò, ut adoptans non sit fœmina.

Quartò, ut adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, licet morbo impeditam.

His positis, quicumque potest adoptare licet sit Presbyter. Constant omnia ex Institut. *de adoptione*. Sanchez *lib.7. d. 63.num.3.* Sylvester *verb. Adoptio.num.1.* Bonacina *quæst.3. punct.5.§.3.num.3.* Basseus *in florib. verb.Matrimonium, num.34.*

580 *An requiratur præsentia?*

Vt quispiam per mancipationem adoptetur, præsentia realis exigitur, sed nihil aliud: adoptari enim potest puer, puella, fatuus, phræneticus, spado.

Vesticeps quis?

Vt arrogetur aliquis, petitur quòd habeat usum rationis politicæ, hoc sonat illa vox *Vesticeps*, quæ in legibus ponitur, indumenta enim puerorum non vocabantur vestes, vestes enim dabantur ex pueritia civili ad civilem juventutem promotis.

De libertate.

Verè appetitu innato morali adoptio postulat illa omnia, sine quibus consistere non potest: talia sunt, libertas intrinseca & extrinseca; nempe illa, quæ in prudentia consistit, & quæ in emancipatione. Cæteræ autem circumstantiæ non sunt omninò necessariæ, sed solùm ex obligatoriæ legis suppositione: quia stando rationi & ab omni lege præscindendo, cur non posset viginti annorum adolescens aliquem adoptare? cur non junior ipsomet adoptato? Dicunt Authores ideò requiri ætatem 25. annorum, quia nemo potest ante illam ætatem habere filium ratione utentem. Sed hæc ratio non sufficit, quia etiam Prælatus Monasticus Pater est, non tamen requiritur ex rei natura tanta ætas, nec debet esse octodecim annis major suis filiis, ergo nec pater adoptivus, vel *qui* contrarium sentiat, ostendat aliquam disparitatem intrinsecam necessariò ex morali quidditate emanantem.

De ætate.

Illud, quod de sexu Legibus statuitur, omninò voluntarium est, & posset, si placeret Reipublicæ, oppositum statui. Non repugnat fœminæ adoptare: imò de facto adoptavisse constat ex historiis sequentibus. 581 *De sexu.*

Plotina Trajani Imperatoris uxor, Dione asserente, Adrianum adoptavit, ut patuit ex literis Senatui præsentatis, quibus non Trajanus sed Plotina subscripsit.

Margarita Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Regina jam senescens Ericum Pomeraniæ Ducem adoptavit. Cranzius *lib.10. Saxoniæ c.16. & lib.8. Daniæ cap.1.*

Quod esse commune constat ex omnium Gentilium opinione asserentium Herculem à Iunone adoptatum; quos si homines crediderunt, concedent mihi pueros à fœmina posse suscipi in adoptivos filios; si Deos concedent sexum fœmineum & adoptionem activam non esse incompossibiles, quia nec Deus conjungere potest repugnantia.

582 *De generativa potentia.*

Spadones lege humana excluduntur ab adoptandi potestate; sed si res benè examinetur, non suppetit ratio quæ persuadeat adoptionem illis esse necessariò negandam. Imò si rationes quæramus, reperiemus non solùm non repugnare spadonibus adoptionem activam, sed quodammodo ipsis potiùs debere competere quàm aliis: & probo. Repræsentationis beneficium fuit inventum, ut homines qui physicè vivere æternùm non poterant, moraliter æternùm viverent; tutores, ut pupilli qui physicè discurrere in infantia non poterant, moraliter, hoc est, tutorum intellectu discurrerent; exploratores, ut illa quæ Dux physicè videre non potest, moraliter oculis exploratorum videat. Adoptio igitur debuisset institui, ut ille, qui physicè generare non potest, moraliter gignat. Ergo stando naturæ & conceptui rerum intrinseco, jus adoptandi potiùs habentibus potentiam generativam, quàm carentibus deberet interdici. Vide *num.484.*

Cur inventa sit repræsentatio?

Nota hoc,

Cur adoptio?

De præsentia.

Lege statuitur ne absens adoptetur, sed hæc lex non est omninò necessaria; quia si maluisset Legislator, potuisset indicere ut soli absentes fierent adoptivi.

Nerva Imperator, M. Vlpium Trajanum, virum Hispanum, nullâ sibi affinitatis aut consanguinitatis ratione conjunctum, suspexit, coluit, & propter egregia facinora & præclara gesta tanti fecit, ut illum in Germania degentem in Romano Capitolio adoptaverit. Ecce absens erat, extraneus, peregrinus, nihilominus in Germania ipsa jura, insignia, & titulos Imperii admisit, & Nervæ Epistolam, quæ ex Cuspiani, Sexti Aurelii, & aliorum sententia concipiebat hoc carmen,

Telis Phœbe tuis lachrymas ulciscere nostras.

583 Adrianus præterea adoptionis jure Trajano Imperatori successit. Absens in Syria per literas adoptatur, nempe vel à Trajano, vel saltem à Plotina Imperatrice Trajani conjuge, ut Dio tradidit.

Sanè filios esse hæredes, jam superiùs ostendimus,

Filii adoptivi adoptantium hæredes sunt.

dimus, cùm autem adoptionis virtute adoptivus filius virtualis fiat, ita se habebit ac si filius verus & legitimus esset, habebítque universa privilegia quæ filius, ni lege aliqua specialiter jura adoptionis limitentur: quoniam *qui sentit filiationis onera*, ex Regula LV. *& commoda sentire debet.*

DISPVTATIO IX.

De Donatione de futuro, seu de Promissione.

584 *Quid sit donatio? & quotuplex?*

DONATIO diffinitur *contractus, quo liberaliter & nemine cogente aliquid alteri confertur.* Huic correspondet *Receptio*, quibus positis transfertur dominium, & res quæ antea ad Petrum pertinuerat, post donationem & receptionem transit ad Paulum. *C. Senatus, ff. mortis causa.* Lessius *lib.2. cap.* 18. *dub.* 2. Azorius 3. *part. lib.*11.*cap.*1. *quæs.*1. Basseus *verb. Donatio, n.*1.

Quid sit promissio?

Donatio est duplex de præsenti, & de futuro: Donatio de futuro eadem quæ promissio, de qua jam disputo. Donatio de præsenti illa est quæ non futurè, se actualiter transfert dominium, & fit traditione verbali aut reali. Sanè reali traditione, cùm reverà res, quæ dari dicitur, realiter & effectivè traditur: verbali verò, cùm verbis fit collatio; cui potes conjungere scriptam. Verbi gratiâ, cùm Paulus habitans Antuerpiæ dat Ioanni centum aureos recipiendos Bruxellæ; verè verbis tradidit, & Ioannes ab ipsa donatione incipit esse illius summæ dominus quam Bruxellæ realiter recipiet.

585 *Quis dare aut promittere possit?*

Donare (nimirùm, donatione de præsenti, aut de futuro) ille potest qui habet dominium directum cum facultate alienandi. Siquis habeat majoratum alteri donare non potest; quia licet illius sit dominus, est tamen alienator mortuus, quia majoratûs bona sunt vinculata & ammortizata, ita ut nemini liceat donare, commutare aut vendere; nemo recipere aut emere; juxta ea quæ de ammortizatione docemus in Philosophia Morali.

An promissione acceptata dominium transferatur?

586 *Promissio duplex: non acceptata, & acceptata: illa nonobligat: de hac sunt duæ celebres Theologorum sententiæ.*

PROmissio duplex; acceptata, & non acceptata. Si te promittente Ioanni mille scuta, ipse non acceptet, te non teneri moraliter illa ipsi numerare, etiam postea petenti certum est. Si acceptaverit, dubium.

Sunt qui affirment, sunt qui negent; & omnes procedunt ex eodem fundamento. Supponunt enim omnes hanc majorem, *Omnis vir*, ex Regula LXXXV. *tenetur stare concordiæ & contractui*, & probant, quia contractu solùm fit moralis translatio dominii, successione enim hæreditaria solùm fit translatio physica dominii moralis. Confirmant *ex cap.* 1.*de pactis*, ubi asseritur posse excommunicari pactum non servans: nemo autem excommunicatur sine culpa morali, imò majori excommunicatione nemo sine mortali: *Nemo enim puniri potest sine culpa*, ut à Reg. XXIII. docemur. Posità hac majori, subsumunt contradictorias minores, & eliciunt contradictorias consequentias.

Sententia asserens.

587 SAnchez igitur de Matrimonio *lib.*1.*disp.*5. *num.*20. Vasquez 1.*part.disp.*85.*cap.*6.*numero* 42. Filliucius *in quæst.mor.tom.*2.*tract.*33. *cap.*2.*num.*28. Malderus 2.1.*tract.*1.*cap.*9.*dub.* 8. Navarrus *cap.*18. *num.*6. Turrianus *in* 2. 2. *tom.*2.*disp.*64. *dub.*16. Beja *in resp.part.*4. *casu* 25. D. Antoninus *part.*2. *titul.*10. *cap.*1. §.4. affirmant homines obligari graviter promissione acceptata, quod probabile putat Diana *part.*2. *tract.*17. *resol.*9. & ante eum Lessius *lib.*2.*cap.*18.*dub.*8.*num.*55.

Probant sic. *Omnis vir*, ex Reg. LXXXV. *tenetur stare concordiæ & contractui*; atqui promissio acceptata contractus est: ergo tenetur stare promissioni acceptatæ. Minorem probant, ex pacti definitione, quam supponit *lex* 1.*ff.de pactis.* & *l.*3.*ff.de pollic.*628. Ex hypothesi, quod acceptata promissa obligent, adhuc non conveniunt Authores in designanda causa, quia defendunt ex diversis principiis.

Alii dicunt peccare contra justitiam commutativam, quia promissione acceptata verè & actualiter transfertur dominium; unde qui rem taliter promissam retinet, rem alienam detinet, & peccat mortaliter.

Alii putant eum peccare contra justitiam legalem, quæ respicere dicitur societatem humanam in promissis servandam.

Omnes in hoc conveniunt, quod peccet mortaliter, qui in re gravi non stat promissioni acceptatæ, & quod peccet venialiter, si materia sit levis.

Dubium incidens.

Dubitant aliqui, *An Sacerdos qui sine stipendio promisit legere unum Sacrum cum animo se obligandi, & acceptatæ promissioni non steterit, peccet mortaliter?* Respondent omnes peccare mortaliter, si illa materia sit gravis; leviter, si sit levis. Illam in genere spiritualium esse gravis momenti docuit Petrus de Navarra *de rest.lib.*2.*cap.*2.*dub.*7.*num.*329. & Bonacina *de Contract.disp.*3.*quæst.*11.*punct.*1.*num.*8. Esse levis Sanchez *de Matrimonio tom.*1.*lib.*1.*disp.*5. *num.*25. Roderiquez *in summ. tom.*4. *cap.*107. *num.*4. Malderus *ubi suprà.* & Diana *jam citatus.* Si obligationem moralem ortam ex promissione admitterem, dicerem peccare leviter, qui Missam illam non legeret quæ promissa supponitur & acceptata, non quia in genere damni spiritualis est res parvi momenti, sed quia promissio externa solùm respicit actus externos directè, & illa lectio Missæ, quà externa lectio omnium sententiâ levis est: quod si lectio ipsa externa Missæ dicatur res gravis (posset enim) tunc etiam ex hoc capite deberet gravis obligatio concedi.

An lectio Missæ sit materia gravis?

Sententia negans.

588 CONtraria tamen sententia est omninò vera, & si rationes speculemur sola probabilis; consultò asserenti sententiæ probabilitatem rationalem nego, quia authenticam

nullus

nullus negare poterit opinioni tot Authorum nomine roboratæ. Promissiones etiam acceptatas non obligare in conscientia docuerunt Cajetanus *in* 2.2.*quæst.*113.*art.*1.*dub.*4. Henriquez *lib.*13.*cap.*17.*num.* 6. Ledesma *in summ. tom.*1.*tract.*10. *cap.*3. Fernandez *in suo exam. Theol.part.*2.*cap.*15.§.8.*num.*11. quibus subscribunt probabiliter Lessius & Diana *jam citati.*

589 *Promissio non transfert dominium.*

Fundamentum hujus sententiæ hoc est. *Omnis vir* ex Regula LXXXV. *tenetur stare concordiæ & contractui*; atqui promissio acceptata contractus non est : ergo nemo tenetur illi stare. Probatur minor, quia mera promissione non transfertur dominium, sed promittens affirmat se translaturum esse, & alter assentitur, his autem non obstantibus uterque poterit mutare dictamen.

590 *Promissionis formula.*

Vt clariùs hoc intelligatur supponendum est promissionis genuinam formulam esse hanc, *Ego dabo tibi mille scuta*, (nota benè illud *dabo*, aliud enim est *tibi dabo*, & aliud diversum, *tibi do.*) huic correspondet acceptatio, quæ exponitur his verbis, *Ego illa recipiam.* Atqui hic non reperitur obligatio moralis : ergo. Minorem probo. Promissio ante acceptationem non infert moralem aliquam obligationem, ut omnes docti admittunt, ergo, nec post acceptationem. Patet consequentia, quia illa verba, *Ego recipiam*, vel æquivalent his *Recipiam, si dederis*, vel his *Recipiam licet non dederis.* Hoc ultimum dici non potest, quia esset acceptatio imprudens & reduplicans actionem impossibilem ; ergo dicendum est acceptationem necessariò includere conditionem illam quam expressi. Positâ illâ conditione, non video unde probabilitet elici possit obligatio.

591 *Quando, & quo jure obliget acceptatio ?*

Præterea ut acceptatio possit aliquem promittentem obligare debet habere rationem præcepti, adjurationis, aut contractus (non enim reperitur alius modus, quo homo possit ab homine in conscientia obligari) atqui acceptatio præceptum non est ; nec si esset, teneret, defectu authoritatis ; sæpè enim multa polliceris viro, qui tibi præcipere non potest. Nec est adjuratio ; quia si esset, omnes promissiones acceptatæ, essent juramenta promissoria, quod admitti non debet ; quia potest Petrus Paulo promittere aliquid cum animo promittendi & cum animo non jurandi. Præterea promissiones acceptatæ sæpè firmantur juramento ; ergo signum est, quod illæ tacitè id non includant, aliàs enim confirmatione non egerent. Tandem acceptatio contractus non est : ergo nullam potest inducere obligationem.

An omnis promissio tacitè juramentum involvat ?

Vt autem hæc altiùs intelligas, proderit benè percallere resolutionem, quæ subsequitur.

592 *An ille, qui non stat promissis, peccet contra justitiam, an contra veracitatem ?*

Conclvsio ; *Qui promittit cum animo promittendi, sed sine animo implendi promissionem, mentitur, ac ideò peccat contra veracitatem, & hoc ante omnem acceptationem.* Patet, quia mendacium est. Mentiri cum, qui sic promittit, probo : quia sicut mentiretur ille qui diceret, *Ego dedi tibi mille aureos*, si reverà non dedisset ; sic etiam mentiretur, qui, *Ego dabo*, diceret, si daturus non esset, quia contra dictamen loqueretur.

Petis, An ejusmodi mendacium sit mortale ? Respondeo communiter loquendo esse veniale, sicut omnia alia mendacia : excipio casum in quo quis Deo, Regi, aut Reipublicæ mentiretur : & illum in quo ex mendacio damnum grave & contra justitiam sequeretur. Sed de hoc cum de mendacio disputabo.

Non omnia verba sunt promissoria, quæ videntur.

Hic obiter notandum est, promissionem illâm externam debere esse talem, ut verba in rigore politico promissoria sint ex prudenti judicio ; quia sæpè contingit verba grammaticè promissoria ; civiliter promissoria non esse, sed comminatoria adtractiva, exaggerativa, aut saltem evasiva.

Comminatoriæ promissiones.

593 *An verba comminatoria valeant, quantum sonant ?*

Verba comminatoria non valent quantum sonant, ut si quis diceret, *Si hæc feceris, annihilabo te*, deberet intelligi de re possibili, quia de impossibilibus minæ non dantur : ergo annihilatio illa veniret de morali exponenda, & sensus grammatici rigor ad usum civilem limitandus. Minæ igitur illæ civiliter exponerentur sic, *Si talia feceris, impediam promotionem tuam, & curabo ut etiam priveris conditione quam habes : reddam te authoritatis incapacem.* Nihil enim politicè ille est, qui ad similes miserias redigitur. Imò minis sæpè lædimus, quos esse nolumus. Laërtius *lib.*1.*cap.*4. nos rectè minari asserit, quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus ; & hac pœnâ decrevimus esse contenti. Pater sæpè minatur filiolo inobedienti suspendia, cruces, mortes. Primò tamen pluries occidere non vult, quia nemo secundò occidi potest ; imò nec semel eum vult interimere : cùm autem mortem miniatur dicens, *Ni resipiscas, suspendam & crucifigam te*, non mentitur, quia hæ minæ, si exponantur civiliter, æquivalebunt his sinceris verbis. *Propter culpas præteritas condemno te confusione, pudore, verecundiâ, terrore, quo percelli debebis auditis minis nullius rei futuræ indicibus, sed mei animi commotionem perturbationémque significantibus.* Hæc expositio placet ; & minas distinguo in materiales, formales, simplices, & symbolicas. *Materiales* sunt quæ constant verbis comminatoriis, non tamen formaliter aliquid malum vovent, sed solùm intendunt animum indignantem exprimere, & audientem terrere : & sunt similes vocibus quæ dicuntur esse interjectiones indignantium ; sunt enim interjectiones ex pluribus vocibus compositæ. *Formales* sunt quæ constant verbis pacificis, comminatoriè explicandis, non quidem grammaticè, sed civiliter, juxta leges prudentiæ & civilem vocum significantiam. *Simplices* sunt quæ adæquatè comminatoriæ sunt, constant enim comminatoriis verbis, & comminatoriè debent interpretari. *Symbolicæ* tandem, quæ actionibus & rebus potiùs quàm verbis feruntur. Addam exempla eruditionis gratiâ.

Quotuplex sit minandi modus ?

Promissiones formaliter comminatoriæ.

594 *Ridentem dicere verum quis vetat ?*

Svavi eloquio alios percellere, & pacificis verbis comminatorios spiritus recondere ingenii summi indicium ; multa profundè dicta

dicta reperies apud Scriptores. Occurrit Philippus, à Romanis & Theſſalis injuriis laceſcitus; Illi & hi Legatos miſêre rerum componendarum causâ. Prævenerunt Romani. Philippus admiſit eos, non quidem auditurus nec audiendus. De moribus & ſceleribus Theſſalorum acriter quæſtus, concedit ſe furori & addit: *Hoc ita quidem accidit; ſed nondum ſol dierum univerſorum occidit.* Multa quidem verbis breviſſimis complexus eſt. Minabatur quibus non minabatur, imò quando familiariùs agebat. Primò, hæc verba excitarunt Theſſalorum fremitum, qui enuntiabantur ſecuri eſſe non poſſe quouſque occideret ſol ultimi dici. Secundò, terruerunt Romanos ob criminis identitatem. Ipſa tamen materialiter ſumpta nullatenus comminatoria ſunt. Titus Livius 4. *Dec. lib.9.*

Promiſſiones comminatoriæ materialiter.

595 *Minæ ſunt interjectiones interdum.*

SVmmo verborum ſtrepitu & minarum fragore nihil præter mera verba contineri non rarò experimur. Hujuſcemodi minis aſſerente Beyerlinckio *in Apoph.* & Nicolao Reuſn. comparabat Fridericus Rogerius tonitrua quæ erumpunt ſine fulmine; hæc enim multos terrent, & cùm neminem lædunt, declarant non quidem cælum velle mortales interimere, ſed poſſe. Sic pius Pater cum minitatur cruces, ſuſpendia, gladios, multos terret, & lædit neminem; hæc enim tonitrua indigitant turbatam eſſe tranquillitatis autam; exprimunt, non voluntatem, ſed meram potentiam ulciſcendi. Vt minæ materiales à formalibus diſcerni poſſint, adjuvat perſonarum & cauſarum notitia; non enim minæ pluſquam materiales ſunt cùm à patre, pio Principe, aut vero amico fulminantur: & explicandæ ſunt per modum interjectionis indignantis, ut in principio dicebamus.

Promiſſiones & Minæ ſimplices.

596 *An dentur vanæ minæ?*

AVt non dantur, aut imprudentium ſunt, vel mulierum potiùs, ut Chilon citatus à Laërtio *lib.1 .cap.4.* aſſerebat. Qui minatur, ſi ſincerè rem examinemus, nocere non vult; quia ſi id vellet, non redderet vindictam impoſſibilem, aut ſaltem multò difficiliorem: quia ut pulchrè Polydorus Alcamenis filius dicebat, *Qui ſtatuit inimicum ulciſci, nil aliud efficit, niſi ut prænonito inimico ſibi minuat lædendi opportunitatem.* Plutarchus *in Lacon.* Severiùs Chilon apud Laërtium *citatum*, putat enim non ſolùm minis opportunitatem ſed & nocendi potentiam adimi. & ait, *Minitari cùm vis nocere, eſt inimicum admonere ut ſibi caveat, tibíque ipſi lædendi facultatem adimere.*

Promiſſiones Symbolicæ.

597 *Loquimur etiam actionibus. Variæ exemplæ.*

CVm aries hoſtium agris immittebatur, bellum indicebatur apud Græcos: hinc comminatoriæ phraſes plurimæ ſumpſere exordium. *Corinthiis* caduceus expoſitus belli comminatio fuit; quod caduceatoris legatione declarabatur. *Lacedæmones* lanâ exprimebant indignationem ſuam, & Lanifer apud eos fecialis, qui bellum indicebat contrariis. Apud *Carthaginenſes* haſtam mittere, erat bellum ſignificare. Quæ omnia notavi ex Alexandro *lib.5.cap.3.* Aſſonabant Romani, de quibus Ovidius. *Modus indicendi bellum apud diverſas gentes.*

Proſpicit à tergo ſummum brevis area circum,
Eſt ubi non parvæ parva columna notæ.
Hîc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti
In Regem & Gentem cum placet arma capi.

Hæc parva columna ſita erat ante ædem Bellonæ verſus portam Carmentalem, ad hanc bellum publicaturi conveniebant, & poſt tergum immittebant haſtam in eam cæli plagam, cui ſuberat regio debellanda. Pyrrus Ligorius *lib.de Circis.* Aliàs bellum declarabatur confuſo ſtrepitu agitantium ancilia aut in Martis ſacrario, aut in Saliorum conſiſtorio. Alexander *lib.1.cap.36.* Etiam legati verbenâ redimiti feciales erant, miſſi in belli causâ. Gellius *lib.16.cap.4. Noctium Atticarum.* Cincius *lib.3. de re militari.* Sab. *lib.4 Enn.2.* Plutarchus *in Numa & Problem.62.* Si expeditio ſolennior Iani templum aperiebatur. *Ita omnes.*

598 *Parentum minæ ſunt tonitrua quæ fulmine carent.*

Comminatoria Symbola, ſicut & minæ materiales, non debent intelligi in ſummo Symboli rigore, ſed in congruo & opportuno, quem circunſtantiæ & prudentia ſuppeditant. Magnus Dux Brunſuiccenſis inſolentiâ elatus multa pâtravit ſcelera quæ indiguerunt parentis correptione. Admonet, arguit, obſecrat, increpat prudens ſenex, ſed fruſtra: tandem incepit minis procurare eum ad meliorem mentem reducere, quibus adjecit ſe geſtare manibus continuò funem, ut filium ubicumque captum, in arborem primam appenderet. Funis ſanè materialiter ſumptus ultimi ſupplicii ſymbolum videretur, verba offenſi ſenis non niſi patibula ſonarent, ſi ab alio dicta. Amor ille paternus, qui minas illas explodebat in cauſa, ut leviter exciperentur. Catenâ argenteâ collum ornavit adoleſcens, & ait, eò venient patris offenſi minæ, ut fune argenteo utatur cùm inclementior fuerit. Parentum minæ argenteæ ſunt, furores aurei, inclementiæ precioſæ; quia cùm inclementiùs agunt, amore, donis & beneficiis afficiunt, quos genuerunt. Placuit populo Symboli interpretatio, & *Catenatum* eum dixerunt. Cranzius *lib.9.cap.36.& 39. Saxoniæ.*

Promiſſiones per exaggerationem.

599 *An Religioſus teneatur obedire ſi impoſſibilia præcipiantur?*

QVi alios alliciunt, ſolent multa pollicéri, & mentiri; ſed aliàs ſine mendacio loquuntur, cùm impoſſibilia pollicentur; qui enim impoſſibilia promittit, promittit ſe facturum eſſe impoſſibilia quæ fieri poſſunt. Caſſinenſis Licurgus Benedictus in Regulæ diſcretione præcipuæ *cap.* 68. jubet obedire, licèt impoſſibilia præcipiantur. Ergo illæ quæ phyſicè ſunt impoſſibilia, poſſibilia ſunt ſi ſenſu morali exponantur.

600

Porphyrius citatus à Iamblicho *in Myſteriis* aſſerit Ægyptios Sacerdotes ſolitos non niſi divina polliceri, aut minari, exaggeratione prudenter adnotandâ. Iraſcitur ex idea Poëtæ neſcio-cujus, Theiogonus Sacerdos Nili, & fulminat hæc verba.

Ille

Ille ego Theiogonus ; ni feceris inclyte Regum,
Nomine Divorum quæ Tibi præcipio ;
Occludam Nili fontes, & Sydera tollam,
Et denſa Solis lumina nube tegam :
Concutiam urbes, ſubvertam carmine montes,
Culmina ſaxorum ſubjiciámque mari :
Iſidis æternæ vindex ſecreta recludam,
Damnabo ſacram naufragióque Barin.
Sed ſi ſecretè Divûm mandata capeſſas,
Te Regem ad Lunæ cornua ſacra feram.
Lactabo ambroſiâ, divino nectare paſcam.
Et tibi Romanus Numa miniſter erit.
Pro ſceptro ramum, quem olim ſub pignore Averna
Junoni Æneas obtulit, ipſe dabo.
Subjiciam pedibúſque tuis quæ claudit Olympus,
Et quidquid tellus ambitioſa capit.

Hæc aut ſimilia verba cœlitùs ſonantia, humanitùs exponenda ſunt congrua interpretatione ; cujus ſi capacia non fuerint de mendacio aut imprudentia condemnanda.

NOTA.

601 *Senſus duplex: politicus & grammaticus : verba quæ politicè vera ſùnt, etſi grammaticè defendi nequeant, non ſunt mendacia.*

HInc conſtat promiſſiones quæ ſine animo adimplendi fiunt, non eſſe ſtatim de mendacio arguendas, ſed exponendas fore civiliter, & ſi in hoc ſenſu promiſſiones non ſint, menti non contradicunt ; ſi autem adhuc expoſitæ civiliter promiſſiones evadant, mendaces verè ſunt ; & ſic promittens arguendus de peccato veniali, etiam ſi materia ſit gravis, quoniam montes aureos polliceri ſine dandi intentione leve mendacium eſt.

Multi hoc judicant difficile, & arguunt ſic. Vbicumque detur moralis obligatio temerata in materia gravi, reperitur peccatum mortale ; atqui mendacium temerat veracitatis obligatoriam legem ; ergo mendacium erit peccatum, leve ſi materia ſit levis, grave ſi gravis. Atqui mille ſcuta materia gravis eſt ; ergo qui illa cum mendacio promittit, peccat mortaliter.

602 Si hæc ratio alicujus eſſet roboris, probaret poſſe dari peccatum grave in promiſſione rei notabilis etiam ante omnem acceptationem. Ratio eſt quia ante omnem acceptationem reperitur materiæ gravitas in hujuſmodi promiſſorio mendacio. Si hoc admitteretur, conſequenter deberet dici eum peccare mortaliter qui heroïca facinora narrat quæ non acciderunt, quoniam mentitur in materia gravi.

An & quando mendaciũ ſit peccatum mortale ?

Mendacium eſſe mortale admitto, cùm eſt mendacium grave : nempe illud quo Reſpublica læditur & publica fiducia fallitur. Cùm autem Petro ſcuta mille polliceris, ſi mentiris, leviter mentiris ; quia Petrum fallis, qui Reipublicæ levis pars eſt. Si autem legitimè interrogatus à Rege, aut Conſilio, veritatem non diceres, peccares graviter, quoniam hoc grave eſt. Mendacium igitur, tum peccatum eſt grave, cùm res quæ dicitur, & perſona cui dicitur, civiliter loquendo ſunt graves.

Deo mentiri eſt mortale.

Hinc ſcimus originem obligationis illius graviſſimæ, quam vota inferunt. Sunt promiſſiones factæ Deo, qui eſt perſona publica, cui nulla æqualis dici aut fingi poteſt. Sed de Voto poſtea ſingularem controverſiam tractabo.

VTRVM

603 *De animo promittendi.*

QVi promiſerit ſine animo promittendi (etiam ſi promiſſio ſit facta Deo) licèt habuerit animum ſatisfaciendi, teneatur ſtare promiſſioni ? Reſpondeo negativè. Et ſuadetur ; quia verba non ſunt promiſſio, ſed promiſſionis internæ indices, quæ ſupponitur non eſſe : ſatisfaciendi autem animus ſolùm propoſiti vim habet, & ideò non poteſt inducere novam obligationem. Sanè promiſſionem verè in actu interno conſiſtere conſtat ex votis, quæ emittuntur ſæpè ſine verbis, & veræ promiſſiones ſunt.

Qui ſic promittit, à mendacio excuſari non poteſt ; & ideò ſunt examinandæ circumſtantiæ ut ſciatur, an mendacium ſit grave, quia eſſe ſemper peccatum certum eſt. Ex hac doctrina oriuntur ſequentia Corollaria.

Vnde ſumatur gravis materia in mendacio?

Primum. Qui ſine animo promittendi pollicetur ſe daturum eſſe Petro mille ſcuta, peccat venialiter ; ratio eſt, quia eſt mendacium leve, non enim lædit authoritatem publicam, ſed hominis particularis : non tamen tenetur illam ſummam promiſſam pendere.

An Anæniæ & Saphiræ obſtricti voto?

Secundum. Si ſcuta eadem ſine vovendi animo promitterentur Deo, promiſſor non teneretur quidem illa ſolvere, peccaret tamen graviter contra veracitatem, quia mentiretur ipſi Deo. Fortè talis criminis fuerunt rei Ananias & Saphira (*Act.* 5.) quos ſi dicamus paupertatem voviſſe, ut probabilior ſententia fert, & oſtendi *Commentarii in Regul. Bened. num.* 262. votum emiſſum temerarunt : ſi autem dicamus eos non voviſſe, quod etiam probabiliter aſſeri poteſt, debebimus conſequenter eos reos agere de mendacio mortifero, quia tenebantur dicere veritatem Petro, perſonæ publicæ agenti Prodeum, & rerum pretia publica authoritate recipienti. Et hoc videntur omnia D. Petri verba ſignificare. Illa, *Nonne* (prædium) *manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate ?* Ergo non tenebantur paupertatis voto, quia poſt voti emiſſionem, nec prædium maneret ſub eorum poteſtate, ſi non venderetur ; nec pretium illis cederet, poſt venditionem. Fuiſſe autem mendacium grave conſtat ex pœna mortis ; quia ſicut ſine culpa nemo punitur, ſic etiam ſine gravi, nemo punitur graviter [Regula XXIII.] ergo mortaliter illi peccarunt ; non enim ob levem culpam ultimâ ſententiâ damnarentur. In quo ergo conſtitit mendacii gravitas ? Reſpondeat Petrus. *Non es mentitus hominibus ſed Deo*, nempe, Non eſt mentitus homini privato, ſed perſonæ publicæ, agenti Dei perſonam, & Dei nomine promiſſionem & res promiſſas recipienti. Mentiti igitur ſunt Spiritui-Sancto, vel voventes ſine intentione vovendi, vel ſine intentione ſatisfaciendi, ſi dicatur voti ſolennitatem in ipſamet traditione conſtitiſſe : vel ſi voto non obſtringebantur ; mentiti ſunt Spiritui-Sancto fallentes fidem publicam, & virum qui virtualiter erat Deus.

An ſint obnoxium mendacium puniti ?

VTRVM

604 *Aliud est cõtra justitiã, & aliud contra veracitatem peccare?*

Qui promittit rem gravem cum animo promittendi, & postea non præstat rem promissam, peccet? Respondeo nequidem venialiter in genere furti aut in genere mendacii peccare.

Non esse alienæ rei detentorem facilè concedent Cajetanus 2. 2. *quæst.* 113. *art.* 1. *dub.* 4. Armilla *verb. Perfidia.* Sotus 4. *d.* 20. *quæst.* 2. *num.* 2. qui hujusmodi promissiones solummodò incusant de mendacio. Cæterùm promissionem illam, de qua agimus, mendacem non esse ostendo satis clarè. Quia quando emissa fuit, fuit verax, supponitur enim fuisse secundum dictamen & intentionem promittentis; qui cùm liber sit, potuit mutare dictamen & intentionem; imò de facto mutavit. Vbi igitur reperitur falsitas & ignobilis mendacii ratio?

Nota hæc omnia: sunt enim valdè considerandæ.

Hîc obiter considerandum est, An in tali casu opinionem & authoritatem suam dilapidet, & an graviter: quia authoritatem & famam graviter prodigere culpa mortalis est, in illo qui non est dominus sui honoris.

VTRVM

605 *De sponsalibus.*

Qui defloravit virginem promittens se eam ducturum esse, sublato omni voto aut juramento, teneatur stare promissis? Respondeo affirmativè: & ratio est, quia contractus est privata lex [Regula LXXXV.] & ibi initus fuit verus contractus, & vir intutiu pretii præsentis, quod recipit, se obligat ad actionem futuram. Non secus ac si cum pictore paciscerêris dicens, Ego do tibi centum scuta conditione quod tenearis Cæsarem pingere. Si pictor acceptet conditionem, tenebitur Cæsaris imaginem facere. In resolutionis casu similem contractum reperio; dicit fœmina, concedo tibi meæ pudicitiæ & virginitatis abusum sub onere quòd ducas me in uxorem; admittit ille conditionem, & de facto defloratvirginem; ergo debet stare contractui.

VTRVM

606 *De promissione juramento firmata.*

Promissio acceptata in re gravi, quæ aliàs non obligaret, si roboretur juramento obliget sub peccato mortali? Respondeo obligare sub peccato mortali, sed tantum ratione juramenti.

Hæc promissio cassari & annullari bifariam potest, *primò*, si ille, cui facta fuit, dicat se nollerem promissam recipere; quia nemo debet invito favores facere, quia cum primùm invito fiunt, jam favores non sunt; *Secundò*, si obtineat legitimam juramenti dispensationem, etiamsi eam obtineat inconsulto aut contradicente illo cui promissio fuit facta, & demonstratur.

Tota obligatio, quæ in hac promissione reperitur, nascitur ex juramento, quia hoc sublato supponitur nulla esse: ergo mox ubi hoc dispensetur, remanebit promissor liber à qualibet obligatione. Atqui ratione juramenti promissor non tenetur humanitùs, sed divinitùs; ergo Deus ipse (aut Prodeus ex causa) poterit dispensare. Confirmatur. Deus potest dispensare in tali juramento etiam contra acceptatoris voluntatem: ergo & Dei Vicarius. Ratio est, quia hic non dispensat formaliter, sed utitur epikeia, & interpretatur voluntatem Dei dispensantis; Deus enim potest per alium in hoc genere quæcumque potest per se ipsum, & si per alium dispenset, perinde est, ac si dispensationem per se concederet & immediatè. [Vide Regulas LXVIII. & LXXII.] Hinc oriuntur aliquot Corollaria.

I. Qui non steterit promissioni juramento firmatæ, rei alienæ perjurus retentor non est, sed perjurus solummodò. Patet, quia ipse non retinet alienam; sed suam; suam quidem retinet, sed contra juramentum, quo obstringitur illam alienam facere; res autem promissa, quousque detur alteri, semper erit sub dominio promissoris. 607

II. Res sub juramento promissa non pertinet ad acceptantem, nec ipse potest illam petere quà suam: potest autem petere à legitimis superioribus, ne promissor esse perjurus permittatur.

III. Qui in contractu promittit se daturum esse Petro mille aureos die Paschatis, si die statuto non persolvat peccat contra fidelitatem præstitam, debet tamen post terminum elapsum solvere, nec liber erit ab hac obligatione quousque solvat de facto. Ostenditur, quia in tali contractu subintelligitur particula *saltem*, hoc est, quod dabit tali die, vel saltem sequentibus, quia si illud *saltem* non subintelligeretur, nemo tali conditione contraheret. Atqui promisit ita ut ex vi promissionis non teneatur, si promissionem juramento corroboret, tenebitur die Paschatis illam summam adnumerare ratione juramenti, & si non adnumeraverit, erit perjurus; die autem sequenti nihil tenebitur dare, & hoc ostenditur clarissimè; quoniam si teneretur die sequenti, aut teneretur jurejurando, aut jure merè promissorio. Iuramento non obstringitur; quia præcepta & juramenta possunt dies determinare, unde sicut ille qui die Dominica Missam non audit non tenetur illam audire die Lunæ; sic qui vovet Deo jejunare die Veneris & non facit, non tenetur jejunare die Sabbati: etiam qui promittit, vel jurat se daturum esse Petro tantam pecuniam die Paschatis, si non dederit, non tenebitur die sequenti dare. Confirmatur: si die sequenti tenetur hanc summam adnumerare Petro promissor: ergo vel ratione promissionis, aut juramenti. Non ratione promissionis puræ, quia supponitur non esse obligatoria: ergo ratione juramenti; atqui hoc diem illam non afficit: ergo. Minorem probo. Si feriâ secundâ talis pecunia Petro daretur adhuc promissor remaneret perjurus, ergo signum est, quod juramento alia die non possit satisfieri. Ergo dicendum est, in tali casu semel violato juramento promissorem manere perjurum quidem, sed liberum ab ulteriori obligatione. 608 *De contractu juramento firmato.*

Petis rationem cur in contractu post diem statutam remaneat obligatio, in promissoris juramentis non item. Dabo. 609 *Contractus & Promissionis differentia.*

Si das Petro argentum mutuum adjurans eum, ut restituat die Paschatis. Petrus habet argentum tuum à traditione ipsa, sed ante Pascha

Pascha habet volente domino, à Paschate domino invito; ideò die Paschatis non restituendo pejeravit, & cùm illud argentum pertineat ad te, & ipse retineat te invito, ab illa die tenebitur restituere, & erit iniquus rei alienæ possessor quousque restituat. *Cum autem* sub juramento polliceris Antonio te illi daturam esse aureos bis mille die Paschatis: si hac die illi determinatam pecuniam non adnumeres, perjurus es; die autem sequenti non teneberis ratione juramenti ut patet; non ratione injustæ retentionis, quia retines, non quod Antonii est, sed quòd tuum est, quia ut sæpè diximus promissione pura etiam acceptata non transfertur dominium.

Sic resolvimus, supponendo promissione acceptata non mutari dominium: si autem contrariam sententiam, quæ probabilis est propter Authores à quibus propugnatur, admittamus, debebimus contrario modo philosophari, & oppositas aut saltem severiores in pluribus conclusiones tenere. In materia probabili hanc tu vel illam opinionem, prout libeat aut expediat, elige.

DISPVTATIO X.

De Donatione de præsenti.

610 *An hodie donationes fiat?*

SI Iulio Claro crederem, de Donationum materia nil scriberem; putat enim hoc sæculo avaritiam regnare, & liberalitatem obiisse: & sanè non videtur omninò deviare à veritate, sæpè enim mihi debita non solvi experior, indebita dari non video. Agam de donatione tamen tanquam de idea Platonica; cujus notitia proderit, si quando liberalitatem è mortuis excitari contingat. Multa profectò nomen donationis significat, quæ possunt quæstionem de dominio implicare: definitur enim *datio & traditio liberalis alicujus rei*, & dividitur:

Quid, & quotuplex donatio sit?

PRIMO in perfectam & imperfectam. Perfecta est, quæ realiter rem tradit & donat: Imperfecta, quæ declarat se tradere, tametsi res absens sit & de facto non tradatur. Faciliùs hæc & clariùs in physicam & moralem divideretur; si physica, diceretur *realis & corporalis rei præsentis traditio*, ut si de facto Petrus daret Ambrosio centum aureos: si moralis, diceretur *traditio rei physicè absentis & præsentis moraliter*, ut si existens Lovanii dicerem, *Ego dono tibi domum sitam in foro Madritensi.* Donatio moralis parit obligationem in foro etiam civili asserente Laymano 3. *l. de just. & jur. tract.* 4. *cap.* 12. adjunctâ *cap.* 2. doctrinâ; cui subscribit Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp. unic. num.* 3. qui in hoc displicet, quod addat morali hac sive imperfecta, ut ipse loquitur, donatione non adquiri dominium, non enim id benè ex *l.* 20. *C. de pactis* colligitur; quia hæc moralis donatio non est pactum putum & nudum, sed virtualis traditio: aliud enim est paciscì de re donanda, aliud eam de facto donare: nam cœcus non videat esse differentiam inter has formulas. *Ego hoc instrumento publico me obligo ad dandum Petro mille aureos*: &, *Ego hac instrumento dono & trado Petro mille aureos, qui sunt in tali cambio, & volo quòd ab hac hora ipse illos habeat, ut suos, &c.* sentio citatam legem debere intelligi de primo non de secundo pacto.

An donatio transferat dominium?

An utraque?

SECVNDO. Donatio in remuneratoriam, præparatoriam, onerosam, liberalem, prodigam & illegitimam dividitur. Remuneratoria potiùs est solutio quàm donatio. Præparatoria ad mutuationem videtur spectare: cùm enim equum das Antonio, ut eum allicias ad tale obsequium præstandum, videris mutuare illum equum, & solutionis loco illud ipsum obsequium expectare. Onerosa si quid tribuit, tribuit sub onere quod alter cui fit donatio aliquid aut retribuat aut faciat, ut si dicat, *Do tibi decem aureos sub onere quod Bruxellam adeas*; tunc enim emptionis potiùs rationem quàm donationis habet. Liberalis vocatur, quæ fit, non tamen ex obligatione, aut debito justitiæ, aut intuitu alicujus obligationis aut favoris recepti, aut recipiendi; sed ex mera liberalitate. Prodiga, eadem quæ irrationalis: & hanc esse invalidam communiùs existimant Iurisconsulti; sed Illegitima dicitur, quæ contra leges aut in substantia aut in gravi aliqua solennitate. Hanc ego judico stando juri naturali esse validam, & stando humanis legibus interdum vacillantem & dubiam, interdum absolutè invalidam.

611 *Iterum dividitur donatio.*

TERTIO, si donandi causam respicias, donationem in eam quæ est inter vivos, & eam quæ est mortis causâ divides. Donatio inter vivos est absoluta & vera donatio, & rem de facto tradit realiter aut moraliter illi cui fit donatio: at verò donatio causâ mortis non est absoluta donatio, non enim rem aut realiter aut moraliter tradit, sed tradendam decernit, si contingat mori; & ideò morte firmatur, & ante mortem nullum jus confert illi in cujus favorem donatur.

Et iterum etiam dividitur.

ARTICVLVS I.

Cur donatione transferatur dominium?

DOnatione perfecta inter vivos, sive ipsa remuneratoria, sive dispositoria, aut liberalis, transferri dominium apud omnes in confesso est; nemo reperitur, qui dubitet. At non statim doceberis esse verum quod universi affirmant. Supponis ergo Thesin communem esse veram, & cur talis ipsa sit, inquiris. 612

An donatio sit transsubstantiatio?

Respondeo donationem esse quandam moralem transsubstantiationem, quâ dominus in non dominum transsubstantiatur sub accidentibus habendi dominium. Nam sicut in Eucharistia est verum, panem desinere esse sub accidentibus, & sub eisdem corpus Christi esse incipere, sic similiter sub dominio (accidens humanum est) erat Petrus, cùm ipse erat equi dominus; dat illum Paulo, & sub illo accidenti transsubstantiatur in Paulum, ita ut jam post illam donationem illi accidenti (hoc est, dominio in equum) non subsitet amplius Petrus, sed Paulus.

Exponitur & probatur.

Placet ad transsubstantiationis moralis conceptum recurrere, multa enim hac idea

explicantur. Repræsentatio enim est transsubstantiatio moralis, quâ sub sensibilibus accidentibus persona filii transit moraliter in personam patris. Item Mutuatio, Solutio, Fœneratio, Emptio, Venditio, &c.

An etiam Repræsentatio sit quædã transsubstãtiatio moralis?

An etiam Mutuatio: Fœneratio: Emptio: &c.

ARTICVLVS II.

Quinam possint donare? & quibus?

613 *Vt donatio sit valida, aliquæ conditiones requiruntur, quarum aliæ respiciũt personam, quæ donat:*

PRimò, nemo potest donare, quod suum non est; unde est communissima & verissima parœmia, quæ affirmat, neminem dare quod non habet: nam ut habet Regula Iuris LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.*

Secundò, nemo donare potest plusquam habet; unde si hîc sint in mensa mille argentei, quorum sexcenti ad Franciscum spectent, ad Ioannem reliqui; neuter donare poterit totam illam summam, sed unusquisque partem suam sine alius præjudicio. Constat ex eadem Regula.

Alia autem personam cui fit donatio:

Tertiò, nemo est, qui non possit dare illud quod habet, si donatio prudens & legitima sit, saltem negativè; hoc est, si talis, ut nec contra bonos mores militet, nec contra aliquam legem politicam; *Nam contractus, si in legem divinam aut humanam impingat*, ex Regula LXIV. *nullus est.*

Iure autem inhibentur donationes, PRIMO prodigo; videlicet illi, cui interdicta bonorum administratio. *l. 2. ff. de Curator. furios.*

SECVNDO impuberi sine tutoris facultate. *l. Pupill. ff. de acquir. rer. dom.*

TERTIO minori absque curatoris consensu; *l. 1. C. si major factus.*

QVARTO filiofamilias, qui invalidè bona parentum daret.

QVINTO Religioso. De furioso, impubere, & minore, pauca occurrunt, quæ non magni momenti: at de filiofamilias & Religioso multa & valde curiosa, quæ quia ex professo sunt tradita in Comment. in Regul. Bned. à num. 815. non debent secundò tractari.

ARTICVLVS III.

De rebus quæ possunt donari.

614 *Et alia rem ipsam, quæ donatur.*

FAciliùs quæreres, An sit aliquid quod non possit donari? nam *primò* possunt donari omnes res inanimes; ut domus, fundi, supellectilia, &c. omnes vegetativæ; ut plantæ, arbores, semina, &c. omnes sensitivæ; ut equus, canis, ovis, elephas, &c. etiam rationales; ut servi, imò & etiam mancipia. Possunt etiam morales, ut jura, actiones, potestates, &c. & instrumenta quibus istæ subsistunt, ut chirographa, protocola, testimonialia, &c. sed & possunt supernaturalia, animabus enim Purgatorii satisfactionem operum supernaturalium cedimus; & amicis impetrationem tametsi supernaturalem: at, quia meritum supernaturale personale est, donari non potest. Ecclesiastica tametsi remunerativè non rarò imò & dispositivè conferantur, nunquam venduntur, debent enim donari. Res autem quæ aut non sunt, aut esse non possunt, ut Minotaurus, Syrena, Phœnix, domus combusta, aut servus mortuus non donantur. §. 1. *Inst. de inutilib. stipul. l. 1. §. Sed si id. ff. de oblig. & act. §. Sacrares. Inst. de rer. divis.*

Donari solent realia: moralia: & supernaturalia.

Meritum donari non potest: nec beneficia Ecclesiastica vendi.

615 *An possit aliquis donare omnia sua bona?*

Omnium bonorum donatio universarum, quæ possunt fieri, maxima est, & à multis de prodigalitate arguitur, & videtur jure condemnari. Si fit omnium bonorum tam præsentium quàm futurorum, & ad effectum rei profanæ, hoc est, causæ non piæ nec Ecclesiasticæ nec firmetur juramento, condemnatur à multis, à paucis judicatur valida. Illam condemnat Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 13. n. 94.* Azorius *3. part. lib. 11. cap. 7.* Iulius Clarus *§. Donatio, quæst. 41.* Covarruvias *3. var. cap. 12.* Sà *verb. Donat. num. 17.* Gomez *in l. Tauri 69. num. 1.* Rebellus *lib. 18. quæst. 7. num. 4.* Molina *disp. 280. num. 1.* quorum sententiam docet esse communem Dicastillus *lib 2. tract. 5. disput. 3. dub. 3. num. 49.* Sed & Dinus, Angelus, Salicetus, Alciatus, relati à Covarruvia *in Rubric. de Testam. part. 4. num. 6.* putant valorem talis donationis non improbabiliter posse defendi: & ipse Dicastillus eorumdem sententiam veram putat, quia contrariam solùm vocat veriorem. Ego quidem scio, quod stando juri naturæ talis donatio sit valida, & scio standum esse pro libertate à natura concessa quamdiu non sit clara aliqua limitatio; limitationes enim odia sunt, & hæc ex Regula XV. contrahi & restringi debent: & quidem ego claram limitationem ubi Authores disputant, non invenio. Sed neque Diodorus Tuldenus Primarius Legum Antecessor invenit, nã anno 1643. in Repetitione de donat. publicè & me præsente propugnata Lovanii, sic inquit, p. 1. thes. 13. *Sed an quis universa bona sua tam præsentia quàm futura conferre in aliquem possit, controversum est; nos affirmativam sententiam amplectimur.* Et probat *l. Si quis argentum. 35. §. sed & si quis. & §. ult. C. de donationib. l. Si nunquam. 8. ibi bona omnia vel partem. C. de revoc. donationib.*

De donatione quæ tollit potestatem testandi.

INterim, si non vis discedere à communi doctrina, præpone oculis hanc maximam, nimirum, *Omnis donatio, quæ testandi facultatem adimit, si non fiat in favorem Ecclesiæ aut causæ piæ nec roboretur juramento, est invalida.* quam probant Azor. & alii ex *l. Stipulatio hoc modo. ff. de verb. oblig.* & ex ea omnes casus resolves. Proponam aliquos.

616 *Quæ & qualia dare possint qui volunt religionem ingredi? quæ & qualia Novitius?*

PRIMVS. Antonius vota emissurus omnia sua bona donavit Friderico: petitur, an hæc donatio fuerit valida. Dico potuisse illi donare bona solùm præsentia, & potuisse etiam non solùm præsentia, sed & futura. Si solùm præsentia donavit, non donavit omnia, ideóque nec perdidit testandi facultatem, poterat enim testari de futuris: unde si facta hac donatione Antonius profiteretur, & contingeret jure hæreditario vel alio titulo post donationem & ante professionem dominium proprietarium rei alterius adquirere, illa eadem sic adquisita non pertineret ad Fridericum, cui donata non est, sed transiret ab intestato ad Monasterium, vel ad cognatum proximum,

mum, si lex aliqua specialis Monasterium excludat.

Professio est politica mors & ultima voluntas testamentum.

Cæterùm, cùm universa bona donat, tam præsentia quam futura, ille contractus non est donatio inter vivos, sed causâ mortis, professio enim mors civilis est reddens hominem incapacem dominii, & idcirco dicenda est (imò & dicitur) testamentum; hoc autem posse esse de omnibus rebus certissimum est.

617 Secundus. Albericus omnia bona sua tam præsentia quàm futura donavit, & consulor de valore talis donationis. Respondeo esse juxta communem sententiam invalidam, quia ex vi ejus testandi facultas quam jura volunt illæsam remanere, adimitur.

Dubium curiosum incidens.

Sed cùm agitur de bonis futuris donandis, opus est obiter examinare, *An quis possit donare de facto bona futura?* Non peto, *Vtrùm omnia?* sed, *Vtrum futura?*

Omnis contractus potest verbis fieri.

Dico igitur primò nullum esse dabilem civilem contractum, qui verbis exprimi non possit. Patet, quia homines non contrahimus conceptibus, sed verbis expressis aut implicitis, & implicita possunt ad expressa reduci. Secundò, formulas nonnullas subjungo.

Ego donabo Petro omnia bona, quæ temporis successu habebo, ais, & nihil donas, sed promittis; donationes enim, non quidem per verba futuri, sed per præsentis debent fieri.

Ego dono, inquis, *bona futura*, & nihil donas; quia de facto non tradis quæ de facto non habes. Per donationem transfertur dominium, quod cùm in te non sit, ad Petrum transire non potest.

618 *Quid sit donare omnia bona futura?*

Addis, *Ego cedo jus, quod habeo adquirendi mihi dominium de novo, & volo ad hunc effectum carere personâ propriâ & esse homo Petri, ita ut quidquid in posterum adquiram non meo, sed illius nomine adquiram, & non mihi, sed illi.* Hoc modo contractus stare potest. Non est promissorius, quia per verba præsentis initur, & datur Petro de facto, id quod de facto habes, quod dare potes, quod recipere potest: nempe jus adquirendi novum rerum dominium. Et censeo adhuc stando sententiæ communi hanc donationem esse validam, non enim jus testandi præcluditur, poteris enim de bonis, quæ nunc habes testari. *Sed nota* præmissâ hac futurorum omnium bonorum (hoc est, in tempore futuro adquirendorum) donatione, esse invalidam præsentium omnium bonorum donationem, si succedat; quia hæc auferret potestatem testandi: qui enim jam futura omnia dederat, si nunc det præsentia, nihil retinebit quod in mortis articulo legare possit.

619 *Quomodo donationes generales intelligendæ sint?*

Tertius. Albertus condito instrumento omnia bona donavit Ferdinando. Petitur, quid nomine omnium intelligendum sit, & an illa donatio sit valida? Respondeo Albertum censendum esse voluisse omnium rerum, quas donare poterat, dominium ad Ferdinandum transferre, esset enim imprudens & iniquus, si vellet donare quod non posset, atqui potuit donare omnia præsentia, & non potuit omnia præsentia simul & futura: ergo censendus est omnia & sola præsentia donavisse. Ita Iulio Claro, Azorio, Dicastillo asserentibus communiter omnes Doctores.

Vides verba universalia limitatione congrua contrahi & exponi: sed quia bifariam possunt stante veritate limitari, non capis cur potiùs debeant de bonis præsentibus intelligi, quàm de futuris. Sed respondeo, nos manuduci à Regula Iuris VI. videlicet, *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius*, putamúsque illud esse verosimilius, *quod plerumque fieri consuevit.* Vnde infero dubia debere juxta communes mores exponi; cúmque donationes bonorum præsentium sint frequentissimæ & communissimæ, & donationes bonorum purè futurorum rarissimæ, prudenter dubium hoc ad bona præsentia reducitur, & ad futura reduceretur imprudenter.

620 *In donatione causâ mortis habet locum portio Falcidia.*

Quartus. Petrus causâ mortis omnia bona donavit; & an sit valida ista donatio inquiris. Affirmant communiter Doctores Iulio Claro, Gomesio, Molina, Dicastillo, & Azorio asserentibus. Ratio est; quia vel hæc donatio habet vim testamenti, vel non. Si habeat, cessat quæstio, quia in testamentis bona universa legantur, & tunc erit donatio conditionata, quæ posset his verbis, *Dono, si me mori contingat*, exponi: si non habeat, adhuc testandi facultas non adimitur, potest enim portionem Falcidiam detrahere & sibi retinere aut legare.

621 *Quanta sit pars, quæ debet in donatione reservari?*

Quintus. Franciscus modicam partem reservans, reliqua omnia bona, tam præsentia quàm futura, Richardelio donavit. Respondet Bartolus in citatam legem *stipulatio hoc modo*, esse validam. Sonzinus Iun. *consil.* 142. *num.* 36. *lib.* 1. docet hanc esse receptam sententiam, Dicastillus hac in parte Bartoli animadversionem commendat: at verò Azorius & Iulius Clarus volunt portionem reservatam esse majorem vigesimâ bonorum parte. Sed ego neutram sententiam approbo: & meam probo & stabilio. Sentio in Rebuspublicis reperiri res magni valoris, parvi, & nullius: quarum distinctionem uberiùs in meo Commentario à numero 954. nunc brevius. Nullum valorem politicum res illa habet, quæ minorem quàm minima moneta Reipublicæ; levem, quæ sine peccato mortali auferri ab invito domino potest; gravem, quæ sine mortali peccato non potest. Existimo testamenti conditionem rem gravem esse, & non posse institui pro re levi; rideremus enim universi, si videremus coram Notario & testibus de duobus assibus legandis agi. Quamobrem Conclusio sit, nec requiri quod res reservata vigesimam patrimonii partem excedat, nec sufficere qualiscumque ipsa sit; sed opus esse, quod tanta sit, quæ possit in testamento legari & hæredi concedi: unde cùm testamentum sine expensis non scribatur, tanta esse debet, quæ jura publica subire possit.

622 *De reservatione usufructuum.*

Sextus. Petrus donavit Francisco omnia bona, præsentia videlicet futuráque, & sibi reservavit usumfructum hoc expresso quod possit de illo in vita, non in morte disponere. Respondent non valere donationem Covarruvias 2. *variar. cap.* 12. *num.* 3. Azorius, Dicastillus, Iulius Clarus *ubi suprà*, & alii. Sed adhuc valorem in hac ipsa donatione reperio, & rationem ab ipsis allatam nil concludere. Talis debet esse donatio, inquiunt, ut non adimat potestatem testandi; hæc adimit: ergo. Et ego concessâ tut potiùs condonatâ

majori, minorem nego: & asſero poſſe adhuc inſtituere hæredem & legitimum teſtamentum condere. Ratio eſt; quia datur fructus & uſusfructus; hic eſt jus ad habendum fructus; ille eſt utilitas ex uſufructu reſultans. Eſto Petrus donaverit omnia reſervans ſibi pro vita uſumfructum talis pomœrii, remanebit indirectus pomœrii dominus, & erit uſufructuarius pro vita. Ex vi igitur hujus donationis non poterit in teſtamento inſtituere ſucceſſorem & hæredem in illo uſufructuario dominio, quia ſupponitur ſibi ad vitam tantùm reſervaſſe. Sed poterit teſtari de pecuniis quas lucratus fuit cùm eſſet uſufructuarius. Vnde talis donatio legitima erit, quouſque non ſolùm cedatur jure legandi dominium uſufructuarium, ſed etiam ipſammet pecuniam aut bona ex fructibus præteritis adquiſita: aliud enim eſſe habere jus in agrum, aliud in fructus, vel cœcus videat. Si uſufructuarius pro tribus annis inſtituaris, habes indirectum jus in illum pro tribus tantùm annis, at in illorum trium annorum fructus habes dominium directum & æternum, quod tribus illis annis non clauditur. Ergo eodem omninò modo de uſufructuario ad vitam philoſophandum eſt; habet dominium indirectum in agrum, & hoc non æternum, ſed ad tempus, hoc eſt, ad mortem uſque; at verò in fructus, quos annuatim percipit, habet perpetuum directum dominium, quod morte non clauditur, poteſt enim tranſire ad hæredes.

Nota id benè. In fructus adquirit Vſufructuarius directũ, verum, & æternum dominium.

623 Hanc eamdem doctrinam hac ponderatione confirmo. Ipſe Petrus in caſu hoc ſexto expreſſus, dederit proventum unius anni Fernando: potuiſſe aſſeres; & inquiro, An potuerit Petrus dare Fernando plus juris quàm habebat? Et negativè reſpondet Reg. LXXIX. & tu cum illa. Subpeto, An mortuo Petro teneatur Fernandus illum eundem proventum reſtituere Franciſco: reſpondebis, ut puto, non teneri; & infero, ergo Petrus habebat in illam rem perpetuum & æternum dominium, non enim potuit dare, quod non habebat, & perpetuum dominium dediſſe aſſeris, vel ſi non dederit, Fernandus non habet, ſed poſt mortem Petri tenetur omnia Franciſco reſtituere. Si igitur Petrus in proventus perpetuum & directum dominium habeat, poterit illos, quos annis præteritis adquiſitos de facto habeat, legare in teſtamento. Si dicas mortuo Petro teneri Fernandum Franciſco reſtituere quidquid à Petro recepiſſet, non ſolùm aliquid novum & inauditum dices, ſed caſum tolles: hoc enim eſſet verum, ſi Petrus donationem validam feciſſet his verbis, *Dono Franciſco omnia mea bona tam præſentia quàm futura, reſervans mihi talem agrum in merum uſumfructum ad vitam ita ut de fructibus perceptis, ſi qui apud me ſint cùm moriar, teſtari non poſſim.* Sed tunc donatio valida non eſſet.

624 *An poſſit ſe aliquis obligare ad talẽ nominandũ hæredem.*

Septimvs. *Dono Alberico omnia bona mea exceptis talibus, quæ reſervo in purum uſumfructum manente apud eum dominio directo; & promitto ſub juramento omnia quæ ex fructibus percepta extiterint apud me in morte, me legaturum eſſe eidem in teſtamento tanquam meo & unico hæredi.* Validam eſſe hanc donationem exiſtimo; non enim tollit teſtandi poteſtatem firmata juramento talem hæredem eligendi promiſſio.

Octavvs. Petrus Antonio omnia ſua bona donavit tam præſentia quàm futura; & Antonius Petro, mutua donatione: interrogas autem quid juris? Reſpondeo neutram eſſe validam, ſi ſucceſſivæ & independentes: valere, ſi ſint ſimplex contractus; valere etiam, ſi donatio prior, ſit conditionata & ſecundam involvat. Et ratio eſt, quia tunc teſtandi poteſtas non tollitur; quia tametſi Petrus bona quæ aut habet aut ſuâ induſtriâ aut jure adquirere poſſet, legare tamen poterit quæ ex condonatione Antonii adquirit. 625

Nota bene, hoc ſecundũ: eſt enim ſubtile & obſcurum.

Novvs. Anſelmus remunerationis gratiâ omnia ſua bona donavit Ferdinando: inquiris, An hæc donatio ſit invalida in jure. Reſpondeo remunerationem potiùs eſſe ſolutionem quàm donationem: non poſſéque Rempublicam ſine cauſa bonum publicum graviter concernente diſponere, ne debita ſolvantur. 626

Qui ſolvit, poteſt omnia ſua bona dare.

Decimvs. Franciſcus dedit omnia ſua bona ſub conditione oneroſa, quod Antonius deberet filiam ſuam ducere. Et judico hanc non eſſe puram donationem, ſed commutationem, ac propterea quodammodo emptionem. Sanè has præparatorias ſeu commutatorias emptiones non interdici à jure affirmant Menchaca, Molina, Rebellus, quos refert & ſequitur Dicaſtillus *lib. 2. tract. 5. diſp. 1. dub. 3. num. 59.* ſed puto poſſe à Republica interdici, quod ſi interdicerentur & lex acceptaretur, eſſent invalidæ. 627

Etiam, qui emit aut cõmutat.

Vndecimvs. Petrus omnia bona ſua donavit Eccleſiæ. Donationem eſſe validam contendunt Reginaldus *lib. 25. num. 257.* Azorius, Molina, Rebellus, Leſſius, Iulius Clarus, Bartolus, Selinus, Dicaſtillus, & alii, qui putant eſſe communem ſententiam. Puto tamẽ hoc poſſe defendi ſtando juri communi, non verò Provinciarum legibus ſpecialibus: in Belgio enim nequidem profeſſurus poteſt omnia ſua bona donare monaſterio; quamobrem diſplicet illa ratio, qua utuntur aliqui ex his authoribus. Ius civile, inquiunt, impedire non poteſt opera pia & conſilia Evangelica, qualia ſunt dare omnia ſua bona cauſæ piæ: ergo. Et tu diſtinguis antecedens; ex rationabili cauſa non poſſe interdicere, negas: ſine cauſa, concedis. Caſtitas enim à Deo ipſo conſulitur, & tamen Reſpublica matrimonium contrahere vult eum qui promiſit, & alicubi tametſi non promiſerit, modò virginem oppreſſerit. Lamegenſes Luſitanorum leges. *num. 17. Si quis ſforciaverit* (oppreſſerit) *virginem nobilem, moriatur; & totum ſuum avere* hoc eſt, omne quod habet, & legitimè avere, & prætendere poteſt) *ſit de virgine ſforciata, ſi non eſt* (ipſa) *nobilis, maritentur ambo, ſive homo nobilis ſit, ſive non ſit.* An taliter condemnatus poſſet ſententiam ſubterfugere Evangelici conſilii prætextu? ſed ſi & hanc legem injuſtam audeas judicare ad ſanctiſſimam Ieſuitarum Religionem converte oculos, in qua ſtatutum laudabile de fraterna correctione, tametſi à Deo conſulta, omittenda: quia fortè ſub illis circumſtantiis à Chriſto non conſulitur; vel ſi conſulitur, debet non ſervari cum jure 628

An poſſit aliquis omnia ſua bona Eccleſiæ donare vel legare?

Belgii leges & mores.

An poſſit cogi aliquis ad matrimoniũ?

An apud PP. Ieſuitas correctio fraterna locum habeat?

Legum acceptatarum vis.

jure illo secreti ceditur : cedit autem, qui legem contrarium præcipientem acceptat. Igitur, si prudenter Respublica instituat ne quis omnia bona Ecclesiæ donet, contra legem semel acceptatam nulla donatio erit valida.

Confirmatur : quia in omni lege politica nos ad acceptationem recurrimus. Ergo, si lex jubeat, ut saltem mediam bonorum partem des cognatis sæcularibus, & tu hanc legem acceptas : ipsa te acceptatione publica obligas : ergo & cognati sæculares adquirunt jus ad habendam post mortem tuam illam bonorum partem, quam te volente & consentiente illis adjudicavit Respublica. Ergo, si postea omnia tua bona Ecclesiæ dares, dares illa quæ cognatorum tuorum sunt, in quæ ad vitam habes usum, & post vitam potestatem non habes.

629 *Qualem vim juramenta contractibus civiliter dãnatis addãt ?*

Duodecimus. Petrus non solùm donavit omnia, sed & donationem firmavit juramento. Et respondeo multos esse casus in jure civili in quibus juramentum excipitur. Et si tacitè vel expressè illud excipiatur, cessat quæstio; non enim contra legem agitur, quod fit lege aut permittente, aut præcipiente. Cæterùm, ni expressè aut implicitè, probabiliter tamen aut certò, lex civilis donationes juramento firmatas excipiat, illæ quæ sine juramento essent nullæ, etiam posito juramento nullæ erunt; juramentúmque non faciet, quòd injustæ promissiones aut donationes justæ evadant, sed iniquitati priori, sacrilegium adjunget : *Non enim est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum* (Regula LVIII.) & præstitum contra leges publicas, contra bonos mores omninò est. Verbi gratiâ. Si Iesuita, qui aliàs teneretur socium deferre, (si non teneretur, casus tollitur, non impugnatur) secreti observantiam promitteret, & hanc ipsam juramento firmaret; peccaret primò promittendo id quod servare non poterat, & secundò iniquam promissionem sacrilego juramento onerando: ergo eodem omninò modo in casu præsenti philosophaberis.

Hæc omnia, quæ sunt dicta, supponunt *donationem, quæ adimit potestatem testandi, esse invalidam.* At hoc fundamentum, quod probabiliter admitti potest, non fuit hucusque demonstratum. Et quid, quæso, si aliquis cederet jure testandi ? At non potest cedere jure illo, dices. Et cur non potest ? Stat ergo illam fundamentalem propositionem, videlicet, *Invalida est omnis donatio, quæ nihil relinquit, de quo possit testamentum institui*; & posse negari & distingui. Negari quidem cum Authoribus prioris sententiæ, quos dedi. Distingui etiam; si dixeris esse invalidam, si donator non cesserit jure testandi; at validam, si cesserit. Et quid hîc iterum, si dicam, ipsammet donationem, hanc ipsam cessionem implicitè involvere : involvit enim omnia sine quibus esse non potest : unde, si ad sui valorem ejusmodi cessio requiritur, etiam illam involvit ?

An quis cedere possit jure testandi ?

Resolutio.

Ergo hac vel illac progrediamur, in alteram sententiam labimur, quæ Iuri naturæ est conformis, potéstque leges omnes posita hac cessione aut alia simili circumstantia explicare.

ARTICVLVS IV.

An pater donare possit filio ?

630 *Filius est homo patris.*

Ivre naturæ filius naturalis, homo est patris, nomine & persona propria caret; & si quid habet, parentis habet nomine, & si quid adquirit, parenti etiam adquirit. Posse emancipari clarissimum est; nam de facto multi emancipantur : & emancipatus habetur ad parentem sicut homo qui nomen proprium & propriam personam habet. Emancipatus posset adquirere rerum dominium penes arbitrum emancipantis: nam emancipatio est duplex, inadæquata aut imperfecta, & adæquata aut perfecta : ex vi hujus filius redditur sui juris & adquirere sibi potest rerum quarumcumque dominium : ex vi alterius poterit adquirere aliquarum; nam imperfecta illa emancipatio fit ad talem determinatum effectum.

Emancipari potest.

Emancipatio duplex est : inadæquata & adæquata.

Vt igitur de donationibus, quæ inter patres & filios fieri solent, disputemus, supponendum est *primò* nos non agere de filio perfectè emancipato, quia iste est tam capax dominii quàm quicumque alius exter.

Secundò non esse possibile filium donari validè aliquo munere, ita ut verum dominium proprietatis adquirat & maneat nullatenus emancipatus; aliàs enim involveretur contradictio, hi enim termini *est dominii capax* & *non est dominii capax* sunt contradicentes, & de eodem subjecto dicerentur, nempe de filio; ille, quia adquirit proprietatem; iste, quia nullatenus emancipatus est.

Tertiò totam difficultatem circa filium imperfectè emancipatum versari. Considera Theses sequentes.

631 *De habendã dominium proxima & remota potentia.*

Prima. *Non est intelligibile filium esse nullatenus emancipatum, & tamen esse proximè capacem alicujus directi dominii.* Sed ais. Filius adhuc cùm est sub parentum tutela & nullius emancipationis fruitur privilegio, adhuc tunc potest emancipari; si emanciparetur esset capax dominii : ergo potest habere dominium. Et respondeo hoc argumentum esse simile illi, quo apud Augustinum Adamus moriturus & mortalis etiam in statu innocentiæ fuisse probatur. Adamus enim adhuc innocens poterat peccare; stipendium peccati mors : ergo adhuc in statu innocentiæ poterat mori. Vel etiam sic. Adamus etiam cùm innocens, erat peccaturus : ergo & moriturus. Patet; quia sicut erat verum dicere, *Hic homo innocens peccaturus est*, ita etiam, *Hic homo innocens moriturus est.* Et omnes ipsæ tam veræ, quam hæc, *Cæcus potest videre*; quia omnes in sensu remoto, non in proximo. Cæcus quidem potest videre; quia recipere oculos potest, non tamen potest visionem cum ipsa cæcitate componere. Homo innocens poterat mori, quia & peccare; non tamen mori poterat antequam peccaret, nec posset mortem componere cum innocentia. Ergo & similiter. Filius nullatenus emancipatus potest adquirere rerum dominium, non verò antequam saltem imperfectè emancipetur, non enim componere poterit non-emancipationem cum

adquisitione

adquisitione dominii. Stat igitur thesis, quæ proximam capacitatem illi expresè negat, & & remotam implicitè concedit, ante emancipationem enim non habet potentiam proximam adquirendi rerum dominium, sed potest habere: habet igitur potentiam remotam & radicalem negativam, quam *non-repugnantiam* nominamus. Negativam quidem; quia si positiva illa esset, vix processus in infinitum vitari posset: posset enim etiam haberi, & hæc potentia, quâ haberi posset, etiam posset haberi; & sic ulteriùs sine termino.

An sit remota potentia positiva.

632 *De inadæquata emancipatione.*

SECVNDA. *Donatio facta vel à patre uni filio, vel à domino alicui servo, imbibit inadæquatam emancipationem.* Patet; quia donans vult hanc donationem esse validam; ergo vult omnia illa, sine quibus valida esse non possit. Atqui, ut illa sit valida, potestas adquirendi dominium in ipso recipiente requiritur, ut talis potestas recipienti conveniat requiritur patris (vel domini erga servum) licentia: & hæc est eadem ac emancipatio: nam emancipare ad aliquem effectum, est concedere licentiam ut filius sit sui juris, quoad illum effectum; & emancipare totaliter est concedere, quod sui juris sit, quoad omnia.

633 *An possit Emancipatio revocari?*

TERTIA. *Emancipatio imperfecta potest à patre revocari.* Corollarium. *Ergo donatio facta à patre filio sub ejus authoritate constituto firma non est, sed revocari poterit.* Nomine donationis intelligo eam, quæ traditionem rei realem vel moralem includit (aliàs enim non jam donatio, sed promissio esset; promissione autem non transferri rerum dominium certum est.) & assero hunc posse revocari à parente. Ita Molina *disp.243.num.1.& disp.291. num.1.* & Dicastillus *lib.2.tract.5.disp.1.n.62.* Vbi subjungit Molina aliqua, quæ Dicastillo placent, & mihi videntur esse omninò falsa. Citatus Dicastillus, *Qui* (Molina) *rectè addit, ita morte patris* (donationem) *confirmari, ut retrotrahatur ad tempus, in quo facta fuit, ut simul cum re donata fructus inde percepti ad filium spectent.* Displicet illud *retrotrahatur*, morte enim parentis non fit ut filius reddatur dominus rei à patre donatæ, si antea non erat; sed quòd reddatur firmus & irrevocabilis dominus rerum, quarum antea quidem verus dominus erat, sed infirmus & revocabilis: unde mors illa non habet vim retrotrahendi, vel ut terminis philosophicis utar, non habet potentiam ad prætetitum, nihil enim ex vi ipsius fit præteritum. Non facit mors parentis, quòd res à patre, dum viveret, donata filii fuerit; quia & revera donata erat: non facit quòd irrevocabiliter fuerit; quia talis non fuit, nequidem virtualiter: sed facit, quòd à morte parentis incipiat filius habere irrevocabile dominium rei à patre donatæ & fructuum ab illa perceptorum sub sua potestate actualiter exstantium, quod ante mortem parentis non habebat. Vbi igitur potentia ad præteritum relucet; vel ut eorumdem Authorum utar terminis, ubi aliqua retrotractio?

An mors patris retrotrahat donationem?

An firmet tantùm?

Hæc præmissa sunt ex puto naturæ jure à legibus humanis præciso: nunc illarum vires perpendamus.

634 QVARTA. *Potest lege humana* (latam & acceptatam intelligo) *interdici parentibus, ne aliquid filiis sub sua potestate constitutis largiantur; & hoc bifariam, nimirum, aut merè præcipiendo, aut etiam illos inhabilitando & quodammodo amortizando.* Præceptum purum non reddit actus invalidos, sed illicitos; unde pater, qui contra Reipublicæ præceptum aliquid donaret filio suo, illicitè quidem, sed validè donaret. At inhabilitatio est amortizatio seu politica & inadæquata quædam mors, ex vi cujus potestas donandi filiis, quæ erat in parente, extinguitur, & parens qua potens donare filiis munera, intelligitur civiliter mortuus: unde talis inhabilitatio est impedimentum quamcumque donationem dirimens. Nec opus est, ut semper parentem afficiat, eúmque reddat non-potentem donare; sufficeret enim si vel filium afficeret, eúmque redderet non-potentem recipere; quia ut paries videatur, requiritur quòd ipse possit videri, & oculus videre possit; unde, si vel ipse esset invisibilis, vel oculus non esset visivus, paries non videretur: & eodem prorsus modo, ut donatio sit valida in donante requiritur donandi potentia, & recipiendi potentia in recipiente, quarum alterutra deficiente donatio erit invalida, non secus ac illa quæ fieret Religioso à sæculari, aut sæculari à Religioso, quarum prior non valeret defectu potentiæ receptivæ, posterior defectu donativæ; Religiosus enim nomine proprio nec dare, nec adquirere potest.

Præceptorum vis. An reddant actus illicitos, an etiam invalidos? Quid sit inhabilitatio?

Quid requiratur, ut aliqua donatio sit invalida?

Donationem alias esse invalidam, aliàs validam quidem sed illicitam dixi, & tu hoc ultimum impugnas ex Regula LXIV. *Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.* Si pro infectis, ergo pro invalidis. Et respondeo me hanc Regulam de Iure dirimente explicasse; dantur enim impedientia & dirimentia jura; quod contra illa factum, illicitum sed validum est: quod autem contra ista, invalidum, & quod pro infecto haberi debeat.

635 *De insinuatione.*

QVINTA. *Sunt leges civiles, quæ inhibent donationes notabiles factas sine insinuatione, & determinent quantitatem, quam parens filio sine insinuatione donare possit.* Has leges, si acceptatæ, esse validas, constat clarè: non enim contra jus naturæ præceptivum militant, sed solùm permissivum limitant, & subditis non invitis possunt imponi; qui enim talem legem acceptat, cedit jure naturæ sibi contrarium permittente. Vt leges has (dandas inferiùs) altè intelligas, propono casum. In civitate N. erat lex inhibens ne ultra quatuor terræ mensuras rusticus filio sub sua potestate constituto donaret sine insinuatione: Blasius Bartolo filio, donavit octo ante aliquot annos, & jam jam moribundus desiderans hanc donationem esse validam, me consulit, An aliqua invaliditate laboret? & si laboret, An remedii capaci? Respondeo primò esse certum excessum illum quatuor mensurarum non potuisse à Blasio sine insinuatione donari, ac propterea nec nunc esse, nec olim fuisse Bartolum illius excessus dominum; unde mortuo Blasio non solùm illum excessum, sed etiam fructus inde perceptos adjungendos bonis Blasii, & inter hæredes dividendos. De quatuor mensuris, quarum donatio fieri potuit secundùm leges, minor videretur difficultas, quia communis sententia supponit, hanc octo

Aliqua dari sine insinuatione possunt, aliqua non.

mensurarum

mensurarum donationem quoad quatuor esse validam, & invalidam quoad excessum. Sed antequam præcipitanter suffragium meum ferrem, vellem literam legis considerare; ipsa enim potuit bifariam ferri. Dabo formulas. Prima: *Si pater filio non emancipato ultra quatuor mensuras donaverit, donatio esto nulla.* Secunda: *Si pater filio non emancipato ultra quatuor mensuras donaverit, donatio tantum quoad quatuor mensuras valeto, & quoad excessum esto nulla.* Et existimo, ex vi secundæ legis Bartolum adquisivisse verum dominium in quatuor mensuras, revocabile tamen, & in excessum nullum jus adquisivisse: ac propterea morte Blasii dominium illarum quatuor mensurarum & fructuum confirmari; non tamen confirmari dominium illius excessus, quod enim non fuit, confirmari non potest; debet enim aut fieri de novo, aut non esse. At verò ex vi prioris formulæ illa donatio esset invalida; & si invalida nullum jus Bartolo, nequidem in quatuor mensuras conferret: non enim ibi fiunt duæ donationes, sed una & simplex, ergo vel valida, vel non: si valida, omnium octo mensurarum dominium transferet; si invalida, nullius. Blasius igitur in articulo mortis constituto non tenetur confirmare validas donationes factas filiis, has enim mors ipsa confirmat: sed ut invalidæ teneant, debet eadem res tunc validè donare, & poterit per modum donationis inter vivos, & per modum legati: priori modo, si insinuationem præmittat; secundo, tametsi omittat, legatum enim nulla indiget insinuatione. Videantur Molina *disp.* 243. *num.* 1. & *disp.* 291. *num.* 1. Antonius Gomez 2. *variar. cap.* 4. & *ad legem* 17. *Tauri num.* 8. & *ad legem* 29. *num.* 26. Covarruvias *cap. Raynaldus de testib.* §. 2. *n.* 6. Gregorius Lopez *ad legem* 4. *citatam.* Navarrus *in Manuali cap.* 17. *num.* 146. Si adjungas ea quæ dicit *num.* 149. & Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *dub.* 4. *num.* 62. à quibus tametsi in illarum formularum distinctione abeam, in aliis non dissentio: quæ omnia communiter Authores deducunt ex leg. *Donationes* 1. junctâ Glossâ ibi verbo. *Referatur. C. de donat. int. vir. & uxor.* Et ex lege 2. junctâ Glossâ ibi verbo. *Familiæ, Cod. de inofficiosis donationibus.* leg. *Cum in rebus. C. de donationib.* & leg. ult. *C. de impuberum & aliis substitutionibus,* in qua pater & filius sub ejus potestate constitutus censetur una & eadem persona moraliter; unde quidquid adquirit, nomine patris adquirit, ac ideò non sibi sed patri. Vbi obiter notandum est, quod in bonis Castrensibus & quasi Castrensibus filius est persona moraliter distincta à patre, ac ideò potest de illis nomine proprio disponere, & hoc beneficio Iuris, ut optimè notarunt Azorius *libri* 11. *cap.* 9. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *num.* 62.

An donatio facta sine insinuatione sit absolutè nulla: an verò sit nulla quoad excessum.

Quale jus in bona castrensia habeat filius?

616 *Quæstio succurrens.*

Petis, *Vtrùm donationes factæ filiis sub parentum potestate constitutis sunt revocabiles?*

Respondeo affirmativè, Primò si detur causa: quia etiam aliæ donationes ex causa revocantur. Secundò etiam sine causa, quia pater semper est filii dominus directivus, & potest ejus personam gubernare. Ita omnes. Vbi notandum est donationes hujusmodi, quæ revocabiles verè adseruntur, morte parentis, & etiam filii emancipatione confirmari, & constat ex *l. fine, C. de donat.* sed hac veritate præmissa aliqua dubia suboriuntur.

Primum, An pater possit simpliciter revocare donationem faciendo, quod filius in posterum non sit illius rei donatæ dominus; an verò poterit ita revocare, ut revocatio retrotrahatur & nunquam moraliter fuerit dominus? Si possit primo modo, omnia acta filii circa bona quæ habebat ex liberalitate parentis; erunt valida: invalida, si secundo modo.

Quomodo pater revocare possit donationem filio factam.

Respondeo posse patrem, qui dedit agrum filio sibi subdito, revocare illam donationem secundo modo; quamobrem, si stante donatione filius aliquid aut vendat aut donet, non stabit venditio aut donatio. Addo ex vi hujus revocationis posse patrem privare filium non solùm agro, sed & quibuscumque fructibus (pecunia, quæ pro fructibus venditis fuit habita, etiam est fructus) quorum actuale dominium filius habeat: potest enim facere, ut nullius rei (Castrensia & quasi Castrensia excipio, quia de istis suo loco) fit directus dominus. Hac notitia veritatis admoniti quotquot contractus cum minoribus aut filiisfamilias ineunt, volunt eosdem à tutoribus & parentibus firmari, ut qui fortè à minoribus rati esse nequeunt, robur à majorum adquirant voluntate.

De bonis Castrensibus.

Secundum, An Respublica possit sine causa revocare donationem validè factam filio emancipato? Hîc attento Lectore indigeo. Omnis donatio facta à patre filio est ex natura sua revocabilis, ut omnes Authores supponunt: ergo non potest pater aliquid donare donatione irrevocabili: (firmatam juramento excipio, quia Imperialis Camera hujusmodi donationem ratam & irrevocabilem existimat, cui subscribunt Authores illustrissimi, & favet *lex. non dubium* 5. *in fin. C. de legibus. l. in ædibus* 9. §. *ult. ff. de donationib. junct.* §. *igitur liberi. instit. per quas personas cuique adquiratur. Andræas Gail. lib.* 2. *observ.* 38. *num.* 7. *& seqq.*) Ergo paterfamilias, cùm acceptavit legem, quæ filium tali aut tali ætate aut statu constitutum emancipat, cessit suum jus, non quidem filio, sed Reipublicæ; non filio, quia & hæc cessio donatio esset, & ideò non nisi revocabilis. Si igitur Reipublicæ pater cessit, procul dubio non aliam authoritatem quàm habebat, ex Regula enim LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.* Ergo authoritatem concedendi quæ possit revocare, & nihil concedendi quod non possit revocare: illa igitur quando filiofamilias concedit emancipationis privilegium, concedit quod potest revocare, etiam sine causa, eo prorsus modo quo poterat pater cujus cessio dedit talem authoritatem Reipublicæ. Igitur, si Respublica possit revocare emancipationem, poterit facere, quod ille emancipatus iterum sub dominio paternæ jurisdictionis sit, & nullius rei dominium habeat: cùm igitur ad patrem filii persona redit, etiam filii bona redeunt, undequaque adquisita, quia ex vi hujus revocationis pater & filius fierent una persona moralis ut antea: ipsi enim ex natura rei non sunt duæ personæ morales; emancipatio erat divisio, quæ illos in duas personas morales distinguebat; & emancipationis revocatio est distinctionis

De potestate Reipublicæ.

An possit donationes factas filiis emancipatis revocare?

An ipsam emancipationem revocare?

ctionis ablatio, ac propterea ſublatæ unitatis reſtitutio. [Nota tamen inter patrem filiúmque diverſas conſiderari idemtificationes; poſitivam, negativam, in recto, in obliquo: quod inſinuatum ſit, ne Lector minùs doctus & ſubtilis cauſetur.]

637 *Acceptio perſonarum mala eſt. Quomodo ſit id intelligendum?*

Sexta. *Qui plures habet filios ſubditos poteſt pro libitu majores expenſas facere in victum, amictum, & famulatum unius, quàm alterius.* Tenetur enim filios alere & ſe; cúmque nulla lege prohibeatur ſe alere pro libitu, nulla lege prohibebitur alere pro libitu filios, qui eadem cum eo perſona cenſentur. Hinc ſequitur filium, qui cùm plus expendit pater, quàm cum aliis, non teneri reſtituere fratribus hunc exceſſum in diviſione hæreditatis, ſed poſſe hæreditatem adire eodem modo ac ſi æqualiter fuiſſet in ſua nutritione expenſum. Ita Molina *diſp.*242. Navarrus *in Manuali cap.*17.*num.*159. Azorius 3.*part. cap.*9. *quæſt.*2. Dicaſtillus *lib.*2.*tract.*5.*diſp.*1.*num.*63.

Sed objicis Regulam XII. *Non eſt acceptio perſonarum habenda;* atqui ſi permitteretur parenti majores expenſas facere in alendo altero filio, comitteretur perſonarum acceptio: ergo. Reſpondent aliqui hanc Regulam habere locum in iudiciis & materia juſtitiæ, non autem in materia gratiæ. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quoniam pater alere ſuos filios ex juſtitia tenetur. Reſpondeo igitur ex Regula XL. pluralem locutionem ſaltem requirere duos: ergo, ut detur acceptio perſonarum, ſaltem debent dari duæ perſonæ: at in caſu non dantur perſonæ, quoniam filii quamdiu ſub patre ſunt, non ſunt perſonæ morales, adeóque nec diſtinctæ à patre, ſed illi idemtificatæ negativè: ergo in tali caſu repugnat perſonarum acceptio.

638 *An ſeniores filii pejoris conditionis ſint?*

Hæc aſſertio ab aliquibus probatur ſic. Nam ſi illud quod pater conſumit in alendis filiis qui adhuc ſunt ſub ejus poteſtate, eſſet computandum in diviſione hæreditatis, ſequeretur eſſe pejoris conditionis filios, quàm poſteriores: conſequens eſt abſurdum: ergo non eſt faciendus talis computus. Sequela illa majoris probatur; quoniam majores frequenter ſunt longiori tempore ſub patria poteſtate. Hæc tamen ratio nihil probat; primò quia poſſet major diſtingui, & concedi majores filios eſſe pejoris conditionis per accidens, & melioris aut æqualis per ſe. Reſpublica enim, quæ tali anno ætatis filios emancipat, non facit pejoris conditionis majores quàm minores, omnes enim ſubſunt æquali tempore; quæ ſubjicit filios uſque ad matrimonii contractum, neutros pejoris conditionis facit, potuit enim minor ducere uxorem prius quàm major: non ergo ex tali lege ſequeretur per ſe quod majores filii eſſent pejoris conditionis quàm minores. Præterea licet admitteretur major, quæ omninò non eſt vera ut vidimus, poſſet negari minor; multæ enim Reſpublicæ ſunt, quæ minores præponunt, videntur enim eſſe parentum Benjamini & dilecti. Præterea, ſi in bonis indiviſibilibus majores ſunt melioris conditionis quàm minores, quid mali ſi è contra in bonis diviſibilibus minores eſſent melioris conditionis quàm majores, ut eſſet minor inæqualitas.

639 Nos igitur Theſin probaturi ad ipſammet naturam rei veniamus. Sic diſcurrimus. Quæ parens expendit in ſuæ perſonæ nutritionem, famulatum & authoritatem non ingrediuntur computum cùm agitur de hæreditate; atqui filii ſunt una & eadem perſona cum patre, ſaltem negativè; ergo neque illa, quæ expendit in filios debebunt ad computum reduci. Conſequentia eſt legitima, major & minor apud univerſos certiſſimæ. Confirmatur. Si famulum conducas promittens illi victum, amictum & quinquaginta florenorum ſalarium, non poſſes hoc diminuere melioris tractationis prætextu, quia ſive illum ſplendidè ſive parcè tractes, tantumdem debebis pro ſalario rependere: igitur ſi in famulis non habetur ratio melioris vel pejoris tractationis cum de ſalario agitur, ergo neque in filiis, cùm agitur de hæreditate.

Pater & filius non ſunt duæ perſonæ morales.

Septima. *Donationes matris, aviæ, & avi maternorum nullo jure infirmantur.* Ita Sà *verb. Donatio.* Molina *diſp.*291. *num.*4. Antonius Gomezius 2. *variar.cap.*4. *in fine.* & probatur ex *l.Cùm res, C. de donat.* vel qui aliter ſentiat, oſtendat nobis jura, quæ maternam donandi authoritatem limitent. 640

Octava. *Donationes factæ filio illegitimo validæ ſunt.* Patet, quia jure ſolùm infirmantur factæ filiis legitimis ſub parentum conſtitutis poteſtate; nothi autem & illegitimi tametſi phyſicè ſint filii, moraliter filii non ſunt. Illuſtratur & confirmatur hæc Concluſio. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum;* at generatio extramatrimonialis non ſortitur filiationis civilis & moralis effectum, ergo impedimentum non præſtat. Conſequentia eſt legitima, major deſumitur ex Regula LII. minor patet, quia non quæcumque generatio phyſica eſt cauſa filiationis moralis, ſed ſola quæ fit in matrimonio. Igitur ſi filiatio impedit quominus donationes fiant; filiatio quæ non ſortitur effectum, quæ eſt nulla, nullum impedimentum inferet. Confirmatur quoniam ex Reg. XV. *Odia debent reſtringi,* favores autem ampliari, ergo nomine filii abſtractim ſumpti, in impedimentis & odioſis ſolus legitimus debet intelligi, & tamen in favorabilibus uterque, nimirum legitimus & illegitimus. 641 *De illegitimis.*

Nona. *Poteſt interdici parentibus, ne revocent donationes legitimè factas, & irritari hujuſmodi revocationes.* Patet; quia tametſi filius non poſſit inhibere ne pater donationem revocet, poteſt hoc ipſum inhibere Reſpublica, ad quam per acceptationem legis & ceſſionem juris in ipſamet acceptatione inhibitam, tota patris authoritas tranſlata eſt. Poſitâ tali lege, ſi contingeret donationem factam revocari à parente, non teneret illa revocatio. 642 *Parentum jura ſubſunt legibus.*

Hinc conſtat validè & juſtè diſponi lege 17. & 26. Tauri. [in nova recopilatione, ſic collectionem dicunt, illa eſt lex 1. tit. 6. lib. 5. hæc 10. ejuſdem tituli] omnem donationem etiam ſine traditione factam à patre, matre, aut avo, aut quocumque majore valere, eſſe tamen revocabilem; eámque, ſi non revocetur, morte donantis confirmari: nullámque donationem cum traditione phyſica aut morali (etiam per ſolam clauſulam conſtituti) poſſe revocari. 643

Conſtat etiam validè ſtatui jure communi aliquas 644

An sint aliquæ donationes irrevocabiles?

aliquas donationes esse irrevocabiles. PRIMO enim irrevocabilis, si titulo dotis aut nuptiarum facta: lege *Pomponius Philadelphis. ff familiæ erciscundæ.* SECUNDO, si remuneratoria; non enim donatio, sed solutio est: illa autem quæ pro solutione debiti dantur, repeti juridicè non possunt. Ita Bartolus *l.* 1. §. *Nec castrense. ff. de collat. & l. Si donationem C. eod. tit. & l. Frater à fratre ff. de conditionibus indebitis.* adsonant Dicastillus, Molina, Azorius & alii jam citati. TERTIO qua bona mobilia filio eunti ad castra traduntur. Ita Molina *ubi suprà, num.* 2. & probatur ex *lege si filiusfamilias, C. familiæ erciscundæ.* Consonant Molinæ Sà *verbo Donatio. num.* 13. Navarrus *cap.* 17. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp. n.* 71. Azorius *lib.* 11. *c.* 9. QVARTO quando pater concedit filio usumfructum quem habet in bonis adventitiis filii. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. & Molina *ubi supra* ex *l. Cùm oportet* §. *sin autem. ff. de bonis quæ liberis.*

ARTICVLVS V.

An filius donare possit patri?

645 FAcilior hæc quæstio quàm præcedens, licèt ex eisdem principiis resolvenda. Dico igitur, ut donatio sit valida, requiri, primò ex Regula LXXIX. quòd res sit donantis, & ex LXIV. quod neuter sit jure impeditus; nam si donator jure impeditur ne dare possit, aut recepturus ne possit acceptare, donatio erit invalida. Vt igitur donatio ista sit valida opus est, ut de bonis ad filium ut ad dominum directum pertinentibus fiat, & nullo sit jure interdicta. Non reperio leges, quæ interdicant aut limitent filiorum donationes, tam prava enim est lapsa generis humani natura, ut filii sanguinem parentum exsugere parati, ne erga eosdem sint prodigi legibus non indigeant. Idem ergo erit inquirere, *quid filius possit parenti suo donare?* ac inquirere, *cujus aut quarum rerum directum dominium habeat filius, etiam dum subest parentis potestati?* Quibus positis resolvo breviter filium posse donare suo patri, primò ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, *l. Cùm oportet.* §. *excepto. Codice de bonis quæ liber.* Secundò de donatis à Principe, *leg. Cùm multa. Cod. de bonis lib.* Tertiò de adventitiis, nempe de illis quæ relinquuntur filio eo pacto, ut pater non adquirat illorum usumfructum. Glossa *in authent. Idem est. Cod. de bonis quæ lib.* & *in auth. Vt liceat matri.* Quartò ex bonis ob mortem matris vel sororis, si contingat eorumdem plenum dominium speciali aliquo jure adquirere. Consulatur Sylvester *verbo donatio* 2. *quæst.* 7. Molina *disp.* 291. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *num.* 75. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 157. Navarrus *cap.* 16. *n.* 145. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 90.

Bona, in quæ habet filius proprietatem.

ARTICVLVS VI.

An validæ donationes conjugum?

QVàm miseri sint conjugati, præcipuè si senes & adolescentem duxerint, non credet inexpertus. Fortè expertissimus Satyricus ille Poëta, qui cecinit

646 *Omnia petùt uxores: & ideò legibus cohiberi debent.*

Nupta seni juvenis cur dicitur esse petulca?
Nam petit *omnipotens, nam* capit *omnipetens.*

Sanè omnia uxores petunt, omnia capiunt; & quia petendi nullus modus, debuerunt lege externa constringi, ne amoris prætextu miseros maritos expoliarent. Idcirco millenis legibus donationes utriusque conjugis redditæ infirmæ; utriusque inquam, quia si solæ factæ à maritis haberentur invalidæ, sibi injuriam à Legislatoribus inferri fœminæ ingeminarent. Sit igitur Conclusio,

PRIMA. *Quando valet donatio facta conjugi etiam valet facta liberis.* Ita Sylvester, Sà, Lopez, Lessius, Azorius, Gomezius, Molina, quos citat & sequitur Dicastillus lib. 2. tract. 5. disp. 1. num. 72. Cur non è converso, *Quando valet facta liberis etiam valet facta conjugi?* 647

SECVNDA. *Sicut donatio purè liberalis facta à patre filio sub potestate sua constituto est valida & revocabilis, sic etiam facta conjugi à conjuge est valida & revocabilis.* Ita Gomezius 2. *variar. cap.* 4. *num.* 23. Antonius Gomez *ad leg.* 50. *Tauri num.* 64. & 65. Molina *disp.* 289. *n.* 2. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *dub.* 5. *num.* 80. Sanchez 6. *de Matrim. disp.* 1. *num.* 2. Lyman 3. *de justit. tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 11. Azorius *lib.* 11. *cap.* 10. & probatur ex *l.* 3. *in princ.* & §. *Sciendum. & leg. Sed interim ff. eodem titulo, &c.* ubi repetitam rationem Satyrici Poëtæ reperies. 648 *An donationes conjugum sint revocabiles?*

TERTIA. *Sicut dantur leges civiles interdicentes parentibus, ne tantam vel tantam quantitatem filiis sub sua potestate constitutis largiantur, & hoc bifariam; nimirum, aut mere præcipiendo, aut inhabilitando & quodammodo amortizando: sic etiam possunt dari, quæ donationes inter conjuges eisdem duobus modis interdicant.* Probatur; quia neutræ leges militant contra legem naturæ, imò utræque ad bonum civile conducunt, quamobrem poterunt legitimè ferri, & si acceptentur, in conscientia obligabunt. Huc appropriari possunt omnia quæ diximus articulo 4. Thesi 4. Cæterùm positâ lege donationes dirimente, quæ in eam impingerent, essent invalidæ ex Regula LXIV. 649 *f De Politicis legibus.*

QVARTA. *Vt donatio facta à parente filio, tametsi revocabilis, firmatur vel donantis morte, vel donatarii, putà naturali aut civili: sic etiam donatio inter conjuges facta firmatur morte naturali aut civili.* Quoad naturalem conveniunt inter se Doctores. Gomezius 2. *variar. cap.* 4. Covarruvias *Rubric. de Testam. punct.* 3. *num.* 3. Molina *disp.* 288. *num.* 14. & 289. *n.* 4. & 8. Sanchez *libro illo* 6. *de Matrim. disp.* 14. 15. & 16. Iulius Clarus §. *donatio, quæst.* 3. Dicastillus *lib.* 2. *tractat.* 5. *disput.* 1. *dub.* 5. *num.* 82. 650 *Firmat donationes conjugum mors naturalis: an & civilis?*

Quoad mortem moralem & civilem diſſentiunt, multi enim negant. Sed ſequor citatos Thomam Sanchez & Ioannem de Dicaſtillo, qui putant exilio, profeſſione, aut alia ſimili morte politica hujuſmodi donationes firmari.

An ipſa juramento firmentur?

Ad robur juramenti multi piè potiùs quàm doctè recurrunt, illud enim ex ſe eſſentias non mutat, ſed conſcientias obſtringit; benè enim ſtat rem validè & illicitè fieri; ſed de hoc cùm de juramentorum eſſentia & virtute inferiùs diſputabimus: nunc tantum adjungimus poſſe Rempublicam lege ſtatuere, ut donationes conjugum, ſi juramento munitæ, ſint validæ, & tunc ſtandum eſſet legi. Vtrum ſic ſtatuerit inquirunt Doctores; Camera Imperialis affirmat: communiorem aſſerentem ſententiam noſter Diodorus Tuldenus Lovanii Legum Anteceſſor Primarius in Repetitione de Donationibus anno 1643. propugnavit,& probavit ex *cap. Contingat.8.de juramento. authentica ſacra puberum.C.ſi adverſus vendit.*

651

An requiratur retrotractio?

Sed & hîc videtur falli Dicaſtillus, cùm ait, num.82. *Si res fuit antea tradita conjugi ſuperſtiti, confirmari morte donatoris, & retrotrahi donationem ad tempus quo facta fuerat, ac proinde omnes fructus ex illo tempore pertinere ad conjugem donatarium:* non enim eſt opus, ut hæc donatio retrotrahatur, ut fructus illi pertineant ad conjugem ſuperſtitem, cui facta dicitur talis donatio. Ratio eſt, quia donatarius ante conjugis mortem, tametſi haberet revocabile, habebat verum & proprietarium dominium diſponendi de illa re, ut de ſua.

Quæſtio gravis & benè perpendenda.

Sed occurrit difficultas graviſſima. Suppono Albericum donaſſe uxori ſuæ aliquas gemmas; hanc diſpoſuiſſe de illis ut de ſuis, utpote veram & legitimam dominam; alias donaſſe, alias vendidiſſe; pecuniam ex commutatione receptam partim in eleemoſynas, partim in convivia profudiſſe: ita ut tandem nihil, quod ex illis gemmis proveniſſet apud ipſam extaret; interrogo: poſſétne maritus revocare donationem illam, ita ut revocatio retrotraheretur ad tempus, in quo fuit facta? vel ut clariùs loquar, concedemúſne potentiam ad præteritum marito, ut faciat, quod illa donatio facta uxori virtualiter fuerit invalida? Si concedamus, debebimus etiam concedere amicos qui gratis acceptarunt, pauperes, & reliquos teneri ad reſtitutionem. Quale chaos! an juſta lex, quæ vitam conjugalem, aliàs non facilem, ad tales quæſtiones reduceret? an non ibi donatarii aut minueretur, aut perderetur authoritas? an non excitarentur jurgia? & tandem donator nihil conſequeretur? Reſpondeo leges ex Regula C. prudenter eſſe interpretandas, nes credendas in publicam perniciem tendere, adeóque illam communem ſententiam, quæ dubio reſpondet aſſertivè, videri prudentum judicio limitandam.

652

Sunt inter conjuges donationes nonnullæ, quæ nequeunt revocari.

QVINTA. *Vt parentibus, ſic etiam interdici poteſt conjugibus ne donationes revocent.* Imò ſunt caſus aliqui, in quibus id Leges interdicunt. I. Donatio enim remuneratoria revocari non poteſt; hæc enim potiùs quàm donatio, ſolutio eſt. II. Remiſſio dotis, vel partis, vel fructuum à dote percipiendorum. III. Si domus conflagraverit, donatio ad reficiendam domum, ſi quantitatem neceſſariam non excedat. IV. Si conjux donet alteri, ut dignitatem aliquam adſequatur, tunc enim videtur pro ſe ipſo illam ſummam expendere; conjugis enim qualitates in alterum conjugem redundant. V. Si donatio fiat ſine detrimento donatoris, hoc eſt, ſi non fiat donando pauperior; ubi vult Molina non fieri pauperiorem, qui cedit jus in rem quod habebat. VI. Si donatio ſit talis, ut non reddat donatarium ditiorem. VII. Si donatio cauſam habuerit, præcipuè ſi pertinentem ad juſtitiam; ſi enim maritus habitaverit in uxoris domo, uſúſque fuerit uxoris famulis, poterit validè & irrevocabiliter tantam ſummam donare, quanta prudentis æſtimatione ſufficiat, ut illi obligationi ſatisfaciat. IN QVIBVS omnibus caſibus non eſt inſtituendus computus Geometricus, eſt enim providendum paci & amori conjugali, cui leges univerſæ proſpiciunt, & nemo non videt illam & hunc diminui quando tales computus inter conjugatos inſtituuntur.

653

Nonnullæ donationes videntur, quæ nonniſi promiſſiones ſint.

SEXTA. *Sicut inter patrem & filium (imò & inter quoſcumque homines) donatio, quam non comitatur traditio phyſica vel moralis, eſt invalida, & non habet vires donationis, ſed ſolius promiſſionis; ſic etiam inter conjuges.* Ratio eſt; quia ſi res non traditur; non datur, ſed ſolùm promittitur danda.

Dubia nonnulla diſſoluta.

654

An uxori maritus merum uſum, an etiam donet proprietatem.

I. PEtrus dedit aliquas gemmas uxori ſuæ; & ipſa ſcrupuloſa ſubdubitat, An in proprietatem illas dederit, an verò in uſum?

Reſpondeo, examinanda eſſe primò donantis verba, quia ſi ex ipſis mens donatoris cognoſcatur, ceſſat omninò quæſtio. Si ex donantis verbis non poſſit mens ejus colligi, examinandæ ſunt aliæ circumſtantiæ. Sanè cùm ex Regula XLV. inſpiciamus quod plerumque fieri conſuevit; videndum eſt, quid faciunt fœminæ prudentes ejuſdem qualitatis, cùm ſimilia munera à ſuis maritis accipiunt: an de illis diſponunt ut de ſuis, an tantùm utuntur reſervantes marito dominium? Sic ſatisfaciendum dubio puto; quia ſi ad pretium recurrimus, quod & fecerunt Bartolus & alii quos refert & ſequitur Iulius Clarus *quæſt.10.de donation.2.part.cap.22.*& multi Authores, quos Thomas Sanchez *lib.6.de matrimonio diſp.25.num.10.* citat, rem dubiam novo dubio implicabimus; cùm enim res leves à gravibus diſtinguunt, deberent etiam exponere, quas judicant leves & graves; materia enim, quæ eſſet ſufficiens ad peccatum mortale inter peregrinos, inter conjuges nonnunquam levis eſt; & gravis etiam ſolet à maritis donari; eſſet enim durus, qui nihil pretioſum ſuæ uxori donaviſſet, juxta ſui ſtatus qualitatem.

655

Qualee ſint donationes ſi ſit matrimonium invalidum?

II. Petrus habebat bona fide Antoniam in uxorem, & quia illam amabat multa dona ipſi dedit, & poſtea comperiens matrimonium fuiſſe omninò invalidum, inquirit, An illæ donationes teneant? An revocari poſſint?

An ſint revocabiles?

Reſpondeo eſſe mihi certum & ratum illas revocari non poſſe, ſed futuras eſſe quales fuerunt cùm factæ, hoc eſt, validæ vel invalidæ. Sanè ſi invalidæ fuerunt ab initio, revocari

non

non poſſunt ; non enim revocari dicitur, quod nunquam validum fuit : ſi validæ fuiſſe dicantur, qua illas authoritate Petrus revocabit ? conjugali ? minimè, ſupponitur enim non eſſe verè conjugatus : qua ergo ?

656 *An fuerint valida ?* Sed quia etiam inquiritur, An fuerint ſub initium validæ ? reſpondeo variare hîc Authores, & inter abſolutè aſſerentes & abſolutè negantes ineundam eſſe mediam viam ducibus ratione & æquitate.

Dico primò, omnia quæ remuneratoriè Petrus uxori putatitiæ dedit, & omnia quæ fundantur in aliquo debito juſtitiæ & urbanitatis, eſſe abſolutè uxoris, tametſi non veræ.

Dico ſecundò, puras & gratuitas donationes, quæ natæ ſunt ex mera liberalitate, poſſe adhuc in duas claſſes diſtingui ; quia vel aliàs fuiſſent factæ, vel non. Si aliàs fuiſſent factæ, putà ſi Petrus illam fœminam ita amaverit, ut credendus ſit etiam illa eadem daturus fuiſſe concubinæ, quæ uxori ; videntur illæ donationes non poſſe argui de errore, datæ enim ſunt perſonæ propter qualitatem pulchritudinis, non propter matrimonii circumſtantiam. Cæterùm, ſi illæ donationes non fuiſſent factæ, ſi Petrus ſciret illam non eſſe uxorem ſuam, dicendæ ſunt proceſſiſſe ex errore, ac propterea nec fuiſſe liberas nec validas.

Sed addo tertiò, Petrum ſub illud tempus uſum fuiſſe fœmina ſibi æquali, tanta quæ ſibi poſſet nubere & ex hoc eodem uſu reſultare grave eidem fœminæ damnum, meliùs enim potuiſſet olim junior & virgo nubere, quàm modò ſenior corrupta, & ignominiosè derelicta : ergo ſi error conſtituat Petrum involuntarium in gemmarum aut aliarum rerum traditione ; idem error involuntariam etiam illam conſtituet in traditione corporis : ergo ſicut ille error dicitur non debere eſſe in cauſa quod ille patiatur damnum, ſit etiam ne iſta patiatur. Petrus igitur donata ex errore recuperet, recepta ex errore reſtituat ; det igitur pudoris pretium, & gemmas donatas recipiat. [Lege Molinam *diſp.*200. Gomezium *lege* 52. *Tauri. num.*77. Thomam Sanchez *de matrim. lib.*6. *diſp.*2. *num.*8. qui *num.* 9. dicit valere. Sed & jura ſunt varia, & ex præmiſſis in mea reſolutione intelligenda.]

Caſtellæ Lex.

657 *Quæ & quales donationes valeant apud Caſtellanos ?* DIffert à jure communi Caſtellanum in hac materia, lex enim 3. *tit.*12. *lib.*3. *fori* ſic habet *Si el marido quiſiere dar algo a la muger, o la muger al marido, no habiendo hijos puedelo hazer deſpues que fuere el año paſado deſque ſe caſaren, y no antes. y ſi deſpues deſta donacion oviere hijo, no vale la donacion, fuera quanto en ſu quinto.* hoc eſt, *Si maritus voluerit aliquid donare uxori, aut marito uxor, ſi non ſint proles & annus à nuptiis lapſus fuerit, facere poteſto. At ſi poſt hanc donationem naſcatur proles, donatio non niſi quoad quintam partem valeto.* Quæ quidem lex ſpecialis eſt in regno Caſtellæ, & jus commune corrigit in multis circumſtantiis.

658 *De donationibus factis ante finem primi anni.* PETIS PRIMO, *An ante anni primi finem poſſint fieri aliquæ donationes inter conjuges in regno Caſtellæ ?* Reſpondeo cum Roderico Suarez, Gregorio Lopezio, quos ſequitur Gutierrez *de jure confirmationis part.*1. *cap.*3. *n.*25. & Dicaſtillus *lib.*2. *tract.*5. *diſput.*1. *num.*103. poſſe quidem, & confirmari eo ipſo, quòd annus elabatur : cùm enim lex non interdicat donationes ſub primum annum fieri, ſed agat de his quæ poſt illum fiunt, illas juris communis authoritati ſubmittit, juxta quod fieri quidem, ſed & revocari poſſunt. Cæterùm ſi non revocentur elapſo anno redduntur irrevocabiles ; quia ipſamet non-revocatio donationis confirmatio aut ſecunda donatio eſt.

659 *De donationibus conjugum habentium filios.* Petis *ſecundò*, An conjuges habentes filios, poſſint ſibi aliquid ex pura liberalitate donare ? Reſpondeo nihil hac lege ſpeciale diſponi, quamobrem recurrendum eſt ad jus commune, quod tales donationes permittit, at eſſe revocabiles ſtatuit niſi morte firmentur juxta regulas & exceptiones ſuprà poſitas.

660 Petis *tertiò*, An nativitas prolis donationem retrotrahat ad tempus, quo facta ? Videtur quòd ſic ex illis legis verbis, *Si poſt hanc donationem naſcatur proles, donatio non niſi quoad quintam partem valeto.* Illa enim donatio à principio erat valida quoad totum, ſi enim non naſceretur proles nullâ invaliditatis inficeretur circumſtantiâ ; poſt prolis natale redditur invalida quoad quatuor quintas, & quoad unam quintam confirmatur ; ergo illa prolis nativitas habet vim ad præteritum, & facit quod donatio, quæ de facto erat valida quoad totum, fuerit ſolùm valida quoad quintam partem. Igitur ſicut phyſicè diceretur habere potentiam ad præteritum, qui faceret quod Petrus, qui de facto habuit quinque in manu digitos, non habuerit niſi unum : dicetur habere moralem potentiam ad præteritum illa entitas, quæ facit quod conjux, qui de facto habuit directum dominium in totam rei donatam, non habuerit niſi in quintam partem.

661 *Donationes ſtante pace vix revocari poſſunt.* Sed ſemper iſtæ dominii mutationes & revocationes ſive à conjuge ſive à lege unâ fiant mihi ſuſpectæ ſunt de iniquitate, & intolerabiles omninò, niſi de re apud donatarium realiter aut æquivalenter exiſtente agatur. Nam ſi donatarius illam bona fide donavit, recipiens diſtribuit, & tandem ad multorum manus devenerit, quî poſſit recuperari illæſo amoris vinculo, & nominis authoritate non reperio ; unde exiſtimo leges ſic exponendas, ut juſtæ evadant ; nec juſtas, quæ fomitem jurgiis, litibus & difficultatibus ſuppeditant : donationes factæ inter conjuges, quamdiu res ipſa donata, aut ejus fructus apud donatarium extet, conjugis alterius voluntate juxta jus commune revocetur, aut prolis genethlia juxta Caſtellanum diminuatur ; at verò, ſi res donata jam perierit & nullum fructum reliquerit, quomodo illæsâ pace conjugali & amicorum, qui conſumptioni legitimè ſunt cooperati, quiete poterit revocari ?

662 *Novum Ius Hiſpanorum vult eſſe irrevocabile.* Huc videntur reſpexiſſe ipſæmet gentes, quæ introductas à jure revocationes moribus contrariis revocarunt. Caſtellani in nova recopilatione legem citatam, ſeu obſoletam, omiſerunt : & conſuetudine receptum eſt, quod donationes factæ à conjugibus non revocentur ; unde prudens Iureconſultus exa-

Tu quantum leges permittant, ab earũ irrevocabilitate sta.

minet, An consuetudo obtinuerit vel non, & me consule donationum perennitati faveat; hæc enim dominii arbitraria revocabilitas à gravitate exulat, & non tam libertatem, quàm levitatem sapit.

ARTICVLVS VII.

De Insinuatione.

663 *Cur institutа sit?*

HVmanæ memoriæ fragilitas armata concupiscentia & ambitione millenas difficultates pepererit, quas eradicare desiderans communis Legislator statuit ad donationum, quæ jurgiis abundare solebant, valorem insinuationem prærequiri, ut non interdicerentur ipsæ, sed curarentur. Insinuationem dicimus manifestationem ordinario & legitimo Iudici in scriptis ab donatore ipso, aut saltem ab ejus procuratore exhibitam, qua declaret tantam quantitatem à se tali personæ liberè dari. Ad cujus insinuationis valorem non requiritur, quod fiat in loco judicii, nec requiritur consensus aut decretum Iudicis, sed sufficit ejus præsentia absque causæ cognitione aut examine. Ita Molina *disp.* 278. *num.* 9. & 10. Bartolus, Cornæus, & alii quibus subscribit Iulius Clarus §. *Donatio, quæst.* 15.

Quo debeat fieri modo?

664 *In insinuatione Iudex, & parochus in matrimonio sunt puri testes.*

Dixi judicis consensum non requiri; quî enim lex justa posset deferre aliquid dissensui judicis imprudenti? & sanè imprudens, qui sine causæ notitia (causam non potest judex examinare) donationem aut positivè approbaret, aut positivè reprobaret. Debet igitur judex agere personam puri testis, non secus ac parochus in matrimonio. Vnde colligo erasse Dicastillum *lib.* 2 *tract.* 5. *disp.* 1. *num.* 113. ubi insinuationem definiens judicis consensum & approbationem requirit.

665 *An semper requiratur insinuatio.*

Dantur tamen casus, in quibus non exigitur ulla insinuatio. I. Si fiat à Principe absoluto. II. Si à Duce (jam Capitaneum dicimus) facta militi aut de mobilibus donatoris bonis, aut spoliis hostis. III. Si fiat ad reparationem ædium incendio absumptarum, vel quomodocumque destructarum. IV. Si piam causam respiciat. V. Si non sit purè liberalis; putà si sit remuneratoria, aut præparatoria; prior enim, ut non semel notavi, solutionis naturam sapit, & emptionis posterior. VI. Tandem si quingentos solidos non excedat. Omnes hi casus sunt expressi in jure, sed quia rationi plusquam authoritati deferentem tædet citationes transscribere, lectori Molinæ *disputationem* 279. Lessii *librum* 2. *cap.* 28. Gomezii 2. *variar. cap.* 4. Azorii *librum* 11. *cap.* 6. *quæst.* 5. Dicastilli *dubitationem* 5. *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. propono.

Quantum sine insinuatione possit dari?

666 *Corollarium.* Omnis igitur donatio, quæ his sex exceptionibus non comprehenditur, insinuationem requirit, quam si non præmittat, ex Regula LXIV. erit invalida.

De mortis causa.

Inquiris *primò*, An donatio facta causâ mortis insinuationem exigat? Respondet Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *num.* 120. dicens, *Vtraque sententia satis probabilis & in conscientia tuta; in foro externo judex utramque sequi potest.* At ego has lineas recognoscens, aliquem moverem scrupulum, & putarem judicem tametsi alterutram sequi possit sententiam, non tamen posse donatarium ad restitutionem damnare. Primò enim, si stet sententiæ valorem donationis adstruenti, debebit pro donatario judicare. Secundò, si contrariæ subscribat, debebit illi subscribere tanquam probabili, & quia *in probabilibus*, juxta Regul. LXV. *melior est possidentis conditio*, debet donatarius in sua possessione conservari. Accedit, quod in tali causa donatarius reus sit, & debeat adæquatè, (hoc est, non jam probabiliter, sed certò) convinci; nam ex Regula XI. *Cùm sunt jura partium obscura* (hoc est inevidentia, non manifesta; aut quod idem est probabilia) *reo favendum est potiùs, quàm actori.* ergo donatario potiùs, quàm donatori; quoniam donatarius in tali casu est reus.

667 *De donatione facta Principi.*

Inquiris *secundò*, An donatio facta Principi absoluto sit valida sine insinuatione? Respondeo, si talis ipse sit, qui possit in lege dispensare, censendus est dispensasse cùm donum recepit; ergo in tali casu valida erit donatio. Si autem in legibus dispensare non possit, videtur adhuc donatio talis valida: Leges enim Principis authoritati providentes statuerunt tenere donationem ab ipso factam, ergo videntur implicitè id ipsum à fortiori statuere de donatione eidem facta; majori enim confusione receptum restituitur, quàm donatum accipitur.

Sed tantisper hæreamus. Quid si dicam leges, quæ concedunt donationem factam à Principe etiam sine insinuatione valere, agere de Principe, qui potest leges populo invito revocare; cùm tamen certum sit, plurimos id non posse? Quid si rationis paritatem negarem, dicerémque donationem factam à Principe esse validam, invalidam tamen factam Principi? An urgerer Regulâ LIII. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus?* An non possem dicere esse argumentum à minori ad majus adeóque assertivè nullius ponderis, majori enim cura debet Respublica defendere debiliores quàm potentiores, & ideò potest tolerare aliqua dari à Principe, non tamen dari Principi, quia hujuscemodi dona transeunt in debita & gravant universam Rempublicam? An non possem etiam asserere minus debere esse partem illius quod est plus, aut aliàs Regulam falsificari. Tu singula diligenter perpende.

668 *De ædium reparatione.*

Inquiris *tertiò*, An donatio ad præservandas ædes ab instante ruina egeat insinuatione? Respondeo nomine reparationis non solùm intelligi reædificationem, sed & refectionem: unde videtur lex quæ favet domui reædificandæ, à fortiori reficiendæ favere; cùm enim domus est reficienda periculum in mora est, non tamen cùm reædificanda; donatio igitur pro reficienda domo debuit esse ab omni insinuatione immunis, ne judicem adeundi difficultas reparationem retardaret.

669 *Non per juramenta, sed per veram donationem dominium proprietatis transit.*

Inquiris *quartò*, An donatio sine insinuatione facta & tamen firmata juramento sit valida? Multi oculis clausis affirmant, sed dico juramenta non transferre rerum dominia, sed obligare conscientias. Vnde si lege decernatur, quod mille solidorum donatio facta sine insinuatione sit invalida, decernitur quod dominium

dominium non transferatur talis donationis virtute. Ergo qui ex vi talis contractus rem retinet, sanè rem alienam retinet, & primò inuito domino supremo (hic est Respublica vel Legislator) & etiam invito moraliter domino directo & proprietario; quia tametsi voluntarius physicè dicatur, cùm illegitimè voluntarius sit, virtualiter involuntarius est. Multi tamen prudenter ad ipsasmet leges recurrunt, & asserunt communem Legislatorem voluisse juramenta servare ubi contra legem naturæ non militent, tametsi in humanas impingant. Si hoc benè probetur, cessabit omnis controversia: at Camera Imperialis multum defert juramentis, cujus praxim sequuntur optimè Iurisconsulti.

An leges civiles velint subesse juramentis privatis?

670 Sanè si illa Lex sit privilegium donatori concessum, ipso juramento ceditur, sed videndum etiam est, an juxta illius Reipublicæ mores privilegiis publica authoritate concessis cedatur, & tunc teneret donatio: imò etiam, si fieret per hæc verba etiam sublato juramento, *Dono Petro mille solidos & cedo privilegio orto ex legibus, quæ insinuationem requirunt.* Sed restat examinandum, An validè fiat illa cessio? Sentio enim illi juri neminem cedere posse, Lex enim non est concessiva, sed præceptiva, adeóque Regulam LXIV. subsumo, & infero hanc donationem esse invalidam. Subscribo Molinæ *disput.* 278. *num.* 12. Dicastillo *lib.* 2. *tractat.* 5. *disput.* 1. *num.* 136. Rebello *lib.* 18. *quæst.* 6. *de donat. num.* 6. Gomezio 1. *variar. cap.* 4. *num.* 7. Monterosso *relato à Molina* & aliis.

An aliquis cedere possit insinuationis privilegio?

671 Inquiris *quintò*, An, si Petrus donaverit bis mille aureos quinque personis inter se dividendos, & insinuationem non præmiserit, donatio sit valida? Responsio speculativè est facilis, non tamen facili negotio ad praxin reducibilis. Dico hanc donationem vel esse unam moraliter, vel multiplicem. Si una, ex Regula LXIV. est invalida, excedit enim solidos quingentos & in leges impingit: si quincuplex, valida: sunt enim quinque donationes quadringentorum solidorum. Si autem, utrùm simplex vel quincuplex ipsa sit, inquiras; difficultatem practicam illam involvis, quam timebam. Qui dicunt esse unum simplex peccatum furari à quinque diversis personis quadringentos solidos, tenentur dicere hanc esse simplicem donationem, ac propterea invalidam: qui tamen illud furtum quincuplex putant, consequenter & hanc donationem quincuplicem, & propterea non nisi validam, existimabunt. Vbicumque enim verum sit dicere, *Tota summa hujus donationis solidos quingentos non excedit*, erit etiam verum dicere, *Hæc donatio non requirit insinuationem, ut sit valida.*

De donatione facta multis.

672 Inquiris *sextò*, An donatarius, qui insinuatione non præmissa recepit mille solidos, teneatur ad restitutionem? & si tenetur, An solùm teneatur restituere excessum, an verò totam summam?

An, si quis mille aureos sine insinuatione donaverit, donatio sit nulla quoad totum? an sit tantùm nulla quoad excessum?

Respondeo prodesse posse ea, quæ in simili dubio resolvimus agentes de donationibus, quas facerent parentes filiis. Addo, esse probabile donatarium posse tutâ retinere conscientiâ totam illam summam quousque exigatur: sic enim docent Molina *disput.* 278. *num.* 27. Dicastillus *lib.* 2. *tract.* 5. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 137. Lessius *ubi suprà num.* 99. Rebellus *lib.* 18. *quæst.* 8. ratio est, quia [Regula XXVII.] *Scienti & consentienti non fit injuria.* & ipse nil retinet invito domino, nec videntur leges velle obligare donatarium, ut rem, antequam tacitè aut expressè exigatur, restituat: lex enim hæc ex Regula XCI. *Non aliter obligat, quàm usus & consuetudo exponit*, & tamen creditur merè pœnaliter fuisse acceptata; & certum est ex Regula XCIII. *Legem pœnalem non obligare ante sententiam.* ergo quæ sine insinuatione recepit, nemo tenetur ante judicis sententiam restituere.

673 Ex hypothesi, quod teneretur restituere, adhuc videretur defensabile debere restituere excessum; putà, si in casu posito donatarius quingentos solidos restitueret, videretur posse alios quingentos retinere, qui sine insinuatione poterunt validè donari. Et si hæc vera sint, qui restituisset quingentos solidos, alios quingentos etiam postulanti non teneretur restituere. Ita Dicastillus citatus, ita & alii. Et quidem hîc videtur habere locum Regula XXXVII. *Vtile non debet per inutile vitiari.* ergo nec donatio utilis & valida per excessum inutiliter & invalidè positum.

Si rei veritatem examinem, dicam Leges non habere majores vires quàm consuetudo & acceptatio eisdem largiantur: unde mores sunt semper consulendi tanquam veri legum interpretes.

674 Posset Lex insinuationem præcipere; & si esset purè præceptiva, qui insinuatione non-præmissâ mille solidos daret, validè sed illicitè daret, deberétque puniri juxta peccati gravitatem, nempe moralem vel pœnalem. Posset etiam lex non præcipere, sed dirimere omnes donationes, quæ talem summam excedunt, & fiunt solennitate insinuationis prætermissâ: & qui tunc mille solidos sine insinuatione donaret, nec moraliter, nec pœnaliter delinqueret, sed ex Regula LXIV. nihil omninò donaret; unde illa donatio posset dici licita sed invalida. At si lex interdiceret & dirimeret, donatio esset illicita simul & invalida. Et existimo Leges, quæ insinuationem exigunt, nec ad primum, nec ad tertium, sed ad secundum modum decernendi spectare: non enim videmus aliquem propter insinuationis omissionem puniri; tametsi donationes declarari invalidas defectu insinuationis videamus.

His positis Respondeo *primò* illam mille solidorum donationem esse invalidam quoad excessum: *secundò* posita lege quæ non solùm excessum, sed totam absolutè donationem dirimat, esse obnoxium restitutioni totius summæ, qui sine insinuatione excedentem recipiat quantitatem.

De Solido.

675 DOnationem, quæ quingentos solidos excedat, insinuationem requirere diximus: sed quis nummus est solidus? Eligius Basseus *in suis Floribus, verb. Donatio, num.* 13. explicans *legem penultimam, Cod. de donationib. sub finem.* nomine *solidi* intelligit nummum aureum æquivalentem decem & septem Iuliis seu Regalibus

Quid intelligendum sit nomine solidi.

galibus Italicis, vel 85. ſtapheris Belgicis, eum citavi & ſequutus ſum *in Comment. mei in Regul. Bened. num.* 1747. cui adjungo Molinam *diſp.* 278. *num.* 3. Covarruviam 1. *variar. cap.* 11. *num.* 3. Azorium 3. *part. l.* 11. *cap.* 6. Dicaſtillum *lib.* 2. *tract.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 6. *num.* 126. ex quibus ſpecialiùs legendum conſulo Molinam *diſput.* 160. & 278. multa enim doctiſſimè de hac materia diſſerit, quæ non facilè apud alios reperias.

ARTICVLVS VIII.

De revocatione donationis ſecundùm naturale jus.

676 *An donatio ex natura ſua ſit revocabilis? Diverſæ proponuntur formulæ.*

STando juri naturæ quinque diverſis modis poſſet fieri donatio; quos formulæ ſequentes exponent. Prima ſit: *Dono & trado tibi hanc rem, repetendam ſi dentur cauſæ legitimæ.* Secunda, *Dono & trado tibi hanc rem, repetendam ſi dentur tales determinatæ cauſæ, non aliàs.* Tertia, *Dono & trado tibi hanc rem, cùm mihi placuerit repetendam.* Quarta, *Dono, tibi & trado hanc rem, & juro quod hanc donationem ſemper ratam habebo, nunquam revocabo.* Quinta, *Dono tibi & trado hanc rem.*

Exponitur formula prima.

Ex vi primæ donationis, poſſet donator repetere rem donatam ex duplici capite; nempe, ob propriæ perſonæ pauperiem aut notabilem neceſſitatem, & ob donatarii ingratitudinem. Sanè utraque cauſa deberet eſſe gravis, quia cum ipſa donatio aliquid grave ſit, non debet ex levibus cauſis annullari. Sed nec ſufficeret cauſa gravis leviter præſumpta; putà, ſi leviter timeret donator ſe venturum eſſe ad magnam paupertatem, aut donatæ rei indigentiam; leviter judicaret donatarium, ut graviter ingratum procedere. Ingratitudinis enim aſſertio, ni *lege finali. C. revocandis donationib. recenſitor.* fundetur, videtur eſſe longè quæſita. Nec urgebor Reg. XXXIII. *Mutare conſilium nemo poteſt in alterius detrimentum*, nec Regulâ XXI. *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* quoniam, cùm voluntas conditionata eſt, ſi deſit conditio non obſtringit, & hæ Regulæ agunt de abſoluta voluntate.

Exponitur etiam ſecunda.

Ex vi ſecundæ, ad datæ rei repetitionem, non jam quæcumque graves cauſæ, ſed illæ tales, quæ in donatione expreſſæ requirerentur. At

tertia:

Ex vi tertiæ, etiam nulla occurrente cauſa poſſet donationem revocare; in omni enim pacto ex Regula LXXXV. ſtandum partium concordi voluntati, & hæc revocandi libertas in ipſomet contractu admiſſa.

& quarta.

Ex vi quartæ nunquam revocare priorem donationem poterit; quia ſicut in tribus prioribus majorem aut minorem revocandi authoritatem donator reſervavit, ſic etiam in quarto ceſſit omni jure & revocandi poteſtate. Occurrit tamen grave

677 *Quæſtio occurrens.*

DVBIVM. Videlicet, *An tribus illis prioribus formulis dominium verè transferatur?* ubi enim dominium non transfertur, non datur legitima donatio. Diſcurro ſic. Quando unâ ex formulis tribus prioribus uſus domum Antonio tradis, vel nullum jus in ea tibi reſervas, vel aliquod: Si nullum, quo jure illam poteris poſtea repetere; nullum enim jus, & aliquod jus contradictoriè opponuntur: ſi reſervaſti aliquod; ergo directum vel indirectum; non indirectum, ergo directum. Patet; quia his formulis non videtur tradi dominium proprietatis, ſed ſolùm uſumfructum ad tempus; nempe quouſque vel detur revocandæ donationis cauſa, vel voluntas juxta unam vel alteram ſententiam. *Rationes dubitandi propoſitæ.*

Præterea, ſi donatio illa eſſet vera, transferret dominium: ergo Antonius poſſet illam domum vendere utpote verus dominus; ſi poſtea donationem revocares, quid repeteres: domum-ne an domus pretium? non illam, quia legitimè fuit vendita, utpote à proprio & vero domino; non hoc, quia & ipſum potuit Antonius aut inter pauperes diſtribuere, aut amicis donare, aut alio quocumque modo impendere.

Quæſtionis diſſolutio.

Reſpondeo ſub illis formulis veram rei traditionem & donationem, ſive quod idem eſt, veram mutationem dominii non comprehendi: quod non tam probabo, ut exiſtimo, quàm demonſtrabo. Non poteſt fieri mutatio de præſenti ſub conditione ponenda de futuro, verbi gratiâ, hæ formulæ, *Ego te baptizo, ſi victurus ſis centum annis*; *Ego te abſolvo, ſi deinceps peccaturus graviter non es*; *Ego recipio te in meam, ſi moritura ſis ante me*, non poſſunt reddere effectum ſuum formalem cùm proferuntur: ergo vel nunquam, vel ſi aliquando reddent, (quod vix credo) tunc ſolùm cùm conditio ponetur. Vel qui contrarium judices, dicas mihi ſincerè, An auderes reliqua adminiſtrare Sacramenta juxta primam formulam baptizato? An Euchariſtiam juxta ſecundam abſoluto? An tandem uxoris matrimonialem uſum juxta tertiam conjugato concedere? Si non; ergo nec primus de facto baptizatus eſt, nec ſecundus de facto abſolutus, nec tertius de facto conjugatus. Ergo ſimiliter cùm dicis Antonio, *Ego do tibi dominium talis rei, ſi talis circumſtantia ſit ponenda*, non es cenſendus transferre directum rei dominium, ſed ſolùm uſumfructum concedere quouſque talis circumſtantia ponatur. *An actio de præſenti poſſit involvere conditionem futuram?*

Quid, ſi admittas illa Sacramenta (Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Matrimonii) ſi vera ſit conditio, tenere; at homines illis uti non poſſe defectu notitiæ? quid ſi diceres, Petro, ſub illa forma baptizato poſſe cætera Sacramenta concedi, ſi vel revelaret Deus eum ad annum centeſimum perventurum, aut ipſe de facto pervenerit? Quid, ſi de cæteris philoſophareris pariformiter? Permitterem te in tuo judicio abundare, rémque merè ſacramentalem alio examinandam rejicerem, & quidquid de Sacramentorum horum valore eſſet, in contractibus humanis ejuſmodi conditiones non admitterem: illæ enim conditiones virtualiter loquendo non ſunt purificabiles, quæ humanitùs non purificabuntur. *Ejuſmodi formulæ ſacramentales ſunt contra mentem & praxim Eccleſiæ: &, ſi ſunt validæ, ſunt expoſitæ graviſſimis inconvenientibus.*

678 *Quæſtio altera.*

DVBIVM II. Circa quintum donandi modum, Si inquiras, *An donationes taliter factæ ſint revocationis capaces?* Reſpondeo omnes Authores, cùm agunt de revocationibus, ad conditionem aliquam virtualem implicitè poſitam

positam recurrere, & consequenter debere dicere donationem purè absolutam, nempe illam quæ conditionem ne quidem implicitè imbibit, esse irrevocabilem.

ARTICVLVS IX.

De donationis civili & legitima revocatione.

679 *Donatio duplex: alia inter vivos, & alia causâ mortis: utraque exponitur.*

QVid ipsamet postulat natura, jam vidimus: quid leges disponant, videamus.

Donatio est duplex; alia quæ inter vivos, alia quæ causâ mortis facta. Donatio inter vivos dat talem rem à tali die possidendam etiamsi donator plurimis annis post donationem supervivat: donatio, quæ fit causâ mortis, dat rem possidendam post donatoris mortem, ita ut semper sit donatoris quamdiu vivat. Ita has duas donationis species explicarunt Gomezius 2. *variar. cap.* 4. *num.* 19. Rebellus *lib.* 18. *quæst.* 12. Sylvester *verb. donat.* 1. *num.* 1. Lessius *cap.* 18. *dub.* 14. Dicastillus *lib.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 139. Ita & alii ad Instit. *de donat.*

Donatio inter vivos.

680 NOn potest revocari *primò*, Si sit remuneratoria, habet enim solutionis vim: *secundò*, Si sit dispositoria, & donatarius rem postulatam præstiterit; habet enim rationem emptionis: *tertiò*, Si nulla causa superveniat, nam ut constat ex Regula XXI. & XXXIII. revocari non potest pro arbitrio donatoris: *quartò*, etsi superveniant novæ causæ, si donator se obstrinxerit sacramento, & sanctè promiserit se ex nulla causa donationem revocaturum esse; tunc enim tenebitur ratione juramenti ad cujus observantiam potest etiam Legum authoritate cogi.

681 *Causæ revocationis.* Potest revocari datâ causâ gravi & legitimâ, *primò*, ob donatarii ingratitudinem, *secundò*, ob supervenientem prolem non præviſam, putà, si Petrus existimans se non esse habiturum proles, magnam bonorum partem donarit Alberico, quam non daret si proles haberet, & postea prolem habeat; censendus est donavisse ex errore, adeóque posse donationem illam revocare: *tertiò*, si donatio inofficiosa sit, nempe tanta, ut filiis non relinquatur legitima bonorum portio; tunc enim censetur pater inofficiosus, hoc est, in officium paternum delinquens & posse per revocationem corrigere, quæ per prodigalitatem peccarat. VBI *duo* notari velim ex Molina disp. 281. 282. & seq. I. Donatarium donationem revocanti & rem donatam repetenti nihil teneri restituere ante sententiam, juxta Regulam XIII. II. Judicis sententiâ condemnari non posse ad solutionem fructuum ante revocationem perceptorum, sed ad restitutionem rei ipsius & fructuum à litis contestatione perceptorum. Si hæc omnia uberiùs tractata desideres, lege Molinam jam citatum, has Theses optimis legibus probantem; ego enim meo more plus rationi quàm testimoniis deferens res claras aliis testimoniis confirmandas relinquo: & ideò præcipuè quod in hac materia jus commune & provinciarum particularia toto cælo differre videantur.

An donatarius teneatur reddere solâ sortem: an etiam fructus?

Donatio causâ mortis

FActa, semper potest revocari, etiam sine ulla causa; & censetur de facto revocata, *primò*, si donatarius moriatur ante donatorem, perinde ac legatum si contingat legatarium ante legatorem devivere: *secundò*, si data est intuitu alicujus periculi aut obsequii, & non fuerit posita conditio; quia hypotetici & conditionales contractus quousque conditio ponatur, non tenent. 682 *Est semper revocabilis.*

Inquitis *primò*, An donatio sit valida, quæ fiat sub hac verborum ferie; *Dono Ambrosio causâ mortis ducentos aureos donatione irrevocabili?* Respondeo, contradictionem involvi in formula præmissa, adeóque non esse verè donationem inter vivos, quia causa mortis exprimitur; non esse factam mortis causâ, quia exponitur esse irrevocabilis. Cæterùm Molina *disp.* 287. *num.* 15. Covarruvias *Rubric. de Testam. part.* 2. *num.* 13. Iulius Clarus §. *Donatio, quæst.* 4. *num. ult.* Rebellus *lib.* 18. *quæst.* 18. *num.* 7. & Dicastillus *lib.* 2. *tractat.* 5. *disput.* 1. *dub.* 7. *num.* 288. putant talem donationem censendam esse inter vivos, docent enim neminem esse præsumendum velle invalidum contractum facere, & existimant esse communem opinionem. At ego non video, cur non possit vir prudens aliquando velle invalidè contrahere, maximè si debeat alicui placere, nec aliter possit quam si contraxisse videatur. Et in specie omnia debent à Iudice benè examinari, qui in dubio aut probabilitate favere debebit possessori. *Dubium proponitur & solvitur.* *An præsumendum sit, quod homo velit invalidum contractum facere?*

Inquiris *secundò*, An donatio facta in codicillis & testamentis, eo ipso censeatur mortis, tametsi mortis mentio non fiat? Respondeo Azorem negare; adstruere Clarum; Dicastillum utrumque probabile opinari. *Dubium aliud.*

DISPVTATIO XI.

De Mutuo & Precario.

EGIMVS Iurisperitos *Precarium à puro-Mutuo* distinguentes, & cùm attentiùs legimus, minùs differentiam & distinctionem capimus: sæpè enim, ut discrimen assignent donationis & venditionis conceptus intermiscent. Nos igitur re oculatiùs inspectâ conceptum puri Mutui à conceptu Precarii differentiis dominii & usus solummodo distinguimus, & in reliquis coincidere putamus: tota enim utriusque distinctio est in translatione dominii, quod in Mutuo transfertur, non autem in Precario. Præter quam non posse in genere Mutui reperiri circumstantiam, quam Precarium non capiat, asserimus; & addimus quamcumque aliam, quæ à Precarii definitione exulet, esse in Mutuatione adventitiam & à donatione aut 683 *Quomodo distinguantur?*

venditione concomitanter provenientem. Hanc veritatem obſervavit Dicaſtillus *lib.* 2. *tract.*10.*diſp.*1.*dub.*2.*num.* 36. qui videtur ſubſcribere Molinæ *tom.*1.*diſp.*298. ſed quia plus authoritati, quàm rationi detulit, multos caſus difficulter reſolvit, quos potuiſſet negotio perfacili.

684 *Etymon ſæpè juvat, non ſemper.* Aliud eſt à quo nomen deducitur aliud quod nomen adſignificat, *lapis* enim *à lædendo pede* dictus non ſignificat *pedis læſionem*, D.Thoma & aliis Ariſtotelis expoſitoribus *in lib. Peri-hermenias* aſſerentibus. Sed ſi ex nominibus argumenta deducere velimus, ne quidem ſic *Precarium* & *Mutuum* diſtinguemus. *Precarium* quod precibus impetretur dictum; *Mutuum*, quod Meum-Tuum faciat. Etymon primi nominis colligo ex Vlpiano *l.*1. *ff.de Precario.*ſecundum ex lege *Mutuum*, *Pandect.ſi certum petatur.* & *Inſtitut. quibus modis re contrah.oblig.* At quis neſciat Mutua omnia precibus impetrari?

Precarium, & Mutuum quid ſint?

685 *An mutuum poſſit repetere mutuator, cùm velit?* Precarium definitur, *Contractus, quo quis concedit alteri rei uſum, reſervans ſibi poteſtatem repetendi cùm velit.*

Purum Mutuum, *Contractus, quo quis concedit alteri rei dominium, reſervans ſibi poteſtatem repetendi rem æquivalentem, cùm voluerit.* Ecce in utroque contractu ſunt circumſtantiæ communes & differentiales; conveniunt in ratione contractus, & quod ſit in voluntate concedentis rem conceſſam recipere cùm velit: differunt in materia ipſa conceſſa, precariò enim uſus rei conceditur, mutuò verò dominium.

An poſſit etiã ſine cauſa? Stando igitur naturæ & definitioni Precarii aut Mutui, concedens ſemper rem conceſſam repetere poteſt, etſi nulla ſit cauſa aut ratio repetendi. Contingit aliquando per accidens rem conceſſam repeti non poſſe, putà ſi ex illa repetitione nil adcreſcat repetenti & reſtituenti immineat grave damnum: tunc enim videtur poſtulare charitas ut faveamus afflicto proximo, ſiquidem ſine diſpendio poſſumus: qui autem in tali caſu rem conceſſam exigeret, non delinqueret contra juſtitiam aſſerente Azorio & Panormitano, quos citat & ſequitur Dicaſtillus *lib.*2. *tract.*6.*n.*10. eſſet tamen invidus, & peccaret contra charitatem.

686 *Precarii & commodati diſtinctio.* In puro Precario non poteſt intervenire pactum non repetendi rem conceſſam ante tale tempus; quia hoc eſſet contra naturam Precarii, quod in eo diſtinguitur à Commodato, quod hoc ſit uſus rei conceſſus ad tale tempus. Si tale pactum interveniat contractus non eſt puri Precarii. Sed hæc circumſtantia poſſétne valori contractus officere? An non qui non valeret quà Precarii poſſet quà Commodati contractus ſubſiſtere? Invalidus creditur ob legem *Cùm precarium, ff.de precario.* à Molina *diſp.*298. *num.*4. Reginaldo *lib.*25. *num.*480. Gomezio 2.*variar.cap.*7.*num.*1. Covarruvia 3.*variar.cap.*15. Azorio & Dicaſtillo citatis. Sed ego viros maximos inconſequentiæ reos ago. Hæc donatio, *Do Ambroſio cauſâ mortis ducentos aureos donatione irrevocabili*, involvit terminos contradictorios, & tamen ita exponitur, ut maneat valida. [vide paragraphum penultimum Diſputationis præcedentis.] ergo vel ſui obliviſcuntur, vel hanc *Concedo contractu precarii talem rem Ambroſio non repetendam ante annum*, ita debent exponere, ut validus maneat contractus. Igitur concludendum utrumque contractum debere admitti, vel utrumque negari.

An circumſtantia temporis vitiet Precarium?

In puro ſimiliter Mutuo non poteſt intervenire pactum non repetendi rem conceſſam uſque ad tale tempus; quia hoc pactum ex diametro opponitur puri Mutui conceptui, ut dicebamus. Sanè, ſi illud pactum ineatur, contractus non redditur invalidus, ſed extrahitur à genere Mutui puri ad genus contractus mixti ex Mutuatione, Venditione, & Donatione compoſiti. 687 *An etiam vitiet Mutuum?*

QVÆSTIO INCIDENS.

De Precario.

PEtis, *An Precarium tranſeat ad hæredes, an verò perſonale ſit?* Reſpondeo fruſtra leges & textus hîc citari; quia Precarium nec morte concedentis nec pura morte recipientis ſolvitur, ſed mera voluntate concedentis. Quando recipiens moritur, ſi concedens non repetat, videtur illud concedere hæredi: & ſi concedens moriatur, & hæres non repetat, videtur illud iteratò concedere. 688 *Qui non repetit virtualiter videtur permittere & concedere.*

Sed arguis. Precarium conceditur Petro: ergo mortuo Petro tollitur perſona cui conceditur: ergo Precarium ſolvitur. Reſpondeo diſtinguendo majorem. Petro phyſico, nego; morali, concedo: & nego minorem ſubſumptam, non enim tollitur perſona moralis Petri, quæ in hæredibus ſuis imbibitur: ergo ad concedentis voluntatem recurrendum eſt, ipſe enim cenſetur hæredibus indulgere eandem rem quamdiu non revocat: *Quoniam ipſa non-revocatio virtualis & tacita licentia eſt.* Vide Regulam LXXXIX. 689

Infers. Ergo mortuo concedente Precarium ſolvitur: & probas conſequentiam. Quia conceſſum fuit ad voluntatem concedentis, videlicet dum is voluerit; atqui mortuo concedente ceſſat illud beneplacitum & illa voluntas: ergo concedente mortuo Precarium ſolvitur. Hac ratione utuntur Molina *diſp.*298. Suarius *de leg. lib.*8. *cap.*29. & 30. Dicaſtillus *lib.* 2. *tract.*6.*diſp.*1.*dub.*2.*num.*20. Azor. *lib.*7.*cap.*3. *de precario.* Covarruvias 3. *variar.cap.*15. ubi citat Bart. Iaſ. & alios. Abbas *cap.ult. num.*5. *de precar.* Rebellus *lib.*16. *quæſt.*1.*de Commendat.num.*11. Reginaldus *lib.*25.*num.*480. Sed mihi non videtur fortis, nam Precarium per violentiam extortum eſt uſurpatio rei alienæ ab invito domino, tametſi phyſicè voluntario; in actionibus enim moralibus omnia moraliter conſiderantur; unde noſtri milites quibus interdictum eſt, ne quid recipiant, niſi ab ultrò donantibus, ſæpè terrent ruſticos, & non ſolùm cogunt elargiri quæ precibus armatis flagitant, ſed & dicere ſe illa ex pura liberalitate & bono animo dare, & tamen dicuntur latrones tametſi capiunt à dantibus & ſe liberè dare profitentibus; illi enim ruſtici carent omni indifferentia & libertate morali, hæc enim cum metu, qui in conſtantem virum caderet, componi non poteſt. Voluntas igitur moralis, non phyſica, ad contractus 690 *Donatio coacta, extorſio eſt.*

Concedens rē precariò, si hæredem habeat, moraliter loquendo non moritur.

tractus valorem requiritur. Hac præmissâ doctrinâ ad rationem respondeo, concedendo majorem; est enim ex ipsamet Precarii definitione desumpta: minorem subdistinguo, concedente mortuo cessat ejus beneplacitum morale, nego; physicum, distinguo; cessat physicè, concedo; cessat moraliter, nego. Ipse enim concedens moraliter sumptus non moritur; nam in hærede moraliter vivit, hoc est, ita se habet ac si realiter viveret. Eccles. 30. 4. *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Iudico igitur eum qui habet Precarium à Petro, esse iniquum rei alienæ detentorem cùm primùm invito domino retineat; si Petrus moriatur, non est positivè invitus: mors enim non est actus nolendi. Si dicas, nec Petrum esse positivè voluntarium; respondeo fortè positivam domini voluntatem ad justam retentionem non requiri, fortè sufficere negativam; sed de hoc suo loco: addo positivam domini voluntatem moraliter adhuc perseverare quamdiu retractata non sit, nec retractata censenda est, quousque à legitimo & indubitato hærede retractetur. Hoc velim à Iurisperitis expendi: ubi detur expressa lex usu recepta, standum legi & usui, aliàs in genere loquendo non video cur debeat Precarium dissolvi, cùm concessor devivit. Accedit, quod juxta Regulam XXVII. *Scienti & permittenti nulla fiat injuria:* ergo si vestem à Petro precariò habeas, & eo mortuo hæres sciens & volens non repetat, censetur illam precariam concessionem à Petro factam continuare. *Precarium igitur non solvitur antequam res concessa à concedente, aut ejus hærede repetatur.*

Quid sit rem retinere invito domino?

Resolutio.

QVÆSTIO PARALLELA.

De Mutuo.

691 SI quæratur, *An Mutuum personale sit, vel ad hæredes transeat?* eodem prorsus modo respondebo: videlicet dissolvi cum primùm mutuans illud à mutuatario repetierit; ægrotare, iter agere, discedere, mori, & similia, non sunt Mutuum repetere: ergo siquidem persona mutuans moraliter & virtualiter non moritur, sed æterna est (in posteris enim & hæredibus virtualiter perseverat) ejus voluntas etiam, sive in ipso, sive in hærede moraliter perseverabit, quousque clarè & expressè retractetur. *Sed de Mutuo uberiùs disp. XIV. num. 723.*

DISPVTATIO XII.

De Commodatione & Locatione.

692 *Quid Commodatum sit?*

OMMODATVM (vel rigoriùs Commodatio) *est contractus, quo quis gratuitò concedit alteri rei usum determinatum ad tantum determinatum tempus.* Hæc definitio colligitur ex Instit. *Quibus modis retrotrahatur obligatio, §. Item.* 15. & ex aliis pluribus textibus: ita ferè Molina & alii.

693 *Precarii & Commodationis differentia.*

Commodatum ex precario & donato componitur; imò precarium in commodatum transire potest unâ solâ additâ circumstantiâ. Verbi gratiâ. *Tuæ necessitati aut paupertati condolens, concedo tibi equos & rhedam:* & quia concessio precaria est, nullum gravamen in me ex concessione ipsa resultat; si subjungam, *Tibi rhedam pro tanto tempore, vel pro tali itinere concedo;* precarium in commodatum verto, & mihi impono onus & gravamen non repetendi concessam rhedam vel ante tale tempus, vel antequam tale iter absolvatur. Et in hoc gravamine, quod mihi impono, donationis irrevocabilis ingenium & natura relucet; cedo enim rhedæ usum ad tale tempus tibi, & jure illa utendi aut repetendi me privo.

692 *Quale jus adquirat Commodatarius.*

Commodatarius igitur rhedæ es, in ejus usum jus adquiris; non tamen in alium, neque pro alio tempore, sed præcisè in usum in quem ipsa conceditur, & pro tempore pro quo conceditur. Hinc constat te peccaturum esse, si rhedâ illâ ad alium usum, aut alio tempore aut majori utereris. Putà, si concederem illam pro die Iovis, ut ires ad palatium rusticum leuca ab vrbe remotum, & tu vel utereris rheda die Lunæ, vel diebus pluribus, vel ut iter octo vel decem leucarum ageres. Ratio est; quia, qui concedit pro die Iovis determinato, non concedit pro die Lunæ; & qui pro solo uno die, non pro duobus vel pluribus; & qui pro una leuca, non pro octo vel decem: ergo qui re utitur aliter quàm concessa est, utitur involuntario domino. Ita Molina *disp. 194. num. 6.* & *disp. 295. num. 6.* Dicastillus *lib. 2. tract. 7. num. 3.* Sà & Sylvester *verbo Commodatum. num. 4.* Azorius *lib. 7. c. 5. de Commod. cap. 9. ad fin.* Rebellus *quæst. 1. libri 16. n. 12.* Reginaldus *lib. 25.* & multi alii.

695 *Quando & quomodo peccet?*

Sed in commodatarum rerum abusu, non statim asserendæ sunt culpæ graves: sed consideranda est ipsamet materia & involuntarietas ipsius domini. Petis rhedam pro uno milliari, ut faciliùs impetres; quid si duo vel quatuor peragas? an rheda detrimentum grave patietur, præcipuè si conducta à prudente rhedario? non statim est adserendus peccavisse graviter. *Primò*, quia fortè dominus involuntarius non est: *secundò*, quia ad peccati mortalis rationem in hac materia requiritur quod sit gravis commodatæ rei abusus, ex quo præcisè abusu grave dominus detrimentum & graviter involuntarius patiatur.

Commodatæ & Locatæ rei differentia.

696 *Consistit tota in gratia & pretio.*

COmmodatio & Locatio conveniunt in substantia & effectibus; differunt in motivo; commodans liberalitatis intuitu rem concedit, locans intuitu lucri. Commodator non potest impedire, quod Commodatarius utatur re concessa ad usum concessum & pro concesso tempore; ita nec Locator, quod Locatarius utatur re locata ad usum & pro tempore, ad quem & pro quo fuit locata. Commodatarius nec alio, nec majore tempore, nec ad alium usum potest retinere rem commodatam; ita nec Locatarius locatam. Igitur

Igitur tota, ut dicebamus, differentiâ consistit in hoc quod res gratis commodentur, & locentur pretio.

Dubium incidens.

697 VT meliùs Commodati & Locati naturas cognoscamus, casum istum proponimus. Petrus & Paulus habebant domos in civitate Bruxellensi; ille commodavit suam Antonio ad habitandum pro uno anno; alter locavit Friderico pro eodem tempore. Petitur, Vtrùm uterque possit domum suam repetere, an solùm alter? & si alter solùm, uter?

Omnes Doctores nemine dempto stant Regulæ XXI. & XXXIII. adeóque affirmant non posse hos contractus pro voluntate concedentium sine causa revocari, dubitant autem, an possint revocari ex causa, & ex qua.

Contractus revocantur ex causa.

Respondeo posse quidem revocari, si Antonius & Fridericus domibus abutantur, hoc est, si aliquid contra illarum physicam pulchritudinem, vel contra moralem authoritatem faciant. Nempe, si vel parietes fregerint, portas mutaverint, & fenestras occluserint, & id genus alia, quæ sine murorum periculo & pulchritudinis jactura fieri non possunt: vel si lupanar habeant, & adolescentulas prostituant, quod militat contra domus authoritatem: in talibus ergo casibus possunt Petrus & Paulus domos suas repetere, quas non concesserant ad abusum, sed ad usum; tenebuntúrque Antonius & Fridericus in conscientia resarcire omnia damna tam moraliter quàm physicè illata: docemur enim experientiâ etiam valorem domorum moralibus indecentiis diminui, nulla enim casta matrona conducet hodie domum, quam heri habebat meretrix: videntur enim non solùm muri infecti, sed & inficientes; est enim infamia contagiosus morbus, qui non homines modò, sed & parietes inficit & contagium communicat.

Abusus duplex: physicus & moralis.

Possunt dari leges humanæ in hac materia quæ debebunt servari.

Cæterùm, si Antonius & Fridericus prudenter domibus utantur, adhuc posse ex causa expelli aliqui Doctores contendunt, sed ego illorum fundamenta non capio. Sit igitur Conclusio

698 Prima. *Vbicumque est civilis lex, quæ concedat Commodanti aut Locanti rem concessam resumere, si talis causa suboriatur, standum legi est:* & ostenditur, quia ille commodationis aut locationis contractus ex lex non debuit esse, quoniam juxta Regulam LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur:* ergo, qui rem concessit, & qui acceptavit; censendi sunt conveniisse in illa circumstantia. Igitur injuria non fit, si expellatur homo, qui admisit domum sub onere quod possit expelli. Reperias *leg. ædem. C. de locato.* concedentem domino domus jus ad expellendum inquilinum, si superveniat necessitas habitandi: sed non multas alias ob causas similes rescindendi contractum commodationis aut locationis authoritatem concedentes.

699 Secunda. *Vbi non datur talis lex, ob nullam causam Commodatario aut Locatario involuntariam Commodator aut Locator potest rem concessam resumere.* Cùm hanc Thesim examinamus Doctores, Grammaticos potiùs quàm Theologos aut Iurisperitos agimus: omnes enim supponimus commodationem seu locationem duobus modis posse institui: primò, si commodans seu locans expressè dicat, *Concedo tibi talem domum pro anno, resumendam ante præfictum tempus, si graviter eguero illa, aliàs non:* secundò, si dicat, *Concedo pro tali tempore, non resumendam, etsi graviter eadem indiguero.* Has duas formulas esse omninò diversas, & diversas omninò obligationes inducere, clarius est quam oporteat ostendi; ex ipsa enim terminorum connexione est notum. Sed urget difficultas, An ille, qui domum pro anno concesserit, ab eo quod est repetere, vel non repetere, præscindens [putà per hæc verba *Commodo (vel loco) tibi domum meam pro uno anno*] censendus sit juxta primam, an verò juxta secundam formulam positam processisse. Hunc contractum implicitè involvere illam circumstantiam, *sed, si graviter indiguero, resumam*, multi alii non includere existimant; alii mediâ viâ procedentes illam includi circumstantiam in commodatione opinantur, in locatione autem excludi. Molina *disp.* 294. citatur pro prima, ipse autem tot limitationes adjungit ut possit etiam pro aliis sententiis allegari. Molinæ adjungunt Angelum, Sylvestrum, Emanuëlem Sà *verb. Commodatum.* Lessium *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 5. *num.* 18. Azorium *cap.* 18. *de Commod. lib.* 7. Lopezium *lib.* 2. *de contract. cap.* 34. Garziam *num.* 10. & 12. Contra quos expressè secundam sententiam tuentur Navarrus *cap.* 17. *num.* 182. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 472. & 479. Non est, inquiunt, qui pro concedentis jure disputant, credendus commodator, imò nec locator, domum suam, v. g. concedere cum tanto propriæ commoditatis dispendio, ut si indiguerit repetere non possit. At qui recipientis jus tuentur, ipsissimam rationem intorquent. Non est censendus, inquiunt, qui domum commodatam aut locatam accepit, petiisse domum repetendam ante statutum tempus, sed quæ repeti non posset; atqui concessa est illa domus quam petiit, qualem & qualiter petiit: ergo dominus ante annum elapsum illam repetere non potest; est enim Iuris Reg. XXI. quæ asserit *Contractum, si semel placuit, amplius displicere non posse*, cui consonat Regula XXXIII. quæ interdicit *mutari voluntatem cum alius detrimento.* Ego autem, si Iudex essem in tali controversia juxta Regulam XLV. *inspicerem in re obscura quod plerumque fieri consuevit*, & juxta mores patriæ iudicarem. Quod si non darentur constantes mores, *starem pro possessore* & Regulâ LXV. & ex Regula XI. *faverem potiùs reo* (hic est possessor) *quàm actori.*

Expressa formula.

Formula æquivoca aut generica.

Quomodo debeat explicari.

Dubium alterum.

700 SEd quia nec precarius nec commodatarius adquirunt rei concessæ dominium; inquiritur, *An & ipsi possint concedere alii?* Respondeo non posse plus alii concedere, quàm sibi à domino concessum est. Vnde qui precariò domum accepisti, cùm eam debeas ad concedentis voluntatem reddere, certum est non posse illam pro tempore determinato commodare

dare aut locare, aliàs enim concederes jus quo cares, nam jus retinendi domum per integrum annum, verbi gratiâ, concederes, cùm ipse non habeas tale jus, sed debeas domum ad voluntatem concedentis, cum primùm ei placuerit, reddere: constat enim ex Regula LXXIX. *Neminem posse plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.* Sed non suppetit ratio, quæ ostendat, rem precariò acceptam non posse alteri precariò dari; nam poteris cùm repetatur repetere, & sic concessoris voluntati satisfacere: deberes tamen tàli & taliter illam concedere ut sine ulla tergiversatione reciperes, ut illam repetenti domino restitueres.

Quæ gratis à Petro recepisti poteris pretio dare Paulo.

Qui domum pro anno recepisti poteris pro anno alteri concedere, aut gratis, aut pretio recepto; neutrum enim vergit in concedentis damnum. Vnde si loces domum pro anno, poteris alteri aut totam aut domus partem, pro toto aut ejusdem temporis parte, aut commodare aut locare: item licet gratis domum pro anno recipias, poteris eam locare; quia sicut potes vendere dominium rei quod ex alterius liberali donatione adquisisti, sic etiam potes usum, licèt eum ex munifica & liberali concessione impetraveris. Præcinit mihi Molina *disp.294.num.3.* Dicastillus *lib.2. tract.7.num.16.* & est expressum in jure, *lib. 1. §. Inter commodatum*, ubi dicitur, *Iulianus etiam habitationem commodari posse ait.*

701 *Monitum œconomicum.*

Sed tametsi hæc omnia fieri possint, imò quia fieri possunt, suadendum dominis proprietariis est, ne permittant; quin imò mutuatarios, commodatarios, locatarios obstringant, ne alii rem concessam concedere possint: contingit enim ex secundis concessionibus veros dominos notabiles jacturas pati. Mutuos das Antonio mille aureos, viro probo & fideli; ille versipelli Athanasio eosdem dat mutuos: ecce periculo expositum tuum aurum: debet recipere Antonius quos restituat, & tametsi fidelis sit, non liberabit fidem ab infideli Athanasio deceptus. Prodest igitur sic rem concedere, ut qui recipiat, alteri concedere non possit: sic obviam itur erroribus, sic & fallaciis; quia aliàs nullus est dominus, qui nequeat defraudari, præcipuè si res pro tempore longiori concedatur. Fundi pro tribus inquilinorum vitis dari solent: merum chaos! quî poterit Princeps aliquis nobilioribus rebus intentus, quî œconomi in officio succedentes inquilinorum nosse genealogias? an non sæpè nepos aut etiam pronepos putabitur esse conductoris filius, & tres vitæ per plurimas alias durabunt? meliùs jam pro tribus Regum vitis; horum enim successio omnibus nota, & nulli obnoxia fraudi: sed & in fundorum locatione præter temporis determinationem [determinatur illud cum fundus vel usque ad obitum Regis, vel ejus successoris, vel usque ad talem annum locatur] addenda omninò est clausula, quâ sub gravissima aliqua mulcta obligetur incola totum fundum colere, & ejus nequidem parvam partem commodare, mutuare, commutare, aut qualitercumque alteri colono concedere: aliàs enim nullum magnum patrimonium subsistet. Laborant multis litibus ditissimæ communitates, ubi bona communia, quia omnium sunt, negliguntur à singulis, & rustici fundos pro longo tempore conductos subdividunt, commodant, vendunt, alterant, ita ut damnum feratur, non sentiatur; & si sentitur, non tamen sit remedii capax.

Ex contractibus secundariis resultant interdùm damna contra primarios.

In locatione termini noti ponantur.

An ex ædiat campos locare ad tres inquilinorum vitas?

Dubium tertium.

DOmum Petrus Paulo commodaverat pro medio anno, ille retinuit integro, & collapsam restituit. Petitur, An solùm debeat solvere locationem medii anni, an verò collapsæ domus reparationem? 702

Vter debeat collapsam domum erigere, locans an locatarius?

Respondeo examinandum esse, An Paulus fuerit causa damni? Si enim illa domus ruina Pauli negligentiæ imputatur, dicenda est corruisse domus apud commodatarium, quæ apud commodantem non corruisset; adeóque cùm ex Regula XXV. *Mora sua unicuique nociva sit*, teneri ad raparationem: cæterùm si etiam apud dominum corruisset, nec Paulus, nec mora illa culpabilis sunt ruinæ causa, satisfiet Petro, si pro mora aliquid proportionale juxta prudentis æstimationem rependatur, & nihil pro reparatione. Ita Molina *disp.295.num.4.* Reginaldus *lib.25. num.475.* Sylvester, Angelus *verb.Commodatum.* Dicastillus *lib.2.tract.7.num.22.* Navarrus *cap.17. num.183.* Azorius *3.part.lib.7. cap.7. quæst.3.* Covarruvias *Regul. Peccatum.part.2.§.numer.* Medina *de restitut.quæst.6.* & alii: contra quos omnes videtur militare Glossa *cap. unico de commodato.*

703 *Morosus locatarius puniri potest.*

Addo posse Rempublicam prudenter statuere, ut rei alienæ morosus retentor, restituat totam rem qualem recepit, tametsi perierit apud ipsum, quæ etiam peritura esset apud dominum. Ratio est; quia mora est culpa contra bonum publicum militans, & Respublica potest in omnes civiles culpas animadvertere, & rationabiles pœnas infligere.

Dubium quartum.

DE expensis in reparationibus ordinariis faciendis subdubitas, & inquiris, An hæ faciendæ sint à Commodante, An verò à Commodatario? 704

Debeat - ne domum locans, an locatarius reparare.

Respondeo hîc optimè de ordinariis agi, quia certum est extraordinarias ad proprietarium pertinere. Ita Molina *disp. 297. num.7.* Reginaldus *num.582.* Garzia *de Contractibus. cap.5. num.8.* Sà *verbo Conductio.* Dicastillus *lib.2. tract.7.disp.1. dub.2.num.25.* Sylvester, Lopezius *apud Sà*, & multi alii. Illa quæ ordinaria reparatione indigent, aut inclementiâ cæli aut famulorum negligentiâ franguntur; si Commodatarii aut suorum effringerentur negligentiâ, deberent ab ipso reparari; at verò cùm à procellis conquassantur: deberent à domino restitui. Cæterùm, quia difficillimum esset distinguere inter negligentiam & casum, ut obviam eatur litibus & quæstionibus dubiis occurratur, in Commodationis, Mutuationis, & Locationis contractu, qui ex Regula LXXXV. *habet vim legis*, prudenter exprimitur, quid debeat dominus, quid debeat alter reparare.

Reparatio duplex: ordinaria & extraordinaria.

DISPVTATIO XIII.

De Depoſito.

705 *Quid illud ſit ?*

DEPOSITVM, ut ipſamet vocis ratio convincit, illud eſt, *quod ad cuſtodiendum alicui fide digno traditur.* colligo ex Vlpiano *lib. 1. ff. Depoſiti.* Illud Molina *diſp. 522.* Gomezius *2. variar. cap. 7.* Dicaſtillus *lib. 2. tract. 8. num. 3.* & alii multi ſic definiunt. *Depoſitum eſt contractus quo ſola rei cuſtodia alteri committitur, ut integram illam ipſiſſimam reſtituat.*

Aliquorum contractuum differentiæ.

Differt res Depoſita à Precaria, Commodata, Locata, quod Precaria & Commodata uti poſſis, Depoſita verò non poſſis: differt à Commodata & Locata, quod hæc repeti ante tempus non poſſit, illa cùm libuerit deponentibus, poſſit.

706 *Quæſtio occurrens.*

Petis, *An poſſis uti rebus apud te depoſitis ?* Omitto circumſtantias, quas alii prolixè diſquirunt, eſt enim extra omnem aleam difficultatis poſſe, ſi dominus invitus non ſit; quoniam ex Regula XXVII. conſtat, *Scienti & volenti non fieri injuriam, neque dolum.* Ipſe autem ex Regula LXXXIX. non invitus cenſetur, cùm vel expreſsè uſum conceſſerit, vel implicitè videatur concedere. [Volo tamen neminem ſe decipere, neque nimium præſumere, cùm agitur de conceſſionibus implicitis: obſcuræ enim ſunt, & debent prudenter tractari.] Reſolutio ſuperiùs poſita omnium eſt. At quærimus, *An liceat uti invito domino ?* Et reſpondeo depoſitarium furtum committere, ſi utatur juſtè invito domino. Ita Molina, Garzia, Azorius, Rodriquez, Reginaldus, Rebellus, quos citat & ſequitur Dicaſtillus *ubi ſuprà num. 7.* quod tam certum eſſe reor, ut non facilè credam eſſe vel unum qui diſſentiat.

707 *Injuſtè invitus, virtualiter eſt voluntarius: ſed non ſemper.*

Conſultò illud *juſtè invito* poſui; quia ſi contingeret eum eſſe injuſtè invitum, ex Regula LXXXIX. eſſet voluntarius moraliter, & ideò poſſet uti Depoſitarius re depoſita. Eſſet autem injuſtè invitus, ſi uſus ad authoritatem aut utilitatem Depoſitarii conduceret, & Depoſitor nequidem leve damnum pateretur. Putà, ſi ſupellectilibus argenteis apud te depoſitis, in aliquo convivio majoris honeſtatis gratiâ utereris; tunc enim, aut non crederetur dominus invitus, aut ſaltem non juſtè. *Præterea*, rem depoſitam cuſtodire & ſervare, debere reſtituere cùm primum petatur, moleſtum eſt, & pretio æſtimabile; nemo enim ut docemur à Regula XCVII. *Tenetur proximo gratis ſervire:* quid igitur ſi rei uſus non crederetur plus valere quàm cura adhibita in cuſtodia?

708 *An eadem res realiter debeat reſtitui: an ſufficiat, ſi reſtituatur idem moraliter?*

Depoſitarius debet tradere eandem rem quàm recipit, eandem inquam aut phyſicè aut moraliter. Nota benè, quia non tenetur reſtituere eandem numero phyſico, ſi ex phyſica rei mutatione nil mutetur moraliter. Verbi causâ, Si dederis mihi centum Philippicos argenteos cuſtodiendos, ego te præſente aliis meis adjungam, & repetenti primò occurrentes dabo, tametſi phyſicè non ſint ipſiſſimi quos depoſuiſti, ſunt enim ipſiſſimi virtualiter: vel dicito, An apud mercatores reperturus ſis differentiam quod hos aut alios, modò æquè bonos, habeas. Sed nec tenebor dare Philippicos, ſed ſufficiet dare ſolidos aut aliam monetam æquè bonam. [Conſultò *æquè bonam* dico, Mercatores enim inter monetas & monetas diſtinguunt, & libentiùs meliorem recipiunt, & crederem fieri injuriam Depoſitori, ſi pro centum Philippicis Regiis, daretur moneta Leodica, aut Hollandica.]

An poſſit una moneta reſtitui pro altera ? Non omnis moneta eſt æquè bona.

709 *An & quando res depoſita poſſit à depoſitario conſumi ?*

Cùm res depoſita perire poteſt, prudentiùs à depoſitario conſumitur, & alia æquè bona redditur, verbi gratiâ. Si vinum, cereviſia, panis, aut alia ſimilia deponantur: fiet ſummus depoſitori favor, ſi illa depoſitarius inſumat, reſtituturus æquè bona cùm primum petantur. Hæc doctrina eſt veriſſima, & ſtando naturæ Iuri certa; at Ego illa non uterer ſine depoſitoris conſenſu; ſumus enim Deo & hominibus debitores, & fortè ex mea ſinceritate naſcerentur querelæ, & quia meum honorem & quietem nollem negligere, monerem depoſitorem & ex ejus conſilio etiam illa dirigerem quæ eſſent mihi oneroſa, & illi evidenter utilia: ne aliter me gerendo malignis daretur occaſio.

De arca clauſa & ſigillata.

Si theca clauſa, aut ſigillata deponatur, violabit fidem publicam depoſitarius, ſi eam effregerit, non tamen ſi illa clauſa utatur; verbi gratiâ, ſi pulchra ſit, & ornatus gratiâ in aula ſua vel in alio loco ſecuro cum aliis ſuis ſupellectilibus exponat. [Vbi obiter perſuadere velim cuicumque viro famæ & authoritatis ſtudioſo, ne depoſitum clauſæ rei accipiat; primò, quia ſine ullius culpa ſigilla franguntur interdum, & qui integra recipit & fracta reſtituit, jacturam patitur authoritatis. Secundò, quia millenæ fraudes in hac valle lachrymarum contingunt, & quæ vel in itinere, vel in depoſitoris domo fuerunt commiſſa, imputabuntur imprudenti depoſitario. Ab illo juridicè non poſſe plus exigi quàm clauſam thecam, ſcio; ſed & ſcio te eſſe tam obſervantem tui nominis, ut non velis quod depoſitor ſe à te ſpoliatum fuiſſe conqueratur; tam ſubditum humanis paſſionibus, ut tales querelas ſine animi perturbatione ſuſtinere non poſſis: ſcio vulgares homines eſſe in judicando tam præcipites, ut potiùs ſummam illam ex proprio ære refunderes, quàm permitteres te vel injuſtè de furto domeſticatim incuſari.

Monitum Politicum.

710 *De granorum incremento & decremento.*

Qui tractarunt rem œconomicam benè ſciunt triticum ſingulis diebus creſcere, hordeum diminui, & hac veritate præmiſsâ ſubdubitas, cui illud creſcat, cui hoc diminuatur? nimirùm, An depoſitarius debeat dare tritici & hordei menſuram quam receperat; an verò illud quod receperat, non attendendo augmentum aut decrementum?

Nota hic obiter, me in Germania audire omnia grana decreſcere, augeri nulla: ſed aliter contingit in Hiſpania.

Stando naturali juri hoc ultimum dicendum eſſet. Sed aperietur porta ſummis fraudibus: ſi enim centum hordei, & centum alias tritici menſuras deponeres, & illæ decreſcerent ad nonaginta quatuor, hæ ad centum quinque ſuccreſcerent; quis convinceret depoſitarium dicentem, ſe in ſuo granario nonaginta hordei & centum duas tritici reperiſſe? Ergo, ut omni fraudi & incommoditati

ditati occurratur, conveniendum est cum depositario pro granorum augmento aut decremento, aut standum legibus publicis juxta mores urbium diversarum. In aliquibus decimarum depositario omnia granorum incrementa cedunt, sed & tenetur decrementa supplere, & servire in molestissimo officio pro nullo vel tenui salario: in aliis determinantur omnia, & qui depositarii conditionem acceptat, lucro vel jacturæ se exponit.

DVBIVM INCIDENS.

711 *Variæ quæstiones succurrentes.*

INterrogas. *An depositarius, rem depositam locans & inde aliquid lucrans teneatur ad restitutionem?* & si tenetur, *An debeat lucrum perceptum restituere, an damnum rei depositæ illatum?* Verbi gratiâ. Petrus depositarius equum locat Antonio pro octo diebus, & recipit quatuor aureos; equus autem fatigatus itinere in morbum incidit, & qui sanus valebat centum, æger non venderetur quinquaginta. Inquiris, *An Petrus iniquè egerit depositum equum locando?* & quia nemo non respondebit assertivè; subdubitabis, *An teneatur Petrus quinquaginta aureos restituere depositori* [ad tot adscendit damnum equo illatum, ut supponitur] *An satisfaciat, si dederit quatuor, quos est lucratus?* Et si teneatur reddere quinquaginta; *An idem Petrus, si ex locatione lucratus quinquaginta fuisset, & ex usu damnum ad solos quaternos adscenderet, deberet istos solùm dare?* quia, si hoc non admittitur, nulla videtur doctrinæ consecutio. Et statim inquiris, *An deberet aliquid restituere, si ex locatione centum aureos haberet, & equus redderetur exercitio moderato vegetior & validior? imò si ex locatione eveniret, quod valeret ducentis aureis, qui antea centum valebat, An posset à depositore hunc excessum exigere, aut saltem dare primum valorem equi, hoc est, centum aureos, vel alium hujus valoris equum, & istum suâ industriâ aut fortunâ pretiosiorem redditum retinere?*

Video multos Authores nullâ habitâ doctrinæ ratione, in omnibus iis quæstionibus depositarium condemnare, & sanè oporteret fundamentum inquirere, & examinare, An solida & obscura supponerentur fundamenta, & utrùm consequentiæ sint legitimè illatæ. Sint ergo mei discursus hypotheses.

712 *De damno, quod involuntarius intuli, non tenebor.*

I. *Quicunque est causa libera, quod proximus jacturam justè involuntarius patiatur, tenetur ad restitutionem.* Nota singula verba. *Causam liberam* dixi, quia in necessariis, nec meremur, nec demeremur: & ideò necessaria non imputantur agentibus liberis, nec inferunt obligationem restituendi: unde tametsi verum sit, *non dimitti peccatum, ni restituatur ablatum*, ut habet Regula IV. & tametsi etiam certum sit ex ablatione restitutionem inferri, certum etiam est, ex damno non liberè illato hanc consequentiam non diduci, nec esse cur non spectet huc Regula LXXVIII. *Non enim debent consequentiæ & argumenta elici ex his, quæ necessariò facta.* Nomen *jacturæ* adjunxi, ut restitutionis primam originem & fontem exponerem. Non teneris ad restitutionem quod lucratus sis; quia, si hæc esset formalis ratio, qui non esset rei alienæ usu lucratus non teneretur restituere, quod esse absolutè falsum existimo, & exempli positi ponderatione nova confirmo. Nam si depositum equum Petrus commodaret & ex commodatione ille infirmaretur, est certum Petrum nihil lucratum fuisse, & tamen equo depositio fuisset abusus & teneretur ad damni illati restitutionem. Item si eundem equum locaret, & locatarius nec equum nec pretium remitteret, tum certè tametsi nihil ex locatione lucratus, equum aut ejus valorem restituere deberet. Ergo restituendi obligatio non nascitur ex eo quod depositarius lucretur aut non, sed ex eo præcisè quod depositori aliquod damnum inferatur. *Involuntarium* non debere jacturam bonorum pati statui, quia nemo dubitat posse depositarium uti re depositâ depositoris permissione. Porrò tota hæc doctrina vera est, & subsistruitur Reg. XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.*

Quirem alienam locat, tenetur damnum restituere.

713 *Quid sit invidia? & quisnam invidus?*

II. *Quicumque potest sine levi rerum suarum jactura prodesse & non vult, invidus est.* Vel, si contrarium sentias, doce me invidiæ definitionem & conceptum. Qui enim non prodesse vult, ubi sine damno proprio potest, bonum proximo invidet: vel Patres & Theologi nomen invidiæ non intelligunt. Resolutionem hanc confirmat Regula XCVII. in qua neminem alteri gratis servire debere supponitur, at subjungitur universos debere favere proximo, modò indemnes reddantur, aut alias peccatum invidiæ incursuros.

714 *De temerario judicio. Quomodo teneatur unusquisque de proximo suo judicare?*

III. *Index est temerarius qui existimat sibi esse invidum depositorem.* Patet. Quia eligere aliquem in depositarium est electi fidelitatem & probitatem publico testimonio profiteri: igitur qui eligit Petrum, eum honorat: & qui honorat non invidet: temerè igitur honoratus censeret sibi invidum esse honorantem. Tenetur igitur depositarius judicare depositorem non esse sibi invidum: ergo & tenetur judicare eum carere voluntatis actu, quo posito, sibi invidus esset. Tenetur ergo depositarius credere quod depositor vult res depositas prodesse depositario, ubilibet sine jactura & detrimento ne quidem levi possint. Ergo.

715

IV. *Depositarius, qui ita rebus depositis utitur, ut nequidem leve detrimentum patiantur, non utitur eis depositore invito, sed voluntario: ac per consequens, si quid lucretur, non tenetur ad restitutionem.* Patet; quia Regula XLVIII. docet *neminem locupletari posse cum alterius injuria vel jactura:* unde cum ex Reg. XCVIII. *Exceptio Regulam in contrarium firmet*, sequitur, quemcumque locupletari posse, quotiescumque potest sine alterius aut injuria aut jactura.

716 *An depositarius teneatur restituere lucrum, an damnum?*

V. *Depositarius, qui ita rebus depositis utitur, ut ipsæ damnum patiantur, tenetur ad damni illati restitutionem, sive lucretur, sive non. Si pro damno illato satisfecerit, lucrum poterit sibi tutâ conscientiâ retinere.* Repeto exemplum. Depositum equum locasti, ut quatuor aureos lucrareris, interim frigoris inclementiâ correptus incepit ille laborare & tandem obiit. Dico te debere depositori restituere equum, posse tamen tibi quatuor illos aureos servare: cum enim domino centum aureos (equi valorem)

valorem) dederis, nihil ei debes, ergo quatuor illos aureos lucratus es induſtriâ propriâ, ſine depoſitoris detrimento. Hinc ad aliam inſtantiam, ſi detrimentum equo illatum ad decem aureos adſcendat, lucrum tuum ad centum, judico te debere decem illos aureos reſtituere depoſitori, quibus reſtitutis, quidquid lucratus es, illo indemni lucratus es, ergo & illo voluntario. Rationem firmat æquitas, hoc eſt æqualitas, Deus enim communis utrique eſt, & utriuſque actiones æquâ ſententiâ judicabit. Hoc naturalis lex poſtulat: ſi alicubi ſit civilis, quæ depoſitarium condemnet, illi omninò ſtandum eſt.

717 *Quis & quomodo taxare damnum debeat?*

VI. *Damnum rei depoſitæ illatum debet taxari à depoſitore, juxta prudentiæ regulas; quas ipſe non excedit, ſi ſummum pretium deſignet.* Patet; quia juſtè eſt invitus, qui non vult res ſuas vendi minori aut medio pretio, illas enim majoris poteſt facere; cùm autem non poſſit majoris facere quàm maximi, ſequitur quod ſi vendantur maximi nulla fiat ipſi injuria: niſi fortè aut damnum aliquod indirectè emergat aut lucrum ceſſet, tunc enim utriuſque deberet etiam haberi ratio, non enim examinandum eſt quantum ille equus valeret alteri, ſed quantum valet depoſitori; poſſet enim contingere dari aliquam circumſtantiam, propter quam ille equus deberet magni fieri ab illo, quæ non haberet locum in altero. Putà, ſi equo, quia aliàs valeret centum aureis, fuiſſet à morte liberatus, prudenter poſſet illum majoris facere, quam faceres. Putà etiam ſi reditus illi annuus pro tempore eſſet conceſſus vitâ illius beſtiæ determinando: in hoc enim caſu, quis non videat hujus beſtiæ occiſorem etiam redditum annuum extinguere, & teneri ad reſtitutionem damni illati. Sed hæc omnia rara, & tamen non deſtruunt aſſerta, ſed confirmant.

Cur poſſit res aliqua majoris fieri?

718 *Sæpè Authores videntur differre & conveniunt.*

Azor. *lib.4.cap.35.quæſt.3.* Reginaldus *lib. 25. num.572. & 573.* Sylveſter *verb. Solutio. quæſt.2.num.2.* & ad mentem ipſorum Dicaſtillus *lib.2.tract.8.dub.1.num.18.* videntur verbis à me & inter ſe nonnunquam diſſidere, ſed in rei ſubſtantia ſibi & mihi ad miraculum conſonant, dabo Dicaſtilli periodum cujus cortex mihi opponitur, nucleus conſentit. Numero enim 16. colligit ex doctrina Molinæ, quòd depoſitarius, qui accipit pecuniam non obſignatam in pyxide, neque traditam ſub conditione tacita vel expreſſa ut eadem numero phyſico reſtituatur, poteſt ſibi retinere incrementum pecuniæ, ſi quod fecit tempore quo eam retinuit, ſatisfacit enim dando æquivalentem pecuniæ quantitatem, quod & nos neceſſariò concedimus; & infert è contrariò, ſi depoſitario tacitè vel expreſsè interdicitur uſus, non poſſe ſibi retinere incrementum prædictum: & rationem ſubjungit, quia ſicut periculum ad ipſum ſpectat, ita & commodum, ex Regula LV. Et ſubjungo. Ergo, ſi non ſpectaret periculum, non ſpectaret periculum, non ſpectaret commodum: atqui ex uſu pecuniæ, ſi depoſitarius paratus ſit illi tantum reſtituere quantum depoſuit, nullum manet periculum depoſitorem, nullum igitur debetur commodum.

DVBIVM II.

719 *Cui depoſitæ moneta augmentum aut decremẽtum ſtet, ſi mutari valorem contingat.*

DEpoſuiſti apud Petrum monetam cupream ad valorem centum aureorum; non in theca clauſa, nam ſi ſic feciſſes, ceſſaret ratio dubitandi; ſed in pecunia numerata. Interim accidit, quòd Reſpublica cupreæ monetæ valorem diminueret, & tota illa quantitas non jam centum aureis ſed quinquaginta æquivaleret. Petitur, *Cuinam diminuatur hæc pecunia, depoſitoríne, an depoſitario?*

720

Si depoſitarius illa uſus non ſit, extra controverſiam eſt decreſcere depoſitori. *Quid ſi ſit uſus?* adhuc teneo decreſcere depoſitori. Ratio eſt; quia illa valoris diminutio, non eſt libera depoſitario, nec naſcitur ex illo pecuniæ uſu, nec magis depoſitam pecuniam afficit, quam afficeret apud dominum proprietarium retentam. Ergo non poteſt gravare depoſitarium. Confirmatur. Si illa pecunia valore diminuta decreſceret depoſitario, etiam valore aucta depoſitario ſuccreſceret: ergo deberemus dicere eamdem cupream materiam ſi valore augeretur, creſcere depoſitori, ſi depoſitarius illa non fuiſſet uſus, & ſi uſus fuiſſet creſcere depoſitario: quis unquam hoc crederet? & tamen deberet dici. Tenendum igitur eſt, depoſitario creſcere & decreſcere pecuniam liberè, non neceſſariò, illáque quæ ab extrinſeco Reipublicæ decreto dependent afficere ſubſtantiam pecuniæ non uſum, ac propterea illam domino, non verò depoſitario augere aut diminuere. Huc pertinet Regula LXXVIII. ſi ſequamur expoſitionem traditam.

DVBIVM III.

721 *Dubium benè notandũ.*

PEtis, *An liceat aliquam pecuniam recipere ratione depoſiti?* Reſpondeo adhuc eſſe aliquam æquivocationem, nam vel petitur, *An illam poſſit recipere depoſitor, vel an poſſit depoſitarius?* Depoſitorem non poſſe certum eſt: quia depoſitum fit in favorem ipſius, quo ergo ille titulo pecuniam exigeret? An diſcurreret prudenter, ſi diceret depoſitario, Tu faves & ſervis mihi, ergo debes pecuniam refundere? minimè, nam qui ſerviunt, ex Regula XCVII. non dant pecunias ſed recipiunt. Ita Navarrus *lib.3. Conſil. Conſil.1. de depoſito. & Conſil.17.de uſur.num.3.& in ſumm. cap.17.num.181.* Dicaſtillus *lib.2.tract.8.n.42.* & alii. At depoſitarium poſſe recipere pecuniam pro diligentia & cuſtodia certum eſt. Vtrumque videntur ſentire omnes Doctores. Hîc autem obiter notandum eſt eſſe mercatores, qui offerunt præmium etiam depoſitoribus, multum enim eis valet parata pecunia, & ideò eam undequaque ſub quibuſcumque articulis corradunt: ſentio ab his poſſe præmium recipi, *primò* ratione periculi, nunquam enim non ſubeſt, cùm ditiſſimos cedere foro quotidie videamus. *ſecundò* quia videtur ſubintelligi contractus ſocietatis & contractus ſecuritatis juxta ea quæ de redditib. annuis dicemus ſub finem Diſputationis immediatè ſequentis.

An qui depoſuit apud mercatorem ſuas pecunias poſſit aliquid præter ſortem recipere?

DVBIVM IV.

722 *Cui pereant res depositæ?*

COntingit rem depositam furto abripi, incendi, destrui, aut aliter perire, & si pereat, inquiris, *cuinam pereat, depositorine an depositario?* Si depositarius adhibuit omnem moralem diligentiam, qualem vir prudens adhibere solet ut proprias res conservet [non enim depositor videtur majorem diligentiam exigere quàm ordinariam] omnium judicio perit depositori: at depositario, si ex ignavia & negligentia gravi. Sed ipsa dubitatio acuitur consideratione nova. *Quid si ex levi depositarii negligentiâ perierit depositum?* Distinguit Dicastillus *citati tractatus num.* 37. & ait; si depositum fuit non solùm in utilitatem deponentis, sed etiam depositarii, quia hic mercedem accipit, teneri ad restitutionem etiam ob levem culpam, seu potiùs ob levem negligentiam: si verò tantùm fuit in utilitatem deponentis, solùm teneri ob dolum, culpam aut negligentiam gravem. Sed hæreo. Petitur à me, quòd gratis sim depositarius: Ergo petitur, quòd ita rem deponendam servem, ut nunquam in ejus custodia gravem negligentiam committam; unde & petitur, quòd gratis acceptem hanc conditionem onerosam, nimirum, me restituturum esse rem depositam si contingat ex gravi mea negligentia perire, non tamen si ex levi. Hæc omnia sunt ad mentem Dicastilli. Respondeo me velle ad Regulam XCVII. discurrere, adeóque nolle (N. B.) hoc facere gratis, sed pretio; & mercede assignata conditionem propositam accepto. Et doceri à Dicastillo velim, an ad plura nunc obliger, quàm obligarer, si gratis servire voluissem? sanè illa ipsa serviendi conditio, quæ gratis exigebatur, pretio admittitur, non alia: imprudenter ergo Dicastillus vult novis obligationibus depositarium onerare propter mercedem assignatum.

Qualem curam teneatur adhibere depositarius?

An majorem, qui receperit laboris pretium?

TRanseamus ad Mutuum, de quo egi *à num.* 1780. in quo etiam Viri maximi hallucinantur: nam cùm ex una parte audiant nihil posse præter sortem recipi, & ex alia rationes videant persuadentes oppositum, & totius mundi consuetudinem illis faventes, sese benè expedire non sciunt. Egi cum eximio Domino N. viro doctissimo, qui rigidissimè in hac materia discurrebat; meis ratiociniis pressus, respondit, *Omnia, quæ à me dicta, esse vera stando nudo juri naturæ; non autem stando Evangelio; nam Christus instituerat aliter.* Sed ubi? Est mera æquivocatio in nominum acceptione consistens: nam purum Mutuum vix de facto datur in rebus; & omnes contractus, qui huc spectant, ex Mutuo & Venditione componuntur. Proderit igitur sequentem Disputationem attentè legere, profundéque fundamenta Resolutionum meditari.

DISPVTATIO XIV.

DE MVTVO,

seu de Invidia & Vsura.

QVALIS ista connexio, inquit Lector, cùm videt Vsuram cum Invidia, Mutuum cum utraque componi. Et respondeo esse tantam, ut sine Invidiæ cognitione non possit dari Mutui vel Vsuræ conceptus; tantam, ut nisi Invidiæ contagio infectus fueris, inici Vsurario morbo non possis. Ad Regulam XCVII. converto oculos, & Invidum dico eum, *qui non prodest proximo, cùm sine damno levi potest:* optimè enim Invidiam Aristoteles definiit, *molestiam quamdam propter apparentem bonorum prosperitatem adversus similes, non ut ipsis adsit aliquid, sed propter illos.* Hoc est, *desiderium ne proximi prosperi sint, non quidem ut ex eorum miseria aliquid sibi, sed tantùm, ne illis adcrescat.* [ita Rhetic. 2. cap. 94.] & Chrisologus serm. 4. m. *Et quando Invidus non avarus? quidquid habet alter, se computat perdidisse.* & sermone 97. sub initium, *Superseminavit zizania: ut quid? ut periret dominica messis. Et hoc ad lucrum, quid pertinebat inimici, nisi quòd Invidiæ spiritus hominum damnum, suum computat lucrum; & quod perierit hominibus, hoc se æstimat adquisivisse.*

725 *Quid sit invidia? quid usura? & cur cum mutuo conjungantur?*

Ex dictis infero tam esse licitum non prodesse proximo, cum sine damno possumus, quàm esse Invidum. Cùm autem Invidia nullo jure permissa, sequitur nullo etiam jure licere non prodesse, cùm indemnes possumus. Addo indemnem eum prodesse, qui tametsi damnum patiatur, compensationem recipit.

Omnis homo tenetur favere proximo cùm potest. Debet illum amare ut se ipsum, non plus quàm se ipsum.

His ideis instructus conceptum Vsurarii efformo. Hoc nomine illum dignum judico, *qui sine levi damno suo favet proximo, & tamen quidquid lucratur alter, se perdidisse judicans, invidus est, & mercedem immeritam requirit.* Hinc constat quid sit verè Mutuum: nam contractus Mutui ille est, *in quo ego tantam pecuniam do Petro, verbi gratiâ, mihi restituendam, ita tamen ut nullum gravamen incurram.* In contractu puri Mutui nihil posse recipi præter sortem certum est. Cæterùm, si aliquod gravamen acceptem, purum Mutuum non est; & tunc licèt pro pecunia data mutuò nihil possim præter sortem recipere, potero propter gravamen: at tunc duos contractus miscebo, alterum Mutui, ex quo nihil præter sortem adquiram: alterum Venditionis, ex quo recipiam præter sortem pretium gravaminis, quod accepto (hoc est, vendo. Hac doctrinâ præmissâ tu considera sequentes Theses. Sit

724 *Quis sit verè Vsurarius? & puri Mutui qualis contractus sit?*

PRIMA. *Non est Vsurarius, qui vult favere proximo, modò indemnis servetur.* Ratio est clarissima. Quia ex citata Regula XCVII. nemo tenetur depauperari, ut alter dives sit; nemo pati, ut alteri utilitas accrescat.

SECVNDA. *Vsurarius, est qui cum damno suo vult favere proximo, modò plus quam perdiderit ei detur.* Ratio est; quia ut sine levi

Vsura in excessu aliquando consistit.

damno faveat sufficit quod indemnis servetur: ergo quidquid præter indemnitatem accipit, accipit sine titulo, vel si titulo, hoc solo quia alter lucratur, ergo titulo invidiæ ac propterea illegitimo.

Quid requiratur, ut aliquis servetur indemnis?

TERTIA. *Indemnis servatur, cui solvuntur omnia pretio æstimabilia, quæ exposuit in favorem proximi.*

De recuperatione debitorum.

QVARTA. *Item ille, cui restituuntur etiam illa, quæ aliàs debebantur*, qui enim sibi debita ab eo qui debet recipit, nihil adquirit, sed indemnis servatur. Ita Molina *disp.*309. Covarruvias 3. *variar. cap.*1. *num.*1. Dicastillus *lib.*2. *tract.*10. *disp.*2. *dub.*3. *num.*82. Rebellus *quæst.*4. *num.* 6. Reginaldus *lib.*23. *num.* 44. Lessius *lib.*25. *num.*191. Azorius 3. *part. lib.*5. *cap.*7. *quæst.*15. *& lib.*7. *cap.*7. *quæst.*7. & ratio est: quia cum ego pro Petro facio plusquam debeo, non ero iniquus, si postulem, ut ipse faciat & præstet, quod debet.

De obtinenda gratia.

QVINTA. *Est Vsurarius qui præter hæc, quæ jure ipsi debentur, aliquid titulo justitiæ adquirit, non qui ex pura donantis liberalitate.*

Sæpè habet nomen gratiæ quæ est extorsio.

Consultò dixi *titulo justitiæ*; gratias enim qui excluderet, humanitatis vincula rumperet, & in Respublicas protruderet satyros, proscriberet homines; non tamen voco *gratiam*, quæ imbibit debitum, putà, si Petrus diceret, *Dabo tibi mutuas tales pecunias, modò mihi des gratis tot aureos*, hæc enim vocabulo *gratiæ* retento, in justitiæ obligationem trahitur.

725 His quinque thesibus ab Vsuræ definitione illatis tota hæc materia subnixa, facillima est, si benè intelligantur; aliàs non solùm captu difficilis sed impossibilis. Quibus thesibus majoris roboris & efficaciæ gratiâ additor

Quàm sit certum illicitas usuras esse?

SEXTA. *De fide est Vsuram esse illicitam.* Est contra aliquot hæreticorum errorem, qui teste Guidone Carmelitano illam licitam esse crediderunt, quos condemnavit in Viennensi Concilio Clemens V. Videantur Molina *disput.*304. Azorius *lib.*5. *tractatu speciali de usura cap.*2. Valentia *tom.*3. *disp.*5. *quæst.*21. *punct.* 1. Graffius 1. *part. lib.*2. *cap.* 104. Salas *tract. de usuris, dub.*6. *&* 7. Rebellus *lib.*8. *quæst.*2. *sect.* 2. Salonius 2. 2. *quæst.*78. *art.* 1. *controvers.* 1. Bañez *ibid. dub.*1. Aragonius *ibid.* qui multa testimonia congerunt, ut hanc thesim ostendant; mihi autem sufficit simplex authoritas Viennensis Concilii.

An sit jure naturali interdicta?

SEPTIMA. *Vsura interdicitur jure Divino.* Hæc veritas tam clara, ut etiam fuerit Ethnicis ipsis nota. Aristoteles 4. *Ethicor.* 1. & 1. *Politicor.* 7. eam præter naturam esse asseruit. Adsonat Cato Censorino Tullio teste 2. *officior. sub finem.* & Plutarchus *opusculo de usura vitanda*, & alii veteres relati à Marco Catone *sub init. libri de re rustic.* Livio *libri* 10. *decade* 1. Antonio Sabellico *Enead.*5. *lib.*6. Alexandro ab Alexandro 1. *genial. cap.*7. & aliis.

An ab invidia separetur?

Ratione autem probatur sic. Non potest usura esse sine invidia, est enim invidiæ proles & comes; hæc jure naturali interdicitur: ergo & illa. Consequentia est legitima: minor, ut existimo, apud omnes nota: major ex Vsuræ conceptu & definitione desumpta.

Vt videas non esse plures regulas necessarias, ut omnia dubia decidantur quæ hanc materiam concernunt, me duce aliquos difficiles casus summa cum facilitate insistens doctrinæ præmissæ resolve.

Casus primus.

PEtrus dedit pecuniam mutuam cùm spe aliquid recipiendi præter sortem; quæritur, an sit Vsurarius? 726

Peccatum triplex.

Suppono, omnes pueros scire peccata distingui in facta, dicta, & concupita; ideóque non volo distinguere inter actionem & voluntatem faciendi, nemo enim dubitat operis mali intentionem esse malam, tametsi minus malam quam opus; & ita minus malam ut debeat hæc circumstantia in confessione sacramentali exponi. Hinc intelligendus venit Vrbanus III. *cap. Consulit. de usuris*, ubi ait, *Qui mutuat aliàs non mutuò daturus, eo præposito, ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte recipiat* [putà, *tanquam debitum, & ex vi contractus præmissi.*] *pro hujusmodi lucri intentione judicandus est malè agere.* Nota illud verbum *intentione*, ut videas non solùm esse malum Vsuras admittere, sed & velle. Nota etiam illud *aliàs non mutuò daturus*, ut videas illud lucrum supra sortem hîc esse motivum dandi, ita ut aliàs non daret. Noto, & ad mentem prudentissimi Pontificis.

Gratiam tollit, qui obligationem addit.

Resolvo vel Petrum velle contractu mutui mutuatarium obstringere ad dandum aliquid præter sortem: vel celebrasse contractum omninò justum, cum spe tamen aliquid recipiendi præter sortem ex mera liberalitate mutuatarii. Si primum dicatur, usura absolutè committitur: non verò si secundum: homines enim, non solùm præmium cùm bona operantur; sed etiam quando nocent, veniam vel aliquid simile ex proximi benignitate sperant; & non sunt propter hanc spem iniqui, tametsi iniqui sint ob crimen quòd committunt: esset tamen iniqua spes, si Lutheranæ similis, in ipsis criminibus fundata, ob majores culpas inferret majorem esse in offenso obligationem ignoscendi: scio enim Deum velle ignoscere, non quia culpæ veniam mereantur aut impetrent, sed quod Dei clementia sit tanta ut culparum oceanis extingui non valeat. Hanc puto esse omnium Doctorum opinionem, dabo tamen Molinam, Cajetanum, Scotum, Angelum, Toletum, Valentiam, Navarrum, Lessium, Rebellum, Petrum Navarra, Aragonium, Salonium, Bañez, Salas, quos citat & sequitur Dicastillus *lib.*2. *tract.*10. *disput.*2. *num.*8. qui omnes subscribunt D. Thomæ, id expressè asserenti. Hunc casum debere sciri à Confessariis ad sedandas pœnitentium conscientias advertit optimè Molina; sæpè enim torquentur pœnitentes ab imperitis, cùm possint absolvi sine onere restituendi.

An culpæ veniam mereantur?

Nota benè.

Nota tamen juxta Regulam LXXXIX. quidquid ab involuntario extorquetur, auferri potiùs quàm recipi, & ideò ad rapinam potiùs quam ad liberalitatem pertinere. Extorquet tamen ab involuntario, qui præmisso mutui contractu aut non præmisso, ita circumstantias disponit, ut alter non possit aliquam rem non dare: tunc dicitur inferre violentiam, quæ formaliter imbibit carentiam indifferentiæ 727

Est gratia simillima extorsio.

indifferentiæ voluntatis, & materialiter solet vel contractum mutui, vel preces nimias, vel laudes immoderatas, vel suasionem fortem, nempe talem qui cum peritæ rei negatio moraliter componi non potuit, quæ omnia fundantur Thesi quinta.

Casus secundus.

728 *Cuinam mutetur moneta valor?*

ANtonius mutuam dedit Anselmo monetam cupream ad valorem centum pataconum, & accidit quod dum hæc moneta esset apud Anselmum, diminueretur valor cupri cusi ad mediam partem. Et inquiris, Vtri illa moneta diminuatur, Antonio an Anselmo? An Anselmus postea debebit dare tantam materiam physicam quantam accepit, an verò tantum valorem? Et materiæ similitudine illectus subdubitas, An de tritico, oleo, & aliis granis aut rebus debeamus eodem prorsus modo, quo de pecunia philosophari?

Valor monetæ Cupreæ augetur sub Philippo III.

Dux de Lerma, sub Philippo III. Catholico Hispanorum Rege Legislator, valorem cupri cusi augendo, materiam subministravit viris doctissimis ut liberè scriberent, quid de tam pernicioſa actione censerent. Inter alios aptissimè Mariana ex veterum historiis (mundus ubique est idem, & homines ejusdem speciei) intulit fata quæ manerent Hispanos, si illa lex improvidè lata subsisteret. Substitit quamdiu & Dux, imò quamdiu & Rex. Deviventi Philippo III. succeſſit Philippus à religione Magnus, & laboranti Hispaniæ opem laturus incepit agere de valore ignobilis monetæ remittendo. Bone Deus, Quanta solicitudine & diligentia, qui gravabantur ære alieno, creditoribus satisfaciebant (testis sum oculatus) ne cogerentur postea duplum refundere! in nullius mentem venit dandam esse tantam materiam quanta fuerat accepta, sed omnes supposuerunt dandum eundem valorem. Tandem aliquando remissus fuit pecuniæ valor, & post edicti publicationem omnes ad valoris æqualitatem, non verò ad materiæ pondus creditoribus satisfaciebant. Et sentio futuram fuisse magnam turbationem in Republica illa, si fuisset varietas opinionum in hac difficultate; omnium tamen communi judicio creditum est *pecuniam formaliter in valore consistere, ac propterea non dari tantam, quanta fuerat accepta, si minoris valoris.* Subscribunt huic opinioni multæ benè gubernatæ nationes, apud quas, cum sunt recipienda vectigalia, valor monetæ quasi centesima parte remittitur; cùm est creditoribus satisfaciendum, intenditur; & hac politica methodo duas centesimas partes à populo excipiunt plus quàm postulant: in quorum equidem opinione consentio.

diminuitur sub IV.

Quomodo creditoribus fit satisfactum?

Pecunia, non in pondere, sed in valore consistit.

Ante resolutionem præmittam diversas Authorum sententias, inter quas medius ex ex æquitate juxta fundamenta præmissa satisfaciam.

729 *An attendendus solum sit moralis valor?*

PRIMA SENTENTIA. *In Mutuatione non attendenda est materia quantitas physica, sed valor moralis. In Solutione debiti non est danda eadem quantitas, sed idem valor moralis.* Ita Covarruvias 2. *variar. cap.* 3. *num.* 6. Molina *de restitut. quæst.* 38. *circa fin.* Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 1. Guttierez *in quæst. canonicis cap.* 37. *num.* 50. Rodriguez *tom.* 2. *cap.* 140. Petrus Navarrus *dub.* 5. Rebellus *lib.* 8. *concl.* 3. & *lib.* 11. *conclus.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 17. *num.* 149. Molina *disp.* 311. Paludanus *num.* 3. *dist.* 37. *quæst.* 2. *concl.* 4. Sylvester *verb. usura* 1. *quæst.* 14. & 17. Angelus *verb. usura* 1. §. 34. Antoninus 2. *part. tit.* 1. *cap.* 7. §. 13. Rosella *verb. usura. n.* 32. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 1.

730 *An solummodò physica quantitas?*

SECUNDA SENTENTIA. *In Mutuatione non est attendendus valor rei, sed materiæ physica quantitas.* Ita Mercadus *de contractibus, lib.* 5. *cap.* 5. Navarrus *cap.* 17. *num.* 242. Sà *verb. mutuum. num.* 9. Scotus 6. *de just. & jur. quæst.* 1. *art.* 2. *circa finem.* Laurentius de Ridol. *cit. à Sylvestro.* Azorius 3. *part. lib.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 7. quibus favere videtur *ff. de reb. credit.* & præcipuè lex 22. quæ incipit *vinum:* quæ est satis expressa.

His non obstantibus judico materiam esse valde perplexam & neutram sententiam universaliter veram, & utramque veram in aliquibus casibus omnes enim regulæ generales expositæ sunt millenis exceptionibus. Sit igitur

731 *Magnæ difficultates tolluntur sæpè concordiâ partium.*

Resolutio I. *Non repugnat naturæ Mutui fieri partium concordiam de modo solutionis; an eadem physica quantitas, an debeat idem valor restitui.* Concordia hæc si instituatur, servanda, & tollit omnes difficultates. Quod ut subtiliter examinem & expendam, adverto in re duas dari formalitates; nimirùm, substantiæ physicam magnitudinem & entitatem, nec non moralem valorem: & quia separari contingit, Mutuum possum bifariam concedere. Primò dando directè & per se materiæ quantitatem ipsam physicam, & concomitanter secundarióque valorem moralem; secundò hunc directè & primariò, illam secundariò concomitanter & indirectè. Solutio debet fieri ad æqualitatem rei acceptæ, rei inquam acceptæ directè & primariò, non tamen est habenda ratio valoris aut cujuscumque alterius concomitantis accidentis. Igitur si mihi mutuas dederis quatuor mensuras tritici, satisfaciam si dedero totidem quatuor æquè boni. Si autem dederis mutuum valorem viginti aureorum in tritico, debeo tibi restituere non quidem totidem mensuras tritici æquè boni, sed triticum quod viginti aureis valeat. Et hoc ex vi contractus præmissi. [Si non fiat specialis concordia standum est communi modo loquendi & sentiendi, juxta quem in moneta primariò intenditur valor moralis, in aliis rebus physica entitas: unde monetam secundum valorem tempore mutui, res alias secundum physicam quantitatem restitue, quis enim non videat esse differentiam inter has duas formulas, *Do tibi mutuos centum florenos in tritico, solvendos itidem in tritico*, ac *Do viginti mensuras mutuas?* primus enim contractus valorem, secundus physicam mensuram concernit.]

Aliud est dare valorem in tritico: & aliud mensuram tritici.

732 *Quæstiones multæ tolluntur sæpè decretis & definitionibus Reipublicæ.*

Resolutio II. *Respublica potest lege lata hoc dubium tollere:* omnia enim dubia in materia dominii sunt nociva publicæ tranquillitati; igitur potest Respublica, ut obviam eat huic inconvenienti, præcipere ut altera opinio servetur, & juxta eam concedere verum dominium, defectum veritatis authoritate

ſua ſuprema & populi ceſſione ſupplendo. Probatur, quia qui præſcribit rem alienam cutâ conſcientiâ poſſidet, favore enim Reipublicæ mutantur privata dominia, cum expedit tranquillitati populi. Sed & lex illa 22. *vinum, ff. de rebus creditis*, videtur de facto hanc quæſtionem reſolviſſe, & pro ſecunda ſententia in gratis & liquidis judicaſſe.

733 *An debeat reſtitutio fieri in eadem moneta?*

Reſolutio III. *Danti mutuos centum Iacobos aureos & exprimenti ſe velle ſibi totidem Iacobos in ſpecie reſtitui, non ſatisfacies ſi monetam argenteam aut aliam dederis, ſed debes ſtare contractui.* Hinc conſtat *primò* quòd tali contractu præmiſſo, ſi valorem monetæ augeri aut diminui contingat, augeri & diminui Mutuatori non Mutuatario; quia ſic conventum eſt. Conſtat *ſecundò* deberi dari aliam monetam, ſi non reperiantur Iacobi, ad valorem quem centum Iacobi habent tempore ſolutionis, non ad valorem quem habebant tempore Mutui.

734 *Dubium occurrens.*

Sed petis, *An peccaret mortaliter in tali caſu, qui & Iacobos in ſpecie haberet, & tamen centum Iacoborum valorem in moneta alia æquè bona reſtitueret ſuo creditori?* Reſpondeo conſiderandas eſſe omnes circumſtantias. *Si* illa moneta, quæ ex vi contractus exigitur, ſit neceſſaria acturo in Anglia verbi gratiâ, fit Mutuatori injuria, cùm datur argentea moneta, & gravis ſi non poſſit alibi Iacobos quibus eget, reperire; levis, ſi illos poſſit habere ſine expenſis & cum ſumma facilitate. Cùm igitur Mutuator debeat ſervari indemnis juxta Theſim III. & Regulam XCIII. illi injuriam facis, quotieſcumque ipſe dederit rem ſibi utilem ut quatuor, & aliam ipſi utilem ut tria reſtituas, tametſi utraque ſit tibi æquè utilis; habenda enim eſt ratio, ne ille, qui prodeſt, propter bonitatem ſuam detrimentum patiatur.

735 *Aliud eſt dare decem Iacobos mutuò: & aliud centum viginti florenos in Iacobis.*

Reſolutio IV. *Danti centum florenos mutuos in Iacobis aureis debent centum floreni reſtitui, etiamſi Iacoborum valor mutuatus fuerit, etiamſi ipſe Mutuator non fuiſſet eis uſurus:* aliàs enim receptio & ſolutio non reſpicerent eandem quantitatem. Vtrùm Mutuator illis Iacobis fuiſſet uſurus vel non, aliqui examinant; ſed illa conſideratio nihil mutat in re; quia cùm ſit verum, quod Petrus dederit Antonio centum florenos, eſt etiam verum, quod centum debeant illi reſtitui; unde monetæ valor Mutuatario augetur & diminuitur utpote vero domino, habenti obligationem ſolvendi quantum directè receperit ex vi contractus.

Sed inquiris, Quid dicendum eſſet de hoc contractu, *Do centum Iacobos, hoc eſt, mille ducentos florenos Belgicos tibi reddituro aut Iacobos in ſpecie, aut mille ducentos florenos.* Reſpondeo non videri malum, nam tametſi oneroſus mutuatori ſit, non eſt eidem injurius, nam ex Regula XXVII. *Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.* Sanè oneroſus mutuatori eſt, quia alternativus, & *in alternativis*, ut habet Regula LXX. *debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Sed quid ſi mutuator ſibi optionem reſervet? an contractus uſurarius dicendus? Non puto. Et qui contrarium ſentiat, oſtendat, obſecro, quid mutuator accipiat præter ſortem. Quam ob rem exiſtimo hunc contractum, ubi contra ſpecialem legem militet, eſſe illicitum aut etiam invalidum juxta Regulam LXIV. & validum ubicumque interdictus non ſit: nullibi tamen uſurarium.

Caſus tertius.

736 *An qui in mutuo adquirit veniâ aliquid adquirat præter ſortem.*

PEtrus dedit Antonio mutuam tantam pecuniam, ut ejus gratiam & amicitiam venaretur, expreſsè dicens ſe nolle mutuam pecuniam dare niſi ſub onere, quod & debeat Antonius veniam pro tali offenſione concedere: *vel* quòd debeat tale debitum verum, ſecretum tamen, publicè confiteri, *vel* debeat dare cautionem non ſolùm pro illo novo debito, ſed & pro aliis antiquis?

Teneris concedere veniâ illi, qui dederit integram ſatisfactionẽ.

Reſpondeo huic & ſimilibus caſibus reſpondere Theſim quartam fundamentalem. Nam ſi Petrus Antonio, quem offenderat, dederat congruam ſatisfactionem debebat veniam impetrare, & rem debitam poſtulat, cùm Mutui intuitu vult veniam obtinere: eſſet tamen Vſurarius, ſi peteret ex juſtitia & ex vi contractus concedi veniam indebitam; putà, ſi nollet dare ſatisfactionem, & tamen vellet quod ex vi Mutui venia concederetur. Cùm debitum verum eſt, nil lucratur qui ſuâ induſtriâ illud recuperat aut ſecuriùs reddit; unde in his caſibus non eſt Vſuræ locus.

Caſus quartus.

737 *Volo hunc caſum ſummâ attentione & animo tranquillo legi: mihi enim videtur difficillimum & ſubtiliſſimũ: & deſiderarũ eumdem ab aliquo ingenii magni Viro recognoſci.*

SEd dubitas, *An, qui debitum dubium aut merè probabile vellet cum novo illo debito confundi dicendus eſſet Vſurarius?* Verbi gratiâ, An Petrus, ſi illi Antonius probabiliter aut dubiè deberet centum aureos, daret eidem Antonio mille mutuos ſub onere quod mille centum reſtitueret; nimirum, illos mille & alios centum, eſſet Vſurarius?

Reſpondeo me nullam in probabili debito difficultatem reperire; nullam non reperire in dubio. Probabilitatis privilegio judicium ferri prudenter poteſt liberè in utramque partem. Qui igitur probabiliter judicat ſibi deberi centum aureos, prudenter judicat; & ſi prudenter, etiam prudenter judicabit ſe nihil præter ſortem recipere, cùm illos; ergo & ſe non eſſe Vſurarium; talis enim non eſt qui nihil adquirit præter ſortem. At verò, qui dubitat, non habet rationem probabilem contra alîus poſſeſſionem; & ideò imprudens erit, ſi exiſtimet ſibi deberi illam pecuniam, de qua dubitat; eſt enim Antonii quamdiu non conſtat eſſe Petri: iſte igitur Vſurarius eſſet, ſi vellet præter ſortem etiam illam pecuniam dubiam ſolvi. Video viros, aliàs doctiſſimos, dubium cum probabilitate confundere [dabo unum valde magnum, nempe Ioannem Præpoſitum *quæſt. 5. de integrit. confeſſ. dub. 3.* & darem alios plurimos ſi vellem adverſaria mea recognoſcere] ſed quantum interſit diſcriminis vel cæcis judicandum relinquo.

Cæterùm, ſi in aliqua Republica ita leges intelligantur, ut debita probabilia ſpeculativè ſint practicè nulla, & poſſeſſorem practicè ad nihil omninò teneri nequidem probabiliter, tunc videretur non poſſe ratione mutui

ſolutionem

solutionem aut cautionem alius debiti probabilis exigere : quoniam solutio & cautio practicæ sunt, & ponitur debitum probabile practicè & moraliter juxta illius Reipublicæ mores nullum esse. Res est subtilior & implicatior, quàm multi putant : tu rem considera, nec temerè sententiam feras.

738 DICES. Hanc limitationem à me assignatam non debere ad aliquam specialem provinciam aut etiam leges provinciales restringi, sed debere ad omnes absolutè extendi. Et arguis sic. Omnis obligatio est pretio æstimabilis, atqui Antonius non tenebatur solvere illud debitum merè probabile, ergo pretio æstimabile est, quod se obliget ad id solvendum : atqui nihil pretio æstimabile potest præter sortem adquiri ratione Mutui : ergo nec illud.

Sequi possumus opinionẽ probabilem.

Respondent aliqui distinguendo minorem ; non teneri evidenter, concedunt ; non teneri probabiliter, negant. Sed meritò tibi displicet hæc responsio ; est enim falsa, & inefficax. Falsa quidem ; quia improbabile est peccare eum, qui sequitur opinionem probabilem ; improbabile peccare eum, qui non solvit debitum probabile. Igitur probabile debitum nequidem probabiliter tenetur quis solvere, est enim certum (& fortè evidens) quod non tenetur. Et est insufficiens ; quia ut constat ex Regula VC. *Majoris fit debitum certum quàm probabile*, hoc enim si velis vocare in controversiam, vende sub hasta debita probabilia, & hominum commune judicium experieris : ergo cùm Petrus vult sibi Mutui intuitu concedi cautionem & obligationem pro debito purè probabili, plus exigit quàm sibi debetur, petit enim quod debitum probabile in certum commutetur, hoc est, ut octo vel decem aureorum debitum in debitum centum aureorum convertatur ; non enim pro debito probabili decimam partem certam exponeres, cùm scias in omni probabilitate solere judices stare pro reo & possessore.

An debitum probabile, ut certum & indubitatum possit exigi?

Fateor me sentire argumentationis vim, nec daturum evidentem aliquam solutionem, sed bonam & formidini obnoxiam. Respondeo igitur singulas propositiones distinguendo. Concedo omnem obligationem novam, faciendi quod Antonius non debeat, esse pretio æstimabilem ; nego tamen pretio æstimandam esse obligationem, quæ cogat ut faciat quod debet. Ad minorem subveniens, concedo Antonium non teneri formaliter ad solutionem illius debiti, at verò materialiter, non quidem evidenter sed probabiliter teneri, dico : & in nostro casu cum Antonius se obliget ad solvendum quod debet, nego consequentiam. Et progrediens concedo minorem subsumptam, & nego consequentiam illatam. [Peccati & obligationis materialis & formalis discrimen in distinctione minoris suppositi, & ut notum sine expositione relinquo.]

An aliquis teneatur solvere debita probabilia?

Si dicas, Antonium non teneri in conscientia solvere Petro illam summam probabilem, non benè inferes dolum in Petro, qui vult illam recipere, non enim Bonifacius VIII. Regula LIX. dixit, *Dolo facit, qui petit quod alter non debet solvere*, sed prudentiùs & cautiùs, *Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem.* Ergo non facit dolo, qui petit quod potest tutâ conscientiâ retinere, quoniam juxta Regulam XCVIII. *exceptio firmat Regulam in contrarium.* At Petrus non teneretur restituere, si ab Antonio debita probabilia reciperet : ergo non facit dolo cùm adhibet industriam & diligentiam ut eam cum novo mutuo confundat, ut tandem recipere possit. Petrus igitur potest tutâ conscientiâ sic contrahere : *Debes mihi centum aureos* (probabiliter) *& mille mutuos postulas ; ergo illos centum quos nunc possum exigere, & mille alios quos postulas, dabo mutuos, modò cautionem mihi des pro mille & centum aureis.* unde si Antonius mille-centum aureos restituat, nihil dabit omninò præter sortem : nihil dabit inquam certò, tametsi det probabiliter centum. Inferes. Ergo iste contractus probabiliter est usurarius. Et respondeo me adhuc posse negare consequentiam : sed illam condonando subsumo esse certò in conscientia licitum, tametsi probabiliter malus : certum est enim non peccare, qui sequitur opinionem probabilem.

Casus quintus.

SEd quid, si Petrus vellet sibi statim solvi centum illos aureos probabiles, antequam daret alios mille? 739

Respondeo posse uti eadem formula, sed paucis additis ; nempe, si expressè aut implicitè diceret ; *Do tibi mutuos mille & centum aureos (videlicet, centum qui mihi debebantur, mille quos trado) ita ut centum post horam restituas, mille post tale tempus, nisi fortè illis antea indiguero.* Si ineatur sic contractus, tollitur difficultas : sæpè enim morales tales sunt, ut securissimè & facillimè tolli queant, & ni tollantur non possint nisi difficulter & periculosè decidi.

Præterea, Usura non nascitur ex eo quòd Mutuatarius aliquid perdat, sed ex eo quod Mutuans injustè aliquid præter sortem adquirat ; Mutuans enim ex Regula LIX. non tenetur in conscientia facere ne aliquid Mutuatarius aut donet aut perdat, sed ne ipse aliquid lucretur sine titulo.

Casus sextus.

MVtuavit Petrus pecunias aliquas Ambrosio cum onere, ut & ipse similiter, si habeat, remutuet ; & inquiritur, *An Usurarius sit?* 740

An dare mutuò teneamur?

Examinandum est, *An quis teneatur mutuare, hoc est, favere proximo, ubi sine damno proprio possit, vel non?* Si citra invidiam negari possit Mutuum, ille contractus usurarius est, quia postulat rem indebitam ultra sortem. Sed si mutua pecunia negari non possit, res debita petitur cùm talis contractus initur, nec Usurarius dici debet ille qui mutuat sub onere quod alter remutuet, si habeat ; hoc est, sub onere, quòd suis satisfaciat obligationibus.

Cæterùm ego sentio, neminem excusari ab obligatione dandi Mutuum nisi qui caret, aut qui indemnis favere non potest (excipio semper casum, in quo si ego non dedero mutuum, alter daturus sit : non enim teneor dare panem

indigenti, qui ab altero eum est habiturus) Consultò etiam posui illa verba, *si habeat.* Vnde si paciscereturr, quod deberet remutuare etsi non haberet, sive quod deberet remutuare pro tempore determinato, Vsurarius censendus esset; jure enim naturæ nemo tenetur quærere aut petere ab amicis pecunias ut det mutuas, nec debet illas, si habet, dare pro tempore determinato, ita ut non possit illas repetere etsi egeat; unde qui hæc gravamina imponit, aliquid extorquet extra sortem.

Casus septimus.

741 *Consideretur iste casus.*

HInc patet solutio alius difficultatis. Insti talem concordiam cum Petro; Ille se obligat semper dare tibi pecunias mutuas quotiesumque indigeas, & tu habebis obligationem dandi ipsi extra sortem tot aureos. Petis, *An legitimus contractus sit?*

Respondeo, aliud esse Petrum tibi daturum pecunias mutuas quoties sine incommoditate possit; aliud daturum quoties egeas, sive ipse sine incommoditate possit, sive non possit. Si primum polliceatur Petrus, nihil promittit quod aliàs non deberet; si secundum, grave onus suscipit, & ex Reg. XCVII. debebit indemnis servari: ergo judicio prudentis viri taxandum hoc gravamen est. Igitur Vsurarius non erit, si præter sortem aliquid propter hoc gravamen recipiat. Sanè habere obligationem mutuandi esse gravamen, quod non facilè admiseris nisi pretio admisso, apud doctiores certum est; hoc enim gravamine perditur libertatis pars, quæ pretio æstimabilis est. Ita Dicastillus expresè *lib. 2. tract. 10. num. 91.*

Nota hoc benè.

Hi duo ultimi casus (sextus & septimus) conciliant duas oppositas Authorum sententias, quarum altera gravibus suffulta testimoniis docet non esse Vsuram dare pecunias mutuas sub onere quod Mutuatarius remutuet; altera gravioribus & pluribus munita negat: utriusque enim Authores juxta præmissas observationes poteris explicare.

Casus octavus.

742 DVctus consequentiâ doctrinæ inquiris, *An Vsura sit dare pecunias mutuas Antonio sub onere quod te doceat talem aut talem artem, ut tibi medeatur, vel ut mittat suum triticum molendum ad tuam domum, vel quod emat necessaria à tali amici sui officina?*

Possum in mutuo præter sortem petere, ut præstes, quod aliàs deberes.

Et respondeo ex dictis, vel peti ab Antonio illud quod aliàs teneretur facere, vel non: si primum, Vsura non committitur; secùs, si secundum. Verbi gratiâ; Est in civitate Grammatices magister auctus stipendio publico ut omnes doceat, & ipse est negligens & non satisfacit suis obligationibus; poteris illi dare pecunias mutuas ut allicias, & in contractu exponere quod debeat te docere, nihil enim indebitum requiris, sed illum excitas, ut obligationi antiquæ satisfaciat. Cùm autem jure nec teneatur tale molendinum, nec talem officinam adire; Vsurarius esset, qui hoc exigeret intuitu mutui; exigeret enim aliquid indebitum præter sortem.

Objicis ex Dicastillo *lib. 2. citati tract. 10. disp. 2. num. 120.* esse licitum dare mutuum sub onere quod alter alium contractum de præsenti ineat; putà, si contrahat aliquis his verbis, *Do tibi mutuum, sub onere quod statim emas meam domum, vel vendas tuam, aut colas meos agros justo pretio:* hunc enim contractum licitum esse defendunt Angelus; S. Bernardinus, Rosella, S. Antoninus, Sylvester, Gregorius Ariminensis, Sà, Sotus & alii, & probant communi dominorum praxi, qui dant pecunias mutuas rusticis sub onere quod agros suos colant: ecce in mutuo datur præter sortem gravamen licitum in Mutuatario. 743 *In hac doctrina latet æquivocatio.*

Resolutio.

Respondeo mihi non videri verosimile posse sine Vsura dari purum mutuum obligando Mutuatarium ad aliquid dandum præter sortem, quod pretio æstimabile sit. Sanè contractus ille rusticorum & dominorum contrarium non suadet: fateor enim illum ex multis titulis esse licitum, sed nego opitulari oppositæ sententiæ. Teneor dare egenti proximo pecunias mutuas, cùm sine damno possum; non quando careo; non quando dare illas sine incommoditate non possum; non teneor me obligare, nec teneor non repetere, si indigeam. Rusticus etiam ex hypothesi, quod meos agros culturus non sit, illis pecuniis non eget [nota hoc] & non teneor illas mutuare non egenti. Cùm igitur admitto obligationem dandi centum aureos mutuos (sive illos habeam sive non) & cedo jure repetendi, quos possem si indigerem, gravamina notabilia admitto, quæ involuntario imponi non possunt: ut igitur serverindemnis (indemnitas enim in omni mutuo licita est) rusticus pro gravaminibus, quæ in favorem ipsius accepto, acceptet vicissim in mei favorem hoc gravamen, quod colat agros meos. Ecce nihil præter sortem adquiro ratione Mutui, nisi fortè (N. B.) in excessu peccetur: sed illa gravamina rustico imposita respondent gravaminibus, quæ pro rustico tolero, & ut servetur indemnitas fieri debet gravaminum recompensatio. *Quando dare pecunias mutuò teneat?*

Casus nonus.

744 *An præter sortem possit aliquis dignitatem recipere?* ALbericus ratione puri Mutui aliquod officium aut dignitatem temporalem extorsit, & petitur, An sit Vsurarius?

Si aliquis negativè responderet, deberet necessariò dicere temporales dignitates non esse pretio æstimabiles, quod nemo prudenter admittet: cùm igitur suum valorem civilem habeant, imò non solùm pro meritis, sed sæpè pro pecuniis etiam conferantur, dicendus Albericus non posse à crimine Vsuræ excusari. Ita Molina *disp.* 310. Corduba *in summa quæst.* 117. D. Thomas *opusc.* 21. Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disp. 2. num.* 137. Arragonius 2. 2. *quæst.* 78 *art. 2. dub. 2.* Lopez *in instr. part. 5. c. 2. 16. §. adde.* Salas *dub.* 13. & 14. *de usuris.* Reginaldus *tom. 2. lib. 25. num.* 290. Salonius & alii apud Petrum Navarra *lib. 3. cap. 2. num.* 267. 273. uterque Medina *C. de adquisitis per usuram. quæst. 4. vers. Inde etiam*, & *Summ. lib. 1. cap. 14. §. 23.* & *quæst. 4. de usur. §. Inde.* *Resolutio.*

Consultò de officiis & dignitatibus temporalibus vel sæcularibus inquiritur, nam de Ecclesiasticis, 746 *An sicut de*

dignitatibus sæcularibus, sic etiam sit de Ecclesiasticis philosophandum ?

Ecclesiasticis, cùm pretio vendibiles non sint, est alia ratio : nam qui contrahat cum Episcopo dicens, *Dabo tibi mutuos mille aureos sub onere quòd me ad Canonicatum promoveas*, non petit aliquid pretio sæculari æstimabile præter sortem, unde fortè Vsurarius non est : attamen contractus legitimus omninò non est, quia dum Vsuræ crimen fugit, (si fugit : petit enim rem verè pretiosam & nobilem, tametsi pretio sæculari non æstimabilem) Simoniæ labem videtur incurrere Navarro *cap.17. num.207.* Petro à Navarra *ubi suprà*. Sed esse simul Vsuram & Simoniam judicavit Reginaldus *tom.2.lib.25.cap.11.num.190.* & Rebellus *part.2.lib.8. quæst.4. num.13.* & non video cur non possint admitti Vsuræ Ecclesiasticæ & Spirituales.

Casus decimus.

746 *De rusticorũ contractibus.*

DEdisti mutuos Anselmo mille aureos solvendos tempore messis in tritico pretio currenti : & quia de æquitate contractus aliqui dubitant, meum judicium inquiris.

Respondent doctè Authores inter mutuationem & venditionem distinguendo ; quia ille contractus, qui mutuatorius dicitur, sæpè emptorius est, & de nomine non est disputandum, Vsuræ enim non afficiunt nomina, sed res. Si emptorius, licitus est in omnium opinione : verbi gratiâ, qui initus fuerat hisce verbis, *Do Tibi mille aureos mutuos solvendos messis tempore in tritico tali pretio, vel pretio currenti tunc, vel currenti modò*, posset initi istis, *Emo triticum pro mille aureis tali aut tali pretio, tradendum tali aut tali tempore.* Ita Molina *disp.309.* Azorius *lib.7.cap.7.quæst.2.* Rebellus, Reginaldus, Petrus à Navarra, Emanuël Sà, Dicastillus, & alii jam citati. Sed statim occurrit, An omnis Mutuatio in emptionem transire possit ? & respondent benè Authores citati, emptionem æquivalenter esse, si tuam pecuniam repetere non possis usque ad messis tempus, & tunc triticum admittere debeas.

Sæpè videtur Mutuatio, quæ est Venditio reverà.

747 *Resolutio.*

Vidisti pulchrè difficultatem, imò & solidè elisam : stemus naturæ Mutui, & eam secundo calamo examinemus. Puto *primò* hoc gravamen solvendi in tritico non esse positum rustico seu Mutuatario, sed Mutuatori ; est enim favor rusticis quòd triticum ipsorum pretio currente recipiatur, non enim statim reperiunt emptores paratos, & si inveniant, adhuc faciliùs est dare Mutuanti triticum, quàm id emptori & pecuniam ab hoc receptam Mutuanti. Præterea, esto, non sit gravamen impositum Mutuanti, nec levamen concessum Mutuatario ; esto contrà : illa circumstantia, quâ se obligat Mutuator non exigere illam pecuniam etsi indigeat, usque ad messis tempus, indebita & pretio æstimabilis est : ergo cùm Mutuans unum gravamen præter rationem Mutui acceptat, alterum præter sortem imponat, ita ut pro substantia Mutui reddatur ipsa sors, & illud gravamen ematur pretio alterius gravaminis.

Compensatio gravaminũ.

Casus undecimus.

DEbebat tibi Franciscus post annum solvere mille aureos ; dedit sexto mense quingentos sub onere, quòd quingentorum aliorum solutionem per biennium expectes : & petitur, An aliqua Vsura sublatear ? 748 *Casus difficilis.*

Aragonius prudenter vult tolli casum & difficultatem. Tollitur, ait, si dissolvatur contractus ille prior & secundus ineatur : nempe hoc modo. Solvit tibi quingentos aureos ille, & tu novo contractu illi das mutuos pro biennio alios quingentos aureos. Adsonant Salas, Molina, Lessius, Dicastillus, qui dicit huic opinioni reverà consentire Petrum à Navarra tametsi ita obscurè alicubi loquutus, ut contrariæ favere videatur. Sed me duce considera, An possit Vsura in solutione ipsa committi ? de hoc enim alibi disputabimus. *Facilius tollitur, quàm solvitur.*

Si contractus ille non rescindatur & novus fiat, transire in Vsurarium, videtur sentire Petrus de Navarra in aliquorum sententia, qui putant ejus mentem examinasse. Et probatur. Quia hoc nihil aliud videtur, quàm implicitè mutuare, seu quod idem est, anticipare solutionem cum onere ut tu remutues in fine anni quando erant solvenda alia quinginta. 749 *Resolutio.*

Sed quis non videat hîc hallucinationem subesse ? solvere non est implicitè mutuare, ut dicitur, tametsi fatear posse committi in ipsa solutione Vsuram ; nimirum, si Petrus solvat quod debet quando debet, sub onere quòd creditor faciat quod non debet. Sed hoc impræsentiarum non accidit, nam si tibi debebat Franciscus solvere post sex menses, & solvit nunc, fecit quod non debuit ; ergo poterit vicissim petere ut facias quod non debes : ergo, si ipse voluit pro te unum gravamen subire, ut tu subires alterum, nulla cognoscitur injuria, nulla Vsura. *An in solutione esse possit usura ?*

De Lvcro cessante.

QVæritur, *An possit aliquid præter sortem accipi cessantis Lucri titulo ?* 750

Respondeo affirmativè juxta primam fundamentalem Thesim, & Regulam XCVII. nemo enim tenetur dare Mutuum nisi indemnis servetur : est meâ sententiâ tam clara hæc veritas, ut mirer fuisse aliquos, qui dissentirent. Citantur pro hac parte authores illustrissimi & innumeri ; dabo aliquos, quos oculis meis exhibent, qui voluerunt eorum scripta examinare. Mihi favent Conradus, *de contractibus quæst.30.* Mercadus *tract.de usuris. cap.10.* Turrecremata *in cap.si res 14. quæst.6.* Ioannes à Medina *C. de restit.part.4.* Bartholomæus à Medina *cap.14. §.24.* Pedraza *præcept.7. §. 14.* Gabriel *in 4.dist.15. q.11. not.2.* Antoninus *3.part. tit.1.cap.7. §.7.* Adrianus *quæst.1.de restit.§.4.* Angelus *verb.usura. §.16.* Sylvester *verb.usura 1.quæst.16. & 23.* Cajetanus *2.2. quæst.78.art.2.ad 1.* Covarruvias *3. variar.cap.4.* Navarrus *cap.17. num.212. & in comm.de usur. num.44.* Petrus à Navarra *lib.3. cap.2.part.2. dub.8.* Molina *disp.315.* Toletus *lib.5.cap.33.* Valentia *tom.3. disp.5. quæst.20. punct.2.* Reginaldus *lib.23.num.81.* Dicastillus *lib.2.* *Est Resolutio communis & hodie vera & omnium sententia.*

lib.2.tract.10.disp.2.num.159. Salon 2.2. *quæst.* 78.*art.2.contr.9.* Bañez *ibid.* Azor.3.*part.lib.7. cap.7.& lib.cap.5.4.* Emanuël Sà *verb.mutuum. num.4.* Leſſius, Salas & alii in multis locis, ita ut meritò hæc debeat dici communis Doctorum opinio.

751 Objicis primò authoritatem D. Thomæ, qui ſæpè citari ſolet pro contraria: & reſpondeo Cajetanum fuiſſe Thomiſtam & tamen pro nobis militare; unde & credo Angelicum Doctorem non benè exponi, ſi contra doctrinam Cajetani.

752 *An Canoniſtæ & Iuriſtæ ſemper bene citent?* Objicis ſecundò *cap.naviganti. de uſuris.* & reſpondeo me reperire Canoniſtarum & Iuriſtarum libros millenis citationibus oneratos, & cùm examinandi laborem ſubeo vix paucas reperire ad rem, contingit enim propter unum verbum materialiter conſonans frequenter textus diſſonantes citari: quod non ſolùm in aliis ſed in hoc ipſo evidenter conſpicimus: citatur contra communem opinionem, & ſpeciem verborum audiamus, *Naviganti vel eunti ad nundinas mutuans certam pecuniæ quantitatem pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum ſuſcepturus aliquid ultra ſortem Vſurarius eſt cenſendus:* ubi hîc non poſſe aliquid accipi ratione lucri ceſſantis? agitur ibi de periculo damni emergentis, de quo ſtatim.

753 *Conditiones requiſitæ in lucro ceſſante. Vide num. 758.* Vt tantumdem accipias, quantum poſſes tuâ pecuniâ lucrari tres conditiones requiruntur. I. *Vt reverà eſſes illâ negotiaturus*; quia aliàs lucrum non ceſſaret, ſed ceſſare fingeretur. [Sed peto hîc obiter, An non poſſe lucrari ſit gravamen? & an hoc ipſum gravamen aliquis teneatur gratis & ſine ulla compenſatione ſubire?] II. *Vt mutuatario lucri ceſſantis quantitas proponatur*; illa enim circumſtantia venditur, & contractus emptionis & venditionis requirit quòd emptor ſciat quid emat. III. *Vt ſervetur æqualitas*; non enim eſſet contractus juſtus, ſi pro centum aureis lucri ceſſantis ducenti extorquerentur; imò nec eſſet juſtus, ſi pro centum aureorum lucro dubio vel probabili, centum aurei certi exigerentur; pecunia enim plus valet quo certior ipſa eſt, minus quo incertior, quod & puelli intelligunt cum illa utuntur parœmia, *Pluris capta avicula, quàm vultur volans*; qua Regula V C. confirmatur.

Caſus primus.

754 *De damno emergente potentiâ. Vide num. 758.* PEtrus non erat negotiaturus ſuâ pecuniâ, poterat tamen; dedit illam mutuam Antonio pro anni tempore: & inquirit, An poſſit aliquid exigere pro lucro ceſſante? Reſpondeo nullum ceſſare lucrum, ubi nullum eſt; nullum ceſſaturum ubi nullum futurum eſt: adeóque hoc titulo non poſſe. Cæterum ut paulò antè dicebatur, non poſſe negotiari gravamen eſt, & poſſe eſt pretio æſtimabile, & neſcio cur deberet Petrus illud ſubire gravamen, hâncque immunitatem pretio æſtimabilem perdere gratis. At hîc poſſet in exceſſu peccari, ſi prudentiæ limites excederetur.

Caſus alter.

755 *An lucrum ceſſans debeat, aut poſſit ſolvi ſtatim?* DEdit Petro centum aureos Antonius pro uno anno mutuos ſub onere quod ſtatim ſolveret præter ſortem ipſum lucrum ceſſans, quod prudentium judicio duodecim aureorum credebatur, & dubitatur de illo *ſtatim*; utrùm id poſſit exigi?

De contractu mixto. Reſpondeo ibi duos celebrari contractus, alterum mutuationis, venditionis alterum; húncque eſſe extra conceptum alius, & ſe habere ad illum ſolummodò concomitanter: dantur mutui centum aurei, & venditur incommoditas lucri ceſſantis pro aureis duodecim. Dico igitur ex Regula V C. *plus valere pecuniam numeratam quàm numerandam*; unde mercatores viliori pretio vendunt res pro parata pecunia, quàm pro paranda: igitur examinandum eſt, qualiter prudentum ſententia fuerit lucrum ceſſans determinatum. Si hi dixerint illud æquivalere duodecim aureis numeratis aut tredecim numerandis, nemini faciet injuriam, qui duodecim ſtatim à volente exigat; faceret, ſi tredecim ſtatim reciperet. Vnde reſolvo neminem poſſe totum lucrum ceſſans recipere ſtatim, ſed illud debere recipere cùm ceſſat; poſſe tamen pecuniam recipiendam diverſis vicibus & futuro tempore vendere viliori pretio, & recipere ſtatim.

An pecunia numerata numerandâ plus valeat?

De Damno emergente.

756 *Exponitur doctrina communis & vera.* SI Petrus haberet paratam pecuniam, ut reficeret domum periclitantem, aut certò ruituram, & tamen Ambroſius tibi vellet illam mutuam tradi, deberet Petrum indemnem ſervare; non enim eſſet rationabile, quòd Petrus ſua contemneret, & curaret aliena. Si tamen Ambroſius polliceretur ſe poſt tale tempus (verbi gratiâ, poſt annum) redditurum Petro ſortem, & præter ſortem reædificaturum domum vel daturum eſſe tantam in compenſationem pecuniam, proportionatam tamen, eſt licitus contractus, & ab omni Vſuræ labe immunis. Hanc poſitionem certiorem præcedenti, [hoc eſt, certius eſſe compenſationem pro damno emergente, quàm pro lucro ceſſante] advertit benè Dicaſtillus *lib.2.tractat.10.diſput.2.dub.6.num.186.* Eam enim admittunt ferè omnes, qui præcedentem; imò & multi, qui creduntur præcedentem negare. Eam docet expreſsè D. Thomas 2.2. *quæſt.78. art.2.ad* 1. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.8.* Azorius 3.*part. lib.5. cap.4. & cap.7. quæſt.9.* Salas *de uſuris diſp.18.* Sotus *ubi ſuprà*, Salonius 2.2. *quæſt.78. art.2.contr.8. num.10.* Bañez *ibid. in reſponſ. ad prim.concl.1.* Aragonius *ibidem.ſolut.ad* 1. Leſſius *citatus.dub.10.* Navarrus *in comment.de uſuris.num.58. &* Reginaldus *lib.23.num.69.* Scotus dubitare videtur, damni enim emergentis compenſationem in mutuo negat *in 4.diſt.15.quæſt.2.§.de tertio.* in venditione admittit §. *De ſecundo.* cum tamen una & eadem ſit negandi, ſeu admittendi ratio.

757 Probatio hujus veritatis deſumitur ex Theſibus fundamentalibus, quas ſub initium Diſputationis expoſuimus, ut quæſtiones omnes ſubſtrueremus. Non eſt Vſurarius Theſi prima,

ex

ex Regula XCVII. qui cum damno proprio favet proximo, modò indemnis servetur; hoc est, compensationem accipiat. Ergo pro emergente damno potest contrahere cum Mutuatario, & accipere compensationem.

758 *Quanti sit taxandum impotentia gravamen?*

Vt damni emergentis compensatio sit licita, eædem conditiones, quæ in lucri cessantis compensatione, requiruntur. I. *Vt reverà damnum illud emersurum sit, vel reverà periculum immineat*: si enim damni instantia, periculúmve fingeretur, contractus esset Vsurarius. [Et hîc obiter nota, bonum esse habere paratas pecunias, ut si fortè aliqua superveniat necessitas, me possim expedire & juvare: ergo hac ipsa carere bonitate & potestate malum est. Ergo hoc malum, hoc gravamen, subire non tenebor gratis. Nota hoc benè: cave tamen, ne in abusu aut excessu peccetur. Fortè enim hoc gravamen valebit uno in centum: fortè dimidio; fortè minoris, siquidem à Theologis vulgò negligitur. Tu viros doctos consule, & eorum judicio tuum conforma.] II. *Vt hoc ipsum Mutuatario exponatur, ut videat an velit talem acceptare conditionem*; in Mutuo enim pecunia ipsa, quæ mutuatur, gratis conceditur, & adjacens periculum venditur, & venditio requirit quod emptor sciat quid emat, & quâ in re impendat suas pecunias. III. *Vt servetur æqualitas*: quia si immineat damnum ut quatuor, non potest exigi compensatio ut sex; omnia enim debent fieri secundum æquitatem. Nec semper potest accipi quantitas ipsa damni, si certum non sit. Plus enim ex Regula VC. lucrum præsens quàm certò futurum, certum quàm probabilius, probabilius quàm minus probabile, plus minus probabile quàm dubium: ergo etiam de damno pariformiter philosophare. Plus exigere poteris pro damno præsenti quàm futuro, plus pro certo quàm probabiliore, plus pro probabiliore quàm pro probabili, plus pro probabili quàm dubio.

Præponuntur certa incertis, & præsentia futuris.

759 Objicis contra hanc doctrinam caput finale de Vsuris, ubi *Naviganti, vel eunti ad nundinas mutuans certam pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, Vsurarius est censendus*, respondet Adrianus: & arguis sic. Imminere periculum navigantibus ne perdant, imò ne pereant, certius est quàm debeat ad controversiam reduci: at Adrianus censet in tali casu non posse sine Vsura aliquid præter sortem accipi; ergo falsum est, quòd damni imminentis admitti possit compensatio.

An Pontificii Canones mêdis infecti dici possint: & aliqua correctione indigere?

Respondeo subscribens Laymano *lib.3. de just.tract.4. cap.16. num.13. in fine* authoritate Bemarii *de utilitate historiæ lib.2. sub init.* suffulto, ibi esse apertissimè mendum, legendúmque esse, *Vsurarius non est censendus*, quod ex verbis sequentibus videtur clarè demonstrari; subdit enim, *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore sint valituræ verosimiliter dubitatur, non debet ex hoc Vsurarius reputari.* Quæ Pontificis verba donabo Theologica & Grammatica ponderatione, utraque mendum priorum verborum demonstrante.

ARGVO *Theologus sic*: si sine Vsuræ culpa potest fieri hoc secundum, etiam & illud primum; est enim summa rationis paritas, vel si rigorosiùs loqui velim, idemtitas. Nam si hodie, cùm mensura venditur duobus solidis possum sine Vsuræ labe dare mutuos decem solidos recepturus decem mensuras, maximè quia cùm dubitem an solutionis tempore valituræ sint duobus, an medio solido, me expono periculo perdendi & lucrandi; atqui ille, qui navigaturus, recipit aliquid ultra sortem, se exponit similiter periculo perdendi & lucrandi, poterit enim vel illud præmium lucrari vel totum capitale perdere; igitur, si Pontifex hunc secundum ab Vsura excusat, debet etiam excusare illum primum; vel si illum condemnet, etiam hunc. Habes igitur hîc sublatere mendum, deberé que particulam *non* poni aut tolli utrobique. Ostendam non debere tolli in secundo casu, sed debere in primo prætermissa restitui. Si navigaturus, declarante Adriano Pontifice, ultra sortem recipere non possit, declararetur debere se exponere periculo perdendi cum certitudine non lucrandi, ac propterea declararetur stultus; & hoc contra Regulam C. quis enim gratis & ultrò vellet se talibus periculis exponere: ut igitur æquitas servetur, servanda æqualitas. Nemo tenetur periculum perdendi subire sine spe lucrandi: cùm ex Regula LV. *qui sentit onus, & commodum sentire debeat.* Sed &

Qui emit certo pretio triticum futurum, cujus pretium ignorat, usurarius non est.

Qui contractum securitatis init, usurarius non est.

Hîc & ubique semper cavendi sunt excessus.

ARGVO *Grammaticus.* Est contra Latinitatis prima principia & regulas sequens periodus, *Faciens hoc Vsurarius est; ille quoque qui facit illud, Vsurarius non est.* Illud *quoque* propositiones symbolas (nempe, vel duas affirmantes, vel duas negantes) debet connectere, aliàs enim non poneretur *quoque* sed *tamen*, aut alia adversativa.

De particulis quoque & tamen.

Casus primus.

760 *An dare pecunias ab usurario receptas sub eisdem usuris sit usuram committere?*

ACcepisti ab Vsurario mille argenteos dâturus ultra sortem trecentos annuos, & inquiris, An si post sex menses illa pecunia non indigeas, & tibi illam soluturo occurrerit Petrus, & petierit totidem argenteos mutuos, possis dicere, Hos habeo, quos tali Vsurario volo solvere; dabo tibi modò server indemnis, hoc est, modò imposterum tu illi Vsurario satisfacias?

Respondeo posse: nihil enim tu lucraris ex mutuo, ex Regula enim XCVII. constat, quòd non tenearis dare gratis pecuniam, quam pretio exorbitanti accepisti.

Hac igitur doctrinâ præmissâ,

Casus secundus.

761 *Vt melius doctrinam de damno emergente intelligas, hunc casum accuratè considera.*

SEd difficilior proponatur. Ab Vsurario mille argenteos accepisti ut antea, sed ultra sortem daturus trecentos annuos, & hos, quia ruitura videbatur domus tua, malebas enim Vsuras tantas solvere, quàm domum (hoc est, quater mille aureos) perdere. Venienti ab Vsurario occurrit Albericus, se mille argenteis absolutè indigere ait, quia agitur de honore suo, quem omni pecunia majoris facit: se redditurum post annum polliceretur

sortem, & additurum, quod justum videatur. Tu Alberico. Mille argenteos ab Vsurario accepi pro reparatione meæ domus, si velis trecentos ultra sortem tali Vsurario solvere, & me indemnem servare, ita ut domus, si corruat, tibi non mihi corruat, sum paratus tibi favere: sed cum proprio damno non volo; charitatis enim, quæ à seipsa incipit, magisterio doctus, priùs debeo propria curare, quàm aliena. Albericus acceptat conditionem (nempe solvendi præter sortem trecentos argenteos, & expendendi quatuor mille vel pluros si necessarii sint, in domus reædificationem, si corruat) & consulor, An sit commissa Vsura? videtur enim deesse non posse ubi quinquies plus solvitur, quàm debetur.

Respondeo contractum à te & Alberico initum esse alienum ab omni Vsuræ suspicione.

In hoc casu & præcedenti subscribo Dicastillo *lib.2. tract.10. disp.2. num.102.* Molinæ *disp.314.* Rebello *lib.8. quæst.16. sect.6. num.30.* Sylvestro *verb. Vsura 1. num.20.* Emmanuël Sà *verb. mutuum, num.10.* Salas, Lessio, Arragonio, & aliis.

De Tempore determinato.

762 *An in mutuo aliquid possit accipi propter tempus?*

Hic aut laboramus linguâ vel capite Scriptores, cùm tot quæstiones in re tam facili excitamus. Plurimos laborare linguâ certum est, repetio enim æquivocationes frequentissimas; aliquos laborare inconsequentiâ clarissimum, cùm admiserint centies, quæ impræsentiarum negant. Ego quidem claritati studens subjiciam aliquas mutuandi formulas, quarum æquitatem radicitùs examinabo.

763 *Diversæ formulæ benè considerandæ.*

Prima; *Do tibi quingentos aureos mutuos, cùm primùm indiguero, recipiendos.*

Secunda; *Do eosdem tibi pro uno anno, repetendos tamen ante præfixum tempus, si antea indigeam.*

Tertia; *Eosdem tibi concedo pro anno integro, non repetendos ante finem anni, etsi illis gravissimè indigeam.*

Prima formula continet purum mutui contractum, do enim pecunias, quibus ego non egeo; nec tamen volo carere, si eguero; nec habere si non eguero, quamdiu alter egeat. Secunda gravamen Mutuatario non imponit, sed favorem remittit & limitat; volo enim per annum favere sine meo detrimento: post annum nequidem sine detrimento, addens quòd post annum quæras ab altero adsistentiam. Tertia imponit gravamen Mutuanti.

764 *Quid dicendum sit de secunda?*

Omissâ igitur primâ formulâ, quæ tempus non limitat, censeo propter temporis circumstantiam assignatam in secunda nihil posse ultra sortem exigi. Contrariam appellat Molina *disp.308.* periculosam in fide, & benignus, videtur enim esse hæretica: & ostenditur. Qui diceret, ex vi prioris formulæ aliquid ultra sortem posse sine Vsura accipi; negaret omninò Vsuras, ac per consequens hæreticus esset; atqui prima illa formula benignior Mutuatario est quàm secunda, & secunda benignior est Mutuanti quàm prima, ergo à fortiori hæreticus censendus, qui doceret posse aliquid ultra sortem exigi ratione temporis in secunda formula assignati. Sed omissâ assertionis censurâ, non posse in tali casu aliquid præter sortem ratione temporis extorqueri asserunt constanter Doctores. Ita Reginaldus *lib.23. num.52.* Dicastillus *lib.2. tract.10. disp.2. num.108.* Lessius & multi alii: nec facilè credam Medinam, virum aliàs doctum contrarium tenuisse *C. de restit. quæst.33. vers. de usuris.* refertur à Molina, sed fortè ipse loquitur de tertia formula, quam illustrabunt sequentes Conclusiones.

765 Prima. *Qui certò scit se spatio illius anni non esse usurum pecuniâ illâ, quam juxta tertiam formulam mutuat, nihil potest extra sortem exigere ratione temporis determinati.* Patet, quia nullum gravamen sibi imponit; & qui nullum sentit damnum, non habet cur utilitatem aliquam sentiat. Nullum sibi imponere gravamen constat evidentissimè; quia Mutuans non potest pro libitu repetere Mutuum, sed pro ratione, nimirum vel cùm ipse eget, vel cùm Mutuatarius non indiget: ergo in illo contractu ponitur circumstantia ex natura rei necessaria, ergo nullum gravamen adjicitur. Nota tamen ipsum non posse uti posse dici gravamen, & etiam vendi; & si hoc dicatur debere conclusionem limitari.

766 Secunda. *Qui probabiliter existimat, aut dubitat, an anni decursu uti illâ pecuniâ debeat, & tamen juxta tertiam formulam mutuat, se exponit periculo carendi pecuniis cùm egeat, & quærendi & fortè non inveniendi, vel saltem non inveniendi sine usuris, ac propterea potest aliquid analogum recipere præter sortem ratione hujus incommoditatis & periculi: non tamen plus, quàm ipsiusmet periculi credatur valere libertas.* Patet ex his quæ diximus, cùm de damno emergente disputavimus.

767 *Pro solo tempore nihil exigi potest.*

Tertia. *Nunquam licet aliquid exigere ratione temporis ab aliis circumstantiis abstracti.* Ostenditur. Quia, si liceret, maximè in casu primæ aut secundæ conclusionis; at in neutro licet: ergo. Probatur, quia in casu primæ nihil licitè exigitur; in casu secundæ, id quod exigitur ultra sortem, exigitur ratione periculi emergentis, non ratione puri temporis: ergo non licet aliquid accipere ultra sortem ratione temporis nudè considerati.

De Capitalis securitate.

768 *Quanta in Mutuo requiratur securitas?*

In omni Mutuo summa securitas exigitur, tanta ut cum illa dubium aut probabilitas prudenter componi non possit; aliàs enim nemo mutuare tenebitur. Pactum servari debet, sub eisdem terminis, quibus initum est; quia si Mutuatarius sit lapsæ fidei, vel debebit omni exceptione majorem fidejussorem dare, vel recompensare periculum. Imò cùm certum sit vix unum fidejussorem ante judicis sententiam solvisse; & certum etiam sit debere priùs excuti creditorem quàm ad fidejussorem veniatur, imprudens esses qui pecuniam, quam quietè & pacificè possides, velles ad lites & difficultates reducere. [Hîc aliquid addam, quod his annis ultimis expertus sum. Dum Officialem agerem, multos fidejussores debui admittere, at nullus unquam satisfecit: nonnulli ad Archiepiscopales carceres, alii ad sæculares delati sunt, alii se subtraxerunt, nullus solvit:

An fidejussores ad securitatem sufficiant?

solvit : & hanc ob rem voluerunt aliqui, ne impostorum admitterentur fidejussores, sed realia pignora deponerentur : sed quia præscriptos mores alterare non expedit, rem sic reliqui : didici tamen, ubi debitor non vult aut non potest satisfacere, nihil esse à fidejussoribus expectandum, nisi novis illi convinci litibus, & per vim cogi ad satisfactionem contingat. Hæc me experientia docuit : tu sequaris dictamen tuum, si te docuerit experientia contrarium.] Igitur sit nostra

769 *Pro periculo amittēdi capitale potest aliquid rationabile tamen, præter sortem accipi.*

Conclvsio. *Cum est periculum amittendi Capitale, vel licet sit certitudo non amittendi, si timeantur recuperandi molestiæ & difficultates, potest tantum ultra sortem exigi, quantum valeat periculi & illarum molestiarum carentia.* Ostenditur, quia in tali casu nihil præter sortem adquiritur ratione Mutui, sed ratione concomitantis venditionis ; tanto enim pretio venditur quies, tranquillitas, securitas : & hoc licet ; nisi fortè in excessu peccetur. Subscribo Molinæ *disp.*356.Salas *tract.de usuris dub.*22.*num.*3.Medinæ *C.de restit.quæst.*38. *vers.ad tertiam causam.*Majori *in* 4.*distinct.*15. *quæst.*4.*art.*7. Cordubæ *in Summ.quæst.*78. Petro à Navarra *lib.*3.*cap.*2.*part.*1.*dub.*11.*part.*2. *dub.*10.§.*tertia causa.*Valentiæ *quæst.*20.*disp.*5. *punct.*2.Sylvestro *verb.usur.*1.*quæst.*23. Lessio, Dicastillo, & aliis. Navarrus *cap.*23. *num.*81. *& cap.*17.*num.*245. in contrariam sententiam abierat, sed in Summa Hispanica veritatis pondere oppressus occubuit, & nos se expugnans propugnavit : cui similis Azorius etiam utrumque docuit, nobis oppositus *lib.*7. *c.*7. *quæst.ult.*& nobiscum consentiens 3.*part.lib.*5. *cap.*6. *quæst.*1. [De conditionibus non occurrit speciale, quod addam, easdem enim quam in periculo damni emergentis aut lucri cessantis (hæ enim universæ quæstiones sunt concatenatæ) requiro.]

Sed contra nostram resolutionem Conradus *de contractib. quæst.* 59. & alii ex eo argumentantur.

770 *An periculū & tempus imbibantur in conceptu quidditativo Mutui?*

Primo. Illud perdendi Capitalis periculum imbibitur in conceptu Mutui, sicut & temporis dilatio : atqui pro hac non potest pretium exigi : ergo neque pro illo.

Respondeo negando antecedens, & asserendo omne periculum qualecumque illud sit à puri Mutui ratione præscindi ; unde tunc etiam cùm nihil præter sortem ratione periculi exigitur, si illud detur, dicendum est duos celebrari contractus, alterum Mutui, alterum Donationis ; pecunia enim conceditur mutua, & securitas quæ ceditur, si non venditur ; saltem condonatur ; illa enim securitas non datur mutua, sed gratis ceditur, quæ & vendi posset.

771 *De secundo periculo.*

Secvndo. Si potes aliquid exigere ratione periculi perdendi capitale, cùm detur etiam periculum perdendi hoc ipsum quod datur pro periculo, etiam poteris aliquid capere pro isto periculo ; & cùm hoc etiam periculosum sit, etiam aliquid : ergo sic in infinitum. Ergo tutâ conscientiâ pro centum aureis periclitantibus exigere posses pretium infinitum : infinitum enim est quod potest in infinitum crescere.

Huic rationi Sotus, dum levem vocat, non satisfacit ; deberet enim ostendere esse levem. Alii ineptè volunt infinitum categorematicum à syncategorematico distingui : illa enim distinctio responsuris non prodest, quia syncategorematicum infinitum posset dici omni numero finito majus ; quis autem admitteret posse pro securitate centum aureorum mille milliones exigi, & tamen hic numerus minor est infinito syncategorematico. Dicastillus respondet unica compensatione totum illud periculum solvi ; ait quidem, sed alii negant ; & ego ipsi, rem esse subtiliorem quàm putat : quæ ut meliùs intelligatur sit casus [Petrus dedit centum aureos Antonio mutuos, & erat tantum Capitalis perdendi periculum, ut prudentum judicio crederetur illud debere decima parte compensari.] hoc casu posito

Potest inter duos termi-nos admitti processus infi-nitus : & in casu inter III. & III. *admittitur ita ut numerus, de quo agimus sem-per sit major primo & mi-nor secundo, & tamen in infinitum crescat.*

Dico primò. Si Antonius pro illis decem aureis det fidejussorem & omnem securitatem, eliditur vis argumenti, tollitur enim omne periculum perdendi id quod datur ratione periculi. 772

Dico secundò. Si Antonius pro præmio (sic lucrum ultra sortem Hispani dicunt) non det securitatem sufficientem, ita ut omne tollatur præmii amittendi periculum, pro periculo præmii poterit adhuc secundum præmium exigere, & pro periculi secundi tertium, & sic in infinitum. 773 *De periculo præmii.*

Dico tertiò. Omnia illa præmia secundaria, tametsi syncategorematicè infinita essent, non venient ad octavam partem primarii. Patet, si computus arithmeticè fiat. 774

Capitale dubium.		100.
Præmium periculi.		10.
Præmii præmium	I.	1. 000.
	II.	100.
	III.	10.
	IV.	1. 000.
	V.	100.
	VI.	10.
	VII.	1.
Summa præmii præmii		111. 111. / 1000. 000.

Procedat computus in infinitum, nunquam in fractis habebis alium numerum præter unitates, quarum infinitæ successivè ordinatæ non æquivalent uni numero integro. Si igitur daret pro præmii periculo,

111. 111. 111. 111. 111. 111. 111. 111. 111. / 1000. 000. 000. 000. 000. 000. 000. 000. 000.

vel si malis promove fractionem per centum mille aut alium quemcumque ciphrarum numerum, & singulis superpone unitatem & habebis numerum determinatum omnibus illis possibilibus.

775 *Hîc cæcutit Arithmetica.*

Dico quartò. Non esset in tali casu assignabilis numerus aliquis determinatus, qui debitum exactè definiret. Ratio est, quia supra ultimam fracturam ponas unitatem, pones minorem vero ; majorem vero, si binarium [Numerus determinatus dicitur, qui ex continua unitatis per decem divisione aut multiplicatione seriem partium æqualium & successivarum

ſucceſſivarum conſtituit.] Ergo, qui in caſu poſito daret pro præmio ſecundario $1\frac{111}{1000}$ daret minus debito: & qui $1\frac{112}{1000}$ daret plus debito: & nemo Arithmeticus poſſet juſtum numerum determinare.

776 *An detur proceſſus infinitus?*

Dico quintò. [*In præmiis non datur infinitus proceſſus.* Ratio eſt, quia ultra minimam monetam non proceditur, unde ſi caſum poſitum ad monetam Belgicam accommodemus centum aurei quingentos ſtupheros pro ſecuritate poſtulent; hi poſtulabunt quinquaginta; hi quinque, hi quinque medium; hoc nihil, nam decima parte ipſum caret.

777 *An periculũ debeat expreſsè poni?*

Tertio. Si tempore contractus non facta fuiſſet mentio periculi, non teneretur debitor aliquid dare pro illo; atqui mentio aut ſilentium rerum naturas non mutat: ergo nihil tenebitur dare etiamſi fiat mentio.

Reſpondeo, aut eſſe, aut non eſſe periculum; ſi non ſit, nihil pro illo dabitur; quod enim non eſt, compenſari non debet. Si ſubſit, & tamen non prævideatur, compenſari non poteſt; non enim moraliter ſunt quæ extra hominum notitiam conſtituta. Si periculum ſubſit, & cognoſcatur, & tamen Mutuans nolit illius mentionem fieri, compenſationem quam exigere poſſet condonat, ideóque poſteà non poteſt illam recipere, aliàs enim donata repeteret: cæterùm, ſi condonare non velit, poterit hanc circumſtantiam expreſsè ponere, & compenſationem exigere.

De pignore ſeu fidejuſſore.

Mutuantem poſſe exigere à Mutuatario aut pignus, aut fidejuſſorem extra dubium eſt: ergo & poſſe vel pignus ſatis bonum, vel fidejuſſorem ſatis fidum: quid ſi petat eligi ſeipſum? ſanè ſi nullus alius ſit capax, videtur ceſſare quæſtio; tunc enim poterit vel non mutuare, vel ſufficientem ſecuritatem prærequirere. Si autem multi capaces ſint, multi digni, injuſtè Mutuatarium ad hanc circumſtantiam compellet.

De Moleſtia.

778 *An aliquid in mutuo poſſit recipi propter moleſtiam recuperandi ſortem?*

Diſtinguo Moleſtiam à periculo, à damno emergente, à lucro ceſſante. Eſt verè aliqua recreatio in rebus pretioſis videndis; cur non in poſſidendis? pro audienda comedia, videndâ beſtiâ, legendâ fabulâ, datur pretium, & nemo contradicit; cur non pro videndis, habendis, poſſidendis optimis auri partibus: ergo recreatio illa, quæ ex poſſeſſione pecuniarum, præciſa ab omni alio periculo eſt pretio æſtimabilis. Ratione hujus moleſtiæ ab ipſamet carentia pecuniæ ſubortæ poſſe aliquid ſupra ſortem accipi affirmarat Medina *C. de reſtit. quæſt.* 32. §. *Inde infertur.* & D. Thomæ Interpretes *quæſt.* 78. *art.* 1. judicarant hanc doctrinam metaphyſicè & ſpeculativè probabilem, ſed practicè aperire viam multis Vſuris: illi quoad ſecundum perplacent Dicaſtillo: at ipſi quoad primum diſplicent, non enim tolerare vult, ut Medinæ opinio dicatur ſpeculativè probabilis. Contra igitur *lib.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 2. *num.* 250. invehitur & inquit, *Mihi tamen hæc ſententia & ſpeculativè improbabilis, & moraliter in praxi omninò videtur perniciosa.* Videte Cenſorium Catonem ſevero ſupercilio doctrinam condemnantem; audite tamen *num.* 254. ſibi contradicentem. *Vnum ſolum ſupereſt*, inquit, *ſanè difficile, nempe triſtitia ex carentia rei quam amabat, & de qua habita apud ſe delectabatur:* non hæc reſtat; ſed de hac una & ſola diſputatur. Et reſpondet, *Recentiores aliqui docti putant eam triſtitiam ſufficienter recompenſari per ſolutionem rei ſimilis conditionis, ... Verum enimverò carentia illa non videtur compenſari per redditionem rei; ſed ex ſolutione rei mutuatæ iterum redit delectatio, quam delectationem ſi non mutuaſſet mutuans, & eo uſque habuiſſet quo caruit, & modò etiam haberet. Ergo non ſatisfit præteritæ triſtitiæ per præſentem lætitiam, quia hanc etiam haberet, ſi non mutuaſſet. Ideò puto poſſe in hoc caſu aliquid ultra ſortem recipere, ſi id à principio deduxit in pactum, & declaravit mutuatario juxta dicta in ſuperioribus, atque in eo eventu vera eſt ſententia Medinæ.* Parturiunt montes, & naſcitur parviculus mus. Cur illa dicta priùs? Sententia quæ à paucis lineis erat ſpeculativè improbabilis, practicè perniciosa, jam tandem aſſeritur vera; veritas enim eſt veritas, & tametſi aliis ideis præventus eam condemnes, tandem affulget, & te ipſum condemnans ejus ſinceritatem propugnabis.

Dicaſtillus condemnat opinionem quam ſequitur.

De Mora.

779 *Quis ſit moroſus debitor, vel ſolutor?*

Solutor moroſus ille dicitur, qui non ſolvit quod certiſſimè debet & poteſt: nemo enim tenetur ſolvere dubia aut probabilia debita ante habitam notitiam ſecuriorem; nam ut habemus loco Regulæ [LX.] *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* Nemo etiam tenetur ſolvere quæ non poteſt, nemo enim obligatur ad impoſſibile; quoniam Regulâ XLI. inſtruimur, docemúrque *imputari non debere ei, per quem non ſtat, ſi non facit, quod per eum erat faciendum.*

Cùm igitur ex Regula XXV. *Mora ſua cuilibet ſit nociva*, tenebitur moroſus ſolutor, *primò* ſolvere pecuniam debitam, *ſecundò* recompenſare damnum, quod paſſus fuit creditor propter moram ipſius, *tertiò* addere id quod juſtè fuiſſet lucratus, ſi pecuniam debito habuiſſet tempore, *quartò* ſolvere pœnam, ſi qua fuerit aut lege publica aut privata conventione impoſita. Poſſe enim non ſolùm à Republica, ſed etiam à pacto mulctari moroſum ſolutorem conſtat ex Regula LXXXV. quæ docet *pacta habere vim Legis.* Et conſtat etiam ex Antonino 2. *part. tit.* 1. *cap.* 7. Medina *C. de reſtitut. quæſt.* 41. §. *quarta cauſa.* Dicaſtillo *lib.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 2. *num.* 358. Navarro *cap.* 17. *num.* 215. Mercado *tract. de uſuris. cap.* 7. Angelo *uſura* 1. *num.* 31. Sylveſtro *uſura* 1. *num.* 10. Petro Navarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 331. Reginaldo *lib.* 25. *num.* 228. Garzia *de contractib. cap.* 12. Toleto *lib.* 5. *c.* 32. Emmanuële Sà *verb. pœna.* Salone 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. qui exiſtimant poſſe talem mulctam inſtitui, etiamſi mora non ſit perniciosa creditori, quod debet omninò notari.

De Pignore.

780 *Cur petantur pignora?*

Quia in Mutuo debet eſſe ſumma capitalis ſecuritas; nempe tanta, quanta eſſet, ſi pecunia

pecunia maneret apud Mutuantem, prudenter Pignus requiritur ad solutionis securitatem. Pignus debet esse tale, ut ejus valor minimus non obstante rerum & pretiorum vicissitudine à valore rei mutuatæ certissimè superandus non sit: cùm enim augeantur & diminuantur rerum pretia, debet hoc prævidere mutuans, quod tale sit pignus, ut solutionis tempore Mutuum ipsum excedat; aliàs non habebit capitalis securitatem, quam requirit.

Dubia solutione dignissima.

Examinandum est, *An liceat uti pignore? an ejus fructus præter sortem accipere?* & ut clarior evadat disputatio præscindendum est à titulis lucri cessantis, aut damni emergentis, de quibus superiùs disputabimus; quærendúmque *An præcisè ratione pignoris, videatur ususfructus Mutuanti cedere?* & si non, *Quid ipse debet agere, si morosus sit Mutuatarius?* His positis sit

DVBIVM I.

781 *De domino feudi, si feudum pro pignore accipiat?*

AN Dominus feudi possit accipere fructus cùm illi in pignus à feudatario ipsummet feudum datur?

Antequam satisfaciam suppono feudum habere duos dominos, superiorem & inferiorem (illum, *feudi dominum*, istum vocamus *feudatarium*) superior est directus & proprietarius feudi dominus; inferior utilis & usufructuarius: cùm igitur datur feudum in pignus, non datur dominium directum, sed indirectum & usufructuarium: illud enim nec dare inferior potest, cùm eo careat; nec superior recipere, cùm in se habeat; quæ enim habentur non recipiuntur: nam ex Regula LXXIX. sicut nemo potest dare quod non habet, sic nec recipere quod habet.

782 I. Posse feudi dominum recipere extra sortem fructus, qui æquivaleant servitio ab feudatario exhibendo, & reliquos debere computare ad diminutionem capitalis, docuerunt Adrianus *in 4. quæst. de Vsuris. vers. occurrunt.* Covarruvias *3. var. 1. num.* Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 11. conclus. 4. casu 2.* Petrus à Navarra *dub. 12.*

II. At posse sine ulla limitatione feudi fructus accipere & nunquam teneri acceptare ad diminutionem sortis Sotus *6. de justit. quæst. 1. art. 2. ad 2.* Medina *C. de Vsuris. quæst. 2. §. ad caput. & quæst. 3. §. primò igitur.* Conradus *q. 32. de contractib.* Mercadus *opusc. de Vsuris. cap. 8.* Molina *disp. 323.* utrisque videntur favere *caput 1. de feudis* & *cap. conquestus. de Vsuris.*

III. Sylvester verò *verb. feudum. quæst. 29. 30.* Angelus *§. ult.* Navarrus *cap. 17. num. 218.* Major *in 4. dist. 15. quæst. 31.* distinguunt inter feudum gratis concessum, & concessum titulo oneroso: & existimant secundam sententiam esse veram, quando ab ipso initio illud gratis concessum est, non verò quando datum est sub onere alicujus servitii; sed meam ego ignorantiam fateor, & existimo potiùs asseri debere contrarium: nam si gratis hunc favorem recepi, gratias habeo, non tamen possum illo spoliari; quod si recepi sub onere, potero privari favore quamdiu oneri non satisfecero. Sanè hæc mihi potiùs viderentur vera, quàm contraria. Quam ob rem mentem meam sequentibus Resolutionibus perstringam.

Prima. *Feuda dantur nonnunquam pro obsequiis præstitis, & tunc sunt remuneratoria, & videntur potiùs ad solutionis, quàm ad donationis speciem spectare: Dantur nonnumquam sub onere obsequii & servitii præstandi, & tunc habent rationem stipendii: Dantur tandem propter meram benevolentiam, & tunc verè sunt dona.* Ita omnes. 783 *Cur dentur feuda?*

Secunda. *Feudi, titulo pignoris ad dominum reversi, dominium directum & utile non consolidantur; nisi fortè id expressè in institutione declaratum sit.* Est contra Sotum & Medinam, qui existimant hanc consolidationem imbibi in ipsamet natura contractus, & rationem nullam ad probandum adducunt. Sed ego videor posse ostendere clarè contrarium. Quoniam tunc consolidantur dominium directum & utile, quando utrumque eadem persona possidet nomine proprio, non tamen quando alterum possidet proprio, & alterum alieno. At in nostro casu feudi dominus possideret dominium directum suo nomine, utile nomine feudatarii: ergo in nostro casu utile & directum dominium non consolidantur. Minoris prima pars certa est, secundam probo. Quoniam pignus ratione directi dominii ad mutuatarium spectat, non enim à mutuatore potest frangi vel vendi, iste enim illud habet tanquam alienum propter securitatem. 784 *De dominii directi & utilis consolidatione.*

Tertia. *Dominus feudi in tali casu posset sibi reservare omnes illos fructus, qui aliàs cederent feudatario ratione servitii præstandi, modò illud feudatarius servitium aut nolit, aut non possit præstare.* Ita authores citati pro prima sententia. Ostenditur, quia omnis donatio, quæ obstringit donatarium ad aliquid faciendum, naturam stipendii habet, quod nolenti aut non potenti servire non debetur; nisi fortè in ipsomet pacto conventum, ut etiam impotenti stipendium debeatur; tunc enim ex Regula LXXXV. pacto stari deberet. 785

Quarta. *Omnes expensæ, quæ aliàs à feudatario deberent fieri ad feudi conservationem, possunt à fructibus feudi desumi.* Ostenditur: quia utilitas est fructuum ille excessus, qui impensas superat. Ille autem qui habet pignus non debet illud expensis propriis custodire & servare, sed expensis Mutuatarii. 786

Quinta. *Fructus industriæ, si sine pignoris damno sint, pertinent ad dominum feudi, hoc est ad Mutuantem.* Ita Dicastillus *lib. 2. tract. 10. disput. 2. num. 356.* Nota benè istam Thesim; quia per necessariam consequentiam poterit cuicumque pignori appropriari. 787

Sexta. *Si Dominus feudi in conservatione, cultu & defensione feudi adlaboret non solùm potest impensas sumere, sed & suorum stipendia, & congruam pro suo etiam labore;* nemo enim tenetur servire aut laborare gratis. Vide Regulam XCVII. 788

Septima. *Subtractis ex fructibus hisce omnibus portionibus, si quid remaneat ad Mutui diminutionem computandum est.* Constat ex dictis manifestè. Contrarium tamen propter authores secundæ sententiæ est probabile. Et quidem huic secundæ sententiæ videtur favere praxis & consuetudo: nam Reges Bohemiæ indigentes numerata pecunia, dederunt aliquas

civitates aut etiam vectigalia, quibus mutuatores liberè utuntur loco Canonum, & nullo computui tenentur, sed illas aut illa restituere cùm receperint pecuniam capitalem.

DVBIVM II.

789 *De usu vestium quæ dantur pro pignore.*

AN liceat Mutuanti accipere in pignus vestem & illa uti? An agrum & fructus præter sortem percipere?

Sentio esse Vsurarium, qui utitur rebus pignoratis. Si veste utaris, recipis præter sortem hunc usum, quem esse pretio æstimabilem nemo mortalium dubitat. Si campi fructibus, etiam præter sortem uteris rebus pretio æstimabilibus: ita D. Thomas 2. 2. *quæst.*78.*art.*2.*ad* 6. Salon, Bañez, Arragon. & alii Interpretes *ibid.* Dicastillus *lib.*2.*tract.*10. *disp.*2.*num.*300. Salas *tract.de Vsuris. dub.*28. Azor.3.*part. lib.*7. *cap.*9. *cas.*8. Garzia *cap.*40. *num.*7. Rebellus 8.*quæst.* Molina *disp.*230. Reginaldus *lib.*25.*num.*204.241. Medina *quæst.*2. *de Vsuris.* Rodriguez 2.*part. cap.* 17. Lopez 2.*part. cap.*53. Sed hoc quod de civitate aut feudo diximus, poterit ad agrum traduci, & si non ex contractu Mutui, ex contractu societatis, aut lucri cessantis salvari.

790 *An debeat aliquis gratis pignora curare purgare & custodire?*

Si res pignoris titulo concessæ, indigeant diligentia & labore ut conserventur, ex Regula XCVII. nemo tenebitur, aut illam adhibere, aut hunc subire gratis. Quid si vel vestibus pignoratis tantum usum, vel agri pignorati tantum fructum recipiat, quantus illi labori recompensando æquivaleat? Puto se posse licitè servare indemnem; peccaréque, si plus ceperit quàm propter laborem debeatur: quod eadem Regulâ XCVII. confirmo.

791 *De pignore solvendæ dotis.*

Si genero socer dederit agrum in pignus solvendæ dotis, teneretur aliàs fructus eodem modo computare quo quicumque alius, sed caput *salubriter. de Vsuris*, eum ab hoc onere absolvit. Verba sunt. *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cùm frequenter dotis fructus non sufficiat ad onera matrimonii supportanda.* Et arguo sic. Vel Pontifex concedit, vel definit. Si concedit privilegium est, & habet juris vim, & debet practicari, nemo enim dubitat posse Legislatorem ferre hanc Legem. *Dos dator numeratâ pecuniâ; quod si comparanda illa sit, pignus genero traditor, cujus ususfructus non socero sed genero, non quidem ratione mutui, sed ratione majoris dotis cedito?* Si definiat, saltem mihi concedent adversarii Pontificum definitiones extra materiam fidei non habere minorem authoritatem quàm habeat opinio probabilis. Laudandi igitur authores, qui titulum, propter quem fructus pignoris ad generum spectet, examinant; carpendi qui sententiæ Pontificis probabilitati oblatrant. *Videó tamen* posse objici hæc verba dici à Pontifice practicè & non speculativè, adeóque non obligare extra territorium Ecclesiæ. Sed hæc solutio non tenet in multis Provinciis, quæ etiam sæculariter Ius Canonicum tulerunt, & in casibus qui non possunt ex Cæsareo aut etiam proprio decidi, illo utuntur.

Decreta Pontificum aliàs definitiva, & aliàs imperativa sunt.

Si viduæ mariti hæredes dederint pignus pro solvendæ dotis securitate, posse illius fructus recipere si lucrum cesset, aut damnum aliquod emergat, docent Adrianus & Medina, sed hoc nimis clarum, & ideò non inquiritur. Sed petitur, An alimentorum ratione? Videtur quod sic; quia hæredes in onera defuncti succedunt, adeóque tenentur, vel alere viduam, vel illi dare suam dotem: quod ita verum est ut debeant per annum illam alere judicio Angeli *verb. dos. num.*26. & 28. & *Vsura.*2.*n.*29. Sylvestri *verb.dos.quæst.*14. & 23. & *verb. Vsura* 3. *quæst.*71. Legantur Molina *disp.* 322. Salon *contr.* 15. Navarrus *cap.* 17. *num.*313. Reginaldus *lib.* 25. *num.*239. Salas *cap.*30. Valentia 2. 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. *ad* 5. Aragonius, Azorius, qui hanc materiam subtiliter tractarunt. Sed hoc ipsum quo jure? qua ratione? Dicastillus illud quæsivit, & se non invenisse testatur *lib.*2.*tract.*10. *disput.*2. *num.* 340. hanc esse fortem non existimo: adeóque consultum existimo ad consuetudinem recurrere; quoniam ex Regula XLV. in rebus obscuris, & à Iure indecisis inspicimus, quod plerumque fieri consuevit. Sed neque consuetudo in hac materia videtur esse constans, nec tam universaliter favens. 792 793

DVBIVM III.

794 AN in mutuo fieri possit contractus compromissorius investigas? hoc est, *An possit dari mutuum ea conditione, ut pignus fiat creditoris, si in solvendo morosus sit?*

Respondeo aut pignus valere quantum debetur, vel plus: si valeat centum aureis, & pro mutuo centum aureorum fuerit traditum potest celebrari contractus, ut illud vendatur & ex pretio satisfiat creditori: & si hoc, cur non posset vendi ipsi creditori, cùm dicitur mutuari? Sanè subtilia hæc sunt tametsi multis talia non videantur. Me juvant Conclusiones sequentes.

795 *De venditione pignoris.*

Prima. *Sine Vsuræ labe pactum apponitur, quod si Mutuatarius tali tempore non solvat, pignus vendatur justo pretio, & satisfiat Mutuatori & reliquum Mutuatario reddatur.* Ita Molina *disp.*538. Salon, Covarruvias, Reginald. Rebellus quibus subscribit Dicastillus *lib.* 2. *tr.*10.*disp.*2.*n.*406. & video in omnibus Montibus pietatis practicari: ubi & observo vix aliquid vendi justo pretio: sunt enim in illa auctione Mercatores, qui singulis annis eam frequentant, amici (etsi liceat sic loqui sæpè confœderati) qui multum sibi deferunt, nec aliquid notabile supra primum adaugent. Quò si aliquis accedat peregrinus augebunt omnes ita ut vel non debeat rem habere, vel emere valdè piperatam. Hoc notatum sit, ne semper mores sint nobis regula, sunt enim distinguendi boni à pravis.

796 *De pignore valoris dubii.*

Secunda. *Si pignus tale sit, ut dubitetur, an plus, an verò minus valeat, quàm debitum, potest fieri contractus quòd si præfixo tempore Mutuatarius non solvat, illud vendatur, & totum pretium detur creditori; sive quod idem est, quod illud creditoris fiat.* Patet; quia aliàs nulla esset æqualitas in illo contractu: exponeret enim se damno Mutuator & non lucro. Si enim vendito illo dubio pignore majori pretio

deberet

deberet necessariò excessum restituere, deberet etiam vendito minori pretio reliquum necessariò recipere. Sed à quo? unde securitas, maximè cùm ipsummet pignus sit fundamentum totius securitatis?

797 *De pignore pretiosiori.* Tertia. *Si pignus multò nobilius sit debito, qui purè mutuam pecuniam tradit, non potest obligare Mutuatarium ut velit illi totum illud dare, si tempore statuto non solverit, benè tamen quòd debeat vendere justo pretio & satisfacere.* Purè mutuam dico: nempe pecuniam, quam possit in foro externo repetere cùm voluerit, in interno cùm primum vel Mutuatarius non egeat, vel ipse indigeat: nam si Mutuator sibi aliquod gravamen imponat, putà non repetendi licet egeat, poterit exigere compensationem. Molina *disput.*234. Dicastillus *lib.*1. *tract.*10.*disp.*2.*num.*399. Lopez 2.*part.cas.*68. Rebellus *lib.*16. *quæst.unic. de pacto legis commissoriæ.* Salon. *tom.*1.*de contr.pign.num.*10. & apud eum Sylvester, Panormitanus & alii. Item Azorius 3.*part.lib.*8.*cas.*10. Vasquez *de pignorib. & hypothecis. cap.*4.*num.*8. Salas *de usuris. dub.*32. Rodriguez 2.*part.cap.*25. Garzia *de contractib.cap.*40.*num.*13. Navarrus *c.*17. *num.*216. Reginaldus *lib.*25.*num.*232. *&* 597. & probari solet ex Iure Canonico *cap. significante.* & ex Cæsareo *l.*1.*& ult.Cod.de pactis pignorum.*

798 *De pœna arbitraria.* Quarta. *Si multò nobilius sit pignus debito, & tamen creditor acceptaverit onus non repetendi pecuniam mutuam etsi indigeat, poterit ponere Mutuatario conditionem onerosam quod solvat tali die sub pœna aliqua prudenter arbitraria. Cur non sub pœna perdendi pignoris?* Pœnam perdendi pignoris esse licitam docuerunt Vasquez, Lopez, Reginaldus, Navarrus, Salas, Azorius, quos citat & sequitur Dicastillus *ubi suprà, num.* 405.

Doctrina valde necessaria.

799 *Proponitur curiosa quæstio quæ multum lucis dare possit.* NOn est idololatria colere Theraphim, seu Heroum imagines, sed transgredi Theraphim, eisdem illustrium virorum imaginibus majorem reverentiam, quàm creaturæ debeatur, adtribuendo: nec aliter, Non est Vsura aliquid præter Mutuum accipere, sed accipere ratione Mutui, accipere sine novo titulo, aut transgredi tituli terminos; quod contingit, cùm habens rationem accipiendi quatuor, quinque vel plures accipit. Vsura contagiosa est, & lubrica, ideóque maluerunt laborare inconsequentiâ Authores illustrissimi, quàm permittere, quod alii Vsurâ laborarent: sæpè enim ipsamet veritas nociva est, cùm talis ut possit falsitatem protegere. Attendite. Inquiro, *An numerata pecunia sit pretiosior pecuniâ numerandâ?*

Respondent assertivè Navarrus (satis scrupulosus est, cui pauciſſimas opiniones benignas Ecclesia Catholica debet) nempe, *cap.*17. *num.*231. 331. Emmanuël Sà *verb. debitum. num.*20. Armilla *verb.usura.num.*50. Cajetanus *verb.usura. ad finem.* Malderus 2. 2.*tractat.*5. *cap.*2.*dub.*5. Philiarchus *de offic.Sacerd. part.*2. *lib.*5.*cap.*13. Faber *de restit. in* 4. *sent. dist.*15. *quæst.*2. *disp.*47.*cap.*4. *num.*113. illam publicè docuisse Lovanii Cardinalem Bellarminum notat Lessius *lib.* 2. *cap.*21. *num.*66. & alii. Quorum sententiam Dicastillus *lib.*2.*tract.*10. *disp.*2.*num.*414. non esse improbabilem, & postea esse probabilem (oppositam enim longè probabiliorem esse dicit) existimat. Diana *part.*1.*tract* 8.*resol.*49. probabilem putat, item Azorius *part.*3. *lib.*8.*cap.*10. *quæst.*5. Post factum non condemnandam sentit Ledesma *summæ tom.*2.*cap.*33.*tract.*8.*fol.*475.*column.*5. infert citatus Diana, ergo nec ante factum.

800 *De emptione chirographicarum.* Ex hac sententia citati Authores probabiliter inferunt posse chirographicas obligationes & debita tametsi securissima, si solvenda post aliquod determinatum tempus, emi minoris, si paratâ pecuniâ: item posse debitorem minori pretio, dato tamen ante tempus, extinguere debitum majus. Et postulo, An Deum communem habeamus, an privatum? Si igitur Deus noster æquè Mutuatarii ac Mutuatoris judex est, utrumque eadem statera ponderabit. Ergo si centum aurei solvendi post annum possunt hodie extingui nonaginta quinque paratis: si Mutuans nonaginta quinque dederit hodie sub onere quod centum post annum restituantur, nihil adquisivit præter sortem, vel æquitas inæqualis est. Tu hanc doctrinam perpende & examina; puto enim judicio communi decidendam, & non scio me audivisse ab aliquo se non facere majoris pecuniam præsentem quàm futuram. *Deus est æqualis omnibus.*

801 *An omnes usuræ tollantur?* Sed ais, Hac doctrinâ omnes Vsuras tolli. At isti Authores possent negare consequentiam; quia Vsurarius est, quicumque accipit ultra sortem: unde si nonaginta quinque aurei parati centum dandis post annum æquivaleant, qui nonaginta quinque hodie mutuat & post annum centum recipit, Vsurarius non est, quia nihil supra sortem accepit; esset tamen, si sub finem anni plures quam centenos acciperet. Pono numerum determinatum pro indeterminato, non enim volo ostendere quantum valeat pecunia numeranda, sed eam minoris fieri numeratâ. Cæterùm an 95. aut plures aurei numerati, 100. numerandis respondeat, non pendebit à consideratione Theologica, sed ab apprehensione & opinione vulgari.

DVBIVM INCIDENS.

An debita difficilia aut periculosa possint minoris emi? IN Civitate N. debita Principis minori pretio publicè vendebantur; & Titius Concionator rem in suggestu coram Principe urgens, sic contrahentes de usura publica accusavit, & à Principe edictum contra eosdem extorsit. Et quoniam res non caruit scandalo, an Emptores, an verò Concionatores potiùs erraverint, studiosè requiris?

An Principes & Reges benè solvant. Respondeo Principes solere malè solvere, unde si debita illa, quæ publicè minoris vendebantur essent secura, duo dicenda essent, & venditores fuisse stultos, & emptores usurarios. Cæterùm cùm homines semper sint suæ utilitati intenti, non facilè credere potero venditores fuisse stultos, adcóque faciliùs credidero aut Principem fuisse lapsæ fidei aut difficilem; & si hoc debuisse illa debita minoris fieri, ad proportionem aut periculi aut difficultatum: & in tali casu emptores usurarii non essent, sed audaces aut prodigi qui certas pecunias pro desperatis aut periclitantibus darent

Qui impedit ut debita ejusmodi minoris vendâ, ille me omni jure spoliat, quia æquali pretio illa vendere nunquam potero.

darent : nam & mihi hodie debet non paucos aureos Bruxellæ amicus , quos pro decima parte dimitterem , ſi reperiretur qui eam daret. Igitur ſi uſurarii non erant, mentiti ſunt Concionatores in ſede divinæ doctrinæ , & innocentes diffamarunt , & peccarunt mortaliter tenentúrque ad reſtitutionem famæ ablatæ. Cæterùm decretum illud Principis durum eſſet ; non enim deberet jubere ne illa debita minoris venderentur (cur enim non deberent minoris vendi , quæ minoris valerent ?) ſed deberet dare creditoribus cautionem & ſecuritatem tantum ut illa non jam difficilia & periculoſa , ſed certa & expedita debita dicerentur ; tunc enim ipſa , etſi nullum eſſet mandatum , commutarentur pretio æquali. Præſtiterunt igitur Concionatores , ut quæ minoris valebant priùs , poſteà nihili deberent fieri.

De Qvinqve pro Centvm.

802 *Communis, vera & valdè neceſſaria doctrina.*

QVotidie datur pecunia ſub reditu annuo quinorum vel ſenorum pro centenis : & quia nemo ſcrupulis angitur , non vis inquirere , An poſſit licitè ſub reditu concedi ; ſed vis diſcere rationem , quæ hunc contractum ab Vſuræ iniquitate excuſet.

Si mercatori dederis pecuniam tali admiſſo gravamine , ut eam repetere non poſſis etſi graviter indigeas , jam habes rationem ob quam illa quinque ſupra ſortem capere poſſis: non enim hunc recipis exceſſum ratione Mutui , ſed ratione gravaminis , illa enim non petendi , etiamſi indigeas, obligatio videretur tanto pretio facienda. Conſultò *etſi indigeas*, addo , quia non petere pecuniam , quâ non eges , nullum gravamen eſt , tametſi ipſum non poſſe petere pecuniam quâ non egeas, non videatur omninò carere gravamine.

803 Si ſit vera ſententia quâ dicitur parata pecunia flos eſſe , & majoris facienda quàm pecunia ſolvenda, etiam erit verum dicere illum exceſſum poſſe æſtimari ut credatur centum aurei numerati æquivalere quinis annuatim numerandis & centum numerandis tali tempore. Vel dicito. Habeam ego centum aureos recipiendos poſt decem annos , & quinos annis intermediis accipiendos , erunt centum quinquaginta : ſi indigeam paratâ pecuniâ , tu ipſe qui hæc leges daréſne mihi , aut ſcires quærere aliquem mortalem qui daret 150. aureos paratos ? minimè. Ergo ſignum eſt, quòd iſta ſumma minoris valeat, ſi numeratâ pecuniâ debeat ſolvi : ſed quanti eſſet facienda ? centum , ut judico , aureis numeratis ; pretia enim rerum ex communi hominum æſtimatione pendent , & vix eſſet, qui majoris hanc numerandam pecuniam faceret.

804 *De triplici contractu implicito.* Sed eſto duobus paragraphis immediatè antecedentibus nihil verum ſit dictum:adhuc ingenuitas redituum propugnari poterit , ſi tres contractus celebrâri dicantur, in quorum primo ineatur cum mercatore ſocietas cum lucri & damni communi periculo: in ſecundo ematur capitalis ſecuritas ; & in tertio lucrum incertum vendatur pro certo. Iſtos ego contractus majoris claritatis gratiâ ad has formulas & terminos expreſſos reduco. Primus ſit. *Video , quòd mercatores interdum multa lucrentur, & interdum multa etiam amittant. Volo tibi eſſe fortunæ & diligentiæ comes , & cooptando meam pecuniam tuæ experiri fortunam.* Poſito iſto contractu , qui licitus & periculoſus eſt, ad ſecundum venitur. *Sum*, inquam,*in periculo perdendi capitale ſeu ſortem : & poſſum multum etiam lucrari juxta noſtrum contractum: ergo ineamus ſecundum, vi cujus tu ex lucro, quod ad me attineret aliàs , retineas novem partes , & mihi des è decem unicam, hac lege quod mea ſors debeat eſſe ſemper integra & ſecura.* [Pono partem determinatam pro indeterminata : habenda enim eſt ratio lucri & periculi.] ſed quanta erit hæc decima lucri futuri pars? Quis ſciet ? Ergo ne mihi & tibi moleſtus ſim , ineo tertium contractum his verbis. *Lucrum*, aio, *indeterminatum , quod ſpero , volo tibi vendere pro pretio determinato. Ergo da mihi quinque (aut ſex) in centum , ſive tu plus , ſive minus obtineas.*

Contractus Aſſecurationis.

Contractus certi pro incerto.

Sanè hos omnes contractus eſſe licitos docuerunt Bonacina *de contractib.diſp.3.quæſt.3. punct.11.num.2.*qui citat etiam alios. Molina *diſp.*417. Reginaldus *lib.25. num.*397. Dicaſtillus *lib.2. tract.10. diſp.2. num.*438. Leſſius *lib.2.cap.20.dub.12.num.*110.*& cap.25.dub.3.* Fumus *verſ.Societas.num.6.* Toletus *lib.5.c.41. num.3.* Valentia *tom.3.diſp.5. quæſt.24.punct.2. & quæſt.25.punct.2.* Sylveſter *verb.Societas. 1. quæſt.2.* Navarrus *cap.17. num.255.& 256.& in comm.de Vſuris num.32.& ſeqq.*Covaruvias *3.variar.cap.2.num.4.concl.1.& 3.*Salon *tom.2. art.3.de ſocietate.num.*111.Mantica *de tacitis & ambiguis conjecturis tom.1. lib.6. tit.6.* ubi citat Soncinatem & alios : ſubſcripſit huic ſententiæ Diana *part.1.reſol.30.*& citavit Gratianum *in diſcept. tom.2.cap.360. num.10. &* 11. Sarmientum *ſelect.lib.7.cap.1.num.7.& ſeqq.*Morlam *in empt.jur.part.1.tit.8. quæſt.25. num.30.* Nattam *part.2. conſ.*403.*n.3.* Rubeum *in rep. c.per veſtras.notab.6. §.11.n.8.* Palacios *de contractib.lib.4.cap.12.*Narbonam *in 3.part.Recop. lib.5.tit.18.l.15.gloſſ.2. num.8.* Homobonum *de exam.Eccleſ.part.2.tract.9.quæſt.44.* Malderum *in 2.2.tract.5.cap.2.dub.9.* Megalam 2. 2. *lib. 2. cap. 17. quæſt. 2. num.25.* & alios penes ipſos , contra Azorium, Sotum , Filliucium, & Parladorium.

Si dicas non poſſe hunc triplicem contractum celebrari , quia ex millenis ne unus quidem habet intentionem eundem celebrandi , & contractus contra aut præter intentionem non initur.

An etiam ignorantes hunc triplicē contractum celebrent ?

Reſpondeo , eum , qui dat pecunias ad lucrum & recipit quinque vel ſex pro centum, velle inire contractum validum & licitum & hoc expreſsè : ergo implicitè omnia illa vult, ſine quibus , iſte contractus non eſſet validus aut licitus : ergo implicitè vult hunc triplicem inire contractum , & hoc etſi ignorans omninò ſit , & quomodo fiat expreſsè ignoret.

Contractus Societatis.

DISPVTATIO XV.

De Ludo licito, illicito, & invalido.

805 *Quid ludus sit, & quotuplex?*

LVDVS est amica de pretio contentio; & dividitur in industrium, fatalem, & mixtum. Primus non dependet à casu, sed à ludentium ingenio, industria, agilitate; secundus à sola dependet fortuna: tertius industriam cum fortuna conjungit. Si leges extrinsecas consideremus, in licitum, illicitum, & invalidum dividi potest. Licitus, honestus est, nullâ lege interdictus, quo qui vincit verum rei dominium adquirit, si adquirendi sit capax, & ludat cum persona, quæ perdere validè possit. Ludus illicitus validus tamen, ille est, quo validè dominium transfertur, peccant tamen lusores. Invalidus, quo dominium transferri non potest, & hic concomitanter est illicitus; quia tametsi leges invalidare actus possent, & conscientias liberas relinquere, frequentiùs ita illos invalidant, ut conscientias in foro interiori ligent, & pœnas in exteriori imponant.

An ludo adquiratur dominium?

Qui & quo ludo ludere possint?

Sanè ludo honesto illi ludere de pretio possunt, qui & illud qualitercumque impendere; nimirùm, veri & directi domini, aut de eorumdem licentia: cùm luditur dominium transfertur ex vi conditionatæ donationis, quæ subintelligitur; hæc enim verborum formula, *Decerto tecum pro centum aureis*, æquivalet huic, *Donabo tibi centum aureos, si vincas; modò & totidem recipiam, si vincaris.*

806 Ludo prohibito non transferri dominium existimo, nimirùm, si non solùm ille illicitus sed invalidus sit: constat enim ex Reg. LXIV. quæ contra dirimentia jura fiunt, esse invalida. Porrò distinguitur ab illicito invalidus; quia ille est purè prohibitus: at verò iste ita est prohibitus, ut detur actio perditum repetendi; nemo enim tenetur in conscientia solvere id quod perdiderit ludo invalido; ita Malderus 2.2. *tract.* 1. *cap.* 12. *dub.* 3. Lessius *lib.* 2. *c.* 26. *dub.* 4. Aragonius 2.2. *quæst.* 21. *art.* 7. & *q.* 62. *art.* 1. Ledesma *in summ. tom.* 2. *tract.* 31. *cap.* 2. *concl.* 11. Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 515. *concl.* 4. Philiarchus *de officio Sacerd. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 11. Toletus *lib.* 5. *cap.* 27. Medina *in Summ. lib.* 1. *c.* 14. §. 29. Covarruvias *reg. Peccatum. part.* 2. §. 4. *num.* 8. & Diana 2. *part. tract.* 17. *resol.* 8. Si petas; Quinam sint ludi invalidi? ad mores patrios remittêris; ludi enim qui in una Provincia proscribuntur, admittuntur in alia; qui inter milites sunt communes, sunt sæpè apud Clericos scandalosi.

An ludo prohibito transferatur dominium?

807 *Leges sunt pro bono publico institutæ.*

Posse cedere jure suo ludentes ludo invalido & tunc teneri in conscientia solvere quod perdiderint, putant Sotus, Azorius, Diana: Sed ego libentiùs acquiescam Rebello *lib.* 12. *quæst.* 1. *num.* 8. & Covarruviæ *jam citato* asserentibus hanc legem non respicere commoditatem perdentis, sed Reipublicæ. Si enim esset favor concessus perdenti, necessariò sequeretur nefarios & sceleatos homines esse melioris conditionis, quàm ingenuos; hi enim ludunt permissis ludis & tenentur solvere; illis autem, quia non obediunt Reipublicæ nec ejus decreta morantur, concederetur favor & privilegium non solvendi. Hîc obiter aliqua pro legum & privilegiorum expositione adjungo. ita ex Regula C. debent exponi ut suos Authores criminis aut imprudentiæ non arguant, ergo dici debent favere Communitati, quotiescumque viderentur iniquè aut incautè in favorem singulorum concessi. Nam privilegium illud quod dicuntur habere Lovanienses (Ingolstadiani, &c.) studiosi, ne possint capite puniri, abusuum pessimorum est causa, cùm videamus sceleratos juvenes insolenter quoscumque alios occidere, securi quod occidi non possint. Talia privilegiorum monstra nebulonibus potuisse concedi non credam: non enim illis concedi potest impunitas, & quidem impunè occidit, qui non capite sed lectione tot rosariorum aut pœna simili damnatur. Dicendum est privilegium Vniversitati concessum ne possit cogi tradere homicidam si dignum misericordia judicaverit; & ut tamen possit tradere si talis sit qui indignus veniâ. Sed de hoc aliàs.

808 *Ludus invalidus per accidens.*

Ludi etiam liciti, invalidi redduntur per accidens ratione personarum & instrumentorum: putà, si illæ non habeant quid possint ludere, & aliena perdant; & si illa sint adulterina.

An Religiosi possint ludere?

Quoad personas attinet, puto Religiosos; sicut nec dare, sic nec posse ludo exponere pecunias; credo tamen posse omnia illa ludo exponere, quæ possunt liberaliter dare. In quæ Religiosus habeat proprietatis dominium, & in quæ non, exposui in mei Commentarii in Regulam Benedictinam *disp.* 59.

809 *An & in quæ adquirat dominium Religiosus?*

Asserui enim *num.* 831. in manuscripta sua habere verum dominium Religiosum. *n.* 839. magisteriale in discipulos Religioso Professori concessi. *num.* 852. & 853. Religiosi dominio actiones purè internas & externas subjeci. *num.* 869. & res unico actu consumptibiles. *num.* 871. dixi posse (nisi Antistes inhibuerit) industriâ suâ horis vacantibus servire amicis, putà pingendo, transcribendo, cælando. Ergo consequentiâ doctrinæ tenebor dicere posse quemcumque Religiosum in ludo honesto concertare cum quocumque sæculari, hoc pacto, quod ille pecunias aut alia quæ sua sunt exponat, talia tamen quæ possint Religioso aut Monasterio adquiri, ipse verò Religiosus exponat aliquid manu sua scriptum, cælatum, pictum, vel aliud qualecumque in quod habeat dominium, vel possit liberaliter dare. Ludere pro orationibus frequenter videmus & laudamus; ratio enim videtur postulare, ut cùm in militante Ecclesia aliquam honestam recreationem capimus, aliquam etiam purganti indulgeamus: indulgemus, cùm de orationibus pro ipsarum requie decertamus legendis. Sæpè Sacerdotes pro Missis legendis aut concertant aut ludũt, quod tametsi incriminentur aliqui, prudentiores approbant & commendant. Matthias & Iosephus cognomento Iustus sortiti sunt Apostolatum: cur non possent sortiri uter quatuor Missas vel plures esset lecturus pro animabus purgantibus? Sed major esset difficultas, si inquireres, An qui ludo lucratus est lectionem aliquot Missarum, possit pro illis accipere stipendium? an ille, qui perdidit? Respondeo

An licuit pro Orationibus ludere? an pro Missis?

An, qui lucratur, possit pro Missis eleemosynam aut stipendiũ recipere?

standum esse contractui. Cùm de Orationibus aut Missis pro animabus Purgatorii legendis decertatur, videtur iniri concordia, quæ postulet eum, qui in certamine aut ludo victus, debere omnium ludentium nomine illa Sacrificia aut Orationes Deo pro animarum Purgatorii refrigerio offerre: unde liquet victorem pro talibus Missis eleemosynam accipere non posse. Cæterùm si decertent duo, quod victus legat tot Missas ad vincentis intentionem, poterit victor de illis, ut de propriis disponere: & hoc vidi apud viros pientissimos sine contradictione practicari. Vbi certum est non dari objectionem, quæ ex paupertatis rigore nascatur: & si quis scrupulus suboritur, respicit indecentiam, sed & hanc non reperiri, si ludus sit honestus & prudens, censemus.

810 *De ludo Religiosorum inter se.*

Placuit mihi *num.965*. Facundes & Lamas sententia asserens posse Religiosum dare quæcumque alteri filio ejusdem Monasterii, quin peccet contra paupertatem; nam in hujusmodi donatione non mutatur dominium. Infero non esse contra paupertatem duorum confratrum concertationem, si de rebus ad usum concessis; nam alteruter vicerit, dominium immutatum remanet penes Communitatem. Esset tamen ipsa contra obedientiam, si & contra inhibitionem Prælati.

811 *De ludo indecenti.*

Cùm ludus indecens est [tali notâ inuro interdictum; imò & permissum, si quotidianus sit; nemini enim non solùm Religioso aut Clerico, sed nequidem honesto & gravi sæculari, ludere per modum officii, professionis, & consuetudinis permittitur] inter Ecclesiasticos videtur invalidus, si bona Ecclesiastica etiam cum licentia Superiorum (putà Abbatis, Prioris, Episcopi) exponantur. Et ratio videtur manifesta. Quia bona Ecclesiastica ex liberali sæcularium devotione ad Ecclesias translata: nam cum Ecclesia incepit, pauper erat; & ditari incepit cælo & terra; quia cum primò quæreret regnum Dei, cætera ei divinitùs adjiciebantur. Ergo Ecclesiastici habemus bona, quæ à sæcularibus accepimus; accepimus autem, non quidem expendenda pro libitu, sed in illos determinatos usus, ad quos concessa. Atqui nunquam voluerunt sæculares sudore vultus sui nobis adquirere divitias, quas indecenter & perditè consumeremus: igitur si quis ex nobis Ecclesiæ suæ divitias in profanas & indecentes usus expendit, fur est; utitur enim bonis alienis invito domino. Nec juvat ad Abbatis aut Episcopi licentiam recurrere, esset enim indignus ministerio qui hanc daret; imò si daret, non prodesset: non enim illa bona concessa, ut in bonos usus destinentur, si placuerit Antistiti; sed absolutè in bonos usus destinanda, etiamsi displiceat Antisti.

Quam ob causam sæculares dederint sua bona Religiosis? & quo nos modo debeamus vivere & illa expendere?

812 *De bonis patrimonialibus Ecclesiasticorum.*

Hæc dicta sint de bonorum Ecclesiasticorum indecenti expensione; sed quia Clerici sæculares etiam patrimonialia bona habent, de his videtur minùs severè esse philosophandum, dicendúmque mutari talium bonorum dominium in ludo, etiamsi quotidianus sit, & consuetudinem indecentem invexerit. Sed hanc ipsam consuetudinem malam esse; ludúmque hujusmodi, tametsi validum, illicitum esse, aut fateris, aut cœcus es. Sed, an hæc malitia, quæ in tam indecenti ludendi consuetudine reperitur, mortaliter peccaminosa sit, inquiris. Assertivè respondeo. Subscribo Rebello *part.2. lib.12. quæst.1.num.10.* Villalobos *in summ.tom.2. tract.28. diff.1.n.8.* Sanchez *in opusc.tom.1. lib.1. cap.8. dub.28. n.* Diana *part.4. tract.4. Miscell. resol.183.* & alii quos citat & sequitur Salas *tr. de lud. dub.24. num.2.* qui tametsi Clericum semel aut iterum ludis inhibitis ludentem, si scandalum seclusum sit, de mortali non arguant, sæpè ludentem severissimè accusant. Citatus Diana docet hanc esse communem Doctorum sententiam. In sacris Canonibus sub gravissimis pœnis inhiberi Clericis omnem ludendi consuetudinem, quotidie propriis oculis legimus; nec juvat illos de ludis inhonestis & ludentibus propter lucri cupiditatem exponere; Clericis enim nulli ludi, si frequentes & quotidiani, honesti; & Canones non tam lucrandi aviditatem, quæ animi interna passio est, quàm externum scandalum & indecentiam respiciunt, quæ etiam reperiretur, si luderent recreationis causâ, ut optimè observavit Salas. Vide Philosophiæ Moralis num.115. ubi inquiritur, an-ne possit esse malum pluries facere, quod semel sine peccato fieri potest.

De ludendi consuetudine.

DISPVTATIO XVI.

De Venditione & Emptione.

813 *Quid ipsa sint?*

VENDITIO, ut optimè tradit Valentia 2.2. *disp.5. quæst.20. punct.1.* est *contractus, quo quis obligatur ad tradendum rem alteri pro tanto pretio*; & emptio est *contractus, quo quis obligatur ad tradendum tantum pretium alteri pro re.* Multæ aliæ solent definitiones circumferri ex diversis legum articulis desumptæ, quæ quia obscuriores; intermittendæ sunt, ne Grammaticos agere videamur; ipsæ enim, ut esse bonæ demonstrentur, debent ita exponi, ut positis æquivalere dignoscantur. Nomine *pretii* pecuniam intelligimus, ante cujus inventionem erat rerum permutatio difficilis, & vix ad regulas æquitatis reducenda. Non solùm *pretium*, sed & *tantum* diximus (& in hoc à Valentia differimus) non enim venditionem judico contractum, in quo pretium non determinatur; aliud enim est se obligare ad vendendum, aliud de facto vendere: & ante pretii determinationem non est dominiorum transmutatio, quia res indeterminatæ nullius dominio subsunt; nec subesse possent, si nec determinari. Si Respublica rerum pretia determinaverit, non requiritur quod hæc determinatio in contractu exprimatur, necessariò enim subintelligitur: at verò à contrahentibus determinanda venit, cùm aliunde non est determinata. Sed & contrahentes possunt in arbitrium consentire, penes quem sit determinandi pretii authoritas definitiva. *leg.12. tit.13. partit.5.* Consultò in definitionibus posui illud *alteri*, ut illi dubio responderem, quod inquirit, *An quis possit res proprias emere?* est enim contra emptionis naturam

An quis rem possit emere pretio indeterminato?

An aliquis possit emere à se ipso?

tam quod aliquis rem emat à se ipso. Ita habetur *l. in emptione. ff. de contrahenda emp.* Ita habent Dicastillus *lib. 2. tract. 9. disp. 1. num. 54.* & apud eum Sylvester, Vasquez, Reginaldus, & apud ipsos alii. Vt igitur meliùs Venditionis & Emptionis ingenium cognoscatur, aliquas dubitationes subjiciam & resolvam.

814 DVBITATIO I. *An ad venditionis rationem sufficiat dari aurum vel argentum pro re, an verò debeat dari metallum sigillatum?* & si sigillatum; *cujus charactere? emptoris ne, an Supremi Principis?*

Quo modo merces & metalla alienentur, & vendatur in Portubello?

Respondeo in Portubello (Insula est maris Oceani, ad quam statuta die omnium Indiarum mercatores appellunt) vix monetam cusam cognosci. Mercium traduntur sarcinæ, & massæ aureæ & argenteæ (*barras* eas nominant, recipiuntur; non enim tempus sufficeret tantæ argenti vi numerandæ, si minutæ partes traderentur: barræ illæ tribus aureis millibus nonnumquam æquivalent, & facili negotio hujuscemodi calculis vel maximum numerum æquabis. Antverpiæ, Amstelodami, loco pecuniæ etiam barras tradi & recipi vidi. Sed & barræ sigillatæ sunt, & videntur ab aliis monetis sola differre magnitudine. Resolvo igitur, ad venditionis & emptionis rationem requiri metallum sigillatum. Sed

Barra Indica.

quo sigillo? Barræ Mercatoris sigillo, & examinatoris (el contraste *Hisp.*) charactere notatæ, aut pecuniæ sunt, aut loco pecuniarum habitæ.

815 DVBITATIO II. *An emptionis & venditionis contractus possit fieri inter absentes, per literas, aut procuratores?* Videretur quod non; quia in venditione imbibitur rei traditio, ergo debent esse præsentes dominus, qui eam tradit; res ipsa, quæ traditur; & persona, cui traditur.

An præsentia in venditione requiratur?

Præsentia duplex: physica & moralis: realis & virtualis.

Respondeo dari duas præsentias, physicam & moralem. Physica est, quæ à nulla hominum suppositione pendet; moralis eadem quæ virtualis: quæ physica non est, ita tamen se habet ac si physica esset. Hinc ad dubitationem respondeo in omni emptionis & venditionis contractu præsentiam requiri; nimirum, physicam seu virtualem; illi qui per procuratores contrahunt, moraliter præsentes sunt, ideóque contractus fit validus. Hæc præsentiæ moralis & physicæ distinctio firmat doctrinam legis 1. §. *fin.* subscribunt huic sententiæ tametsi ex aliis fundamentis Reginaldus *lib. 25. num. 248.* Dicastillus *lib. 2. tract. 9. disp. 1. num. 10.* & apud eum Sanchez, Molina, & alii.

816 DVBITATIO III. Petrus tradidit Antonio bovem, dicens. Tibi hunc bovem trado recepturus post octo dies justum pretium: & inquiris, *An contractus sit validus? & quid justi pretii nomine intelligendum sit?*

Quid sit justum pretium?

Respondeo hoc contractu vel imbibi pretium determinatum, vel illum invalidum esse. *Primò* posset illud esse expressum lege publica valorem boum determinante. *Secundò* consuetudine, si constet certò quo soleant pretio boves vendi. Sed quia rerum pretium est triplex; summum, medium, infimum: ex vi hujus contractus satisfaciet emptor, si statuto tempore infimum solverit, qui enim infimo, rem emit justo pretio.

DVBITATIO IV. *An sit de venditionis conceptu traditio?* 817

Traditio duplex: physica & moralis.

Negant, asserunt, sed perperam; quia quotiescumque traditionem physicam cum morali confundunt, non possunt quæstionem decidere, asserendo aut negando.

Quando debeatur gabella?

Respondeo igitur, traditionem omninò requiri, non tamen physicam, sed alterutram, physicam vel moralem. Quam ob rem statim post contractum ante physicam rei traditionem mutatur dominium, & gabella debetur. Ita Molina *disp. 337. num. 10.* & *apud eum* Bartolus & Baldus. Dicastillus *lib. 2. tr. 9. disp. 1. num. 25.* & *apud eum* Lessius, Lassarte, & alii: Antonius Gomez *2. var. cap. 11. num. 30.* Rebellus *3. part. lib. 8. cap. 26.* & Vasquez *de restit. §. 2. dub. 4. num. 23.* unde constat gabellam ei solvendam, qui habebat officium gabellarii tempore traditionis moralis, non verò illi qui tempore traditionis physicæ. Ita Authores citati.

Quem concernat periculum?

Hinc constat rei emptæ & moraliter traditæ periculum pertinere ad emptorem, hoc est, ad dominum. Consentit Sylvester *verb. Emptio. num. 3.* Sà *verb. vend. num. 26.* Armilla *verb. Emptio. num. 1.* Covarruvias *in practic. qq. c. 3. num. 45.* Lassarte *cap. 5.* Antonius Gomez *2. var. cap. 2.* Dicastillus *lib. 2. tract. 9. disp. 1. n. 89.* Molina *disp. 366.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dubit. 12.* Rebellus *lib. 9. q. 15.* Salas *de vendit. dubit. 50.* & alii multi. Cúmque certum sit ex Regula LV. *eum debere sentire utilitatem, qui & damnum tolerat*, fructus dicti temporis adscribi emptori, hoc est, domino necessarium est. Ita Covarruvias *1. var. cap. 15.* Dicastillus *ubi suprà, num. 115.* Molina *disp. 368.* Lessius *ubi suprà, dubit. 13.* Petrus Navarrus *cap. 3. à n. 152.* Rebellus *lib. 9. quæst. 17.* Reginaldus *lib. 25. num. 291. & 355.* & multi alii, qui præter rationem hanc fortissimam quam proposui, etiam allegant legem *qui fundum. §. qui agrum. ff. de contrahend. empt.* & legem *Julianus, §. si fructib. ff. de actionibus empti.*

& à quotempore?

DVBITATIO V. *An ad venditionem requiratur scriptura?* 818

An venditionis & emptionis contractus debeat fieri in scriptis?

Stando juri naturæ non requiritur; sed civiliter statutum est, aliquas res majores & pretiosiores non posse nisi in scriptis alienari: quo posito dico, tales leges posse esse vel prohibentes tantùm, vel dirimentes tantùm, vel prohibentes & dirimentes simul. Si solùm prohibeant, contractus erit validus, at contrahentes rei: si solùm dirimant, erit invalidus contractus, sed contrahentes non judicabuntur deliquisse: at verò, si sint prohibentes & dirimentes simul, & illi erunt rei & ille invalidus. Hæc resolutio dilucidat Regulam LXIV. non enim omnia quæ contra Ius fiunt, debent pro infectis haberi: sed illa solùm, quæ contra Ius dirimens & annullans.

Belgarum Lex de rebus, quæ minutim venduntur.

Ex hac doctrina facili satisfacies casui difficili, cujus intelligentia torsit aliquorum ingenia [Albertus & Isabella Belgii Principes statuerunt ne daretur ultra triennium actio contra illos qui minutim apud mercatores res usui necessarias emerant, ni exhiberetur contractus in scriptis.] Lex erat justa & utilis. Pharmacopæi, qui alicui Principi vel Communitati serviebant, consultò permittebant

octo aut plures annos elabi, & tandem exhibebant inveteratum computum, qui & examinari non posset, & ad summam notabilem adscenderet. Quis enim post octo aut plures annos sciret, an minutissimus computus fidelis & verax? quis, An omnia data & expensa? Eadem inconvenientia experiebatur Respublica in aliis quàm plurimis rebus. Prudenter igitur Archiduces jusserunt, quòd ante triennii finem omnes mercatores computum exhiberent & pecunias exigerent, ut his receptis aut saltem solvendarum scripta obligatione quæstiones intricatæ cessarent. Stante hac sanctissima lege Petrus ex mera ignavia aut negligentia permisit plures annos præterlabi, & tandem Monasterii Cilienſis Abbati exhibet novem annorum computum, & sibi satisfieri trium millium aureorum solutione desiderat. Quæritur; *An in foro exteriori possit ille Abbas ad eorumdem solutionem cogi?* & si non possit, *An solvere teneatur in conscientia?*

De foro externo & interno.

820 Respondeo ad primum; in foro exteriori non esse de tali agendum debito; via enim omnis talibus actionibus Archiducum authoritate præcluditur.

Respondeo ad secundum; in debitis duas obligationes reperiri; interiorem videlicet, & exteriorem. Possent Archiduces illam exteriorem tollere interiori relicta: possent utramque. Possent enim hujusmodi mercatorum negligentiam, aut malitiam præsumptam punire, eos debitorum conscientiæ committendo, & omne juris subsidium negando: possent etiam eos omni jure privando, illúdque ad debitores transferendo. Mentem ipsorum debemus ex verbis rimari; & quia hæc ambigua, malunt Authores primæ quàm secundæ opinioni adhærere. Cæterùm in utraque lege magna reperio inconvenientia omninò præcludenda & vitanda. *Primò* enim, si obligatio fori interioris remanere dicatur, non itur obviam inconvenientibus quæ persentit Respublica, & aperitur via novis, quæ non dabantur. Hi tergiversati computus plerumque in Monasteriis & Principum palatiis reperti tali legi non subsunt; tum quia rarò aut numquam ad tribunalia transferuntur, tum quia non punitur creditoris negligentia aut malitia cùm soluti o Religiosorum timoratæ conscientiæ, & Principum conservandæ authoritatis studio relinquuntur: certum est enim illos semper propter Deum & mundum, hos sæpè propter mundum & Deum debita soluturos esse; non enim coactiva juris vi solent cogi, sed virtutis & authoritatis ambitione conduci. Si respicias creditores Principes & Religiosos, inutilem legem esse vides; si gregarios homines, nocivam. Reipublicæ enim pernicioſi bonorum alienorum retentores, nec justa lex, quæ talium hominum favet iniquitati. Nec juvat Rempublicam directè mercatorum punitionem respicere, ut hujusmodi furta indirectè tolerare dicatur: tolerat enim ea directè: ratio est; quia illa indirectè tolerari dicuntur, sine quibus esse non potest bonum, quod directè intenditur; atqui illa mercatorum punitio, quæ intenditur, stare potest sine iniquitatis tolerantia: malè igitur bonorum alienorum retentio lege permittitur. Minorem probo: posset mutari bonorum dominium juxta secundam sententiam, quo mutato lex iniquitatem non foveret, nec tolerarentur in Republica rei alienæ fures & retentores. *Secundò*, si dicatur tolli fori interioris obligatio, cessant inconvenientia, quæ urgebantur hucusque, non tamen relucet legis æquitas: non enim æquum est, vel negligentiâ alienâ vel malitiâ propriâ aliquem ab onere solvendi debita legitimè contracta liberari. Debebat mercatori Princeps mille aureos, & sine meritis propriis aut fortè malitiâ differt solutionem & abolitionem nanciscitur? sanè ignavia aut præsumpta malitia, si Respublica benè gubernata est, non est titulus adquirendi jura & dominia: nam ut habemus in Regula XXV. Mora sua debet esse nulli utilis, unicuique nociva.

Si me Legislator consuleres utram legem ex istis approbarem, utramque conarer expunguere; & si prævalere non possem, saltem primam secundâ retentâ proscriberem. Puniatur negligentia & malitia, ita tamen ut non foveatur alia malitia pernicioſior: esset utilior lex; *Mercator, qui ultra tres annos computum implicuerit, partem debiti perdito; hæc creditori non cedito, sed fisco.*

At dices nondum esse difficultatem resolutam, nec decisum quî debeat Archiducum decretum intelligi: & respondeo leges exponi populorum praxi & consensu; adde me Lovanii vidisse in gymnasiis defendi debita taliter contracta non posse in foro externo peti; debere tamen solvi in interiori; oppositum nunquam audivisse; unde existimo hanc fuisse Legislatorum mentem.

DVBITATIO VI. *An requiratur arrha?* & si detur, *An venditionis & emptionis contractum debilitet, an firmet?* 821 *De arrha.*

Respondeo Castellanam legem *7.tit.5.partit.5.* disponere posse contrahentium alterutrum rescindere contractum arrhâ concessâ, ita tamen ut emptor arrham amittat si rescindat, venditor si ipse contractum rescindat duplum solvat, hoc est, arrham & tantumdem, ut summa æqualitas in contractu servetur. Hinc patet arrhâ contractus omninò debiliores reddi.

DVBITATIO VII. *An illa, quæ emuntur alienis pecuniis, fiant Emptoris; an domini datæ pecuniæ?* 822 *An & cui aliquis emat, si alienis utatur pecuniis?*

Respondeo neminem adquirere aut perdere dominium invitum, ac propterea res pecuniâ alienâ emptas ad Emptorem, non verò ad dominum illius pecuniæ pertinere. Dicastillus *lib.2. tract.9. disp.1. num.52.* hanc doctrinam plerumque veram asserit, sed existimo universaliter veram: & probo ex leg. *Si ex ea. C. de rei vindicatione.* ita Rebellus *lib.12.quæst.4. num.12.* Sylvester *verb. Emptio. num.22.* ita etiam Azorius, ita & alii relati à Reginaldo *lib.25. num.349.*

Sed Dicastillus objicit. Empta pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut etiam militis, non fiunt emptoris, sed pertinent potiùs ad dominos illius pecuniæ: ergo aliquando contingit, quòd empta alienâ pecuniâ, emptoris non fiant. Antecedens probat authoritate Azorii *3.part.lib.5.cap.12.* & *lib.8.cap.27.* Emmanuëlis Sà *verb.emptio. num.15.* & aliorum. 823

Respondeo illa fieri emptoris, nam nomine domini

Quæ pecuniis pupilli, minoris, Ecclesiæ, &c. emuntur etiam eorum nomine emitur.

domini pecuniæ emuntur : quæstionémque nostram esse omninò diversam ; nimirum, An pertineat ad Petrum an ad Ioannem domus, quam Petrus nomine suo pecuniis tamen Ioannis emit ; dico enim domum ad Petrum pertinere, eúmque Ioanni debere, non domum, sed pecunias. Cùm tutor minoris pecuniis emit aliquid, emit ipse ut quo, non ut quod, nam qui emit est minor, & emptionis minister est tutor : ergò si illa bona fiant minoris, etiam emptoris fiunt ; minor enim est emptor : & similiter in reliquis philosophare. Addo in casu, quo tutor nomine quidem suo sed pecuniis pupilli domum emeret, hanc fore tutoris, debituri pupillo illas pecunias : sic petit casum resolvi æquitas ; quod si aliquis populus contrariam legem acceptaverit, illi staturus est.

824 DVBITATIO VIII. *An aliquis ad vendenda sua bona cogi possit ?* Respondent assertivè aliqui respicientes summam authoritatem Reipublicæ : alii negativè, respiciendo dominium proprietatis.

Ego tamen multa valde subtilia in hac quæstione invenio, quæ sublimioris metaphysices cognitionem expostulant ; quomodo enim resolvi potest, An quis cogi legitimè possit, quin sciatur, quid sit hominem esse liberum, spontaneum, coactum ? Sed quia hæc subtiliùs in Thesibus sermonem LXXXI. Melliflui Doctoris commentantibus anno 1642. exposui, nunc illa breviter resumam.

825 *An quando & quomodo possit Respublica uti bonis particularium?*

Dico primò, Rempublicam posse uti cujuscumque particularis bonis, non solùm emendo, sed etiam capiendo sine pretio, quotiescumque sint necessaria ad sui conservationem : unde si in fundo tuo erigenda sit aliqua munitio, nullus disputationi locus : cedendus Reipublicæ fundus, & præmium expectandum juxta mores & leges. Si enim moris sit fundum æstimari & pretium solvi, hoc ipsum prudenter expectabitur, imò & petetur ; at verò, si moris sit quod fundi dominus habeat patientiam, non licet contra stimulum recalcitrare. Cùm statur concordiæ, nemini fit injuria : concordia autem servatâ omni æquitate & æqualitate bifariam fieri posset : primò, si cives convenirent omnia damna jure belli illata æstimanda esse ; &, ne unus aut alter obruatur, ab omnibus toleranda & sustinenda ; secundò, si consideratâ damni contingentiâ & periculo statuerent Reipublicæ defensionem communem procurandam, & non esse damna particularium respicienda ; Si enim hodie solus Petrus gravatur, cras gravabitur solus Antonius, perindè Ferdinandus ; & ubi omnes sunt eisdem periculis expositi, summa æqualitas in hujuscemodi contractu servatur. Existimo enim utramque concordiam esse justam ; tametsi illa prior videatur benignior & suavior ; nam jactura, quæ privatum destrueret, si ab omnibus sentiatur, à nemine videtur sentiri ; Fundo enim perdito miser esses ; quem si æstimaret & solveret communitas, singuli aliquid contribuerent, & nemo nimium gravaretur.

Quid possit facere, si necessarium sit?

826 *Quid si conducat ad melius?*

Dico secundò. Si bona tua non ad necessitatem, sed ad Civitatis splendorem requirantur, ementur à Republica etiam à te contradicente. *Ementur* dixi, nullibi enim vidi splendorem publicum intendi cum jactura alicujus particularis. Differt à necessitate commoditas, differt splendor : multa conceduntur defendendæ Reipublicæ, quæ non concederentur illustrandæ. Ad Civitatis splendorem conducunt Ecclesia, Monasterium, Hospitale, Academia, Palatium, Domus civica : quæ quia æquè bene in uno loco quàm in alio ædificari possunt, neminem necessariò gravant. Non sic bellicæ munitiones ; militaris enim doctrinæ leges decernunt loca fortiora, & illa haberi debent, vel civitas erit debilior. Cogi igitur potest quisque particularis ad venditionem propriæ domus quotiescumque expedire credatur ad civitatis splendorem. Ita Azor. 3. *part. lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 2. Molina *disp.* 341. Covarruvias 3. *var. cap.* 14. Sà *verb. venditio. num.* 25. Reginaldus Dicastillus & alii. Sed occurrit Nabothus, & vineam suam à Rege in hortum captam queritur. Et respondeo Iezabellæ peccatum fuisse gravissimum, & à Rege approbatum ; illúdque non ita constitisse in vineæ acceptione, quàm in innocentis cæde, & expoliatione ; vineam enim, quam fortè poterat Rex emere ab invito, non poterat gratis assumere eum morte damnando. Fortè etiam sub illud tempus Regis officium non erat, quantæ authoritatis nunc est : aut fortè ille ipse hortus, qui parabatur, non concernebat splendorem Reipublicæ, sed delicias privatas. Et tandem quidquid sit de veterum luribus & moribus, nostra sententia communi hominum judicio & consuetudine hodie firmatur.

827 *Qui acceptat leges non est involuntarius.*

Dico tertiò, in similibus casibus neminem totaliter invitum esse. Inter volentem & nolentem dari medium suadetur, quia multa ipsemet facis nolens volens. Cùm navis acta procellosi pelagi fluctibus periclitatur, & vis conservare vitam & divitias ; prima voluntas, has in oceanum præcipitatura à secunda retrahitur ; & tandem majoris vitam quàm fortunas æstimans, istas profundit volens nolens. Petrus amabat Christum & se ; Christi amor confessionem inferret, ni amor proprius obstaret ; & quia in Prætorio majoris se faciebat quàm Christum, huic tametsi dilecto defuit, ne sibi magis dilecto deficeret : at Romæ, sibi defuit, ne defectionem faceret à Christo, quem majoris faciebat : quam se ipsum. Non aliter. Quicumque vitam communem in tali civitate agit, ut constat ex Regula XCI. dum mores communes acceptat, vult secundùm leges ejusdem loci vivere ; aliàs enim nullatenus admitteretur. Ergo est præditus voluntate obediendi Reipublicæ moraliter irrevocabili. Ergo si contradicit superioris imperio, ex Regula LXXXIX. illegitimè involuntarius est, ac propterea virtualiter est voluntarius ; illa enim virtualiter perseverat voluntas, quæ validè non potest revocari. *Igitur* Respublica potest emere ædes domini physicè inviti, si ad splendorem aut utilitatem civitatis conducant. Non potest emere ædes hominis moraliter involuntarii, non quòd Reipublicæ vires remissæ sint, sed quod talis homo dari non possit, ut ostendi.

Resolutio.

828 *Quinam possint vendere & emere?*

DVBITATIO IX. Circa personas, quæ possunt emere & vendere inquiritur, *Quænam ipsæ? & sub quibus articulis & conditionibus*

contrahere debeant? Respondeo debere primò venditorem esse directum & proprietarium rei dominum & emptorem esse directum dominum pecuniæ, neutrum lege aliqua impeditum: & secundò contractum fieri cum omnibus solennitatibus, quas leges ad ejus valorem requirunt. Primum constat ex Regula LXXIX. nam si *nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur*, certum est non posse vendere, hoc est transferre dominium, qui dominium non habet. Secundum desumitur ex Regula LXIV. *ea enim, quæ contra leges (dirimentes intelligo) fiunt, debent infecta judicari.*

829 *Quidnam possit vendi & emi?*

DUBITATIO X. Circa materiam, quæ vendi solet, dubitatur, *An sacra vendi possint?* Respondeo in cruce aurea reperiri materiam, artem, & significationem, hæc quà imago non venditur; venditur tamen quà affabrè elaborata, & constans materiâ pretiosâ: si materiam & artem vendideris Simoniacus non es, eris tamen cùm crucem quà crucem, quà benedictam, quà indulgentiis privilegio condecoratam vendes.

DE MONOPOLIO.

830 *Quid sit Monopolium?*

GRæci ὠνησιν *emptionem* appellant, πώλησιν *venditionem*, unde μονώνησιν *emptionem quâ unus omnia emit*; μονοπώλησιν *venditionem, quâ unus vendit omnia.* In Rebuspublicis qualibuscumque malè audiunt mononeses & monopoleses; imò in multis lege expressa damnantur. An autem semper ipsæ injustæ sint, inquiris, & si non semper, Vnde proveniat quod malitiâ aliquando inquinentur, & aliquando non? & ego veritatem ad paucas Conclusiones reducam.

831 *An dentur semper tria pretia: infimum, medium, summum?*

Prima. *Non semper dantur tria pretia in rebus venalibus: nimirùm, summum, medium, infimum.* Et probo. Sæpè contingit res venales pretio determinato vendi: ergo sæpè contingit eas non habere tria pretia. Antecedens ostenditur multarum gentium moribus; & ut alias omittas, observo in ferè omnibus Hispaniæ civitatibus carnes omnes bovinas vendi uno & eodem pretio statuto à Republica, vno & eodem vervecinas; uno omnia vina; uno & eodem triticum: igitur ubi imponitur taxa à Republica tria pretia non dantur.

Respondent aliqui leges cavere ne exorbitanti pretio res necessariæ commutentur, adeóque pretia summa determinasse, ultra quæ, quidquid accipiatur, restitutioni sit obnoxium: quod clarè conspici volunt in tritico, cujus mensura, [quæ apud nostrates *carga*, hoc est *onus* dicitur, quod credatur tanta, quâ majorem equus ferre non posset,] septem taxata scutis, duobus vel tribus venditur, si annonæ liberalitas mediocriter faveat; ille enim summi pretii rigor solummodò in penuria observatur.

An Respublica possit & soleat pretia determinare?

Hæc tamen responsio insufficiens est; quia non semper sic procedit Respublica. Fateor eam sæpè summum pretium determinare, fateor illam posse determinare infimum, sed & unicum posse præmissa probatione suadetur. Vina ordinaria multis locis ejusdem civitatis venduntur, & tamen vbique eodem pretio, nec anopolæ alicui liberum minoris vendere si enim aliquis minoris venderet ditaretur cum reliquorum detrimento, nam eum omnes adirent, & minus lucrans à singulis, plus haberet ab omnibus; majorem enim multæ unitates numerum, quàm pauca binaria constituunt. Sed & in Belgio, nulli cerevisiæ braxatori, aut minori pretio illam vendere, aut plus materiæ imponere permittitur ob eamdem causam: igitur sæpissimè contingit res venales non habere tria pretia.

832 *De contractu ex emptione & donatione compositio.*

Secunda. *Nemo, etiam volens, potest rem vendere pretio minori minimo; nec emere majori maximo: etiam ubi hoc non cavetur lege publica: & tamen potest licitè & validè tradere pretio minore minimo.* Videor contradictoria loqui: attende. Consultò illud, *etiam volens*, adjunxi, ut omnem fraudem proscriberem; certum est enim neminem posse decipi & defraudari; sed quia ex Regula XXVII. volenti & permittenti injuria non fit, videretur difficilis nostra doctrina, ni explicaretur & corroboraretur. Ponatur ergo casus, qui totam quæstionem dilucidet. Equum, quem certò scis valere centum aureis aut ultra, vendis Antonio quinquaginta, & ni lege hoc caveatur, contractus iste stabit, nam contractus sunt privatæ & obligatoriæ quædam leges, ut à Regula LXXXV. docemur: ergo potest res vendi, ais, pretio minori minimo cùm placuerit proprietario domino. Vt ego resolvam casum positum, admitto contractum non esse invalidum ex sua natura, adeóque juxta Regulam LXIV. esse validum, ni lege expressa invalidetur; nego tamen equum vendi quinquaginta, sed assero centum eum aureis vendi, téque Antonio centum aureos daturo quinquaginta donare: unde ille contractus ex venditione & donatione mixtus, duplex aut compositus est. Ita Diana 5. *part. tract.* 14. *resol.* 39. & apud ipsum multi Authores. Eodem modo de emptione philosophor; nam si mihi pro equo centum scuta postulanti sciens & volens ducenta offerres, præsumerem te velle equum justo pretio emere, & reliquum mihi donare. Vt iste justitiæ contractus imbibere alium gratuitum (emptio & venditio ad justitiam, donatio ad gratiam pertinet) præsumatur, præsumi debet esse voluntarius & liber qui damnum patitur: nam ut habet Regula LXXXVI. *Damnum, quod quis suâ culpâ* (suâ voluntate) *sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Sed & ipsius voluntas, & liberalitatis libertas unde præsumetur? Lessius & alii quatuor Authores apud citatum Dianam hanc ipsam libertatem ex contrahentium consanguinitate aut saltem amicitia præsumunt: cur non potiùs ex obligationibus, putà si ille qui rem aut minoris vendit aut majoris emit, sit alteri ob aliqua beneficia devinctus? cur non clariùs, si dicat, se benè scire equum valere centum aureis, velle tamen aut vendere triginta, aut quadringentis emere? sed fortè notitiam tam claram non voles vocare præsumptionem: sed si non est præsumptio, præsumptione omni certior & utilior ipsa est.

An detur contractus ex emptione & donatione mixtus?

Casum positum debuisse sic resolvi persuadeo. Nam ille contractus legitimus est, & in conscientia tutus; at si esset venditio pura, non esset validus nec tutus: ergo non est pura venditio, sed & aliquid donationis importat.

Probatur

Probatur minor. Quia, ut æquitas in venditione aut quacumque commutatione ſervetur, requiritur quòd detur æquivalens ; atqui quinquaginta aurei non æquivalent centum: ergo ſi eſſet pura venditio, non fuiſſet æqualitas, adeóque nec æquitas ſervata ; atqui æquitas ſervata fuit, non fuit igitur venditio pura.

833 *De juſto pretio.* Tertia. *Quodcumque ex tribus pretiis eſt juſtum.* Ita omnes : & clarè oſtenditur ; quia injuſtum pretium non habet terminum magnitudinis, fortè nec parvitatis, atqui ſummum & infimum termini ſunt : ergo non injuſti pretii, ſed juſti. Probatur major ; quia pretium minus juſto ſemper poteſt eſſe minus & minus uſque ad unitatem, quæ phyſicè conſiderata fortè ſine termino diviſibilis eſt ; & majus juſto ſemper poteſt eſſe majus & majus ſine termino.

834 *Cur mutentur pretia ?* *Pretium juſtum creſcit & diminuitur.* Pretia rerum mutari certum eſt ; & ita certum, ut in probabilem controverſiam reduci non debeat : at dignum examine, cur, quantum & qualiter ipſa mutentur ?

835 *Videatur numer.* 841. *Cauſæ* plurimæ, enumerari ſolent, ſed ego unicam ſolam cognoſco, & dico unâ & ſolâ emptorum multitudine augeri pretia, diminui ſola raritate. Bonacina *diſp.3.quæſt.2. punct.4. num.22.* Vaſquez *opuſc. de reſtitut. cap.5.§.1. dub.10.num.61.* Diana *part.1. tract.8. reſol.23.* Turrianus *in 2.2.tom.2.diſp.57.dub.61.num.5.* Emmanuël Sà *verb.Emptio.num.4.in fin.* & alii hanc mutandi pretii cauſam admittunt, non tamen ſolam eſſe concedunt ; oſtendam ego nullam eſſe adſignabilem, quæ ab emptorum multitudine præſcindi poſſit.

836 *Aliorum opiniones rejectæ.* Primò ob lucrum ceſſans, ob damnum emergens, propter periculum amittendi pretium, aut patiendi difficultates & faciendi expenſas in recuperatione, docent omnes citati Authores poſſe rem majori pretio vendi quàm aliàs venderetur ; nam ſi equus vendendus erat ſummo pretio, hoc eſt, centum aureis Ioanni pecuniam numeranti ; poſſet vendi pluribus Anſelmo fortè ſoluturo poſt annum, fortè ante judicis ſententiam non ſoluturo. Sed aut ego rem non intelligo, aut Authores citati. Aliud eſt, pretium equi creſcere, aliud & omninò diverſum, diminui valorem pecuniæ : in dato caſu equi valorem non creviſſe eſt clarius luce meridiana ; nam ſi ducentis ipſe aureis valeret, non Anſelmo modò, ſed & Ioanni pecunias numeranti poſſet ducentis vendi ; cùm igitur ducentis numeratis & certis vendi non poſſit, ducentis incertis & poſt longum tempus numerandis poſſit, certum eſt ex Regula V C. ducenta ſic incerta non eſſe majoris valoris, quàm centum certa & numerata. Periculum igitur, damnum emergens, lucrum ceſſans & ſimiles conſiderationes in hoc caſu non augent rerum pretia, ſed diminuunt pecuniæ valorem ; illa enim reſpectu pecuniæ numeratæ determinantur.

Pecunia incerta minoris fit quàm certa : præſens quàm futura.

837 *An affectus augeat rerũ valorem?* Secundò aliqui affectum conſiderant & docent poſſe rem pluris vendi propter affectum, quem quis habet ad illam. Sed nec hoc admittam : quia vel ille affectus eſt venditoris, vel emptoris ; neuter mutare pretia poteſt : ergo. Nam ſi forum ſit plenum mercibus æquè bonis, quid mea quod Petrus magis diligat ſuas ? an ideò pretioſiores ? & ſi non pretioſiores, vendi cariùs non poterunt : ergo affectus vendentis pretia non auget. Sed neque affectus ementis, quia pretia ſunt univerſalia, & reſpectu omnium : ergo non eſt dicendus equus, qui matutino tempore valebat centum aureis, valere veſpertino ducentis, quod tibi placuerit ; hoc enim ipſi equo extrinſecum accidentale, & nullo modo univerſos concernens. Vel aliàs candide Lector, Vſuræ illicitæ non ſunt. Petis centum ſcuta mutua ab avaro, & ipſo mortuo debes reſtituere filio prodigo : igitur, ſi affectus computandus eſt, ſiquidem majoris avarus parens centum, quàm prodigus filius mille faciebat, non jam centum, ſed multò plus deberes reſtituere, quod nemo mortalium ex bonis fundamentis concedet.

Affectus duplex: publicus & privatus. Cùm affectum non eſſe rationem augendi pretia aſſero, privatum intelligo, non communem ; ſcio enim majoris ea facienda quæ majori omnes vel ſaltem plures conatu & affectu deſiderant, tametſi hic ipſe affectus ex cauſa privata ſuboriatur. Sed & tunc videtur dari neſcio quæ civilis Simonia, ſimillima Spirituali & Eccleſiaſticæ ; talis tamen quæ non gravet conſcientias : tunc enim non tam rei ſubſtantia, quam aliqua civilis circumſtantia illi valoris & pretii augmento correſpondet. Vbi enim videmus Regum aureos annulos, torques, redimicula exorbitanti pretio vendi, aurum communi, at illam circumſtantiam notabili vendi pretio dignoſcimus ; annulum enim Regis fuiſſe, ſuis manibus geſtatum, aliquid politicæ divinitatis auro addit : quam majoris metallo facies, & tamen ſine Simoniæ politicæ culpa non vendas : ni fortè dicas, politica politicè tractanda, adeóque apud politicos crimen fore in talis Simoniæ crimen non incurrere ; videretur enim authoritas regia contemni, ni crederetur vel ſolo contactu aut affectu pretia valorémque rerum augere. Sed & per accidens aliquando continget pretia ipſa verè creſcere ob merum Principis contactum aut affectum ; non quòd hic aut ille ſit ratio formalis hujuſcemodi augmenti, ſed quòd occaſio ſit ex qua reſultet rem illam à pluribus deſiderari. Multa eſſent exempla, quibus poſſet confirmari iſta veritas. Occurrunt duo. Erat Neapolitanus Prorex, Dux de Oſſuna, vir faceti & fœlicis ingenii : & idem ſemel in officina quadam multos pileos figuræ obſoletæ & antiquæ videret, aut ſolicitatus ab ipſo mercatore (quod multi aſſerunt) aut genio proprio inductus (quod puto verius) unum ex illis comparari curavit, & quidem viliſſimo pretio : die ſequenti illo uſus, mercatorem illum fœlicem reddidit ; nam omnes aulici, omnes nobiles, univerſi divites pileos illos quærebant & ſummo emebant pretio : pileos inquam, quos die heſterno vel viliſſimo poſſent. Hîc hære. An-ne contactus Principis auxit eorumdem pileorum valorem ? minimè : ſed fuit in cauſa quod multi eſſent emptores : & horum multitudo fuit, quæ pretium & valorem adauxit. *Simile quid*, (ſi contraria dici poſſunt ſimilia, utpote quorum eadem eſt ratio) accidit Antuerpiæ

Simonia civilis.

Humana divinitas.

tuerpiæ Prorege Infante Cardinali. Erat commune non hujus vrbis solùm, sed etiam Belgii delirium circa flores, & præcipuè illos insulsos, qui dicti *Tulipæ*. Invitatur Cardinalis, ut hortum Canonici Tharsis invisat, & ipsi flores tanti Principis præsentiâ superbi illa die voluerunt pluris fieri. Omnia patientissimè percurrit Cardinalis, & inquirit quanti fiant omnes flores? ducenties millibus aureis valere respondent supra verum, & ille prudenti subrisu flores omnes despiciens, Amo, ait, rosas & flores, sed judicarem omnibus simplicem aureum pretiosiorem. Quibus verbis ita humiliavit illos flores, ut postea vili pretio darentur. An-ne eorumdem pretium à Principis affectu pependit? Non puto. Sed quia ejus exemplo omnes componebantur, eo flores contemnente, illos plerique contempsere, & diminuto stultorum emptorum numero, incepit valor Tuliparum decrescere.

838 *De penuria pecuniæ.* Tertiò etiam nonnulli penuriam ipsam pecuniæ causam esse ob quàm viliori; abundantiam, ob quam majori pretio res vendantur, contendunt. Sed nos hoc non negamus, & tamen nostram conclusionem tenemus: quia penuria pecuniæ emptorum numerum diminuit, abundantia auget: unde si idem maneret emptorum numerus tametsi pecunia esset rarior, pretia non minuerentur.

839 *De penuria mercium.* Quartò aliqui itidem mercium penuriam & raritatem producunt tanquam formalem causam diminuendi & augendi rerum pretia; sed & pretia augeri in rerum raritate sentio, at propter raritatem augeri non admitto. Cùm raræ merces, plures emptores sunt, & horum numero multiplicato, ad meam fundamentalem Positionem reditur.

840 *Doctrina valde necessaria.* *Sed objicis.* Cùm merces rariores tunc etiam pretiosiores sunt; atqui tunc non crescit emptorum numerus: ergo pretii auctio & diminutio ab emptorum numero majori vel minori non pendet; vel si pendeat, saltem poterit dari emptorum eodem numero perseverante. Majorem paragrapho antecedenti admisi; minorem probas: quia si dentur in hoc regno mille lapillorum emptores, manente eodem emptorum numero sint pauci lapides, quis dubitat? pretiosiores erunt: ergo ipsa mercium raritas, non quidem concomitanter, sed formaliter adauget pretium.

841 *An Emptorũ numerus & quantitas mercium respectu debeat considerari arithmeticè vel geometricè?* Respondeo ipsum emptorum numerum non debere considerari personaliter nec arithmeticè, sed quantitativè & geometricè; & hos terminos explicando ipsam etiam fundamentalem quartam Conclusionem, quam impugnas, expono. Numerantur emptores personaliter, quando personarum numerus ad computum; numerantur quantitativè, quando mercium quantitas, quam emere volunt, ad libram & pondus reducitur. Exempli causâ. Sunto in foro mille mensuræ tritici, & sunto quatuor mille emptores, qui desiderent emere quadringentas: dicam esse emptorum raritatem. Sed si centum soli essent, qui vellent emere quater-mille, tunc dicerem magnum numerum emptorum esse. Igitur, cùm agitur de emptorum numero, non respicitur personarum ipsarum multitudo, sed mercium, quas emere ipsi volunt, quantitas. Stantibus centum emptoribus qui quater-millibus mensuris indigerent, supervenirent decem mille mensuræ, jam illi, qui respectu mille mensurarum multi erant, respectu undecim millium essent pauci; quia hæc comparatio debet fieri geometricè; nam tametsi emptorum numerus arithmeticè maneat ipsissimus, geometricè alteratur: ille enim, qui respectu mercium erat major, respectu illarum, si augentur, erit minor.

842 *De Solitaria, quæ est pretiosissima gëma in thesauro Regis Hispaniæ.* *Sed instas.* Gemma illa in thesauro Regum Hispaniæ celebris; quæ *Solitaria* dicitur, tanti pretii propter raritatem ipsa est, ut soli potuerit Regi vendi: ergo raritas pretium adauget. Respondeo admittens esse ratam, parvi tamen faciendam, si pauci aut nulli essent emptores; fuerunt multi qui illam habuerunt parvi; tandem incepit cognosci & magni fieri; si vænalis exponeretur, milleni essent qui thesauros effunderent, ut adquirerent, & tanti ipsa facienda, quanti ab emptoribus fieret; nam qui dicunt tot ipsam auri millionibus valere quot nullus daret, non jam gemmæ pretium determinant, sed affectum.

An valor sit quid intrinsecum aut extrinsecum mercibus? *Objicies secundò.* Valor est aliquid morale in ipsis mercibus: ergo quando pretia mutantur, aliquid in mercibus mutari debet: erat enim verum, eas raras habere magnum valorem; at eas auctas & frequenter retinere illum primum valorem non est verum: atqui mercium abundantia & penuria est aliquid in ipsis mercibus; emptorum numerus, vel minor, non est in ipsis mercibus: ergo.

Respondeo concedendo antecedens, & primam consequentiam: subsumpti syllogismi majorem distinguo; concedo mercium raritatem & abundantiam esse aliquid physicum in mercibus; nego esse aliquid morale: minorem distinguo similiter; concedo emptorum numerum majorem vel minorem non esse aliquid physicum in mercibus; nego non esse aliquid morale: emptorum enim multitudo dicit quantitatem, physicè-afficientem emptores, & moraliter-afficientem merces: illos intrinsecè-physicè, istas intrinsecè-moraliter. Et ostenditur hoc ultimum; quia de primo dubium esse non potest. Quia non potest dari forma extrinseca alicui subjecto, quæ alteri intrinseca non sit; sic emptorum numerus physicè consideratus afficit intrinsecè emptores ipsos, extrinsecè merces; ergo si consideretur moraliter erit moralis quantitas, & debebit habere subjectum intrinsecum morale; non est aliud adsignabile præter merces: ergo has afficit intrinsecè-moraliter.

843 *De modo quo pretia mutentur.* Quæ *Valitas* & modus hujusce mutationis triplex proponitur, & quis illorum sit verior inquiritur. *Primò* enim posset dici pretium medium semper immotum remanere. *Secundò* medium etiam mutari, & extrema (summum, infimum) ab illo æquidistare. *Tertiò* mutato medio omnia geometricè mutanda. Exemplis doctrinam ipsam illustremus. Standum primo modo, si mensuræ tritici medium pretium sit quatuor florenorum, minimum trium & medii, maximum quatuor & medii. Si summum crescceret, deberet infimum diminui, aut arithmeticè, aut geometricè: arithmeticè quidem si maximum ad quinque florenos ascenderet, minimum ad tres descenderet:

deſcenderet: geometricè verò, ſi tres termini eſſent 3.4.5. tranſirent in 2.4.8. vel 1.4.16. Sed iſte modus omninò diſplicet, quia ſupponit ſemper minimum pretium minui cùm ſummum creſcit, quod abſolutè eſt falſum; quia creſcente ſummo & medium & infimum etiam creſcunt, ut experientia quotidiana perſuadet. Stando ſecundo modo, ſi termini eſſent 3. 4. 5. creſcerent in 4. 5. 6. vel 5. 6. 7. decreſcerent ad 2. 3. 4. vel 1. 2. 3. Stando autem tertio non poſſunt deſignari termini 3. 4. 5. quia 4. non eſt medium geometricum & proportionale inter 3. & 5. igitur utendo majoribus numeris, ſi termini ſint, 3000. 4000. 5333. ſi medium creverit ad duplum, erunt 6000. 8000. 1666. ſi ad ſubduplum decreverit, termini erunt 1500. 2000. 2666. & exiſtimo uno aut altero ex iſtis modis media ſuccreſcere & decreſcere. Sed utro? videretur mihi quod geometrico, aut ſi velis, alterutro.

844 *Quantum ultroneæ merces valeant? Vltroneæ dicuntur, quãdo quæritur Emptor.*

QVantitatem augmenti non tam facilè deſignare, quàm experiri poteris; in foro enim videtur communi conſenſu procedere, qui aliàs nec ſibi loquuntur, nec conſulunt. Cùm aliquis neceſſitate compellitur, & quærit qui ſupellectilem aliquam emat, vix eſſe emptores exiſtimandi ſunt, aliàs non quærerentur, & ideò rem vendendam vileſcere. Ita Ioannes Medina *C. de reb. reſtit. quæſt.* 31. *num.* 3. §. *Deinde demus.* Azorius *part.* 3. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæſt.* 6. Bañez *de juſtit. quæſt.* 77. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. Ioannes de la Cruz *in Directorii part.* 1. *præcept.* 7. *quæſt.* 3. *dub.* 1. *concluſ.* 1. Ledeſma *in Summ. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 32. *concl.* 6. Turrianus *tom.* 1. *diſp.* 57. *dub.* 6. *num.* 5. Navarrus *lib.* 3. *c.* 2. *dub.* 5. *num.* 30. Vaſquez *de reſtitut. cap.* 5. §. 1. *dub.* 10. *num.* 61. Pitigianus *in* 4. *Sentent. tom.* 2. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 3. Si quantum ipſamet vileſcat, inquiras, rem difficilem poſtulas: dicóque eſſe varias Scriptorum ſententias; res enim, quæ ultroneæ ſuut & vendendæ offeruntur, vileſcunt tertia parte teſte Cajetano *in* 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. Leſſio *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 33. Ioanne Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 25. *num.* 3. Bonacina *de contractib. diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 21. 23. Emmanuële Sà *Verb. emptio.* Fauſto *in ſpecul. Confeſſ. diſp.* 6. *q.* 10. *num.* 2. Filliucio *tom.* 2. *tract.* 35. *cap.* 4. *num.* 70. imò vileſcunt quoad mediam partem, teſte Palacios *in Summam Cajetani, verb. Emptio. c.* 2. quem ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpecul. Confeſſ. diſp.* 6. *quæſt.* 10. *num.* 9. & *de contractib. diſp.* 6. *quæſt.* 10. *num.* 9. Rebello *part.* 2. *lib.* 9. *quæſt.* 1. *num.* 36. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 47. *& ſeqq. & num.* 138. & fusè *conſil.* 93. *num.* 3. & aliis. Vtrumque probabile putat Diana 1. *part. tract.* 8. *reſol.* 23. 53. *&* 78. cui, quouſque ſuppetant rationes clariores, ſubſcribe.

825 Hinc patet, bona illa quæ, ut loquuntur Hiſpani, *ſe compran en lance*, tutò media parte valoris communis emi poſſe, & tamen emi juſto pretio; quia illa emptorum raritas ex modo vendendi proveniens in cauſa, ut media aut ſaltem tertia parte minùs valeant.

De Emptore ultroneo: quando rogatur & oratur venditor.

HIs poſitis ad monopolium redeundo (omnia enim dicta ſunt, ut illud clariùs in-

telligatur) aliquot caſus breviter proponam, ex quorum deciſione omnes alii, qui accidere ſolent, dependeant. Sed antequam multis te onerem, inquiro, An hæc ſit mala conſequentia. *Equus, cùm quæritur emptor nec reperitur, propter modum vendendi decreſcit valore ut emi poſſit ſubduplo. Ergo quando quæritur venditor, nec reperitur; propter modum vendendi creſcit valore, ut vendi duplo poſſit?* Tu conſidera; ſummam enim rationis paritatem reperio; ſed ne cogar judicium ferre, ad alia tranſeo, & caſus promiſſos propono.

Caſus primus.

IN ſubhaſtatione publica erant aliquæ merces quæ arridebant Petro, & ipſe rogavit amicos ne quis ultra tantum pretium offerret, ut emptorum penuriâ emeret illas pretio infimo, juſto tamen; & petitur, *An peccaverit contra juſtitiam?* & ſi peccavit, *Cuinam fuerit injurius; amicis, Reipublicæ, an ſoli venditori?* 846

An Emptores poſſint convenire inter ſe, ne quis plus quàm tantùm vel tantum offerat pro mercibus?

Contra juſtitiam peccaſſe & ad reſtitutionem teneri exiſtimat Mengala *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.* 6. *quæſt.* 5. *num.* 146. & injuriam putat fieri venditori, quia alii parati erant plus dare, & Petrus impedit ne venditor illud plus conſequatur. Sed hæc ratio non placet; quia illud plus quod volebant dare, non debebant; igitur non facit venditori injuriam impediens ne illud plus, quod erat indebitum recipiat.

847 *An ſic facientes contra juſtitiam, an contra charitatem peccent?*

Sed dices Petrum peccare quidem, non quidem contra juſtitiam, ſed contra charitatem. Et ego te jam Mengalæ deſerere ſententiam, & nihilominus non ſupponere veram doctrinam. Eſſet Petrus invidus, ſi impediret quod venditor lucraretur, ſi id poſſet fieri ſine poſitivo aut negativo damno proprio aut ſuorum, aliàs non; charitas enim incipit à ſe ipſa. Igitur cùm impedit, ne venditor lucretur indebita, ut ipſe & amici ſui retineant quod non debent dare, ſanctè procedit & bono proprio & proximioris conſulit. Imò cæteris paribus, ordo charitatis poſtulat, ut Petrus primò faveat ſibi, ſecundò amicis, tertiò concivibus, ultimò peregrinis; & venditores plerumque peregrini ſunt. Accedit quod Petrus ſit emptor: ergo favendo emptoribus, favet ſibi: non ergo peccat contra charitatem, ſi ſe majoris fecerit, quàm venditores. Et quid, quæſo, ſi Petrus non ſit emptor? Erit homo indifferens, neutris obnoxius: ergo poterit pro libertate ſua, aut emptoribus, aut venditoribus favere, ſi voluerit.

Reſolutio.

Reſpondeo igitur Petrum nec contra juſtitiam, nec contra charitatem peccare, & ſubſcribo Dianæ *part.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 76. Reginaldo *in Praxi tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 2. 2. *num.* 379. Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *cap.* 43. *caſ.* 3. Bonacinæ *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 10. Rodriguez *in ſumm. tom.* 2. *cap.* 84. *num.* 1. Aragonio *in* 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. Petro à Navarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 84. *&* 85. ſubſtruor ratione, quam reſpondendo Mengalæ expendi.

Extenditur ad alia materia.

Hæc doctrina, ut optimè notat citatus Antoninus Diana, eſt univerſaliſſima; & non ſolùm ad merces, ſed ad officia, & vectigalia emenda extenditur.

Sed quid, si non solùm Petrus defectu emptorum merces pretio infimo emeret, sed adhuc minore? Putà, si in foro hesterno infimum pretium fuerit quatuor aureorum, & ipse emerit tribus.

Respondeo rerum pretia mutari, & non esse contra justitiam cooperari, ut rerum pretia remittantur, sed emere eas injusto pretio. Sanè si ille mercator defectu emptorum aliis dabat aut daret merces tribus aureis, dicendum esset eas hoc foro non valere plus, possèque à Petro eodem pretio emi.

Casus secundus.

848 *An possint conspirare Emptores?*

EX præcedentis resolutione nascitur alia difficultas intricatior. Centum mercatores, qui empturi erant tabacum, verbigratiâ, & præter quos vix aliquis alius videretur empturus, convenerunt, quod tale forum nemo ex illis adiret duabus diebus integris, tertia & ultima die adiret unus & omnium nomine (hoc est, pro omnibus) tabacum emeret solus pretio minori minimo currente. Petitur, *An peccaverint, & ad restitutionem obligentur?* Consultò posui illud *pretio minori minimo*, quia si de minimo ageretur, cessaret omnis difficultas ex dictis casu præcedenti.

849 *Aliud est mutare justa pretia, & aliud emere infra justum etium.*

Cùm audis pretium minus minimo, statim injustitiam concipis, & existimas peccatum & restitutionem necessariò admittendam, ego autem timidior non audeo præcipitare sententiam, & contrarium assererem si me tam munitum Authorum testimoniis, quam rationum pondere & gravitate crederem. Fave igitur amice Lector meo scrupulo, & me adjuva ut singulas circumstantias examinemus. Puto equidem aliud esse cooperari ut mutentur pretia, & aliud merces emere pretio minore minimo. Puto posse & solere contingere ut pretium, quod heri erat minor minimo, hodie sit medium, summum-ve, aut etiam (N.B) majus maximo. Pronuncio hos centum mercatores non teneri illud tabacum emere, possèque vel non emere, vel alibi emere, vel aliàs: ergo injustitia in hoc quod duobus diebus subhastationem illam sua non cohonestaverint præsentiâ relucet. Quòd die tertia veniant, aut non veniant, nihil mali. Quòd non omnes personaliter navim adeant sed comunem procuratorem mittant, cur vituperem, cum eos impingere in aliquam legem divinam aut humanam non videam? Ergo eos hucusque non peccavisse dico. Sed & addo hoc posito dari mercatorum carentiam, & merces vilescere juxta superiùs tradita: & subjungo merces sub finem fori viliùs vendi quàm sub initium consentiente Diana 1. 1. *part. tr.* 8. *resol.* 53. Ergo si venires ad forum tertia die, verè diceres tabaci pretium decrevisse, ergo si decrevisse etiam diceres posse emi pretio quod pro tunc currens sit, & tamen minus minimo illuc usque currente: ergo si tu id posses, cur non ille mercatorum vicarius? Considera; da disparitatem, & pro tua prudentia resolve: sed hoc præ oculis posito, quod ubi sit verum dicere, *Dedi justum pretium*, non est verum dicere, *Peccavi & teneor ad restitutionem*; item, aliud esse cooperari, ut res minori pretio valeat; aliud cooperari, ut minoris, quàm valeat ipsa, detur. Sed & hujus casus resolutio pendet ex magna parte à resolutione sequentis.

Casus tertius.

850

PRæcoces emptores illos dicimus, qui Italicè *Rigatteri*, Hispanicè *Regateros*, aut etiam *Regatones* vocantur; illos scilicet, qui anticipatè merces emunt, ut cariùs posteà vendant. Petitur, *An ipsi possint merces anticipatè emere?* & si faciant, *An ad restitutionem teneantur?*

An possint esse leges civiles de hac materia?

Casus frequens, & cum magna attentione solvendus. Si detur lex invalidans horum emptorum anticipatos contractus, ipsi ex Regula LXIV. invalidè ement, tenebuntúrque repetere suas pecunias, & merces mercatoribus reddere; sed hæc lex, non videretur prudens, quia esset exposita gravioribus difficultatibus: quid si venditores per multas leucas discessissent? quid, si emptor jam merces revendidisset? Quid? Confusum chaos. Leges ex Regula C. debent esse prudentes & faciles; & talis procul dubio illa non esset. Si detur lex, non quidem contractum invalidans, sed prohibens, peccaret talis emptor (moraliter aut pœnaliter secundum qualitatem legis) non tamen magis teneretur ad restitutionem, quàm si lex humana non esset; ergo considerandus est contractus stando juri ipsi naturæ.

Resolutio ex lege naturali desumpta.

Respondeo igitur illos qui anticipatè emunt infimo pretio, ut posteà revendant medio vel summo, non teneri ad restitutionem; si autem emerent pretio minori minimo & venderent majori maximo, deberent restituere illi, à quo merces habuerunt, quantum à pretio infimo abstulerunt; deberent restituere illis, quibus vendiderunt, quantum supra summum pretium receperunt; & possent sibi retinere differentiam summi & infimi. Hanc doctrinam non esse improbabilem, vel esse probabilem (utrumque idem est, unde Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 27. docet Rebelli sententia hanc opinionem esse probabilem, & Bonacina de contract. *disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 5. à Diana citatus asserit Rebelli sententia hanc opinionem non esse improbabilem) docent Molina *de just. tom.* 2. *disput.* 345. *num.* 5. *concl.* 3. Filliucius *tom.* 3. *tract.* 35. *cap.* 8. *n.* 214. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 20. *num.* 150. Rebellus *de oblig. just. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 18. *sect.* 3. *n.* 38. Bonacina, Diana, & alii.

An no Probabile & Nō improbabile sint termini aquipollentes?

851 *An sit contra justitiam inducere caritatem aut etiam levitatem in pretio mercium, quæ venduntur in nundinis?*

Sed tametsi hæc facilia sint, dabo verba Bonacinæ, vt ex illis casui præcedenti respondeam. *Revenditores*, inquit, *excusantur à mortali & ab obligatione restituendi, etiam si caritatem inducant.* Ergo si non est contra justitiam inducere caritatem, sed emere aut vendere injusto pretio; non erit contra eamdem virtutem industriâ inducere pretiorum vilitatem, & postea vili rem pretio, currente tamen, emere. Ergo benè resolvi casum secundum præcedentem.

Casus quartus.

852 *An impedire*

IMportabantur Bruxellam Parisiis tales merces, quibus allatis earumdem pretium remitteretur;

aliquis possit ne merces ad talem, aut talem locum veniant?

mitteretur; at Paulus, ut quas habebat, intensiori venderet, egit ut illæ non jam Bruxellam, sed Londinum ferrentur: & petitur, *An peccaverit, & an restituere aliquid debeat?*

Respondeo cum Diana, Filliucio, & Lessio citatis, negativè, modò id pura Paulus industria, non fraude, minis, aut violentia obtinuerit.

An cooperari aliquis possit, ut merces majori aut minori pretio vendantur?

Infero. Ergo, si suâ industriâ potuit licitè facere ne esset Bruxellæ copia mercium, etiam suâ potuit industriâ facere ne esset copia emptorum: ergo potest benignè casui secundo responderi.

Sed instas. *Quid si violentiâ impedierit, ne illi mercatores Bruxellam venirent? quid si fraudibus eos in Londinum coëgerit?* Respondeo omnem violentiam esse malam, & quinto Decalogi articulo oppositam: nego tamen esse furtum; ac propterea vim inferentem teneri satisfacere eodem modo, quo satisfaceret alteri iter agenti, cujus iter fraudibus aut vi impediret. Addo posse Bruxellæ hujusmodi mercatorem vendere merces suas pretio currente, nec hinc ad restitutionem teneri. An-ne tenebitur aliunde?

Casus ad terminos strictiores reducitur.

Hîc volo tantisper hærere, & singulas circumstantias recognoscere. Primò, mercatoribus illis, si Londini eodem aut sibi meliori pretio merces suas vendiderunt, nulla videtur facta injuria, ex qua onus restituendi emergat. Ergo veniendum ad illum casum est, in quo illi minoris vendidisse Londini, quàm Bruxellæ vendidissent, dicantur: in quo Bruxellienses majoris à Paulo debuerint emere, quàm emissent aliàs, si importatæ essent Bruxellam merces, quæ Londinum illatæ. His positis sic argumentaris. [Mercatores habent jus, ut nemo illos fraude impediat, ut Bruxellense forum adeant: & Bruxellenses jus, ne quis dolosè mercatores civitati illi utiles aliò abigat: ergo Paulus eget contra jus venditorum & emptorum: ergo tenebitur restituere mercatoribus quantum fuissent lucrati, si venissent in Belgium: & emptoribus, quantum plus expenderunt, quod illi transierint in Angliam.] Videtur discursus, inquis, bene fluere. At ego non video Paulum abstuliſſe aliquid quod alterutri habebant, sed feciſſe ne haberent: nec percipio injustitiam, sed mendaciu m, sibi ipsi officiosum, & cæteris inoffieiosum. Mercatores illi non venerunt Bruxellam ad nundinas, & Paulus vendidit merces suas pretio currenti. Ergo non tenebitur ad aliquam restitutionem. Sed ais: vendidit quidem merces Paulus pretio currente, quod erat: non autem pretio, quod esset, si alii etiam mercatores venissent. At ego putabam, me debere obedire legibus quæ sunt, non quæ essent: adeóque mercatores debere emere & vendere secundum pretium quod sit, non autem secundum quod esset.

Aliud est capere quod est tuum: & aliud impedire ne aliquid fiat tuum.

In nundinis non respicitur pretium quod esset, sed quod est.

Resolutio non ponitur: sed lectori relinquitur.

Subtilia sunt, & fortè ideò alicui displicebunt singula, quia non penetrabit injustitiæ & restitutionis radices, nolo cum quocumque in materia tam subtili disserere. Ergo omnia hæc disputando sint dicta: tu omnibus consideratis controversiam resolve.

Casus quintus.

853 *De præscientia & providentia mercatorum.*

COnsiderans Ambrosius cautè itinerum difficultatem, prævîdit anno sequenti tales merces importandas non esse, & quas aliàs erat venditurus retinuit, ut cariùs tunc, cùm solus, venderet, sicut de facto fecit. Et inquiritur, *An fuerit alicui injurius?*

Respondeo negativè cum Reginaldo *tom.2. lib.25.n.330.* & Diana *part.1.tract.8.resol.27.* & addo sæpè hujusmodi homines prodesse Reipublicæ. Iosephus in Ægypto populum suâ providentiâ à faucibus mortis liberavit; oportet enim aliquando parciùs exponi, quæ si liberaliùs exponerentur, expenderentur paucis diebus, & posteà absolutè deficerent.

Casus sextus.

854 *An omne monopolium sit malum?*

ANtonius, cùm charta propter abundantiam vilissimo pretio venderetur, universam emit, & posteà carissimè vendidit; interrogas, *An teneatur ad restitutionem?*

An teneatur ad restitutionem, qui caritatem induxit?

Vt respondeam præmittam verba Petri à Navarra *de restitut.lib.3. cap.2. num.84.& 85.* quæ citat & approbat Diana *1.part.tract.8.resol.76.* dicentis, *Non enim meo judicio quodcumque monopolium mercatorum, ut non nisi certo pretio emant, est iniquum, si revera illud est justum pretium.* Ergo isti Authores sentiunt, potuisse Antonium emere pretio infimo, quæ venderet maximo: quibus ego subscribo. *Sed quod esset in tali casu pretium maximum?* Hîc aliam ingredimur difficilem & odiosam difficultatem. Tu memineris à nobis superiùs resolutum non esse peccatum cooperari ut mutentur pretia, licèt sit peccatum cooperari ut merces aut infra minimum aut supra maximum vendantur. Hoc tu attentè pro tuo ingenio considera.

Casus septimus.

855 *Examinatur contractus quidam, qui hodie in civitatibus communis apud mercatores videtur.*

LAborabas pecuniæ necessitate, & Anselmum mercatorem adiens mutuam postulas, & cautionem sufficientem pro securitate pollicêris. Ille offert tibi merces, quia vult favere, & ille modus sufficit; recipis summo pretio, sed vendendas minori. Tunc ipse postulat, an ipsi velis vendere, & emit pretio infimo. [Alii, ut cautiùs procedant merces dant, & uxores suas pecuniâ indigentes remittunt, & tunc quæ mariti summo pretio vendiderant, uxores emunt infimo: & tamen pecunia quæ datur, non uxorum, sed maritorum est.] sic tecum agitur, & cùm videas te hoc contractu gravari, interrogas, *An potuerit iniri?* &, *An mercator teneatur ad restitutionem?*

Respondent communiter Authores non teneri ad restitutionem; quia res emitur & venditur in utroque contractu justo pretio. Ita Homobonus de Bonis *in exam.part.2.tr.9. cap.3.quæst.5.* Laymanus *in Theol.moral.lib.3. sect.5.tract.4.cap. 6.num.16.* Lessius *lib.2.c.21. dub.16.num.130.* Reginaldus *lib.25.num.296.* Toletus *lib.5.cap.31. num.30.* Salas *tract. de empt.& vend.dub.37.num.2.* Navarra *de restit. lib.3.cap.2.num.17.* Rebellus *lib.9.quæst.7.n.7.*

quibus ſubſcribit Diana 1.*part.tract.*8.*reſol.*20. & alii.

Nota hoc bene: ut caveas à tali contractu.

Sed inquiris, *Quale ſit infimum & ſummum horum contractuum pretium* ? Reſpondeo dari duas emptiones : & in prima ſummum pretium eſſe ſummum currens ; in ſecunda infimum eſſe mediam aut tertiam partem infimi currentis ; quia cùm tu quæras emptorem, merces tuæ vileſcunt media aut tertia parte, juxta ea quæ diximus ante caſum primum *num.* 844.

856 *An ſit licitus contractus de revenditione?*

Inquiris ſecundò, *An poſſit iniri pactum de hac ſecunda venditione* ? hoc eſt, *An tutâ conſcientiâ potuerit Anſelmus dicere ; Ego dabo tibi has merces tali pretio ſub onere quòd vendas mihi pretio tali* ? Negat Diana ex ſententia Molfeſii *in ſumm.tom.*2.*tract.*12.*cap.*5.*num.*11. Molinæ *de juſt.tom.*2.*diſp.*316.*num.*2. & allegatorum Doctorum. Et primò ſi merces darentur mutuæ, & non daretur lucrum ceſſans, nec damnum emergens, quod videtur impoſſibile, vera eſſet Dianæ reſolutio : At Anſelmus non mutuat, ſed vendit : & hoc bonum eſt. Et poſtea vult emere, & hoc etiam bonum eſt: cur igitur non poteſt iniri ille contractus, ſi aliquid de ſummo pretio remittatur, ita ut totum pretium imbibat tot florenos & onus revendendi ? Rationem ob quam ille iniri contractus nequeat quærimus, Diana non dedit; nec ego invenio, tametſi accuratè quæſierim. Ne ergo amice Lector ſententiam præcipites, quouſque momenta fortiorum rationum appendas.

Reſolutio docto relinquitur.

Certa ponuntur aliqua:

Duo tamen in re ambigua videntur mihi valde clara. *Primum* teneri ad reſtitutionem mercatorem, qui rem tibi venderet ſummo pretio cum onere revendendi ſibi ; quia & nihil ultra ſummum tutâ conſcientiâ poteſt recipere ; & qui ſummum pretium reciperet & hoc onus imponeret, jam aliquid reciperet ultra ſummum pretium. *Secundum* ſi habeatur ratio hujus gravaminis, & prudenti judicio taxetur, & taxata quantitas à ſummo pretio remittatur, nemini fieri injuriam. Rem exemplo illuſtrabo. Panni aurei ulna vendatur centum aureis ſummo pretio minimo ſeptuaginta : & hoc numeratâ pecuniâ, at centum decem, & ſeptuaginta ſeptem poſt annum numerandâ. Te mercatorem adeo, & quaſi centum aureos mutuos expoſtulo. Tu mihi ;

diſputatur de aliquibus:

Vendam merces, inquis, pretio juſto, & illas emam numeratâ pecuniâ : & quia hoc ipſum onus quod impono, pretio æſtimabile eſt, decem aureos in venditionis toto pretio remittam ; accipe igitur tres aurei panni ulnas. His poſitis non jam Theologus ſed Arithmeticus quærendus, qui dubio ſatisfaciat. Computum ineamus. Tres illæ ulnæ pecuniâ numerandâ valebant trecentis triginta aureis, & quia decem pro onere revendendi remittuntur, non jam niſi trecentis viginti : tot ſunt quos debeo poſt annum tibi ſolvere. Tibi vendo pretio infimo, & quia numeratam pecuniam expoſtulo, ducentis decem ; & quia modus vendendi (quæro enim emptorem) pretium ad medietatem remittit, non niſi centum quinque. Numeras igitur mihi centum quinque aureos, trecentos viginti poſt annum recepturus. Sanè durus contractus ; ſummè tamen probabilibus magna ex parte fundamentis innitens. Si dicam propter modum vendendi non poſſe mediam partem pretii remitti, non enim quæro emptorem cùm præſto es : reſpondebis me neceſſariò, ſi tu præſto non eſſes, emptorem quæſiturum, téque tantummodo velle illius quæſiti perſonam ſubſtituere, & potiùs quæri quàm alium, adeóque hac inſtantia nihil in re mutari. Sed interim Lector benè examinet, nam timidè hæc ſcribo.

nihil reſolvitur, ſed reſolutio tota lectoris judicio prudenti relinquitur.

Caſus octavus.

857 *De materia, quæ pro veſtibus à ſartoribus emi jubetur.*

REſolutiones, quibus emptionis & venditionis ingenium, necnon monopolii naturam expoſui, claudam dubio frequentiſſimo, cujus ſit reſolutio maximè neceſſaria.

Contingit, ut qui novas ſibi veſtes comparant, ſæpè committant ſartorum fidelitati, ut panni aut ſerici materiam emant à mercatoribus. Sartor A inierat cum mercatore B hunc contractum. Sartor ſe obligabat illam ſolam officinam adire, & mercator dare omnes materias viliori pretio quàm alii cuicumque. Interim ſartor accipiebat ab iis, quibus veſtes procurabat pretium currens ; & jam tandem ſcrupulis anxius, *An gravetur obligatione reſtituendi*, ſolicitus à nobis perquirit.

Caſus propo-nitur.

858 *Authores qui ſartoribus favent.*

Reſpondent Authores diviſi : alii aſſerunt, alii negant : ſed & illi ita aſſerunt ut ad fraudem recurrant, unde ſi fideliter ſartor egerit, ab univerſis abſolvitur. Stat pro ſartoribus Filliucius *tom.*3.*tract.*35.*c.*6.*n.*149. Homobonus *in Exam.Eccl.part.*2.*tr.*9.*cap.*4.*quæſt.*6. contra quos citari ſolet Salas *tractat. de empt.dub.*45. *n.*6. adlegans Molinam *de juſt.tom.*2.*diſp.*363. *num.*3. ſed Salas reverà non diſſentire à Filliucio docet Diana 1.*part.tract.*8.*reſol.*26.

Ego quidem claritati ſtudens, & horum Authorum veſtigia premens, aliquibus Aſſertionibus difficultatem enodabo.

859 *Mercatorum aliquorum praxis.*

Prima. *Poteſt ſartor nomine ſuo ſibi emere à ſupradicto mercatore materias pretio infimo, & poſteà vendere illi, cui veſtes præparat, pretio ſummo currente.* Conſtat ex reſolutione caſus tertii, ſexti, & ſeptimi.

860 *Bibliopolarum praxis.*

Secunda. *Poteſt idem ſartor ſibi emere eaſdem materias nomine proprio & pretio maximo currente hoc inito contractu generali, quòd mercator ſemper illi tantam aut tantam partem ſolutionis remittat.* Hæc videtur eſſe Bibliopolarum praxis. Petri officinam adis. Chriſtophori Butkens Trophæa Brabantica ad ſummum patriæ honorem calamo eloquenti & veraci ſcripta poſtulas. Librum ille ſe octodecim florenis emiſſe ſanctè jurat, tibi tamen propter amicitiam, ut ait, ſeptemdecim vendit : & tamen perjurus non eſt, & aliquot florenos lucratur. Et myſterium conſiſtit in hac praxi. Emunt Bibliopolæ à Typographis aut aliis Bibliopolis libros, & facto venditionis contractu ex vi generalis & antecedentis concordiæ venditor quartam pretii partem remittit. Petrus igitur tametſi librum illum octodecim florenis verè emerit, tredecim & medium ſolvit, quatuor enim & medium (hoc eſt, quartam partem) Typographus illi remiſit. Ergo tametſi octodecim emerit, & tibi ſeptemdecim vendat, lucrabitur tres florenos & medium.

An poſſit aliquis minoris vendere quã emerit, & tamen lucrari?

Ex

Summi & infimi pretii distantia.

Ex hac Bibliopolarum praxi usu receptissima colligo in libris pretium summum & infimum se habere ut 4. ad 3. videntur enim libri vendi summo, solvi infimo. Cùm disparitatis rationes non suppetant, videtur de omnibus rebus analogicè esse philosophandum.

861 *De contractu in quo mercator aliquâ partem donat.*

Tertia. *Potest idem sartor, qui tibi vestem comparat, emere tibi easdem materias nomine tuo pretio maximo currente, hac initâ generali concordiâ quod postea mercator tantam illi condonet partem.* Ex vi hujus contractus tibi materia emitur, pretium totum mercatori adquiritur; ipse tamen, quia utilitatem sentit, potest teneri ad dandum tantam sartori partem, ne ad alias officinas veniat.

862 *De contractu in quo mercator aliquâ partem remittit.*

Quarta. *Si sartor vestem summo pretio nomine tuo emeret, initâ generali concordiâ quòd mercator deberet quartam partem remittere, tibi illam emeret, mercatórque tibi, non sartori, illam quartam pretii partem remitteret, quam si sartor acciperet, injustè acciperet, & ad restitutionem teneretur.* Hæc assertio scrupulos Authorum dissentientium componit. Et probatur. Tibi enim adquiritur quidquid nomine tuo & tua pecunia emitur; in tali enim emptionis contractu tu consideraris *ut quod*, sartor *ut quo*. Tu redderis mercatoris debitor, non sartor; ergo si mercator remittat quartam debiti partem, debitori & non alii remittit: ergo tibi, tu enim solus es debitor *ut quod*. Vbi observare oportet, aliud esse *remittere*, aliud *donare*; donamus cuicumque volumus, debita autem non cuicumque, sed soli debitori remittimus.

Aliud esse donare & aliud remittere, notabis benè.

863 *Resolutio maximè consideranda.*

Quinta. *Si sartor has omnes subtilitates capere non possit* (nec mirer; multi Theologi, cùm illas examinant, vacillant) *à te, cui vestes comparat, pretium summum currens acciperet, mercatori infimum daret, sibi differentialem summam retineret, hoc formando dictamen; doceor à meo Patre spirituali, quòd hoc sit licitum, si fiat nescio quo modo, quem non bene intelligo; est tamen mea intentio contrahere ad mentem mei Patris spiritualis, non satisfaceret, & teneretur ad restitutionem.* Et ut credo demonstrativè persuadetur; quoniam contractus requirit conventionem & concordiam; qualis autem hæc esset, si mercator unum modum mente conciperet, aliter sartoris confessarius, maximè cùm tu neutri subscribas, & quia subministraturus pecuniam, sis persona principalis comœdiæ. Si omnes (N.B.) qui in aliquo casu requiruntur in mentem alterius compromittant, salva res est; tu tamen, qui soluturus pecuniam es, nunquam in mentem illius Patris spiritualis volentis tuæ pecuniæ quartam partem licitè accrescere sartori, compromissurus es. Sartor igitur & mercator juxta tres priores modos conveniant, ut possint ditescere tutâ conscientiâ.

* * *

DISPVTATIO XVII.

De Simonia.

QVAM multa, quàm levia, quàm superficialia de Simoniæ singularissima, gravissima, & profundissima materia scripta! Quàm multa supposita! quàm pauca radicitùs examinata! Si scriptor scrupulosus sit, nulla erit circumstantia ab hoc contagio libera; si audentior ipsiusmet Simoniæ conceptus erit idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus. Pingues mentes adloqui nunquam desidero, hîc autem præcipuè omnem, qui acumine non polleat ablego. Pauca dicturus sum, sed quæ ectheses multas parturiant.

864 *An hæc materia sit bene à junioribus, aut etiam antiquioribus tradita?*

Simonia dicitur à Simone primo Simoniaco, cujus historia in Actuum octavo legitur. *Vir autem quidam nomine Simon*, inquit Lucas Divinus Historiographus, *qui antè fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum dicentes; Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum propter quòd multo tempore magiis suis dementasset eos. Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu-Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit; & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo: videns etiam signa & virtutes maximas fieri stupens admirabatur..... Cúmque vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus-Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens; Date mihi & hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum-Sanctum. Petrus autem dixit ad eum, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Et cùm rigorem hunc verborum subaudio, hæreo totus, & miror vel nostrates esse tam doctos, vel tam indoctos, vel tam indoctum Petrum. Piscator ille erat, hi Doctores; sed permisit Omnipotens multa reprehensione digna in verbis Doctorum, nulla in Piscatorum reperiri. An non posset Simoni Petrus vendere, non quidem Spiritum-Sanctum, sed honorem inde resultantem, eo modo quo locus honoratior pro sepultura vendi dicitur citra Simoniam ab iis, qui tametsi fateantur esse Simoniacum accipere pretium pro sepultura, negant esse, si illud pro circumstantia illa honorificentioris loci, quæ æstimabilis pretio est, recipiatur? & quidem Simonem non curasse Spiritum-Sanctum, sed plausum & authoritatem, quam apud vulgus habere poterat, videtur ex sequentibus verbis S. Petri suaderi, videlicet, *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Præterea, cur non posset Petrus abstrahendo ab Spiritu-Sancto, vendere laborem insumptum in concessione hujus potestatis prætensæ; nam vel debebat manus Simon imponere, vel aliquem locum adire, vel aliqua verba proferre, quæ omnia physica materialia & pretio æstimabilia sunt, juxta eorum doctrinam quæ docent

Quid & unde dicta sit simonia?

Simon quis?

Quid emere pecunia valuerit?

Instantiæ nonnullæ notandæ.

De sepultura honoratiore.

De labore.

intercedendi onus, & laborem itineris ſuſcepti pro collatione beneficii vendi poſſe? Et, ſi ſine Simonia poſſimus res ſpirituales commutare, ut ſi ineamus concordiam, quæ te obſtringat ad dandum eleemoſynam tali pauperi, me ad conferendum beneficium; cur non poſſet Petrus poteſtatem illam tradere, & titulo eleemoſynes pecuniam oblatam accipere? Verè hæc omnia obſcura & intricata ſunt; quia, ſi potuerunt fieri, non eſt cur tam crudè Simon à Petro reprehendatur, maximè cùm debeamus proximorum actiones in meliorem partem interpretari. Fateor me hærere, cùm hanc hiſtoriam lego; videtur enim omnes opiniones benignas, quæ in hac materia ſunt, deſtruere. Sed videtur: & tamen à viris etiam doctiſſimis cum eiſdem benignis ſententiis componitur. Cæterùm, quia ſacra pagina, tunc benè exponitur, cùm juxta communem ſententiam & rationem, ſummam textus amaritudinem ſaccaro probabilis benignitatis condiens interpretabor, & ratione communique Doctorum conſenſu duce ſubtiles difficultates enodabo. Vt igitur omnia benè intelligas, à Simoniæ definitione incipiamus. *Simonia juris Divini, eſt contractus illicitus & invalidus, quo ſupernaturalia pro naturalibus directè commutantur.* Conſtat eſſe invalidum ex Regula LXIV. quia contra legem dirimentem, conſtat eſſe illicitum, quia contra legem præcipientem. Cúmque jure humano multa ad ſupernaturalitatem virtualem eleventur, quæ ſacra ſeu eccleſiaſtica vocantur, hinc erit quòd *Iuris humani Simonia ſit rerum ſacrarum aut eccleſiaſticarum directa commutatio pro rebus nec eccleſiaſticis, nec ſacris.*

De eleemoſyna.

An corruant omnes benigna ſententia in hac materia?

Quid ſit Simonia? & quotuplex?

866 Infero primò Crucium, & quarumcumque ſanctarum imaginum materiam, artem, laborem artificis, & expenſas in ferendis, & conſervandis factas, vendi poſſe ſine Simonia. Ratio eſt, quia omnia hæc, quæ vendi dicuntur, non ſunt ſupernaturalia realiter, nec virtualiter, ſed purè naturalia.

An imagines & cruces vēdi poſſint?

867 Infero ſecundò de Agnis-Dei ſi omninò albi ſint, hoc eſt, nec picti nec coloribus aut auro infecti, eamdem eſſe rationem. Subſcribo Flavio Cherubino *in comp. Bull. tom. 2. conſtitut. 2. Gregorii XIII. ſchol. 1.* Naldo *in ſumm. verb. ſacril. num. 9.* Homini-bono *de exam. Eccleſiaſtici part. 2. tract. 9. capitulo 5. q. 9.* Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract. 37. diff. 11. n. 4.* Suarezio *de religione tom. 1. tract. 3. lib. 4. c. 14. num. 6.* Bonacinæ *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 29. num. 2.* Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 27.* * Et ſiquidem de Agnis iſtis agimus notandum Gregorii XIII. Bullâ excommunicari omnes qui illos pingunt, aut pictos vendendos conſervant: non igitur, qui illos à ſe aut ab aliis jam damnabiliter pictos, non vendendos conſervant; quia juxta Regulam XV. odia non ſunt extendenda ultra verborum ſignificationem. Concedunt conſequentiam *citatus* Bonacina, Diana *part. 3. tract. 6. reſol. 12.* Scortia *in Bulla Pontificis theorem. 330.* Fagundez *part. 1. lib. 1. cap. 4. num. 25.* negat tamen Rainerus *in catal. cenſ. cap. 9. Excomm. 64. in fin.* De hac excommunicatione dabo verba Vincentii Filliucii *tom. 1. tract. 14. cap. 6. num. 93.* dicentis, *Hæc excommunicatio à multis omittitur & neſcitur, ut propterea crediderim extra Vrbem non fuiſſe receptam: paſſim enim cernuntur Agni-Dei depicti, quos non eſt veroſimile fuiſſe depictos cum licentia Papæ.* Vbi obſervo *primò* hujus Authoris opinione excommunicationem receptione indigere: *Secundò* ex hoc antecedenti, *Hoc paſſim fit*; nempe, ſi materia ſit Iuris humani, non benè inferri Filliucii opinione, *Ergo paſſim peccatur*; ſed potius inferri debere, *Ergo non eſt lege prohibitum.* Hanc tamen excommunicationem eſſe in viridi obſervantia docet Fagundez *ubi ſuprà.* & tamen non eſſe reſervatam Pontifici, tanquam certum docent Barboſa *de poteſtate Epiſc. part. 3. alleg. 50. num. 150.* Diana *citatus* & poſt eos alii. At aliqui non facili negotio credunt eſſe excommunicationem majorem, ne quidem in ipſa Vrbe; non enim rationem pecati mortalis ſine materia magna, neque hanc in unius Agni-Dei leviſſima pictura reperiunt; quam ob rem prudenti lectori ponderandum relinquunt, An in tali materia detur quantitas peccati mortalis? fortè Pontifex non de uno Agno-Dei, ſed de multis agit: fortè aliquem ſibi gravem finem præter extrinſecam picturam præfigit: [Hoc benè notent Theologi doctiores; & explicent.] unde non ſatis mirantur Azorium tam ſeverè contra communem Doctorum ſententiam in Agnorum-Dei materia fuiſſe philoſophatum, dicentem non licere, ne quidem ratione materiæ illos vendere. Tu rem conſidera, à communi tamen ſententia non recedas. Sæculares, qui eos citra contemptum tangunt, peccare ſaltem venialiter putat Azorius; at Diana *citatus* ſequitur Sanchez, & nullam eſſe culpam illos à Laïcis tangi exiſtimat; & ſi rationem poſtulas ad uſum recurrit: nam ex hoc antecedenti, *Paſſim à laïcis & fœminis tanguntur*, cùm Azorius inferret, *Ergo non eſt lex mortaliter obligatoria*, inferunt Sanchez & Diana, *Ergo nequidem venialiter obligatoria*, non enim prudenter procedimus, cùm peccata venialia ſine cauſa evidenti multiplicamus.

An etiam Agni-Dei?

An picti & inaurati poſſint vendi?

Notentur hæ conſequentiæ ut Dialectica Moralis promoveantur.

An pingere unum aut alterum Agnum-Dei, ſit materia peccati mortalis? Cur in hoc genere non debet admitti materia parvitas?

An ſit peccatum Agnos tangere?

Etiam hæ conſequentiæ, & inferendi modus notatur.

868 Infero tertiò ſepulturam quà ſepulturam non poſſe ſine Simonia vendi, poſſe tamen quà honorificentiorem. Ratio eſt; quia ſepultura quà talis ſacra eſt, illa autem circumſtantia honoris non eſt ſacra. Ita Diana *part. 2. tract. 15. reſol. 57.* munitus authoritate Garciæ, Soti, Spini, Gratiani, Laræ, Salazari, Humadæ; Ioannis de la Cruz, Rodriguez, Aragonii, Philiarchi, Emmanuëlis Sà, Naldi, Barboſæ, Raguſii, & Genuenſis. Ego quidem admitto eſſe hanc doctrinam probabilem: addo tamen, quod ſub initium inſinuaſſe me memini, eſſe expoſitam magnis inconvenientibus: non enim occurrit (at alii poterit fortaſſis occurrere) evidens ſolutio, quam reponerem ſi ex illatione ſubinferres, *Ergo tametſi Simoniacum ſit vendere Epiſcopatum aut Canonicatum, non erit vendere honorificentiorem?* Conſidera rationis conſequentiam, & quid dicendum ſit expende; mihi enim videtur & neceſſaria & multis periculis obnoxia, ideóque nihil volo reſolvere.

Doctrina probabilis interdum perniciosa eſt.

869 Infero quartò, orationes, & actus omnes ſpirituales, voces capitulares, ſuffragia, & dignitates Eccleſiaſticas (excipe beneficiorum commutationem)

De rerum ſpiritualium

& supernaturalium commutatione.

commutationem) posse inter se liberè absque Simoniæ labe commutari. Isti enim contractus non sunt Simoniaci ; nimirum, *Elige me in Provincialem, & te in Priorem eligam ; Commenda me Deo, & ego te vicissim commendabo; Lege pro me sacrum, & ego pro te Psalmos pœnitentiales legam ; Audi meas confessiones, & ego tuas ;* [*Da mihi talem Episcopatum, & ego pro tuo patre tot centenas Missas curabo dici.*] Ita Aragonius 2.2. *quæst.*100.*art.*1. Sotus *lib.*9.*de justit.quæst.*5.*art.*2.*ad* 3. Victoria *in relect. de Simonia,num.*17. Sanchez *in opuscul.tom.*2.*lib.*2. *cap.*3.*dub.*54.*num.*5. ubi asserit ita sentire doctos Recentiores. Hanc sententiam probabilem esse putat Diana *part.*4. *tract.*4.*resol.*150. credit tamen damnabilem ex aliis rationibus. Sed subornationis periculum, ubi non agitur de officiis & dignitatibus conferendis, non reperitur.

An opinio probabilis damnari possit ?

Simonia duplex:vera & interpretativa.

Sed si ista vera, *Cur dicitur commutatio beneficiorum Simoniaca ?* Respondeo beneficia prout sacra sunt & permutari nequeunt, esse virtualiter supernaturalia, non ex natura rei, adeò non esse sacra ex natura rei, sed jure humano ; & consequenter ex jure humano, cùm venduntur, Simoniam committi ; veram tamen. [Nota illud *veram*, quia datur Simonia, talis juris fictione seu virtualiter, quæ vera non est, ita tamen se habet ac si vera esset.]

Cur non possint commutari beneficia ?

Posset Pontifex facere, ne Simonia committeretur, si tolleret humanitùs concessam supernaturalitatem : & voluit facere quod in commutatione committeretur, tollendo illam ab altero, quâ sublatâ jam res sacra pro nonsacrâ videtur commutari : & sic intelligendus est textus *in cap.Quæsitum,de rer.permut.* Hanc rationem altâ memoriâ retine, puto enim aliter illius permutationis veram Simoniam defendi non posse. In illustrissima Vniversitate dego, & quia vivos majoris quàm Scriptores veteres à pueritia facio (cùm quia & hodie ingenia majora esse puto, quàm olim ; tum quia artes altiùs promotæ & examinatæ ; tum etiam quia illorum mentes rimamur & non semper adsequimur, isti adsunt consuli semel iterum & sæpiùs possunt, ut sub finem Scholii in librum de præcepto & dispensatione Melliflui Doctoris adnotavi) sæpè illorum ingenia periclitor, consulo, ebibo, & tamen hanc meam semper rationem retineo ; alias enim judico inefficaces : nam si hoc non dicatur, in beneficiorum permutatione vera Simonia neganda est, asserenda humana in juris fictione consistens, quam si admittas arbitrariò positam, etiam pro libitu philosophaberis : cæterùm qualiscumque ea sit, à superiorum voluntate dependet, nam beneficia superiorum authoritate (aut dispensante si Simonia humana sit, aut mutante materiam si divina) quotidie licitè permutantur.

An veterum ingenia sint meliora & nobiliora ingeniis juniorum?

Conclusionẽ communem teneo, & solum in modo illam defendendi dissentio.

* *
*.

DISPVTATIO XVIII.

De Testamento.

NIHIL æquius dicunt Iurisconsulti, 870
quàm adimpleri quæ ultima voluntate testatoris decreta ; sed hæc universalis positio reducta ad limam scholasticam magnas patitur difficultates, quæ facili negotio possunt à legibus & jure positivo aut auf aut remitti ; & perdifficili stando juri nati : adeóque examinet

ARTICVLVS I.

An in lege naturæ condi potuerint Testamenta?

VIderetur alicui quod non : quia legatio 871
vel est donatio, vel non ; si non, ex vi Testamenti nihil legatarius adquiret ; si sit, conditionibus essentialibus carere non potest. Ergo debet dari persona quæ donat, & cui donatur : utraque enim est æquè necessaria, & fortè necessarior prima, quia persona *cui* videretur in aliquo casu posse deesse, cùm tamen in nullo possit persona *quæ* : vidimus enim legata fieri ædificiis, & si hæc propter homines erigi dicas, etiam brutis, ut cùm miles equo, quo ultimum vitæ discrimen evasit, legat congruam sustentationem & laborandi immunitatem, quæ si malè facta censeas, multorum Heroum ultimas voluntates mordebis. Ego autem in similibus casibus ut suaviùs philosopher distinctione me expedio. Illa, inquam, quæ ad domus reparationem & conservationem legantur, non domui ipsi, sed domino domus legari : & quod equo vel alii bruto, non illi, sed similiter ejus domino dari : & sic mutatis terminis & testamenta multorum nobilium defenduntur, & rationis regulæ non temerantur. Sed quid'quid sit de persona *cui*, de qua redibit disputatio, certum est donationem sine persona *quæ*, intelligi non posse : ergo designandum est aliquod instans, in quo ipsa realiter aut virtualiter dicat, *Do de facto bona mea talibus* ; atqui tale adsignabile non est : ergo stando juri naturæ Testamenta condi non possunt. Probo minorem. Quia quando Testamentum fit non dicit *Do*, sed *Lego*, hoc est, *Dabo* ; ergo asserit se daturum esse : ergo vel hæc propositio *Dabo*, falsa est, vel erit aliquando vera hæc propositio, *Nunc do*, atqui nunquam hæc est vera : ergo. Minor probatur. Non est vera in aliquo instanti ante mortem, quia ex communi Iurisperitorum sententia ante mortem legatario nil datur ; non est vera in aliquo post mortem, quia jam non datur persona *quæ* donare possit ; nec est vera in instanti ipso mortis, quia si hoc sit ultimum *esse* hominis, nullum transfertur dominium, quia nondum est mortuus, adeóque nec donatio est actualis dominii translatio ; si autem instans mortis dicatur

Rationes pro parte negativa.

An possit aliquis operari vel pati quãdo non est?

An brutis & inanimis rebus possint legata dari?

Aliud est do, & aliud dabo.

Ante testatoris mortem nihil hæredi aut legatario datur.

dicatur primum *non-esse* hominis, tunc homo non est nec habet dominium, nec aliquid donare potest. Hæc difficultas urgebitur rationis paritate. Dicit Petrus, *Dabo tibi centum aureos cùm moriar*, dicat etiam, *Et cùm moriar frangam hanc christallum*; positiones sunt omninò similes, & eodem omninò modo verificandæ. Si est verum dicere *Frangam*, aliquando erit verum dicere *Frango*, & si aliquando futurum est ut verum sit dicere *Frango*, posteà sive vivam sive non, erit verum dicere *Fregi*. Ergo similiter de hac positione *Dabo* philosophemur. Si Petrus mihi in suo Testamento aliquid dedit, aliquando id dedit; at nunquam dedit; ergo non dedit. Minorem probo; quia nec dedit ante mortem, quia ante mortem nulla legatio est valida; nec dedit post mortem, quia tunc Petrus non habet rerum dominium, imò nec est: nec dedit in morte, quia illud *in*, aut significat ultimum *esse* vitæ, aut primum *non-esse*; & in hoc dare non potuit, & in illo non voluit, quia si voluisset transferret dominium, & ego haberem, etiamsi superviveret.

Quid sit mors? an-ne ultimū esse, an verò primum non-esse?

872 *An testamentum donatio conditionata sit?*

Dicunt aliqui Testamentum esse donationem conditionatam, & positâ conditione tenere. Nam cùm dicis, *Do Paulo centum scuta, si verum est, quòd Rex sit Matriti*, donationem validam facis, si Rex Matriti est; nullam, si non est. Et similiter posito Testamento, quod est donatio de futuro, voluntas donandi virtualiter in testatore perseverat, quam ob rem ipse in singulis vitæ instantibus censetur dicere *Do de facto omnia mea bona talibus, si hoc instans est ultimum meæ vitæ:* cúmque hæc conditio aliquando ponatur, aliquando etiam incipit donatio esse valida. Addunt, ineptè inferri, Ergo si legato superviveret, teneret donatio, & dominium translatum maneret, quia donatio semel valida æternùm erit valida, & dominium semel translatum semper manebit translatum. Addunt, inquam, malè hoc inferri, quia si superviveret legator, non poneretur conditio (hæc enim est, *si non supervivam*) & non positâ conditione, donatio est invalida.

Qua illud conditione fulciatur?

De homine exlege. An & qualiter testamentum condere possit?

Sed hæc omnia non urgent; & ut clariùs procedamus, statuamus hominem humanitùs exlegem, hoc est, nulli juri humano subditum, actiones suas juxta Decalogum & æquitatem regulantem. Hic igitur die Dominicâ condat suum Testamentum, & tibi viro peregrino nullo sanguinis nexu conjuncto leget mille aureos, reliqua suo filio; die Lunæ in phrenesin incidat, in qua tandem die Mercurii moriatur: doceri volo, quo aquæ ductu & tempore dominium illud mille aureorum, qui legantur, ad te transire possit. Sanè die Dominicâ, quâ Testamentum conditum, dominium translatum non fuit; quia Testamenta non transferunt dominium cùm fiunt, sed solùm dicuntur translatura: die Lunæ adhuc erat verum dicere, *Hi mille aurei subsunt dominio proprietario hujus ægri*, ergo nec tunc ad te spectabant; igitur nondum erant dati; atqui posteà dari non potuerunt, quia deliri phrenetici & suæ mentis impotes, cùm libertate careant, nihil validè donare possunt. Ergo vi illius testamenti nihil omninò adquiris. Ergo stādo juri naturæ non dantur testamēta valida.

Quando trāsferretur dominium?

Si dicas etiam amentes & deliros posse validas donationes facere stando juri naturæ, solóque jure humano arceri, aliquid valde novum assumes, sed meâ sententiâ indefensabile: quia existimo delirium non esse rationem perdendi jam antea adquisitum dominium, nego tamen posse dominium aliquod transferri sine usu libertatis in persona quæ transfert: donatio enim actus dominii est, & hoc sicut liberè adquiritur, sic etiam liberè transferri debet. His tamen non obstantibus sit nostra

873 *An secundum naturæ jus & amentes & deliri possint donare validè?*

Conclusio I. *Stando puro juri naturæ possunt fieri valida Testamenta.* Et ut ipsam defendam, statuo Testamentum esse ultimam voluntatem liberam, qua quis moraliter perseverat in hoc actu, *Lego*, hoc est, *Nunc de facto do Petro, verbi gratiâ, omnia mea bona, si hoc* nunc *sit ultimum meæ libertatis, reservans mihi illa solùm quæ ad mortem expendero.* Hac voluntate positâ benè intelligitur, quomodo & quando transferatur dominium; & bene satisfit objectis. Et veniendo ad illum qui tibi legavit mille aureos die Dominicâ, die Lunæ privatus fuit usu rationis, & die Mercurii obiit, dico eum totâ die Dominicâ fuisse illius pecuniæ proprietarium dominum, in ultimo instanti suæ libertatis tibi transtulisse dominium, diéque Martis non fuisse verum dicere, *Hi aurei pertinent ad ægrum*; addo solùm Deum potuisse certò scire illam propositionem falsam, quia solus Deus sciebat certò, eum die sequenti moriturum.

874 *Resolutio asserens absolutè.*

Non repugnat contrarium esse validum, & tamen humanitùs nesciri an validum sit?

Conclusio II. *Qui asserat illos mille aureos die Martis ad ægrum pertinuisse, debebit, consequenter asserere post mortem ab intestato transire ad filium, & illud Testamentum esse invalidum. Debebitque addere vix aut ne vix quidem dari posse Testamentum purè naturale, quòd legibus civilibus præclusis subsistat.* Sanè Athenienses prudentes erant, & ante Solonem bene gubernabantur, & tamen non cognoverunt Testamenta; hæc enim videntur à Solone inventa, ut ex Plutarcho in Solone notavi.

875 *Resolutio altera conditionata.*

Solon invenit testamenta apud Græcos.

ARTICVLVS II.

Testamentum Civile definitum, distinctum à Codicillo, solennitatibus authoratum.

876 *Testamenta Iure humano admittuntur.*

ETsi Testamenta jure naturæ essent invalida, possent jure civili firmari Republicâ defectus supplente. Penes ipsam est respicere bonum publicum & mutare dominia lege, quæ si acceptetur à populo, sit valida. Favore Reipublicæ defunctus etiam post mortem potest virtualiter vivere, & hac veritate suppositâ possumus citra difficultatem essentiam Testamenti explicare. *Lego*, inquis, *Petro mea bona*; hoc est, *donabo*. Audio. Sed quando, inquam, donabis? in primo instanti post mortem respondes, & bene; nam tametsi tunc non sis, & fortè immediatè ante delirus fueris, Respublica suprem suâ authoritate utendo concedit, quòd tunc virtualiter sis, & usum

An homo soleat post mortem vivere? an uti ratione delirus?

usum rationis habeas, liberéque de tuis bonis disponas juxta promissionem tenore Testamenti explicatam. Hinc benè infertur Testamentum debere definiri, *Ultimam voluntatem, de eo quod quis post mortem suam (physicam* intellige) *fieri vult, cum directa hæredis institutione, in septem testium, qui masculi puberes & sint, præsentiâ.* & differre à Codicillo, qui est, *Ultima voluntas, de eo quod quis post mortem suam fieri vult, Testamentum corrigens, & aliquos articulos mutans, addens, aut subtrahens, nullum hæredem instituens, quinque testes, qui possint esse fœminæ & non rogati, ad valorem requirens.* [Ex particulari privilegio conceditur militi, ut in Codicillo instituat hæredem. *L. Militis Codicillis. 36. π. de milit. Testam.* Sed si vocum fugiamus lites & dissidia, ille Codicillus verè Testamentum dicendus est, & asserendum non jam concedi militi ut in Codicillo instituat hæredem, sed quod condat Testamentum cum minoribus solennitatibus; sed si res ipsa pateat, de vocibus non disputemus.] Prudentes Graphiarii in Testamenti contextu solent interserere hanc clausulam. *Volumus hanc scripturam valere eo meliori modo quo possit, ut si defectu alicujus solennitatis jure requisitæ valorem Testamenti non habeat, habeat saltem Codicilli*; sæpè enim contingit aliquid necessariò requisitum omitti & scripturam non habere Testamenti vim, unde si nec Codicillus esset, nulla esset. Si Testamentum prætensum Codicilli vim habeat, exceptâ institutione hæredis, quæ repugnat ipsi Codicillo, in omnibus articulis valebit: nam legata hujusmodi Testamenti sunt solvenda. Et si testator careat liberis, extraneus hæres institutus, si non possit adire hæreditatem, poterit recipere fideicommissum, nam frater vel quicumque hæres ab intestato succedens reservans sibi quartam partem, quam vocant Trebellianicam, tenebitur cedere reliqua alteri ceu fideicommissario. Si autem testator filios habeat, isti legitimam recipient, alter reliqua. Vide Sylvestrum *verb. Testam. 1. n. 11.* Molinam *disp. 132.* Iulium Clarum *§. Testam. quæst. 46.* Lessium *de just. lib. 2. cap. 19. dub. 1. num. 3.*

Quid sit Testamentum?

Quid Codicillus?

Monitum politicum.

NOTA. *Omnia hæc respiciunt Ius commune, scio autē singularibus Provincialibus & Municipalibus quoad modū, aut etiam substantiam in multis locis alterari & mutari.*

erit validum, si detur Canon obligatorius qui validè possit jus civile reformare; aliàs non.

INQVIRIS SECVNDO, *An eodem modo de Codicillo facto ad pias causas philosophandum sit?* *De Codicillo irregulari.*

Respondeo affirmativè. Sed objicis praxim tenere contrà, & hunc casum producis. [In civitate Pragensi Aurelia (sic vocetur) post conditum Testamentum, speciali erga Monserratensem Virginem affectu rapta Codicillum fecit, quo prius testamentum correxit, præcipiens ut sepeliretur in Sacello S. Cosmæ & Damiani quod Ecclesiæ Montisserrati adjacet, illúdque aliquot millibus aureis aut florenis dotavit. Aurelius ejus conjux Priorem monuit, & jubet parari omnia ut apud Montemserratum sepeliatur: & postea seductus ab aliis, dictamen mutat, & illam juxta Testamenti literam alio in loco sepeliri decernit. Dicitur Codicillus ille aut ultima voluntas carere solennitatibus debitis, ut legitimum Testamentum infirmet. Reponit Prior in Testamento, Codicillo, & Vltima voluntate ad causas pias juris solennitates non requiri. Venitur ad litem: agitur in Consistoriò causa: condemnatur Aurelius: extrahitur cadaver, Priori traditur & in Monasterio Montisserrati sepelitur. Agitur de Sacelli dote, imploratur brachium sæculare, sed frustrà: nam Priori indicitur, ut non obstante Archiepiscopali sententiâ, si aliquid velit, ab ovo incipiat in tribunali sæculari: est enim, ut aiunt, in Tabulis Regni Testamentum, non autem Codicillus (aut quocumque nomine dicatur illa Voluntas ultima) defectu solennitatum, quas leges Pragenses requirunt.] *Casus quidā proponitur.*

Respondeo ad objectionem hæc omnia esse vera, & à me passa: at debemus jus à facto distinguere. Ipsi contra Montemserratum, & consequenter contra Clerum, se justè agere dicunt, sed dicunt. Nos reponimus causas pias in tribunali Ecclesiastico judicandas, nec debere pietatem apicibus legum sæcularium correspondere: at quia apud ipsos est exsequutio, frustrà vociferamur.

ARTICVLVS III.

De Testamento irregulari.

PLacet aliquot Resolutiones subjungere, quæ dubia emergentia diluant, & medullitùs quæstionem exponant.

877 INQVIRIS, *An irregulare Testamentum factum ad pias causas sit validum?* Irregulare vocas illud quod non est secundùm juris Regulas; putà, si desint aliquæ solennitates in jure civili requisitæ. Dicitur ad pias causas, quod instituit Ecclesiam aut aliquam piam causam hæredem.

Quid illud sit?

An sit validum?

Et respondeo esse validum, si detur lex civilis expressa (non enim leges implicitæ & obscuræ claras & expressas derogare & tollere dicendæ sunt) id à regula generali excipiens; tunc enim nulla illi deerit solennitas jure requisita. Si non detur lex civilis, etiam

ARTICVLVS IV.

De iis qui possunt testari.

INterrogas, *An omnes homines possint testari? & an dentur aliqui jure impediti?* 878

Respondeo multos esse qui testari non possunt, illos videlicet quibus natura aut jus transferre dominia non permittit: naturâ incapaces sunt, qui nihil habent, item & illi qui usu rationis carent: jure qui aut nihil habere aut rationis usu carere præsumuntur à legibus. Dicuntur non posse testari; *Primò* impuberes, hoc est, pueri ante 14. puellæ ante 12. annum ætatis completum. Ita habetur *L. A qua ætate. 5. π. Qui testam.* ubi dicitur illud tempus censeri completum, si ultima dies sit inchoata. [AVDIS. Et statim dubitas, an etiam in professione censenda sit ætas 16. annorum completa, aut annus probationis

Quānam causa impediant quominus testamētum faciamus?

Quanta sit pubertatis ætas, & an sit de momento ad momentū computanda?

completus, si & ultima dies sit inchoata?

An eodem modo de professione solenni philosophandum sit?

Respondeo. Vel Legislatorem concedere quod censeatur annus completus moraliter ille, cujus ultima dies inceperit; vel judicare & definire ita verè esse independenter ab omni concessione. Si hoc secundum dicatur, cessat quæstio; quia cùm magni ingenii & summæ prudentiæ vir fuerit, probabilissimè defendi potest. Si illud prius asseratur, non videtur admittenda etiam in Ecclesiasticis resolutionibus sæcularis Principis favor: sed si examines literam, simplicem definitionem, nullámque indebiti favoris concessionem reperies: sed quia præsentis instituti controversia non est, attigisse sufficiat adnotando communem esse hodie Theologorum sententiam, quæ docet annum novitiatus debere esse integrum è momento ad momentum, ut alibi uberiùs pertracto. Vide interim Commentarium in Regulam S. Benedicti, num. 463.]

879

An possint, & soleant aliqui intestabilitatis pœnâ condemnari?

Secundò non possunt testari intestabilitate condemnati. Crimina, ob quæ pœna hæc incurritur, sunt hæc. Persequi, capere, percutere Cardinalem; aut cooperari aliis, qui hoc facinus enorme committunt. *L. Is cui.* 18. *L. Cum lege.* 26. *ff. Qui testam.* item libellos infamatorios scribere, evulgare *ejusdem L. Is cui §. si quis.* Sunt variæ leges, quæ declarant hæreticos, eorum adsseclas & fautores intestabiles, quæ recensentur communiter ab Authoribus & tamen deberent cum ponderatione referri. Sanè si hæretici testari non possunt,

An hæretici testari possint?

scabiosæ sunt rerum possessiones in Europa, quæ scatet innumeris hæreticis, & tamen singulis diebus condunt Testamenta, & si forum exterius respicimus, valida. An tenendum successorem ab intestato (frequentiùs & ipse similiter hæreticus est) posse retinere omnia hæretici defuncti bona exclusis legatariis? maximè cum eædem leges, quæ testandi potestatem hæreticis negant, eosdem ab hæreditate arceant & institui hæredes non permittant: an illa bona cedunt Fisco? Respondeo leges tantam habere vim, quantam illis populus concedit acceptando; adeóque ubi hæretici impunè permittuntur, has de intestabilitate leges acceptatas non esse; & in provinciis, in quibus non permittuntur, judicandos juxta mores & speciales consuetudines in paucis Provinciis uniformes.

Quales & quantas vires Ius habeat?

880

De testamento filii & servi.

Tertiò stando juri puro naturæ abstrahendo ab universis legibus humanis (si in tali statu Testamenta sunt valida) filiusfamilias & servus testari non possunt, potest mancipium. Quoad filiumfamilias ostenditur: quia nihil habet quod patris non sit, & si quid accipiat accipit ad usum revocabilem, & si quid adquirit, patri adquirit, adeóque est incapax ut in vita aut in mortis articulo aliquam donationem faciat. De servo pariformiter philosophatur; servi enim & filii simillima subjectio est, tametsi titulus diversus; filius enim ingenuo servus ignobili obstringitur titulo: imò sæpè contingit titulum nobiliorem, strictiorem etiam obligationem inducere: ut videre est in Religioso & judicis sententia recluso, uterque enim in monasterio habitat, ille ob virtutis studium, hic ob parrata crimina, & tamen ille tenetur multò strictiùs. De mancipio nihil dicere potero, ni ejus à servo

De testamento mancipii.

differentia superiùs exposita in memoriam subveniat. Mancipium vir est violentiâ, justâ tamen, detentus; liber quidem, sed ne utatur libertate coactus manucaptoris: inimicus: qui indirectè ob bonum publicum directè intentum occidi quandocumque potest. Hic igitur habet suorum bonorum verum & legitimum dominium, & tametsi violenter impediatur ne faciat, si de illis disponat, validè quidem faciet. Hinc constat Maurum Hispani mancipium nondum in servitutem redactum si habeat Argeliæ bona, posse Matriti existentem donare cuicumque eodem prorsus modo ac si in Mauritania habitaret. Cùm servatur, servitutem incurrit, & personam propriam exuens transit in rem possessam à victore saltem usufructuariam: bona quæ Argeliæ habebat non videntur ad servantem transire, quia nec filii ante servitutem geniti transeunt, & ii deberent transire, si & transirent bona ante servitutem adquisita, nam est similis ratio.

Mancipia habent bona, non servi.

881

Emancipatio inadæquata.

Quartò, quia leges civiles ferè omnes filios, saltem inadæquatè emancipant, dicendum est posse eos testari, si sint puberes, de bonis castrensibus & de quasi castrensibus. *L. Nemo* 11. *C. Qui Testamenta.*

Quintò, si filiusfamilias sit Clericus, & habet adventitia bona, aut adquisita ante Clericatum vel post. De illis potest testari ad pias causas cum patris consensu: de his absque patris consensu. Ita communiter Doctores.

882

Bona Clericorum, vel sunt patrimonialia, vel à beneficio adquisita.

Sextò, Clerici beneficiarii solent habere bona patrimonialia, fructus industriæ, & adquisita à beneficio: solùm est difficultas de his ultimis, quia universi supponunt alia posse legare etiam sæcularibus & ad causas profanas. Ex bonis à beneficio adquisitis testari non possunt, si stemus juri scripto, sed & hoc non viget ubicumque in eodem observantiæ rigore, imò videtur ubique vigere contraria consuetudo nam benè observantibus Covarruvia & Lessio moribus receptum est, ut solis Episcopis testandi licentia necessaria sit; licereque cæteris quibuscumque Clericis testari de bonis, quæ ex Ecclesiasticis reditibus adquisierunt; imò in eisdem parentes, fratres, consanguineos intestatis succedere. Vbi notandum, esse certum peccare eos mortaliter qui Ecclesiastica bona sive donatione inter vivos, sive Testamento in usus profanos convertunt, incertum an donatio non solùm illicita sit, sed invalida. Donationem hujusmodi subjacere censuræ Regulæ LXIV. esse illicitam, peccaréque mortaliter sic de bonis suis disponentem, sive Episcopus, sive Canonicus is sit, tenent universi Doctores; esse validam tantum probabiliter, & probabiliter invalidam asserit Lessius *de just. lib. 2. cap. 19. dub. 4. num. 44. & 46.* negat Navarrus & multi alii. [Quod de Episcopis & Canonicis dicimus, etiam intellige de Monasteriis: non enim Religiosa Communitas in suo vigore permanens potest profanas donationes facere; nec si excidium immineret (similis Testamento hæc donatio) esset bona sua divitibus sæcularibus dare: ubi consequentiâ doctrinæ ductus & talem à Monasterio factam donationem certò illicitam & mortaliter peccaminosam, & probabiliter invalidam credo. Abbates

De quibus, & quomodo testari possint?

In Monasteriis sunt bona hæreditaria, sunt sudore & industria adquisita, sunt à benefactoribus data: & de ipsis sicut de bonis Clericorum poterimus philosophari.

non

non sequuntur hanc legem; quia cùm administri Communitatis sint, si quid profanè sine Communitatis licentia, non solùm peccaminosè, sed invalidè faciunt; si accedat Communitatis facultas, opinione aliquorum non jam certò invalidè sed probabiliter invalidè, semper tamen certò illicitè facient: at nostra debebunt bona à fundatoribus & benefactoribus concessa à bonis labore, industria & hæreditate adquisitis necessariò distingui, & tunc de Communitate poterimus, sicut de Clerico qui habet ex patrimonio & ex beneficio divitias aliquas, philosophari: aliter enim de bonis hæreditate adquisitis Communitas, & aliter de bonis à benefactoribus receptis disponere potest.

883 *Quæ sunt causæ piæ, quæ profanæ, quæ impiæ?*

SÆpè legis profanis pias causas opponi, multáque ad causas pias instituta permitti, quæ aliàs censerentur invalida: & desideras has ab illis discerni. Falluntur, ut opinor, qui pias putant omnes & solas Ecclesiasticas, multa enim profanè dantur nonnunquam Ecclesiasticis, quæ piè sæcularibus possent. Vel dicito; commessationes & ebrietates illæ, quæ in Abbatum benedictionibus, Novitiorum professionibus, Neomystarum festivitatibus, Doctorum laureis, quomodo poterunt à profanitate excusari, si limites modestiæ excedant? Ditissimarum Abbatiarum fundatores, si reviviscerent, & suos viderent nepotes nudos, famelicos & casas habitantes defectu mediorum, quæ ipsi Ecclesiasticis genio indulgentibus, delicatè, ne deliciosè dicam, viventibus, conviviis quasi ex officio quotidiano vacantibus, palatia superba & inutilia erigentibus legarunt, putarèntne suæ ultimæ voluntati satisfieri? minimè. Aut fallor, aut universos illos non solùm de abusu, sed de furto arguerent; furti enim reus, qui aliena recipit benè impensurus & malè impendit. Loquar sincerè. Magnam sanctitatem in Ecclesiastica reperiri Republica invidus neget; debere alicubi has profanitates reformari, negent cæci; qui enim oculos habemus, non possumus. Falluntur etiam, qui omnes donationes in favorem sæcularium factas, profanas putant. Piè collegium studiosorum instituitur; piè dos puellis orphanis datur; piè pueri pauperes instituuntur; piè hospitalia pro peregrinis & ægrotis parantur; piè mechanicis qui suo labore victitantes vix oneribus domesticis sufficiunt, succurritur; piè confraternitates conservantur; & tandem piè fit quidquid in Dei servitium; profanè quidquid à gloria præscindat: sceleratè quidquid contra Decalogum.

Divitiarum abusus in multis Communitatibus condemnatur.

Fundatorum est semper intentio respicienda.

Causa pia, est quæ ad gloriam Dei: impia, quæ contra: profana, quæ ad gloriam humanam & Deum nullo modo concernit.

ARTICVLVS V.

De Religiosi Testamento.

884 *An Religiosus, & præcipuè Monachus possit valide testamentum condere?*

PRimò extra omnem controversiam est, *An Religiosus solenniter professus sine licentia Summi Pontificis condere Testamentum possit?* scimus enim voto paupertatis obstringi & hoc contra donationem quamcumque militare. Religiosi enim, si haberent rerum proprietatem, testari possent; non possunt testari, quia eam non habent: unde qui habent, excludi non poterunt à conditione testamenti. *Tota igitur respicit difficultas Summi Pontificis dispensationem.*

Affirmat Lessius *de Iust. l. 2. c. 19. d. 4. n. 40.* citans Covarruviam *de Testam. cap. 2. num. 17. 18.* Navarrum *Comment. 2. de Regularib. n. 58.* ubi addit hanc testandi facultatem solùm posse concedi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare vel sæculare, vel degentibus extra monasterium & suâ industriâ victum quærentibus, vel quibuscumque congruam annuam à monasterio recipientibus. Et sanè non ponitur hæc limitatio jure scripto, sed jure ipso naturæ: quia ex Regula LXXIX. Testamentum condere non potest, qui nihil habet, & Religiosi regulariter sub obedientia in monasterio agentes, nihil prorsus habere quod alicujus momenti sit præsumuntur, & pro rebus levis momenti, si quarum usum possident, licentiæ imprudenter à Summo Pontifice distante & gravissima tractante negota peterentur. 885

Respondeo hanc difficultatem infici quæstione purè nominali: aliud est enim concedere ut validè Religiosus aliquid det, aliud ut nomine proprio validè det, potest enim validè dare nomine alieno, si ille alius illi potestatem concedat. Addo Testamentum nihil esse aliud quam donationem firmatam ultimâ voluntate cum hæredis institutione: & hæredis nomine intelligi illum, qui omnia bona adit cum obligatione solvendi legata. His positis fit 886 *Tota hæc difficultas videtur ad quæstionem de nomine tandem reduci.*

Conclusio I. *Potest Pontifex concedere Franciscano ut nomine suo (hoc est Pontificis) vel vivus vel moribundus quascumque donationes pias validè & licitè faciat: & probabiliter potest etiam ut profanas.* Patet; quia suppono ad Congregationem pertinere, quæ neque in particulari, neque in communi habeat bona, sed utatur bonis Summi Pontificis: quorum quia Pontifex est dominus, potest disponere per se, aut per alium ministrum qualemcumque. 887 *De licentia Pontificis.*

Conclusio II. *Id ipsum potest concedere Communitas habens bona in communi cuicumque suo Religioso.* Ostenditur, quia etiam est illorum bonorum domina, & potest illa per manus cujuscumque Religiosi expendere. Et hic obiter notari volo, nolle me de vocum rigore disputare, fortè enim illa donatio quæ per illum Religiosum nomine Communitatis fieret, non videbitur tibi posse *Testamentum* vocari. Et addo non posse ejusmodi alienationem (seu illam *Testamentum*, seu *Donationem* voces) de bonis, quæ non possit liberè donare Communitas. Et hoc ultimum bene notandum est. *De licentia Communitatis.*

Conclusio III. *Si Pontifex Religiosum ab ordine eximat, & voto paupertatis liberet: potest eum donare testandi authoritate.* Patet; quia ideò Religiosus Testamentum non condit, quia voto paupertatis excludente proprietatem obstringitur: ergo si tollatur votum, tolletur & impedimentum testandi. At Communitas, quia non potest aliquem à voto solenni liberare, ideò non potest testandi facultatem concedere. 888

Conclusio IV. *Repugnat Religiosum ante-* 889

Resolutio.

quam Monachum exuat, aut veram donationem facere, aut Testamentum condere. Corollarium. *Cúmque repugnantia non solùm sint extra Pontificis, sed & extra Dei omnipotentiam, concluditur nullâ virtute divinâ aut humanâ fieri posse ut verus Monachus veram aliquam donationem, emptionem, venditionem, aut Testamentum faciat ut quod, & in genere causæ principalis.* Consultò posui illud *ut quod*, quia, ut constat ex prima & secunda Conclusione, certum est posse Religiosum facere donationes *ut quo* in genere causæ instrumentalis, in quantum est Pontificis aut Communitatis minister, & operatur in virtute causæ principalis, hoc est, nomine Pontificis aut Communitatis. Repugnantiam propositam ostendo. Repugnat eum aliquid dare qui nihil habet; atqui Religiosus nihil habet proprio nomine: ergo non poterit proprio nomine dare.

Singuli considerentur bene.

Ergo si ipsi à Summo Pontifice conceditur, ut proprio donet nomine, conceditur ut nomine proprio præhabeat, ergo quod paupertatis voto obstrictus non sit; esse enim pauperem, hoc est, nihil habere proprio nomine, & res habere proprio nomine, sunt contradictoriæ positiones.

Hinc veniunt multi casus examinandi: hinc multæ quæstiones decidendæ: subscribo has lineas.

Titio Priori summo Bohemiæ, Ordinis S. Ioannis Ierosolymitani dedit summus Pontifex consentiente Ordine facultatem ut de omnibus bonis suis testari posset, modò Ordini tot millia aureorum pecuniâ numeratâ consignaret. Et quæritur, *Quomodo debeat hæc facultas intelligi?*

Conditionata licentia, si non purificatur conditio, non subsistit.

Respondeo primò illam esse conditionatam, & nullam obtenturam vim nisi purificetur conditio, eo modo quo in privilegio est posita.

An dentur Moralitates secundariæ? An virtualitatum virtualitates?

Respondeo secundò hanc facultatem detegere moralitatum reflexarum thesauros, qui forsitan à nullo visi. Moralitates virtualitates quædam sunt, & interdum supponuntur virtualiter, ita ut admittendæ virtualitatum virtualitates sint, aut multæ controversiæ ignorandæ. Ergo poterimus dicere, concedi Titio, non quidem ut verè non sit pauper, sed ut pauper verè & solenniter manens, ita se habeat quoad effectum condendi Testamentum ac si non esset pauper: & in hoc casu dicerem posse Titium condere Testamentum *ut quod.* Cæterùm, quia alicui videretur difficilis doctrina hæc de reflexis & secundariis virtualitatibus,

Dominium proprietatis virtuale.

Quisnam cõcurrat ut quod, *& quis* ut quo?

Respondeo tertiò, hanc donationem, quam *Testamentum* vocant (nomen non curo) fieri à Pontifice, qui est Generalissimus omnium Ordinum, & à Religione Melitensi *ut quod*, à Titio autem *ut quo.* & ut rem bene intelligas, formulas sequentes subscribo.

Tenor Testamenti.

Titius igitur Pontificiæ facultatis virtute condit suum Testamentum his verbis. *Ego Titius ex licentia specialiter mihi à S.D.N. Innocentio Papa X. & Ordine Melitensi concessâ condo hoc Testamentum, in quo constituo Franciscum omnium meorum bonorum hæredem, & lego Petro mille aureos, Antonio quingentos: &c.* Quod tamen Instrumentum æquipollebit huic. *Nos Generalis, seniores & tota Melitensis Religio, sic volente & disponente sanctissimo D.N. Innocentio Papa X. omnia bona, quæ nostro nomine possidet Titius in articulo mortis, donamus Francisco cum onere dandi Petro mille aureos, Antonio quingentos, &c.* Ecce Titius nomine Ordinis possidet: nomine Ordinis donat: & quia hæc donatio ab ejus ultima voluntate dependet poterit *Testamentum* vocari, quia licet verè & rigorosè Testamentum non sit (& hîc iterum in virtualitatum virtualitates reincidimus) virtualiter est Testamentum.

Explicatio, & æquipollentia verborum.

De solennitatibus Testamenti.

Quæris, Quas solennitates habere debeat hæc donatio, quæ Titii morte firmatur, & jubetur vocari *Testamentum?* Si Ordo non disposuerit aliter, debebit subjacere legibus aliorum Testamentorum Clericorum.

De foro competenti.

Et si agatur de hujus valore Testamenti, in quo Tribunali ventilabitur causa? Aut cæcus sum, aut in Tribunali Ordinis in prima instantia. Non ergo in Tribunalibus Regiis aut Cæsareis.

Non plura scribo, sum enim consultus specialiter: & debebo Resolutionem specialem scribere, quam inter alias evulgabo.

ARTICVLVS VI.

De his, qui possunt instituí hæredes vel legatarii.

OMnes illæ leges quæ hæreticos, apostatas, credentes, receptores, defensores, fautores; item, quæ Cardinalium persecutores, captores, percussoréque & quæcumque aliæ sceleratos homines potestate condendi Testamentum privant, etiam privant capacitate passiva, ne possint instituí legatarii aut hæredes; qui vel hoc exprimunt, vel clarissimè insinuant. Quod si dubiæ videantur, non est arguendum à pari aut à fortiori, quia est materia contingens: sed standum est Reg. XV. quæ jubet restringi odia, & favorum interpretationem ampliari. 890

Sed statim occurrit difficultas, quæ in omnibus odiosis resolutionibus examinatur; an hæ sint leges merè pœnales, an verò definitivæ, tales homines dominii incapaces reddentes? nam si primum dicatur, sic disponente Regulâ XCIII. ante sententiam non tenebuntur bona, si recipiant, restituere, secùs, si secundum. Vtrumque autem (nimirum has leges esse morales & esse pœnales) videtur probabile Lessio *lib.2.cap.19. dubit.5. num.52.*

Filii legitimi instituí hæredes possunt: at spurios non posse aliquid capere à patre, sive ex testamento, sive ab intestato, sive ex contractu inter vivos; nec posse substituí vulgari nec fideicommissaria substitutione asserit Lessius ubi suprà num.58. 59. & num.66. existimat non videri improbabile spurium (conjugati aut Sacerdotis ex soluta) posse succedere saltem solutæ matri. Sed filio naturali benigniores sunt leges, concedunt ut possit instituí universalis hæres à suis parentibus carentibus legitima prole: imò & succedere

matri

matri inteſtatæ, ſi ipſa aliam legitimam prolem non habeat.

ARTICVLVS VII.

Modi ſubſtituendi aliquem ſuo hæredi.

891 *Sunt ſex.* ENumerantur ſex. Videlicet, ſubſtitutio vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommiſſaria, reciproca, & compendioſa. Proderit terminos explicare.

Prima. *Subſtitutio vulgaris* dicitur, cùm aliquis jure non prohibitus alicui hæredi jure non prohibito ab aliquo teſtatore jure non prohibito ſubſtituitur.

Secunda. *Subſtitutio pupillaris*, , aliquem loco teſtatoris ſubſtituit. Et locum habet in impuberi, qui defectu ætatis teſtari non poteſt; ipſi enim ſubſtituitur pater, qui ejus loco Teſtamentum condat & inſtituat hæredem.

Tertia. *Exemplaris* vix à pupillari diſtinguitur, habet tamen locum in filio amenti, ſurdo ſimùl & muto, aut prodigo.

Quarta. *Fideicommiſſaria* contingit, cùm hæres inſtituitur cum onere dandi aliquam determinatam hæreditatis partem alicui determinatæ perſonæ: gravatur talibus aut talibus circumſtantiis (poſitivis, aut negativis) juxta leges & jura, ita ut rem poſſidere, non autem alienare poſſit.

Quinta. *Reciproca* ex duabus ſubſtitutionibus (vulgaribus, aut pupillaribus, aut vulgari & pupillari) componitur. Putà inſtituo hæredem Petrum & Paulum meos hæredes, & alterum etiam alteri ſubſtituo.

Sexta. *Compendioſa* ex pluribus compendiosè componitur quoad diverſa tempora, rationes & cauſas.

De omnibus his prout ex varietate legum civilium variantur, alterantur, mutantur, diſputant Iuriſperiti, quorum libri legendi volentibus hominum placita diſquirere, non tamen rerum naturas eſſentiáſque, ex quibus hæc ipſa placita pendent, examinantibus. [Vide præcipuè Dicaſtillum *lib.* 2. *tract.* 19. *diſp.* 1. *& deinceps.*]

NOTA.

De Diſputationum ſequentium & præcedentiũ connexione. HI *ſunt veri & legitimi modi adquirendi proprietatis dominium; & omnes, ut diluciđè oſtendi ad productionem liberam reducuntur: ſupereſt, ut agamus de rebus, in quibus habere dominium homo poſſit. Ergo, ne aliquid maneat indiſcuſſum, agam de Deo, de Creaturis, de Cœlo, de Terra, de Mari, de Elementis; & etiam de Vita, & Honore. Ero brevis ubique, niſi fortè aut controverſiæ novitas aut gravitas poſtulet ut me diffundam.*

DISPVTATIO XIX.

An jure naturæ omnia omnibus communia ſint?

892 *Quomodo ſit intelligenda ſacra Pagina?* SVNT aliqui ſeveriſſimi Sacræ Scripturæ Interpretes, qui ſuo ſenſu abundantes aſſerunt omnia divina teſtimonia perſonaliter debere intelligi. Regula eſt, quæ ſi univerſaliter admittatur, Catholicè defendi non poteſt. Omnia Sacramenta, Religionis Chriſtianæ obſides, corruerent; & Sacerdotalis poteſtas & Pontificia authoritas, primis Chriſtianis conceſſa diceretur, non autem hucuſque perennare. Cæterùm licèt Sacræ paginæ Canones perſonaliter intelligerentur, citandi de uno & ſolo Adamo intelligi non poſſent. Primò, quia Deus prædixerat Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, & ſubjunxit, *Dominamini*, ſed quibus? *piſcibus maris, volatilibus cæli, & univerſis animantibus*: qui autem? vos homines, de quibus agebat, nempe jam multiplicati, (aut ſaltem multiplicandi) & replentes terram. Sic Divinum Canonem debere intelligi conſtat Regis Prophetæ Pſalmo, *Omnia*, ait, *ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Sub cujus? non ſub Adami noſtri Genearchæ ſolîus pedibus, ſed ſub pedibus hominis indefinitè. Fateor in Hebræo hominem dici *Adam*, ſed Vulgatus altè concipiens hanc periodum ſuſtulit æquivocationem. Hominem ergo indefinitè conſtituit Deus rerum univerſarum dominum. Ergo ex vi hujus juris (ſeu Divinum ſeu Naturale dixeris) homines ſunt domini Vniverſi, domini inquam, in communi & ſine bonorum diſcretione. Inveſtivit Deus homines dominio univerſali & communi; ſed quali? directo an indirecto? radicali an uſufructuario? poſitivo an ſolùm negativo?

An Petro & Apoſtolis cõceſſa ſit perſonalis authoritas?

An de Adamo idem dicendum ſit?

An omnes homines ſint rerum domini?

An omnes in communi, an ſinguli in particulari?

Prima Reſponſio.

893 *An negativè ſinguli, an poſitivè?* CEnſent aliqui hanc donationis formulam non continere veram & realem dominii communicationem, ſed debere intelligi negativè, nempe, *Dominamini*, hoc eſt, *Non interdico ut dominemini*; quorum ſi expoſitio admittatur, condita à Deo eſſent omnibus hominibus communia negativè, non verò poſitivè; hoc eſt, non eſſent aliena, nec pertinerent ad aliquem in ſingulari.

Secunda.

894 *An habeant directum dominium?* ALii credunt Deum feciſſe homines directos & proprietarios dominos totius orbis terrarum, & jure naturæ conſtantis & integræ omnia fuiſſe communia, ſed hoc jus fuiſſe in pœnam culpæ revocatum. Huic ſententiæ videtur ſubſcribere Scotus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. *&* 2. unde jure naturæ lapſæ non ſunt omnia communia.

895 Sed hoc aſſertum ſubſiſtere non poteſt, in opinione eorum, qui dicunt jus naturæ eſſe

irrevocabile & perpetuum; quoniam si tale est, abrogari non potuit. Cæterùm, cùm in mea jus naturæ sit actus liber Dei eodem modo de illo ac de reliquis liberis Dei actibus philosophabor. Nota quæ dixi *Commentarii in Reg.Bened.num.19.*

896 *An in innocentia, aut natura pura statu fuissent omnia communia?*

Displicet tamen hæc opinio, quia universaliter affirmat omnia futura fuisse communia, si Adamus non peccasset, quod demonstratur esse falsum.

Primò, quia etiam in statu innocentiæ, imò & naturæ puræ, Petrus esset suarum actionum particularis dominus, ita ut illis dominaretur solus exclusis quibuslibet aliis.

Secundò, esset etiam particularis dominus substantiarum, quas de novo produceret; putà, filiorum, quos gigneret, animalium, & metallorum quæ de novo produceret industriâ artificiali.

Tertiò, quia nullâ lege tenerentur homines in statu innocentiæ agere vitam communem, possentque dominia dividere majoris commoditatis gratia: & fortè erant facturi, si culpa non prostravisset naturam rationalem.

Tertia.

897 *An ad homines solus rerũ usus pertinent?*

SAnctus Clemens I. Epistola 5. ad fideles qui erant Ierosolymis (habetur *cap. Dilectissimis. 12. quæst. 1.*) putat Deum homines constituisse rerum Vsufructuarios, aut Feudatarios si mavelis; hoc est, non tradidisse rerum dominium, sed solùm usum, & istum ad placitum suum revocabilem. Cæterùm statuit Protheoremata simillima iis, quæ jam impugnavimus. Dabo formalia verba. *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud; & sic inter mortales facta est divisio.* Sanè si agamus de primis creaturis à Deo sine hominum concursu naturali aut artificiali (quia has ad suas causas singulariter pertinere asseruimus) omnia quæ asseruntur sunt possibilia.

Quomodo fuerunt bona divisa post diluvium?

Primò, potuit Deus concedere homini mundi usumfructum, hoc est fructuum dominium, dominio directo reservato.

Secundò, multa bona ex iniquitate sunt divisa, & potuerunt omnia. Fortè Nembrot voluit dominari, unus & solus omnia habere; fortè hoc in causa, ut cæteri libertatem defenderent, dividendo Provincias, armenta, pecudes, & similia; dividendo quidem, ut meliùs defenderentur à tyrannide: fortiùs enim campi defenderentur, si unicuique sorte aut conventione designaretur defensor proprietarius.

Vera Sententia.

898 VT igitur certa à dubiis & minùs certis distinguamus, substruam Theses clarissimas, quibus doctrina vera fundabitur.

Quomodo adquiratur dominium?

THESIS I. *Intellectualis persona est domina omnium effectuum, quorum est principalis, libera atque directa causa.* Probavi discursu uberrimo toto hoc secundo secundi Libri capite. Hinc constat totius mundi Dominum Deum esse; & Petrum non habere dominium naturale in res quas non produxit.

Quo Deus modo illud nobis tradiderit in totũ mundum?

THESIS II. *Deus rerum omnium terrestrium, quæ ab hominibus productæ non fuerant, dominium & usum homini tradidit negativè*, hoc est, *non interdixit, non negavit.*

Hæc assertio est clarissima; quia non est lex divina aliqua, quæ homines dominii rerum terrestrium declaret incapaces, aut illis earumdem usum neget; vel qui dissentis, illam exhibe.

Hæc Thesis non solùm est vera de homine sumpto indefinitè, sed etiam de homine quocumque in singulari: nulli enim interdicitur divinitùs habere dominium; nulli indicitur ne terrenis utatur.

Subscribunt nobis Mahometani & Idololatræ, & quotquot libris Canonicis non concedunt infallibilem authoritatem: hæc enim conclusio esse vera cognoscitur lumine puro naturali.

899 *De plantis animantibúsque, Quo modo hominibus concessa sunt?*

THESIS III. *Deus, vegetativa & sensitiva, quæ ab hominibus producta non sunt, homini concessit positivè.* Hoc est; *Deus constituit positivè hominem usufructuarium globi terreni.* Consono D.Clementi, quem citavi. Et quidem hæc Conclusio rationibus probari non poterit, neque Ethnico vel Mahometano persuaderi. Iudæus autem non contradicet mihi, quin etiam ipsi Moysi & Davidi. Vsumfructuarium dicimus, qui utitur re alienâ & salvâ illius substantiâ est omnium appendicium dominus. Ergo homo constitutus divinitùs usufructuarius orbis terræ, dicendus est habere verum dominium in telluris accidentia vegetativa, & sensitiva. Vegetativa homini concessa fuisse lego Geneseos 1. 29. ubi *Dixit Deus; Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui.* De sensitivis paulò antè, *Benedixítque illis Deus, & ait; —— Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Et sub finem octavi Psalmi; *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominùs ab Angelis.* (Hebr. *paulominùs à Deo*) *gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves & boves universas, insuper & pecora campi; volucres cœli, & pisces maris qui perambulant semitas maris.*

Quis sit usufructuarius?

Quo modo intelligi debeat sacra Scripturæ An & quando possimus ad sensus improprios recurrere?

Ex his ego. Verba Sacræ Scripturæ intelligenda sunt in sensu perfecto & rigoroso, nisi fortè necessitas nos cogat ad sensum translatitium recurrere. Atqui hîc nulla necessitas cogit discedere ab expositione propria & positiva; ergo dicere debemus dominium verum & positivum in vegetabilia & sensitiva [idem est dominium verum & perfectum in fructus & accidentia terræ (plantas, bruta) ac dominium utile in ipsam terram.] hominibus concessum esse. Huc respiciebat, ut paulò antè jam dixi, Clemens I. cùm dixit, *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit.* Epistolâ superiùs citatâ.

900 *Dedit omni homini Deus, quæ ipse creaverat; non quæ erat ille vel ille pro-*

Hæc Dei donatio non se extendit ad omnia vegetabilia & sensibilia, sed ad illa solùm, quæ sine industria humana sunt producta; ratio est, quia producta humanâ diligentiâ pertinent ad ipsum productorem tanquam ad causam naturalem, juxta ea quæ diximus; nec dicendus

ducturus: hæc enim non omnium, sed productoris unius sunt?

dicendus est Deus voluisse privare solertes & diligentes homines industriæ fructibus, ut ditaret ignavos.

901 An animalia ignota & fera omni homini divinitùs donata sint?

Si agamus de speciebus animalium, reperiemus veterum errores notabiles; errores dico, si loquuti sunt, ut citantur. Fuerunt statim in primitiva Ecclesia aliqui qui nihil dicebant debere asseri aut teneri quod in Scripturis expressum non esset: ideò negabant homini dominium in cete, balænas, & bestias illas, quarum non fit expressa mentio in verbis Domini citatis.

902 An credendū sit, quod in sacra Pagina non est expressum?

Nulla asserenda sunt, quæ neget sacra Pagina, sed non omnia in sacris libris sunt definita; multa enim solerti studio investigantur. Sed esto nihil rationi deferamus, negentur omnia quæ ab Scripturis Canonicis non affirmantur; an ideò homini negandum venit dominium in crocodilos, serpentes, aspides, cete, tynnos, balænas, feras, & alios ferocissimos naturæ partus? An quodpiam istorum dici poterit nec esse piscis, nec esse avis, nec esse animal quod movetur super terram? convincit absolutè hæc ratio, quam roborare poteris aliis quas expendit Basilius *Homil.* 10. *in Genes.* ex quibus concludit Homines esse dominos universarum animantium, *His sanè argumentis eluceſcit*, ait, *ab ipso Deo vim cæteris omnibus imperandi delatam esse homini ubivis gentium constituto; atque hinc factum est, ut balænæ, omniáque maris monstra, vel solis nominibus horrenda, sub hominis ditionem atque dominatum subjecta & substracta sint.*

903 An in mundo à Deo aliquid, & non propter hominem creatum sit?

Quieverant universi edocti à Basilio & maris monstra subdi dominio humano sentiebant; Theodoretus errorem obsoletum ex lethæis abyssis excitavit, dicens; *Non igitur dominatur homo cete illis grandibus, neque bestiis, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creatæ sunt.* Probat frigidè ex Gen. 1. & Psalm. 8. fortè aliter scripturus, si legisset Basilium prisci ævi oculum, & excellentissimos nostri sæculi Expositores.

904 De elementorum dominio. An detur Ignis sphæra? An dominii passivi capax sit?

THESIS IV. *Proprietatem in elementa nulli mortalium dedit Dominus.*

De IGNE certum est; *primò* quia non constat evidenter dari hoc quartum elementum, imò illud doctissimi viri negarunt, & negationem suam hoc insolubili argumento confirmant: videlicet, quod nec fides docet, nec sensus percipit, nec ratio à rebus sensu perceptis infert, non debet à Viro prudenti concedi. At sphæra ignis Elementaris non pertinet ad Fidem Catholicam, nullo sensu percipitur, nulla ratione efficaci probatur: Ergo admitti non debet. *Secundò*, quia licèt daretur, non est aptum ut subsit hominis arbitrio: nec occupari, nec perdi, nec adquiri potest.

De aëris indirecto dominio.

AERIS elementum est notum naturæ beneficium & necessarium, dominio hominum subest sed indirectè, quicumque enim territorium aliquod possidet, est per accidens dominus superstantis Aëris. Domos erigimus, & spatiis aularum, quæ non nisi aërea sunt dominamur. Erigendis turribus nullus terminus à natura præfixus ratione dominii; brevis propter difficultates. Si benè examinetur, ædificia superba pigmæorum instar vilescunt, si conferantur cum Atlante aut aliis montibus elatis: hi autem aërem ipsum non superant, quamobrem dicere oportet gygantæas turres ultra primam regionem aëris humanitùs extolli non posse. Et hîc obiter postulas, An doctrina de tribus aëris regionibus sit vera? Et respondeo esse communem, plausibilem, & posse prudenter concedi. An habeat tres regiones?

905 De dominio terræ.

TERRAM potuit Deus submittere humano dominio positivè: potuit etiam non facere. Inquiris, utrùm fecerit? ero rationis expers, si prætendam decidere à ratione, dubium, quod solummodò pendet à facto. Conferens autem Paginæ sacræ authoritates reperio Terræ & Aquæ directam proprietatem nunquam hominib. fuisse concessam positivè.

906 An & quomodo terra hominibus subdita sit?

Primò, Geneseos 1. 28. asseritur dixisse Deus hominibus; *Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam; & dominamini piscibus, &c.* Dominium conceditur in pisces, in aves, in pecudes, armenta, feras; & si vegetativorum meminerim, in arbores, & herbas universas: reliquùm in terram non conceditur, sed dicitur *replete terram*, hoc est, ita multiplicemini ut occupetis eam. Additur: *subjecimini eam.* Non dixit Deus; Ego constituo illam vobis subditam, vestro arbitrio subjectam; sed potiùs, *subjicite eam*, hoc est permitto vobis ut illam subigatis vestro imperio, & subjiciatis vestræ privatæ authoritati. Ecce terrarum divisionem sacra litera insinuat: videtur enim Deus potiùs confuluisse terræ divisionem, quàm indulsisse dominium in communi. Facultatem igitur concessit Deus unicuique homini ut sibi adpropriaret territorium, quod non esset alterius. De prima divisione regnorum.

907 Radix כבש CABAS subegit.

Confirmatur hæc assertio ex Hebræo originali. Ibi: *Replete terram*, וכבשה *& subjicite eam*: à radice כבש cabas *subjicere, subigere, subjugare, vi & violentia occupare*, ut exponit Sanctus Pagninus à Mercero recognitus, & probatur ex Zachariæ 9. 15. וכבשו אבני—קלע quod exponit R. Ionáh, *subjicient inimicos suos lapidibus explosis fundâ* Thargum Onchelos *Replete terram & roboramini super eam.* aut ut Fagius apud Mersennum transtulit, *& fortes estote super eam.* Seniores Septuaginta dixerunt, *Replete eam, καὶ κατακυριέυσατε αὐτῆς & dominium adquirite in illam*, non igitur dominium illis actuale contulit, quibus *adquirite dominium* dixit. Et quo illi modo poterant terram sibi subigere, & dominium adquirere? Plantando arbores, erigendo ædificia; tunc enim haberent in illas & in hæc dominium verum & directum, & in terram ipsam indirectum. Modus ad quirendi dominium.

908 An Veneti sint domini maris.

MARE posse hominum dominio subjacere, non dubitarunt Veneti, qui illud ab Alexandro III. Romano Pontifice petierunt; subscripsit etiam eidem plausibili opinioni, Venetis illud concedens Alexander. Historiam narrat Sab. *lib.* 7. *Decad.* 1. asserens hunc Pontificem timentem minas Friderici I. Imperatoris confugisse ad Venetos asyli causâ. Isti navalem classem exornant, præficiunt Ducem Sebastianum Cianum, contra Othonem Imperatoris filium Adriaticas oras infestantem. Solvit è portu Dux, Othonem adoritur, superat, & triumphans revertitur ad patriam. Victori congratulatur exul Pontifex, annulum aureum porrigens & dicens; *Accipe, Ciane,* An Respublica Veneta sit sponsa maris?

Ciane, & me auctore ipſum mare hoc tibi pignore obnoxium redde, quod tu tuique ſucceſſores quotannis ſtato die ſervabitis, ut omnis poſteritas intelligat maris poſſeſſionem jure belli eſſe veſtram. Quæ ſolennitas traducta ad Gentilitias rubricas annis ſingulis ipſo die Aſcenſionis celebratur. Et hinc oritur vulgi illa re non bene examinata opinio, quæ aſſerit, *Annuo Rempublicam Venetam ritu ſponſalia cum Neptuno contrahere.*

909 *De donatione divina. An maria homini dederit directè Deus?*

Eſto ſubjacere poſſit: inquiris, *An Adamo & reliquis hominibus ex Dei dono ſubjaceat? An Deus maris Dominus maria ipſa ſubjecerit dominio humano?* Negativè debebimus reſpondere, qui ſincerè reſolvere dubium velimus, non enim in ſacra Pagina exſtat litera, quæ favere videatur. Homines ergo non receperunt à Deo dominium in mare poſitivum. Ipſis non eſt interdictum mari præeſſe: ergo ſupereſt, ut in id vel dominium naturale habeant, vel nullum habeant poſitivum. Sed quia hæc controverſia eſt hodie celebris propter duos libros, quorum alter inſcriptus *Mare clauſum*, alter *Mare liberum*: addam aliqua excerpta ex excurſu breviſſimo ante annos aliquot ſcripto, cùm ab amicis de maris dominio conſulerer.

Libri duo doctiſſimi ſunt, Mare clauſum: & Mare liberum.

Vtrùm Mare ſit phyſici dominii capax?

910 *Ratio ſcribendi.*

LIcèt ex his, quæ de terræ dominio ſuprà diximus, controverſia præſens facillimo negotio diſſolvatur, placuit præſentem difficultatem controvertere in eorum gratiam, qui eruditioni inſudant.

911 *Quid* Maris *nomine intelligendum?*

Nomine *Maris* non ſolùm vaſtiſſimum Oceanum intelligo, ſed etiam freta & copias aquarum mediterraneas; fluvios quoque huc referas, quorum dominium indirectum ratione littorum adquiritur, directum verò ut Pelagi & Maris.

912 *Quidnam ſit paſſivi dominii capax? Deſtructio duplex: realis & virtualis.*

Dominii capax illud dicitur, quod ſubjici poteſt dominii praxi aut uſui: praxi quidem cùm deſtruitur; uſui, cùm uni ſoli ſerviens, cæteris hominibus clauditur. Deſtructio duplex; Phyſica & Moralis; Phyſicè diceretur mare deſtrui, ſi vel totus Oceanus, vel ejus aliqua pars induſtriâ humanâ ſiccaretur. Moraliter deſtrui diceretur, ſi hominum potentiâ ita clauderetur, ut peregrinis non pateret. His poſitis ſit

913 *De toto mari.*

PRIMA CONCLVSIO. *Totum mare non eſt capax dominii Phyſici.* Prob. primò: dominium enim Phyſicum in totum mare Principes non habent nec habituri ſunt, id enim ad unam cauſam efficientem ſpectat, Deum ſcilicet; Principes enim Oceanum non produxerunt, nec illud poſſunt corrumpere; hoc eſt, auferre ſeu ſiccare. Virtuale dominium Phyſicum in totum Oceanum viribus naturæ hominibus negandum eſt, quorum potentia non eſt tanta ut omnia maria ſervare poſſit & hoc titulo in ſervitutem ſubigere, illud claudendo, defendendo, & ſuæ poteſtati appropriando. Si de parte Oceani procedat quæſtio, oppoſitum ſtatuendum eſt. Sit ígitur

914 *De ejus parte.*

SECVNDA CONCLVSIO. *Pars Oceani determinata poteſt ſubjici homini ut virtuali, & fortè tanquam phyſico Domino.* Oſtenditur, phyſicus rei dominus ille, qui rem liberè produxit, quam non producere etiam poſſet; atqui poteſt Princeps maria producere: ergo & habere phyſicum dominium in maria. Vt minorem perſuadeam ſupponamus Vliſſingienſem Inſulam, quæ Zelandorum potentiâ à maris tyrannide defenditur, eorumdem authoritate aggeribus fractis inundari; aſſero illos futuros hujus novi maris veros phyſicos aut ſaltem virtuales dominos, & efficaciſſimè perſuadeo. Iure dominii phyſici res pertinet ad phyſicum ipſius Authorem, ſed maris, quod Inſulæ ſubmerſæ ſupereſt, Zelandi ſunt Authores phyſici: ergo & phyſici domini. Minorem probo; phyſicè & realiter loquendo eſt verum dicere, Hoc mare, quod inundat Vliſſingienſem Inſulam, antea non fuit, & phyſicè nunc eſt: ergo qui diſruptis aggeribus terram inundationi permiſerunt, novi maris dicendi ſunt phyſici Authores.

Modus adquirendi dominium in mare.

An poſſit dari maris phyſicus & realis dominus?

915 *An etiam terræ?*

De dominio phyſico indirecto eſt minor difficultas, partes enim Oceani etiam notabiles ſingulis diebus deſtruimus, & in habitabilem terram convertimus, teſtor Herculeam Belgarum pertinaciam apud quos hodie urbes illuſtres, ubi heri nauticæ excipiebantur claſſes. Ferè tota Zelandia aquis Oceani inferior eſt, & nihilominus vel invito Oceano habitatur. Cùm igitur aliquis Princeps immiſſis per Oceanum aggeribus aliquam telluris partem liberat ab undarum tyrannide, dicendus eſt & maris quoad illam partem deſtructor, & phyſicus telluris Author. Conſtat ex dictis ſervatâ diſcurſus analogiâ. Sicut erat verum dicere in Inſula inundata, *Hîc eſt mare, & anteà non fuit, Hîc non eſt arida, & antea fuit*, ſic etiam in campis à mari recuperatis, quos Belga *Polders* nominat, eſt verum dicere, *Nunc eſt arida & antea non fuerat, Nunc non eſt Oceanus & antea fuit.* Ergo ſicut aggerum deſtructione terra in mare convertitur, ſic & erectione mare in aridam: igitur vel mare vel terra, ſi de novo fiat, pertinebit phyſicè ad Authorem.

An poſſit mare deſtrui phyſicè?

Polders *in Belgio, quid?*

916 *Objectio. An iſtud in terram maréque adquiſitum dominium ſit morale?*

Dices nec terram fieri, neque Oceanum deſtrui: induſtria enim humana id unum efficit, quòd terra appareat, quæ antea erat ſubmerſa; non quod producatur, quæ antea non erat. Sanè aggeribus arcetur mare, non deſtruitur; ergo ſicut non datur ens phyſicum, quod antea non eſſet, ſic nec Author phyſicus, ac per conſequens nec dominium phyſicum. Vt maria nova deſtruas, uteris diſcurſu parallelo. Cùm inundatur Regio, ais, non perditur terra, quæ fuerat, ſed ſubmergitur; non gignitur aqua, quæ non fuerat, ſed marina admittitur: nulla igitur productio phyſica, nulla cauſa phyſica, nullum dominium phyſicum.

917 *Reſponſio.*

Reſpondeo breviter me conſultò aſſeruiſſe adquiri dominium phyſicum vel virtuale; hoc eſt, aridæ & maris partes aut phyſicè fieri, aut ita ſe habere ac ſi phyſicè factæ. Addo etiam me conſultò à nomine *Terræ* abſtinuiſſe, & de *arida* habitabili regione tractaſſe. Vbique ſanè ſub Oceano eſt terra, non arida: unde arida hîc de novo incipit eſſe, quamprimum Oceanus non eſſe, ille igitur qui aggeribus undas excludit, terram non facit phyſicè, ſed facit aridam, nempe regionem habitabilem: Terræ igitur non quà terræ, ſed quà

aridæ

Terram esse habitabilem non est moralitas.

aridæ & habitabilis, asserendus est physicus dominus. Nec placebit discursus, si ad moralia recurras, quia terram esse habitabilem, non est aliquid morale in ipsa terra, sed est aliquid physicum; talis enim terra non dicitur quousque omnia impedimenta excludantur, quæ physicè illam inhabitabilem reddebant.

Vtrùm Mare sit capax dominii Moralis?

918 PRovehimur portu & in vastissimum Oceanum ingredimur: utrùm ille physico dominio subsistat non examino, suppono enim non dari Oceani humanam causam, quæ illum produxerit physicè directè aut indirectè. Inquiro, *An liquidæ undarum regiones sint moralis dominii capaces?*

919 *An dominiũ moralis proprietatis involvat potestatem destruendi rem physicè?*

CONCLVSIO. *Nullus homo potest habere morale dominium proprietatis in totum mare.* Prob. Ille dicitur habere dominium proprietatis, qui rem non solùm potest corrumpere moraliter, nempe vendendo, dando, commutando, sed etiam physicè corrumpendo, deperdendo, ut patet in rebus quibuscumque quarum dicimur domini. Petrus dominio proprietatis domum possidere asseritur, quam non solùm vendere aut donare potest, sed etiam physicè destruere aut incendendo aut dejiciendo, unde si domum destruere non posset, non jam proprietarius sed usufructuarius diceretur. Atqui altos Oceanos nemo potest destruere, nemo igitur habere potest in Oceanum dominium proprietatis.

920 *Objectio.*

Dices dominium proprietatis sufficienter intelligi, cùm domini authoritate res corrumpuntur aut annihilantur moraliter, mancipii enim proprietarius est dominus, qui illud aut vendere aut donare legitimè potest, etiamsi non possit occidere.

921 *An homo adquirat dominium veræ proprietatis in servos? an verò jurisdictionis tantùmodò?*

Tangitur hîc curiosa difficultas, quàm superiùs exposui, & ex disputatis proprio loco nunc breviter ad objectionem, nego mancipia ad quempiam pertinere jure proprietatis etiam postquam legitimè servata. Cùm bello justo aliquis capitur, qui occidi potest, indirectè subditur interceptori, ab hoc occidi, ab hoc vendi, ab hoc donari potest. Si nullæ leges contrarium disposuissent & nullæ fuissent concordiæ interpositæ occidi etiam possent captivi: sed communis Legislatorum resolutio interdixit ne occiderentur, qui victorum benignitate pacto implicito aut expresso servati. Ex harum legum vi mancipii aut servi dominus est quasi usufructuarius, habet dominium absolutissimæ jurisdictionis, aut si malis utile, non usuarium; unde, qui mancipium occidere non potest, nec vitam neque substantiam mancipii potest vendere; vendit tamen mancipii operationes, quarum erat dominus; vendit mancipii libertatem, quæ sibi suberat titulo jurisdictionis: manet igitur integrum dominium moralis proprietatis stare non posse sine potentia destruendi physicè res possessas.

922 *De dominio utili maris.*

CONCLVSIO ALTERA. *Mare non potest subdi alicui Principi tanquam humano usufructuario.* Persuadetur. Illud cujus usus fructus ad aliquem pertinet debet cognoscere proprietarium dominum: atqui, ut constat ex præcedenti Conclusione, proprietarium dominum Oceanus habere non potest, igitur nec usufructuarium: major est certa, quia usufructuarius dominus investitur favore domini proprietarii.

Directus & proprietarius Maris dominus, Deus.

CONCLVSIO TERTIA. *Mare subditur homini tanquam divino usufructuario.* Hoc est, *Mare pertinet ad Deum, ut ad directum legitimum & usuarium dominum; ad hominem indirectè tanquam ad usufructuarium, cui Deus maris usum indulsit.* Constat ex his, quæ diximus sub initium hujus Disputationis Thesi III.

De divisione dominii in mare.

CONCLVSIO QVARTA. *Maris illud dominium, videlicet usufructuarium & morale, potuerunt homines inter se dividere pacto communi; aut lege lata à majoribus, & ab inferioribus acceptata.*

De Hebræorũ dominio in maria.

CONCLVSIO QVINTA. *Aliquot maria in particulari subjecit Deus populo Hebræo in veteri lege.* Ergo ex vi hujus donationis divinæ, priores domini exauthorati sunt, & Hebræi substituti.

Quæstio principalis proponitur.

Hæc omnia vera sunt, & discursu comprehendi & claudi possunt: at omninò difficile, *An nunc de facto mare ad Reges peculiares pertineat?* hoc est, *An mare quod dividi potuit, sit divina aut humana authoritate divisum, an potiùs liberum & commune sit?*

923 *An Mare si clausum vel liberum?*

Ioannes Seldenus opere illo, quod *Mare clausum* dixit, totum ferè Oceanum Anglorum Regi aperuit, aliis Regibus claudens & eorumdem dominium excludens: Ioh. Isacius Pontanus *Liberum mare* asseruit speciali volumine, sequutus Vasquium Hispanum: Curiosi poterunt utrumque librum legere & conferre, multas curiosas historias reperturi; sed quia neuter rationem formalem dominii radicitùs assequutus fuit, neuter veram doctrinam tenuit: at nos ex efficiente causalitate omnem proprietatem eruentes feliciter resolvere poterimus, & paucis omninò verbis, quod post multa ipsi irresolutum reliquerunt.

924 *De donatione divina.*

Dico primò, *Non constare authenticè esse nunc Principem aut populum, qui alicujus sit maris dominus titulo donationis divinæ.* Scio vix ullam esse Monarchiam, quæ non supponat revelationes, miracula, & electionem divinam; sed quia hæc omnia leviter solent adstrui, prudentissimè debent refelli. Vbi, ut verum fatear miraculicussores fastidio, & existimo eos qui nugas reducunt ad miracula, esse in periculo ut miracula reducant ad nugas.

An leviter sint admittenda miracula?

De physico dominio maris.

Dico secundò, *Dari in aliquibus parvis maris tractibus non solùm morales, sed physicos aut virtuales dominos:* nempe in illis, qui olim erant detecti, & hodie authoritate & industria publica submersi aquis, juxta ea quæ dixi suprà.

925 *Quid sit dominium indirectum?*

Dico tertiò, *Non posse negari Principibus dominium indirectum in maria, in quantum ipsa servire possunt ut defendantur terræ quas habent.* Cùm dominium indirectum concedo, vocem expono. Indirecti dominii nomine non intelligo usufructuarium, quia de hoc statim agemus, sed illud quod nascitur ex directo: habes jus directum defendendi tuam vitam, &

indirectum faciendi omnia illa, ſine quibus vita tua ſtare non poſſet : & ſimiliter Anglorum Monarchia habet directum jus defendendi illam Inſulam, & indirectum faciendi omnia ſine quibus Inſula defendi non poteſt: cúmque ipſa in periculo ſit, ſi mare ſit liberum, negari non poteſt habere jus claudendi maria littoribus propriis finitima & quoſcumque peregrinos arcendi, admittendo ſolùm amicos ſub juſtis articulis & conditionibus.

Cur Principes poſſint maria claudere?

926 *Quid ex dominio indirecto naſcatur?*

Dico quartò, *Ex hoc indirecto & per accidens, naſci uſumfructuarium ſemper, & etiam aliquando uſuarium.* Vſufructuarium quidem: quia, cùm poſſint Inſulani arcere à ſuis maribus omnes peregrinos, majus dicendi ſunt habere jus in illius maris ſpolia, quàm peregrini haberent : ergo & poſſe piſcari, lapides pretioſos & gemmas eruere, & uti quibuſcumque rebus in Oceano natis. Sed, & indirectum uſuarium nemo negare poterit, qui ſciat illud formaliter in deſtruendi poteſtate conſiſtere, poſſéque quemcumque cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere invaſorem, & monumenta erigere quæ utilia judicaverit : unde ſequitur poſſe Inſulanos aut quoſcumque mari proximos populos aggeribus ductis tractus marinos in prata & campos convertere ; & tamen non poteſt campus incipere quin mare deſinat.

De Principũ marinis claſſibus.

Dico quintò, *Reges, qui habent regionum remotarum dominium poſſe cavere & claudere maria intermedia aliis nationibus propter ſecuritatem.* Periclitantur enim Indiæ, exempli gratiâ, ſi quibuſcumque gentibus liceret maria noſtra ſulcare, nam expedit nullam claſſem permitti in intermedio pelago, quæ littora invadere poſſet, ſi adpelleret.

DISPVTATIO XX.

De honoris humano dominio.

927 *An homo ſit ſui honoris dominus?*

OSTENDERE nos eſſe Honoris dominos, tametſi à nonnullis aſſertum, arduum eſt ; præcipuè cùm dominium ex ſola productione oriatur, & ipſe (Deus) fecerit nos, & non ipſi nos. Quæſtio eſt, quæ longo examine indigeret : redacta tamen ad brevitatem poterit decidi ſupponendo honorem eſſe duplicem ; eſſentialem & accidentalem ; & hunc ſubdividi in adquiſitum & hæreditarium. Eſſentialis, eſt moralis vita ; accidentalis, eſt moralis valetudo ſeu ſalus. Adquiſitum nos lucrati ſumus, & habemus ab aliis hæreditarium. Nam ſicut Apelles mutando colorum & penicilli locum, depinxit Alexandrum, unde hanc conſequentiam legitimam eſſe aſſeruimus ; *Apelles fecit Alexandri imaginem ; ergo eſt dominus ejuſdem imaginis :* non aliter ipſemet Alexander bellicas difficultates ſuperando, ſuum nomen reddidit per-illuſtre, & adquiſivit honorem, cujus dici debebat dominus, quia fuerat author. Honos hæreditarius haberet à parentibus, patriâ, conſanguineis, amicis, imò & ab ipſis inimicis. Honorificum viro eſt avita ſuorum nobilitate decorari ; eſſe ex victrice & opulenta Provincia oriundum ; habere fratres, cognatos, & amicos Principes ; eſſe talem, qui potuerit illi aut alteri Regi obſiſtere, contraire, opponi, inimicari, prævalere. Sed qualiter hunc honorem hæreditarium poſſideamus, exponitur à paucis ; ſed pro reſolutione

Honos duplex.

Honorificum eſt habere nobiles inimicos.

DICO PRIMO ; *Hæc conſequentia [Eſt filius, ergo & hæredes.] eſt legitima ex natura rei.* Hoc non tam facilè demonſtraret Ethnicus; ſed facili negotio Chriſtianus : quia Paulus uſus eſt hoc ratiocinio, ut oſtenderet hominem eſſe cæleſtis regni hæredem, quia erat Dei filius : ſed ſi hæc illatio penderet à ſolo jure humano, eſſet argumentum inefficax, multa enim concederuntur jure humano filiis reſpectu parentum naturalium, quæ reſpectu Dei univerſorum Creatoris & Domini concedi non poſſunt.

928 *Dialecticam promovet D. Paulus.*

Et ut alia omittam, *Emancipatio* (quâ filius redditur ſui juris, & incipit non eſſe ſubditus parentum) reſpectu Dei non habet locum ; nemo enim eſt qui ex manu dominii ipſius poſſit eruere : unde qui diceret, *Sunus filii Dei, ergo emancipabiles à dominio ipſius Dei*, falſum ex aſſumpto veriſſimo inferret. Ergo ut Pauli conſequentia habeat vires, non ſufficit quod illud aſſumptum antecedens habeat à jure humano vires inferendi illud conſequens, ſed eſt opus ut has habeat à jure ipſo naturæ, vel potiùs ab ipſa natura. Sed hæc omnia uberiùs & liquidius ſunt ſuperiùs tractata.

An hominem emancipare poſſit Deus?

Igitur vivente tuo patre, habes vitæ uſum, ſed vitæ cujus dominium habent Authores tui ; nimirum proprietatis, unus & ſolus Deus ; juriſdictionis Deus, pater, [& etiam mater ſi activè mulieres concurrunt.] Tuam vitam pater impendere prudenter poteſt, prodigere non poteſt ; quia non eſt abſolutus dominus, ſed condominus, & quando prudenter eam exponit & expendit, operatur nomine proprio & Dei, cujus Vicarium agit reſpectu ſuæ familiæ ; cæterùm ſi illam prodigeret, hoc eſt, imprudenter expenderet, non ageret ut Dei Vicarius, Vicarius enim nihil poteſt contra voluntatem delegantis ; & Deus, qui illi authoritatem hanc delegat, condemnat actiones imprudentes. Pater filii ſui eſt condominus, quia fuit concauſa : & quoniam in productione Petri, ejus pater à Deo dependebat, & non Deus ab eo ; hinc eſt, quod in dominandi exercitio Deus dependeat à nemine, & omnes Patres & Principes ab eo dependeant ; unde & ipſe, *Per me Reges regnant*, affirmat.

929 *Quis ſit tua vitæ dominus?*

Qualis & quanta ſit Vicarii authoritas?

Cùm pater moritur phyſicè aut moraliter, filius hæreditatem adit, & incipit ſuæ vitæ & honoris dominium illud juriſdictionis aut innatum poſſidere, quod poſſidebat pater; nempe condominium dependens à dominio Dei. Se occidere non poteſt ; tum quia dominus proprietarius non eſt ; tum etiam, quia ſi eſſet, non poſſet ſine Dei licentia ; quando enim res ſubſiſtit duorum dominio, ita ut alter in dominando ab altero dependeat, inferior nequit illam deſtruere ſine licentia Superioris: Ergo nec homo poterit ſuum honorem prodigere : honos enim vita moralis & civilis eſt, nam qui infamis, politicè mortuus.

930 *An homo ſe occidere poſſit?*

An proprium honorem prodigere?

Præterea,

931 *Vnius hominis honos multorum est.*

Præterea, honos qui est in Petro, non solùm est Dei, & parentum, sed & Patriæ, Consanguineorum, Amicorum; imò, ut suo loco videbimus, quodammodo etiam inimicorum; quia ex honoris ingenio & convictus sodalitatisque compacto, honorem non solùm nobis, sed & nostris adquirimus: ergo sicut Petrus, tametsi haberet licentiam occidendi se physicè, non posset ex vi hujus licentiæ occidere suos Parentes, Consanguineos & Sodales, nec Patriam perdere; sic similiter licet diceretur domjnus sui honoris, non posset moraliter occidere Parentes, Consanguineos, Sodales, nec Patriam moraliter perdere; atqui hoc patraret, qui se infamem redderet: ergo. Probatur minor; quia dilapidaret honorem, quem in se Parentes, Patria, Cognati & Amici depositarant.

De honore adquisito.

Dico Secvndo; *Homo est absolutus & proprietarius dominus honoris adquisiti; ac ideò potest illum perdere & conservare;* quia illum sibi genuit optimas actiones eliciendo.

932 *De honore, qui à patria.*

Dico Tertio; *Honoris à patria recepti est liberrimus depositarius.* Hoc est, ita est depositarius ut possit non esse: honorem enim à Patria & aliis hominibus receptum abjicere & retinere potes. Si inferas. Ergo poterit Patriæ honorem destruere: distinguam consequens. Admittam posse illum qui est in se, non qui in Patria. Verbi gratiâ. Facis lucidissimo splendore tota aula fulgeat: si illam adis etiam luce perfunderis; luce, inquam (ut communis opinio fert) distinctâ numero à luce facis in te tamen productâ: nihil obest quod hanc possis extinguere te à loco illuminato substrahendo, at lucem quæ est in face, cum tua non sit, extinguere nequaquam potes. Si dicamus unam & eandem numero lucem per totam aulam diffundi, dicam, te non teneri illâ invitus affici, non tamen posse facere quod non sit in rerum natura. Sic similiter de honore philosophor: moralis splendor quidam est, & legibus analogicis subditus. Si Patria verbi causâ te illustraverit honore à suo numericè distincto, illum amittere liberè potes, illæso tamen Patriæ honore, illo, qui non te, sed Patriam afficit, cujus tu nullo modo es dominus. Si autem honos ille patrius nequidem numero distinguatur ab honore Patriam afficiente, sed ab illo Patria intrinsecè, extrinsecè denomineris, poteris legitimè facere, non quidem quod honos ille non sit entitativè, quia entitas & existentia ipsius tuo dominio non subest; sed facere, ne illo denomineris; non enim teneris invitus moralibus Patriæ qualitatibus affici.

An una & eadem numero lux per totum spatiũ diffundatur?

Honos similis luci.

933 *An teneamur proximorum honorem & authoritatem conservare?*

Dico Qvarto; *Nemo potest sine injustitiæ crimine facere quod Patria, Parentes, Fratres, Cognati, & quicumque alii proximi perdant authoritatem, quam ipse non dederit.* Sicut benè stat, facem non extingui & tamen non illuminari, benè etiam stabit te cedere aut perdere honorem receptum à Patria, & tamen honorem qui est in Patria non extingui aut remitti. Quod si non solùm patrii honoris illam extensionem, quæ te concernit tolleres, sed ipsum perderes, injurius esses illius honoris domino, & secundum materiæ quantitatem peccares.

934 De honore à te adquisito major difficultas suboritur; nam licèt tibi sic intrinsecus Patriam extrinsecus afficit, & sine ejus detrimento perdi non potest.

Incommoditas & damnum ab injuria distinguuntur. Damnum & incommoditatem proximo inferre interdum possum at injuriam non possum.

Respondeo non omnem incommoditatem aut damnum esse injuriam, nam Iudex qui cogit te ut solvas creditoribus, incommoditatem; & cæli rigor, qui hortum tuum arefecit, damnum infert; & neuter tibi injuriam facit. Cùm honorem adquiris, in te intrinsecus, in Patria, Consanguineis, Amicis, &c. extrinsecus deponis: Patria tuo honore dives, depositaria tamen, illo tuo carebit honore cum primum libuerit repetere: fortè incommoditatem inferes, non tamen illi injuriam facies, resumes enim quod suum non est, sed tuum.

935 *Honos duplex: essentialis & accidentalis.*

Dico Qvinto; *Honos accidentalis (adquisitus aut hæreditarius ipse sit) supponit ut fundamentum essentialem.* Corpus naturale vitam & robur habet, item morbos contrahit, & tandem obit: sic & morale. Hominis moralis vita, ille honos est, sine quo moraliter esse non potest, ille quo sublato moraliter obire debet. Honores verò accidentales sunt bonæ quædam dispositiones, quibus moralis vitæ robur, vires & valetudo accrescunt. Audiunt accidentales, quod adesse soleant & abesse absque subjecti morali perditione & excidio.

Infamia etiã est duplex.

Honori infamia opponitur, quam eadem divisione partimur. Infamia essentialis hominis moralis mors est, accidentalis morbus. Quibus positis subjungo

936 *De honore essentialis dominio.*

Sexto; *Nemo est honoris substantialis dominus. Sed usufructuarius.* Patet; quia ille est nobiscum natus, non industriâ adquisitus, non à majoribus hæreditariò habitus, sed Dei liberali beneficio ad usum concessus, non secus ac vita naturalis.

937 *An possis vitam & honorem expendere?*

Septimo; *Sicut nemo potest sibi mortem naturalem conscisere, sic nec moralem. Vtramque tamen potest homo vitam (realem virtualem) prudenter exponere & expendere indirectè, directè bonum majus prospiciens, quod aliter adquiri non potest.* Patet, quia sicut militamus cum mortis naturalis periculo, ne Respublica damnum aut detrimentum grave patiatur; sic etiam nonnulli sancti Religiosi sub Christi labaro merent, & quia correctionis fraternæ benignitatem non cognoscunt, Deo militant cum vitam moralem seu honorem amittendi periculo, ne sua Respublica damnum grave ex indisciplinatis alicujus particularis moribus patiatur. Nam sicut militum vita benè expenditur, cùm ad defensionem incolumitatis publicæ, sic etiam eorumdem honos benè impenderetur, si ad conservationem publicæ authoritatis.

Hinc patet tam posse se infamare hominem, quam potest miles sibi mortem conscisere; hoc est, non posse directè, sed indirectè serviendo directè Reipublicæ, aut alicui majori obligationi.

938 *An prodigere?*

Octavo; *Potest quicumque cedere jure conservandi honorem adquisitum & hæreditarium, non verò conservandi essentialem.* Patet, quia potest cedere jure habendi salutem, non verò habendi vitam.

De correctione fraterna.

Hinc constat juris secreti cessionem non requiri, ut omisso correctionis fraternæ ordine

crimina Religioſorum deferantur : nam ſi illa delatio bonum ejuſdem Religioſi aut communitatis reſpiciat, quod interpoſito correctionis ordine obtineri non poſſit , ceſſat legis aut privilegii finis , ac per conſequens ipſamet lex , ipſemet favor : nulla enim ſubdito fertur nociva , nullus pernicioſus conceditur, ut patet in naturalis vitæ conſervatione , quæ non obligat cum detrimento majoris boni; hoc eſt, vitæ publicæ corporeæ , aut ſpiritualis privatæ : poſſum enim defendendo meam vitam , aut etiam meam conſcientiam , gladium ſtringere ; & , ſi non ſubſit aliud honeſtum medium, etiam aggreſſorem occidere.

De moderamine inculpatæ tutelæ.

939 Hoc præmiſſo ſententiarum delectu , conſtat errare Cajetanum 2.2.*quæſt.*73.*art.*2. Sylveſtrum *verb.Detractio,quæſt.*3. & alios negantes homini omne famæ & honoris dominium, errare Leſſium *de Inſt.lib.*2.*cap.*4.*dub.*11.*n.*59. Sotum *lib.*4. *de Iuſt.quæſt.*2. *art.*3. Adrianum *in* 4.*quæſt.de Reſtit.circa fin.* Covarruviam *lib.*2. *var. cap.*2. *num.*8. & alios plenum eidem dominium concedentes ; nam ex dictis conſtat, eſſe honoris accidentarii dominum , & adminiſtratorem eſſentialis.

940 *Objectio.* *Vt probes* competere homini abſolutum & plenum honoris dominium arguis primò Angelici Doctoris teſtimonio qui 2. 2. *quæſt.*64. *art.*5.*ad* 3. docet, *Hominem licitè poſſe diſponere de ſe ipſo , quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam : ſed tranſitum ex hac vita ad aliam non ſubjacere libero arbitrio.* Cùm autem perdere honorem, non ſit tranſire ad aliam vitam , colligitur ſenſiſſe D. Thomam honoris poſſeſſionem & perditionem ſubeſſe hominis proprietario dominio. Sed & clariùs *quæſt.*73. *art.*4.*ad* 1. dicens, *In cujuſcumque arbitrio eſſe pati detrimentum ſuæ famæ , niſi hoc vergat in detrimentum aliorum.*

941 *Exponuntur S. Thom. verba.* Reſpondeo tamen Angelicum Doctorem pro noſtra ſententia militare : nam in primo teſtimonio poteſt dici abſtrahere à rebus moralibus & agere de naturalibus quales ſunt opes , ſalus , & vita ; vel agere de moralibus etiam , & quia honorem eſſentialem (quem vitam moralem eſſe credimus) & accidentalem (quem ad ſalutem & divitias morales referimus) cognoſcimus , exiſtimamus hominem licitè poſſe diſponere de ſeipſo , hoc eſt, de ſua fama & honore , quantum ad ea ſine quibus ſtare poteſt moralis vita ; ſed tranſitum ex morali vita & eſſentiali honore ad mortem moralem & ſtatum infamiæ non ſubjacere libero arbitrio. Addimus in cujuſcumque arbitrio eſſe pati , non quidem perditionem totius famæ , ſed detrimentum ; illæſo enim eſſentiali & neceſſario requiſito poteſt diminui accidentalis.

942 *Nemo eſt honoris proximorum dominus.* Illam limitationem , quam D. Thomas poſuit dicens , *Niſi hoc vergat in detrimentum aliorum* , admitto , ſi exponatur juxta ea quæ dixi poſitione 3.4. & aliis. Videtur illa ex Auguſtino *lib.de bono viduitatis cap.* 22. ubi lego, *Conſcientiam noſtram eſſe neceſſariam nobis, famam proximis ; ac proinde crudelem eſſe qui famam negligit.* Primò enim habenda eſt ratio boni nominis , ne alios ſcandalizemus ; ſecundò ut prodeſſe poſſimus. Scandalizare autem proximum nunquam poſſumus, prodeſſe ſemper tenemur , ſi ille mediocriter indigeat, & nos ſine proprio detrimento poſſimus ; aut ſi ille extremè indigeat , etiam cum rerum ordinis inferioris detrimento ; aut tandem ſi ratione officii illi teneamur præſtare obſequia, quæ non poſſemus utiliter , ſi negligeremus honorem.

Cur debeat quis tueri ſuam famã ?

Arguis à ratione & ais. Non poteſt reſtitutionem condonare , qui non eſt rei ablatæ dominus ; at homo poteſt condonare famæ reſtitutionem : ergo eſt honoris proprii dominus. 943 *Objectio altera. De reſtitutione honoris.*

Reſpondet Adrianus eſſe inefficacem hanc rationem , laborat enim , ut putat , majoris falſitate ; quia nec homo eſt ſuorum membrorum dominus , & tamen poteſt mutilationem condonare. Sed ut benè notat Leſſius *ubi ſuprà* vim objectionis non fuit adſequutus Adrian. Nam inter honoris detractionem & membri mutilationem eſt ſumma differentia ; ille reſtitui poteſt, hoc non poteſt: & ſi hoc poſſet reſtitui, condonari non poſſet. Cùm igitur mutilationem condonare aſſerimur , condonamus injuriam , & fortè aliquod pretium quod deberemus judicis ſententiâ , aut partium concordiâ recipere , non ipſammet mutilationem ; quod etiam facere poterimus honoris irrecuperabilem jacturam paſſi ; nam debebimus condonare injuriam , & poterimus condonare pretium ſi detractor quæ ad æqualitatem non poteſt reſtituere , velit aliquam compenſationem facere , videlicet bona fortunæ aut alterius ordinis donando.

An poſſit aliquis ſuo jure cedere?

An homo ſit membrorum ſuorum dominus?

An honor aliquando perdatur irrecuperabiliter?

Ego autem ſolidè reſpondeo majorem concedendo , & minorem ſi agat de fama eſſentiali negando , ſi de accidentali diſtinguendo; concedendo , ſi non ſit obſtricta alteri homini ; aliàs negando. Pro illius minoris diſcuſſione multa attuli ; & quia puto non ſufficere adhuc aliqua adjungam, & laudo ingenii Leonardi Leſſii tranquillitatem , qui hoc aſſumptum multis difficultatibus laborans univerſaliter ſumptum putat ſe demonſtraſſe , quia dixit *Certum eſſe.* 944

An & quando homo poſſit reſtitutionem famæ condonare?

Dico igitur hominem non poſſe condonare reſtitutionem famæ, *primò* eſſentialis & ad vitam communem præcisè neceſſariæ ; *ſecundò* nec accidentalis , ſi vel partialiter ad proximum pertineat ; non enim condonare poſſes totam ſummam furi, qui pecuniam tibi & Petro communem fuiſſet furatus. *Addo* accidentalem meam , pertinere ad proximum, cùm ad aliquem ut ad purum depoſitarium pertinet ; item quando ego illam illi devinxi admittendo vivendi conditionem, cui ſine tali honore ſatisfacere nequeam : tandem quando proximus eſt in extrema neceſſitate cui aliter quàm conſervando meam famam favere non poſſum. Nam ſi extrema laboret fame , ero crudelis , ſi totum triticum inutiliter conſumpſero (non laborat extremè , probabiliter ab alio ſtipem recepturus) ſi innocens ſit , & videatur injuſtè condemnandus ſi officio Præſidis ceſſero, crudelis cenſebor ſi cedam : & ſic ſimiliter , ſi meâ inſtructione extremè proximus indigeat, crudelitatis crimen incurram ſi illi deſim, adeóque ſi non poſuero omnia media præcisè neceſſaria , quorum præcipuum eſt honoris & authoritatis conſervatio ; non enim benè verbis inſtruit, cujus vita ſcandaloſa eſt. Vbi obiter notandum , quòd licèt non ſemper proxi-

mum

mum adjuvare tenear, teneor nunquam eum scandalizare: quæ omnia videntur lucem dare & recipere illustri Sacræ Scripturæ testimonio, Ecclesiastici 41. ubi indicitur cura boni nominis, cum tamen sæpe cura pecuniarum condemnetur.

945 *Objectio tertia. An, & quando aliquis se infamare possit?*

Arguis iterum. Quia in multis casibus nos infamare possumus. *Primò* in confessionis tribunali ad obtinendam peccatorum veniam; *secundò*, cùm petimus rerum agendarum consilium; *tertiò* ad humiliationem, ut cum Divus Augustinus confessiones suorum peccatorum scripsit, & latro, cujus meminit Climacus Grad. 4. peccata sua atrocissima publicè & constantissimè confessus est; *quartò* quando injustè honorem detraximus, debemus enim illi famam etiam cum nostra infamia restituere.

946 Sed omnia ista non probant nos habere aliquod proprietatis dominium in honorem; omnia enim possunt componi cum Cajetani & Sylvestri sententia. Dico igitur me majorem libertatem in honorem concedere, quam evincit præmissum ratiocinium, tametsi Lessius illo tanquam robusto utatur: & ostendam omnia posse admitti etsi hominem nullum dominium habere in honorem dicamus. Nam *primum* non urget, in confessione enim sacramentali honos non perditur, peccata enim confitemur non homini sed Deo, & nihil potest ex illa confessione resultare; uti enim confessionis scientia est illicitum. Sed esto: admittatur assumptum, aliàs falsum; nonne Deus famæ & honoris dominus sicut & vitæ? Baptismum sanguinis instituit ad peccatorum remissionem, & tamen qui sic baptizatur non dicitur suæ vitæ proprietarius dominus, tametsi illam expendat: ergo similiter, si Christus instituisset Sacramentum in quo honos perderetur, non censeretur honoris dominus, qui illum perderet ut hoc reciperet. *Secundum* eodem modo dissolvitur; quia non perditur honor in consultatione, sed sæpè adquiritur humilitatis opinio; soli enim prudentes consuluntur. Sed si perderetur, idem esset; quia nec vitæ sum dominus, & tamen cum vitæ periculo possum adire magistrum, cùm extremè indigeo ejus doctrina, putà, ut instruar in materia fidei, aut alia simili. *Tertium* non urget; quia cùm omnes simus imperfecti, grandiùs nonnunquam ab imperfectionibus laudamur. Obiit optimus meus amicus Reverendissimus D. Bernardus Campmans, meritissimus Dunensium Abbas, & Cistercienſis Ordinis per Provincias Belgicas summi Pontificis Vrbani Papæ VIII. & Religionis authoritate Progeneralis: Vir verè pius & magnus: & in funerea pompa cum ab imperfectionibus laudavi, & placui; laude enim dignissimum est solùm leves habere, & ille pientissimus vir, si nimietatem in cæremoniarum Ecclesiasticarum observantia, quæ nonnunquam in imprudentem zelum vergere videbatur, excipias, non homo, sed Angelus fuit. Ergo Augustinus cùm minutissimas negligentias & peccata expendit, neminem scandalizat; levia enim enumerat; & si aliquando gravia, nulla quæ infamiam inferant; sumus enim in sæculo, in quo ob depravatum hominum dictamen multa dantur peccata gravia, quæ ignominiam non ingerunt. Et ut rem fatear cum Augustini confessiones, & Theresiæ vitam lego, ubi ipsos sincerius suas negligentias condenantes video, ibi eos majori laude dignos censeo. De illo latrone publicè peccata confitenti quid dicam? si latro erat, publicus etiam peccator erat, & honore subinde destitutus: cui non ignominiosum, sed glorioſum esset, vitam illam relinquere & ad meliorem frugem media publica confessione transire: congruum enim est, ut publicè pœniteat, qui publicè scandalizavit. *Quartum* pro nobis militat; nam qui debet alteri tenetur restituere etiam cum proprio detrimento, & tamen in dato casu restituit bonis minoris ordinis. Majus enim jus habet homo ne infametur propter illa quæ non fecit, quam propter illa quæ secretò fecit: majus ne infametur propter illa quæ secretò, quam propter illa quæ coram uno aut altero fecit. Ergo si Petrum infamasti, ipsi aut crimen falsum imponendo, aut secretum manifestando, quid dominii relucebit in restituendi actione, maximè cum de detractione & calumnia graviter suspectus sis, qui juridicè non agis contra eum, quem clanculò obmordes. Præterea si innocentem, te calumniante condemnatum, teneris defendere etiam cum certissimo mortis periculo, tametsi non sis propriæ vitæ dominus; cur asserendus eris honoris dominus, quòd innocentem cum proprii honoris jactura defendere tenearis? sumus depositarii vitæ & essentialis honoris; nec vult Deus, qui deposuit, illa sibi in proximi innocentis perniciem conservemus. Vbi, tametsi dicta sufficerent, etiam notari velim primò non semper per famæ restitutionem deperdi honorem, potest enim ita rerum series disponi ut detractoris honore illæso satisfiat innocenti: secundò posse gravem honorem detractum levi jacturâ restitui, si Petrus aut se fuisse ab aliis, neminem nominando, deceptum, leviter credidisse, & secundum dictamen processisse asseveret, jam tamen aliunde illos fuisse detractores deprehendere; sed de hoc redibit sermo, cùm in Decalogi Præcepto V. de honoris restitutione tractabo.

Item S. Theresia.

Peccata publica indigent publicâ pœnitentiâ.

De honoris jure.

Nec in confessione,

Potest interdum homo cum levi honoris jactura gravem honorem restituere.

nec in consultatione honor perditur.

An possit aliquis laudari ab imperfectionibus? Bernardus Campmans laudatus.

S. Augustinus laudatus.

SED INQVIRO. *Possitne Deus præcipere, Paulo, ut se reddat infamem?* Si benè expendatur, non potest. Sed non præcipites adsensum, quousque meam sententiam exponam: quo enim tu sensu dicis, id Deum posse, etiam ego consentio, sed quia rigorosiùs & meliùs meam moveo linguam, aliter loquor. Vt rem exponam, pono hunc casum. Paulus homo fragilis commiserit peccatum aliquod enorme, cui adnexa sit infamia: indicat illi Deus, ut hoc revelet. Dico & Deum posse hoc indicere, & Paulum obedire debere: nego tamen ob hanc confessionem factam ex Dei præcepto Paulum fieri infamem; quia præceptum erat de re difficili & ardua & Deo in arduis & difficilibus exactè obedire glorioſissimum est: aliàs etiam pœnitentes confessariis infames essent; & ipse D. Petrus, qui in Christo perfidus, ab omnibus haberetur infamis. Quapropter

947 *De authoritate divina in honorem humanum.*

DICO NONO. *Potest Deus jubere Petro, ut crimen alienum revelet. Petrus obediens Deo infamiam non incurret, faciet tamen meritoriè, ut*

948

ille cujus revelatur crimen, reddatur infamis. Addo. *Potest Deus præcipere Petro, ut suum crimen revelet. Petrus in tali casu obedire tenebitur: & tamen infamiam non incurret.* VEL FORTE, (id enim etiam posset probabiliter dici) *infamiam & famam simul adquiret: illam ob perpetratum crimen, & hanc ob generosam obedientiam.*

An honos bene restituatur?

HÆC DE dominio vitæ naturalis & politicæ, hoc est, vitæ & honoris; sed statim inquiris, *Quî debeat honorem detractor restituere?* difficilis resolutio est. Debet honorem detractum restituere, quantùm possit, & eo modo quo possit. Et quia vix unquam benè potest, vix unquam fit honoris injustè detracti restitutiò, quæ dicatur ad æqualitatem.

949 *An per res ordinis ignobilioris?*

SED POSTVLAS; *An damnum in res superioris ordinis* (putà animæ & honoris) *illatum per res inferiores ordinis præcisè & per se loquendo resarciendum sit, quando aliter fieri non potest?* Respondeo affirmativè. Rationes dubitandi curiosè & acutè Authores nonnulli discutiunt, at censeo etiam posse dari æqualitatem moralem ante judicis sententiam & publicam æstimationem, si adsit partium concordia judicantium utramque rem (nempe honorem ablatum & pecuniam datam) esse ejusdem valoris.

DISPVTATIO XXI.

De dominio morali Dei.

950 *Quid dominium physicum sit? quid morale?*

DOMINIVM morale proprietatis fundatur in productione virtuali libera, & in hoc à dominio physico distinguitur, quod illud productionem physicam & realem supponat. Productionem realem & physicam dixi frequentissimè, actionem veram, quâ agens suos effectus producit; productionem verò moralem, illum actum, ob quem terminus ita se incipit habere, ac si realiter illud attributum haberet, quod ipsi dicitur communicari. Verbi causâ: Esse physicè Hispanum dependet à matre naturali, quæ te in Hispania peperit: esse moraliter Hispanum, seu hispanizari, dependet à matre morali seu Republica, quæ per se vel per Regem, juxta consuetudinem Patriæ, concessit diploma, cujus virtute, licèt natus in Græcia, ita te habes ac si esses natus in Hispania.

Alii sunt verè & realiter Hispani: alii moraliter & virtualiter.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deus habeat dominium morale seu virtuale rerum?

VIrtuale (sive quod idem est Morale dominium) illi competit, qui ita se habet ac si produxisset realiter rem illam cujus dicitur dominus.

Sententia negans.

HIs positis, prima sententia negat Deo dominium virtuale & morale, & solummodo concedit physicum, & nititur his fundamentis. 951

An eadem res haberi simul queat realiter & virtualiter?

Primum. Non potest dici virtualiter albus, qui verè & formaliter habet albedinem: ergo non poterit vocari virtualis aut moralis dominus, qui est dominus physicus & realis: atqui Deus est physicus & realis mundi dominus: ergo non potest vocari dominus moralis virtualis. Minorem probat, quia creavit mundum actione vera & reali.

952 *Quomodo adquiratur dominium morale seu virtuale.*

Secundum. Tunc quis incipit esse virtualis sive moralis dominus cùm ex liberalitate domini physici incipit ita se habere ac si dominus physicus esset; atqui cùm Deus sit princeps & verus dominus, cui physicè subduntur universa, nihil ab hominibus accipit: ergo dominium morale ipsi competere non potest.

953 *An dominiũ morale commutabile sit? An divinum sit commutabile?*

Tertium. Si dominium Dei esset morale, esset commutabile; atqui Deus non potest transferre suum dominium in creaturas: ergo non habet dominium morale. Minorem probas; quia ita est rerum dominus, ut non esse dominus non possit. Et confirmas. Non potest esse creatura, quæ à Deo non sit facta & divinitùs non conservetur: non potest intelligi creatio, generatio, productio libera sine dominio: ergo sicut non potest intelligi creatura, quin intelligatur Deo subdita; sic etiam intelligi non potest creator quin intelligatur esse dominus.

Sententia asserens.

Resolutio.

STandum est pro parte affirmativa, dicendúmque dari in Deo multarum rerum dominium virtuale aut morale; nempe tale, ut redderet Deum earumdem dominum, quamvis illas non produxisset: quod potest multifariam exponi.

954 *De morali dominii physici abdicatione.*

Et *primò.* Potest Deus virtualiter abdicare à se dominium physicum alicujus rei, conferendo illam Ioanni; ex cujus abdicationis vi remanebit Deus ejusdem rei verus realis & physicus dominus, carebit autem dominio moraliter sive virtualiter, hoc est, ita se habebit ac si realiter careret dominio. Quid si tunc Ioannes dictæ rei dominus eam sacraret Deo & largiretur iterum collatori? Ex vi istius collationis inciperet Deus habere dominium morale & virtuale in eandem rem, quo ante caruisse asserebatur. Et probo, quia donationis ingenium tale est, ut ex vi illius Deus fieret hujusmodi rei dominus etiam si non creavisset illam. Ratio est, quia si eadem conferretur Paulo, esset sub dominio Pauli: ergo si confertur Deo, erit sub dominio ipsius Dei novo titulo, nempe titulo donationis aut consecrationis.

955 *Quo modo homines dominium proprietatis adquirant?*

Secundò. Homines etiam producunt suos effectus, quorum sunt veri domini. Petrus auri, quod arte sua produxit physicè, est verus & naturalis dominus: ipsum aurum quoque subest dominio Dei, qui illud etiam produxit. Deus & Petrus sunt domini in solidum ejusdem

ejusdem auri: domini, inquam, physici & naturales. Stando juri naturæ quis interdiceret ut Petrus aurum Deo consecraret, & Deo totum illud dominium naturale quod in aurum habet offerret? An non Deus, qui ab productione prima illius metalli ejusdem erat physicus & naturalis dominus, ex vi consecrationis & donationis hujusmodi inciperet esse ejusdem auri virtualis & moralis dominus novo titulo, cùm verum sit donationem puram tantæ esse efficaciæ, ut sufficeret reddere Deum moralem auri dominum, etiamsi Deus illud non produxisset. Quod si transformationes chymicæ chimæræ appareant aut metallorum distinctio substantialis non sit, ut doctiores existimant; benè poterimus exempla firmiora reperire. Pro auro arte Petri producto substitue Ioannem filium Petri, qui si Deo consecretur & donetur à patre suberit Deo duplici titulo, nempe suberit quà domino physico & naturali, utpote productori; & suberit iterum ipsi Deo quà domino jurisdictionis moralis, titulo donationis. Si in filiorum dedicatione & consecratione novæ difficultates occurrant, substituamus doctrinæ facilioris gratiâ argenti libram à Petro emptam. Hic expeditiùs faciliúsque philosophabimur. Illa argenti libra subest dominio Dei physico titulo creationis, & dominio morali Petri, jure emptionis. Quid si Petrus, illam dedicet & donet uni Deo? suberit quidem Deo sed duobus titulis, jure creationis, physicè; & jure donationis, moraliter.

Potest una & eadem res duobus modis possideri: nimirùm physicè & moraliter.

Semper est Deus rerum physicus dominus: solet esse etiam moralis.

956 *An Deus sit pater adoptivus hominũ?*

Tertiò. Sæpè contingit Deum habere virtuale & morale dominium, quale physicum habere non potest. Verbi gratiâ. Adoptio paternitas virtualis est, ejus virtute adoptatus ita se habet ac si verè & realiter esset filius legitimus & realis; adoptans, ac si esset verus & naturalis pater. Deus, qui hominum pater naturalis esse non potuit, esse moralis voluit, & communicando gratiam plurimos adoptavit.

Argumentis satisfit.

957 *Eadem subjectum formæ potest realiter & moraliter denominare.*

EX dictis non erit difficile argumentis partis contrariæ satisfacere.

Ad primum neganda est assumptio, quia non implicat unam & eandem formam competere subjecto physicè & moraliter. Cur non poterit idem Petrus esse physicè & moraliter magnus? cur non physicè & moraliter candidus? & si fortè has denominationes à diversis formis provenire reponas, dicam duo; alterum, sufficere mihi ut duobus titulis seu formis ejusdem rei quis habeat dominium physicum & reale: alterum, posse etiam dari formam quæ simul realiter denominent & moraliter. Et ne ex materia, quam tractamus, egrediar; cur non esse poterit Petrus ejusdem rei physicè & moraliter dominus? vel discurre me prævio. Sis in tua civitate dives, habeas multa, quæ produxeris physicè & realiter, quorum sis verus & realis dominus. Obsideatur hæc civitas ab Alexandro bello justo, & tandem expugnetur. Illa omnia, quorum es naturalis dominus, pertinebunt ad Alexandrum jure belli; quid si ipse te restituat in bonorum tuorum possessionem? eris herculè bifariam dominus physicus & moralis: physicus quidem, quia illa produxisti operatione physica; moralis autem, quia eadem recepisti ab Alexandro, qui belli titulo erat moralis dominus.

958 *Multa possimus & solemus homines Creatori consecrare: hoc est, donare.*

Ad secundum condono majorem; condono inquam: quia etiam aliis modis adquiritur morale dominium: minorem nego, quia etiam creaturæ multa offerimus, consecramus & dedicamus Creatori, ut constat ex his quæ dicebamus.

An, & quale dominium commutabile aut etiam alienabile sit?

Ad tertium distinguo majorem, Si dominium Dei esset morale, esset commutabile moraliter, concedo; esset commutabile physicè, nego. Atqui Deus non potest transferre suum dominium in creaturas, distinguo minorem: non potest transferre suum dominium morale, nego: non potest transferre suum dominium physicum, subdistinguo; non potest transferre realiter concedo, virtualiter aut moraliter nego.

959 *De abdicatione dominii.*

Ad confirmationem concedo non posse esse creaturam, quæ realiter non sit producta à Deo; sed dico posse dari quæ virtualiter & moraliter non sit producta à Deo; quia potest Deus ita se habere ob aliquem nobiliorem finem, ac si realiter non produxisset illam, abdicando moraliter à se illud dominium quod ei debetur titulo productionis. Sed de abdicatione & translatione dominii in sequenti controversia tractabo.

ARTICVLVS II.

De dominii morali abdicatione & translatione.

Imperfectionum nomina virtualiter sumpta eminentes quasdam perfectiones important.

POtest in hunc Articulum aliquis homo minùs doctus incurrere, & turbari statim, cùm aliqua audiat Deo concedi virtualiter, quæ realiter ipsi repugnant. Illum ego ad Librum I. remitto; &, si nolit uberiùs ibi dicta relegere, adnotare dignetur, multa ab omnibus passim Theologis Deo per rationem adscribi, quæ realiter non possunt competere: multa de eo virtualiter dici, quæ in reali sensu essent blasphemiæ. Profectò imperfectiones ipsæ, quæ realiter sumptæ malæ sunt & competere non possunt Deo, virtualiter sumptæ sunt altioris ordinis perfectiones, vi quarum multa potest facere Deus, quæ aliàs non posset. Pono exemplum: *distingui*, & *mutari* realiter non competunt voluntati Divinæ, nec competere possunt; & tamen non turbamur, cùm audimus voluntatem divinam ratione à mente divina distingui, & actum Dei liberum, qui realiter immutabilis est, virtualiter posse mutari. Ergo supponens mecum sensum virtualem nullam imperfectionem involvere, pede libero hunc Articulum perlege.

Sensus virtualis omnia salvat.

Ergo ab ipsa Resolutione incipio. Sic inquam: *Potest Deus virtualiter abdicare & exuere non solùm creaturarum dominium, sed etiam suam omnipotentiam & reliquas omnes perfectiones.* Patet: quia in hoc nulla relucet imperfectio, si bene explicetur: potest enim dicere Deus; *Ego animam rationalem, verbi gratiâ adnihilare*

adnihilare possum; & hac potentiâ carere realiter non possum : at volo illâ carere virtualiter: hoc est, non volo nec possum illâ carere realiter, at volo nunquam illâ uti : hoc est, volo me ita habere, ac si illâ carerem realiter. Et hoc est carere illâ virtualiter. Porrò interdum hujusmodi aliqua fecisse Deum. Potest colligi ex variis locis sacræ Paginæ. Dabo unum testimonium, ex cujus notitia evadent reliqua dilucida, conspicua, & clara.

960 *An Abrahæ concessum divinitus sit, ne subsit Deo?*

Init pactum cum Abra Deus Geneseos 17. & ait, *Ambula coram me, & esto perfectus; ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* —— *eríque pater multarum gentium.* —— *faciámque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regésque ex te egredientur,* —— *daboque semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Ac si diceret. [Ego sum Dominus Deus tuus, qui physicè produxi te. Possum tibi negare gratiam superstiti, & deviventi gloriam: sum enim absolutus universarum rerum Dominus. Cæterùm ex hypothesi; quòd ambules coram me & perfectus sis, ita me habebo ac si carerem potentiâ quæ te destrueret, authoritate quæ tibi posset negare lauream sempiternam. Multiplicabo te vehementer nimis : investiam nepotes tuos diadematibus Regiis; & successoribus tuis regionem Chanaanæorum concedam; in quarum omnium rerum executione ita me habebo, ac si carerem libertate, quâ possem decernere contrarium.]

An Deus promissis deesse possit?

961 *An juramenta & fœdera tollant potestatem moralem?*

Ecce Deus, qui physicè loquendo infinitè potens & infinitè liber est; ex vi hujus fœderis privatur potentiâ & libertate; non quidem physicè, sed virtualiter; quoniam ex vi stabiliti fœderis ita se habet Deus, ac si careret omnipotentia & voluntate, quibus posset contrarium aut efficere aut velle. Ergo Deus potest suam voluntatem, omnipotentiam & alia attributa non quidem physicè, sed virtualiter & moraliter exuere & abdicare.

962 *Abdicatio duplex.*

Vt hæc altiùs atque perfectiùs percalleamus, notandum est *Abdicationem* esse duplicem, nempe cum translatione, & sine translatione. Cùm dominium transfertur *Donatio* est, cùm non transfertur *Abdicatio.* Donatio est duplex; absoluta & hypothetica. Illa absolutè & simpliciter dantur, quæ gratis: illa hypotheticè quæ positâ aliquâ conditione. Hypotheticam translationem reperio in Iustitia commutativa, nempe in emptione, venditione, mutuatione : item in distributiva, quæ meritis præmia, & demeritis pœnas adscribit. Proderit eadem latiùs explicare.

Objectio.

963 *An accidens morale possit esse sine subjecto?* *An ex uno subjecto ad alterum trãsire possit?*

Dominium abdicare dicitur, qui dominum exuit, & dominium ad alium non transfert. Hoc autem videtur impossibile. QVIA dominium est accidens morale : ergo requirit subjectum, cui insit. Ergo sine subjecto esse non potest. Ergo non potest egredi ex uno subjecto, quin transeat ad aliud. Confirmat hoc analogia omnium rerum. Corpus, quod est in loco, non potest unum ubi perdere, quin adquirat aliud; res quæ sunt in tempore, nequeunt fuisse in uno instanti, quin sint in alio; ergo dominium nequit egredi ex una persona, quin ad aliam transeat.

964 Vt huic argumento respondeant aliqui confugiunt ad Sacramentum Eucharisticum, ut ostendant dari posse accidentia physica sine actuali subjecto : & hac ideâ intendunt debellare positas consequentias. Arguunt sic. Tunc philosophamur bene, cùm agimus moraliter de moralibus, ut de physicis physicè; atqui accidentia physica possunt esse sine subjecto : ergo & moralia : dominium igitur esse sine subjecto poterit, quia est accidens. *Solutio prima.*

Sed hæc ratio præmittit majorem certam, quæ est basis totius Moralis Philosophiæ; quam, qui non admiserit, de moralibus disputare non potest : subsumit minorem distinctione indigentem : Accidentia physica possunt sine subjecto esse, non quidem naturaliter, sed miraculosè : ergo idem dicendum est de moralibus. Hæc igitur ratio solùm probat dominium posse miraculosè carere supposito, non autem probat posse carere naturaliter. Ergo vel dicendum est abdicationem sine morali miraculo contingere non posse; aut aliter præmissæ rationi esse satisfaciendum. 965 *Impugnatur.* *An abdicatio sine miraculo non sit?*

Solutio vera totum primum syllogismum admittit; concedit dominium sine subjecto esse non posse, subjectum autem bene posse esse sine dominio : exemplo est lux, quæ perit cùm corpori non inest, hoc autem illam exuit & lucis expers perseverat. Cùm quis dominium abdicat, non est dicendum, hoc esse sine subjecto, quia non est : in rerum enim natura talis rei dominium virtualiter non datur, hoc est idem ac moraliter non esse. 966 *Solutio altera.* *Quo modo contingat abdicatio?*

INSTAS *directè contra solutionem.* Si dominium excidit & moraliter corrumpitur, res abdicata nullius erit : quod negari non potest. Infers; Ergo moraliter erit Deus. Probas consequentiam. Si Petrus verè & physicè nulli subesset naturaliter, esset physicè Deus : ergo quod nullius dominio subest, moraliter est Deus. Paritas non admitti non potest : assumptum probas. Si Petrus verè & physicè nemini subesset naturaliter, à nemine fuisset productus, aliàs enim subesset productori : ergo esset à se : ergo & Deus. 967 *Objectio difficilis.*

Aliqui, ut satisfaciant, distinguunt independentiam positivam à negativa. Nam linea composita ex semper dividuis, potest carere ultimis punctis, & remanere infinita negativè; ablatione autem punctorum non redderetur positivè infinita. Si creatura ablatâ dependentiâ remaneret à se negativè, hoc est, non ab alio, ac propterea non esset verè & physicè Deus, quia Deus debet esse à se positivè. Hæc autem solutio non satisfacit, quia ut superiùs notavimus, Deus non est à se positivè, quia se non creavit nec genuit, ut opinabatur Lactantius Firmianus, qui cũ etiamnum loquitur Renatus Carteſius, licèt sentiat cum sententia communi. Deus est à se negativè, hoc est, non est ab alio, & hæc est prærogativa æternitatis. Sanè, si res abdicata est à se negativè, moraliter æterna est, vel designato principium; quod si quis posuerit, ipsa non potest à se dici : quæ æterna est, & à nemine *esse* participat, cur non & Deus in eodem sensu nominabitur? Cæterùm admittamus non esse Dei characteriçam independentiam : adhuc solutio non satisfacit, quoniam chimærica est. Nihil moraliter debet asseri sine scipione physico. Repugnat dari præter Deum 968 *Dependentia duplex: positiva & negativa.* *Etiam infinitas duplex: positiva & negativa.* *An Deus sit à se positivè?* *An extra Deum dari possit moralitas, quæ nulli subsit?*

Deum physicum ens naturale, quod nulli subsit naturaliter: ergo & repugnabit dari ens morale, quod non sit moraliter Deus, & tamen nulli subsit moraliter.

Cujus sint res abdicatæ & dimissæ?

Respondeo igitur res desertas, dimissas, abdicatas nullius hominis esse. Infers; Ergo moraliter sunt Deus: sed nego consequentiam, quia remanent sub dominio Dei; & licèt nulli puro homini subsint, subsunt tamen; quod autem subest, non est Deus.

Deus nec subest nec subesse potest?

Accedit quòd etiam subsint homini, si inventæ; & si non, quòd subesse possint; quorum utrumque Deo repugnat; ipse enim dominium habere non potest. Res autem perditæ, si ad aliorum manus deveniant, inventori subsistunt juxta ea quæ superiùs diximus, & si non deveniant, quia venire possunt, etiam posse subsistere dicendæ sunt.

969 *An altum dominium mutari in eodem regno possit?*

Accedit etiam, quòd supremum dominium amissione & inventione inter ejusdem regni limites mutari vix possit: nam, si Madriti auream catenam habeas, habes subditam supremo dominio Regis: & si amittas, ad cujuscumque manus ipsa veniat, Regi subest, & Dominum supremum non mutat. Memini me apud Authorem nescioquem legisse, puero ob amissum scyphum aureum Alexandri anxiè & amarè flenti Alexandrum dixisse; *Tametsi scyphum amiseris, nil perdidi, nil amisi, ubicumque enim ipse sit, Alexandri est.* quod quidem verum esset, si & Alexander totius orbis terrarum esset dominus.

Res amissæ & abdicatæ non sunt à se moraliter.

Ex quibus omnibus clarè conspicitur, res amissas aut perditas non esse à se moraliter, subsunt enim multorum dominio, actuali aut potentiali: quæ tametsi à primo proprietario excidant, ad alios transire solent, & tamen primo domino supremo communiter subsunt, & semper Deo.

An creatura possit esse moralis Deus?

Petis ut hoc meliùs intelligamus, supponi abdicationem fieri à Deo. Vt tuæ petitioni satisfaciam, suppono (utrum hypothesis sit possibilis examinabitur inferiùs) Deum abdicare à se dominium morale unius creaturæ: illa igitur dicenda esset *moralis Deus.* Patet, quia supponitur nec Deo, nec creaturæ subesse.

970 *Si Deus abdicaret dominium unius creaturæ, illa non esset.*

Occurro tamen dicens, idem esse physicè creaturam non dependere à Deo, ac non esse; unde moraliter loquendo, quæ dicitur non dependere à Deo, annihilata fuit moraliter; quæ autem annihilata est, Deus non est, & interim non habet præsentiam quæ dependeat à Deo. Quia si ratio convinceret, omnia præterita essent Deus in communi sententia, quæ affirmat illa non dependere à Deo. Ergo dicendum est moraliter non esse creaturam, cujus Deus abdicasset dominium morale.

Ad quæstionē principalem venitur.

Inquiris tamen, ne quidpiam non subsistat examini, *An Deus possit abdicare dominium alicujus rei?*

971 *An Deus sit creaturarum non existentium dominus?*

Si agamus de rebus physicis, respondeo affirmativè: quia quoties rem corrumpit, abdicat à suo dominio naturali existentiam illius rei, quam iterum sibi subjicit, cùm rem corruptam reproducit.

Addo illam eamdem, quam corrumpit aut adnihilat, non abdicare omninò: quoniam sicut est dominus existentis rei, quia illam potest conservare & corrumpere: sic etiam, si res bene examinetur, est æquè dominus non existentis rei, quia hujus non existentiam liberè ponit, & potest illam conservare & destruere. Sed omittamus realia & physica. Sanè, si agamus de moralibus major erit difficultas. *An possit aliqua res esse quæ moraliter non pertineat ad Deum?* & si hæc datur, *An talis res possit subesse creaturæ?* Proderunt sequentes Conclusiones.

Prima. *Dantur creaturæ, quæ subsint uni Deo.* 972 *De supremo Angelo: & primo homine.*

Ostenditur, quia supremus Angelus inferioribus non subordinabatur & suberat uni & soli Deo. Confirmatur in rebus humanis; quia Adamus non fuit alteri homini physicè aut moraliter subditus: Angelos habere in homines morale dominium non constat: ergo physicus Adami dominus fuit unus Deus. Si creaturas irrationales imò & inanimatas considerem, videtur probabilius cælos, planetas, & transluparia corpora subesse dominio morali solius Dei: possent tamen subesse morali dominio aut Hominis aut Angeli, si alterutrum Deus investiuisset dominio in Lunam aut in Solem.

An cæli subsint soli Deo?

Præterea multi hodie sunt in mundo supremi Principes, qui non subsunt hominibus, sed Deo: & ideò dicuntur *Dei gratiâ* esse Reges, Principes, &c. Hispaniæ & Galliæ Reges in exemplum produco; qui licèt antequam fuerint Reges, suis parentibus subditi fuerint, cùm primùm coronati sunt, omni homini (intra sphæram suorum regnorum) præpositi, nullum superiorem cognoscunt. [suppono Hispaniæ & Galliæ regimen esse monarchicum, qui enim vellet illud aristocratiâ aliquâ temperare, deberet à me alia exempla petere: sed posita, ut reor, sunt dilucida & apta.]

De supremis Principibus.

De Regibus Galliæ & Hispaniæ.

Secunda. *Non repugnat dari creaturam, quæ virtualiter non subsit Deo.* 973 *Legatur attentè hæc conclusio.*

Si consideremus infinitam Dei omnipotentiam, nihil est quod entitativè & physicè ejus dominium & activitatem subterfugiat: nihil divinum aut humanum, quod Deum cogere possit ad abdicandum suum dominium. Cæterùm Deus, qui dominium physicum physicè abdicare non potest, virtualiter potest. Verè non potest physicè; quia si influere cessaret, terminus inciperet non esse. Virtualiter tamen abdicare dominium reale & physicum potest: quoniam sic abdicat, qui revera retinens promittit ita se habere ac si non retineret. Dabo exemplum. Petrus filium exhæredans, quid facit? perditne dominium actuale quod habuit? minimè, quoniam æternùm erit verum dicere quod Petrus genuerit illum filium. Paternitatis respectus physicus (hic est verè dominium naturale habituale) non perditur, nec humanitùs perdi potest; nam post exhæredationem manet Petrus physicè pater, ut anteà. Quis ergo est abdicationis effectus? exponam. Abdicationis vi incipit pater, virtualiter pater non esse: hoc est, ita se habere erga illum, ac si eum non genuisset. Hac doctrina suppositâ probo Deum posse dominium physicum abdicare virtualiter, imò de facto abdicavisse. Promisit æternam durationem hominibus bonis & malis: justi enim in æternum vivent; peccatores æternâ pœnâ cruciabuntur, nunquam tamen morientur. Absolutâ potentiâ

Quid sit filium exhæredem facere?

Abdicationis effectus.

An Deus homines annihilare possit?

universa annihilare posset, stando promissioni non potest: hoc est, promissionis virtute ita se habet ac si necessariò teneretur hominum immortales animos æternùm conservare. Ecce dominium usuarium, hoc est corruptivum, in animos nostros habet physicè dominus, virtualiter tamen non habet. Discurramus igitur per omnes dominii differentias, ut hoc liquidiùs cognoscamus. Sit

974 *De dominio directo.*

Tertia Conclusio. *Potest Deus abdicare virtualiter alicujus rei dominium physicum directum.* Hoc est, potest promittere se, quando rem actualiter producat aut conservet, ita se habiturum esse ac si illam nec liberè produceret nec conservaret: aut qui neget, ostendat repugnantiæ rationem, quam non dari probatur. Animos rationales æternos esse ex promissione Dei, non repugnat ipsis animis nec Deo; imò dari divinam promissionem de animis non annihilandis de fide fide est, quia aliàs non esset fide tenendum beatos æternùm futuros esse felices, si non esset de fide, ipsos victuros esse æternùm. Ergo ex vi istius promissionis ita se habebit Deus ac si necessariò conservaret illos, imò ac si necessariò produceret, quia conservatio ipsa libera productio est. Hic ego; quo sensu non operatur liberè, eodem non est operationis dominus; atqui Deus virtualiter non est liber in conservatione Sanctorum: ergo virtualiter non est dominus ipsorum vitæ. Sed conservatio est entitativè ipsa productio; ergo virtuale dominium in Sanctorum vitam virtualiter non competit Deo.

An possit Deus operari necessariò virtualiter?

975 *Effectus dominii virtualis.*

Hac doctrinâ præmissâ satisfacio multis difficultatibus, quibus aliàs non possumus, cùm vel Theologicè agimus de satisfactione, merito, sacrificiis & oblationibus; vel juridicè de occupatione Provinciarum.

Sanè dominium virtuale morale est, quod à promissione seu pacto recipit, ut præstet quidquid præstaret dominium physicum & reale. Dominus physicus ablegando dominium virtuale remanet virtualiter non-dominus, hoc est, remanet ac si non produxisset illam rem quam physicè & liberè produxit. Dominus moralis incipit virtualiter esse author physicus rei; hoc est, talem se gerere, qualem se gereret si physicè & verè rem eandem produxisset.

976 *De attributis divinis.*

Quarta. *Potest Deus abdicare virtualiter sua attributa.* Patet in libertate, de qua paulò ante ostensum, virtualiter à promissione tolli, quia hac positâ remanet Deus agens physicè liberum, sed virtualiter necessarium: nempe talis qualis si rem promissam deberet necessariò facere.

977 *An illa alicui moraliter subdere possit?*

Quinta. *Potest Deus virtualiter abdicare aliquod attributum quin alicui illud concedat, nequidem virtualiter.* Patet in exemplo posito; quia Deus, cùm abdicat virtualiter suam libertatem, nulli creaturæ eam tradit: quia cùm rationales animi dicuntur necessariò virtualiter conservari à Deo, non dicitur aliqua creatura dominari virtualiter divinæ libertati.

978 *Nemo est Dei Dominus.*

Sexta. *Non potest Deus virtualiter abdicare aliquod attributum intrinsecum subjiciendo dominio creato virtuali.* Consultò de virtuali id assero; quia jam persuasi divina non posse subjici domino physico aut divino aut humano. (Vide num. 100. &c.) Conclusionis ratio est, quia dominii translatio supponit dominii præexistentiam; atqui nulla persona creata aut increata fuit Dei dominus physicus aut entitativus: nullus igitur potuit conferre alteri dominium in Deum.

979 *Objectio difficilis.*

Cæterùm licèt hæc ratio à priori sit, debet propugnari contra rationem fortem, qua muniuntur contrarii. Potest Deus dicere homini; *Faciam hoc cùm volueris.* imò de facto similia Eliæ Prophetæ dixerat, ut constat ex 3. Reg. 17. Laborabat Provincia Galaadia sterilitate & siccitate: cæli inclementia adscribitur severitati Eliæ; ejus animum Achabus Rex sollicitat, sed frustrà; quoniam Propheta Regi, *Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto; si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Ergo perjurum Eliam ages, si existimes talia dixisse leviter & sine divina & clarissima revelatione, quæ hanc promissionem includeret. *Non concedam pluviam, nisi juxta verba oris tui.* Ergo ex vi hujus promissionis Deus non remanebat liber, ut pluvias concederet cùm vellet, sed Elias manebat dominus divinæ libertatis, quæ saltem virtualiter voluntati Eliæ subjiciebatur. Elias igitur fuit in dato casu virtualis aut moralis dominus divinæ voluntatis.

An Elias fuerit divinæ voluntatis dominus?

An promissio tollat divinam libertatem?

980 *An possint frustrari Dei decreta?*

Scio esse excellentissimos Theologos, qui admittunt non esse imperfectionem posse realiter frustrari divina decreta: esse tamen imperfectionem de facto mutari: quod sub annum 1630. docebat & propugnabat Salmanticæ Cornejus (Carmelita, non Augustinianus) eruditionis magnæ Doctor: at ego altiùs & generosiùs de Deo sentio: & hac doctrinâ uti non volo. Scio esse nonnullos, qui in Moralitatibus sunt liberiores, admittúntque Deum mutari, incipere, succedere, carere, superfluere, ac per consequens etiam subjici virtualiter, quia in virtualitate nulla imperfectio, ut aiunt, sublatet: sed ego hanc consequentiam non admittam *primò* in sensu positivo; quia nec Deus ipse est positivè naturaliter sui arbitrii dominus quod non produxit, & sine productione non stat dominium naturale. Dicitur Deus suæ libertatis dominus nempe negativè, quoniam ejus libertas non subest alteri; & in hoc sensu bene possumus dicere Eliam fuisse virtualem divinæ voluntatis dominum, ipsa enim non suberat virtualiter creaturæ alteri. Cæterùm sicut nec Deus est physicè & positivè suæ voluntatis dominus; sic nec Elias positivè-virtualiter. Dicendum igitur est in tali casu Deum habere virtualiter voluntatem creatam Eliæ, hoc est, ex vi hujus promissionis ita se habere ac si careret voluntate intrinseca & æterna, & vellet voluntate Eliæ. Ergo promissio hæc non subdit ne quidem virtualiter Eliæ divinam voluntatem; sed eam tollit virtualiter, & donat Deum virtualiter humana voluntate, divinitùs tamen directâ. Rem declaro. Hæc verba, *Non dabo pluviam, nisi illam dari volueris*, quæ, aut alia similia Eliæ dicta opinamur, æquivalere videntur his: *Ego quidem omnipotens realiter sum, possúmque terræ pluvias aut concedere aut negare. At volo ita me habere, ac si non haberem voluntatem propriam, ita me habere ac si tua voluntas esset mea,*

An Deus sit positivè dominus suæ libertatis?

mea, & tua ego vellem voluntate: pluam ergo quando velis, & quando non velis non pluam.

981 *An, & quo sensu Deus possit Sanctorum animas annihilare?*

Septima. *Potest Deus abdicare virtualiter dominium physicum alicujus creaturæ, quin id communicet alteri.* Ne egrediamur limites exempli positi. Asseruimus Beatorum vitam physicè subesse Dei dominio; addidimus eamdem virtualiter non subesse. Abdicavit virtualiter à suo dominio Deus beatorum vitas, qui tametsi possit illos annihilare, ita se vult habere ac si teneretur eos conservare in æternum: sed peto, eorum vitas virtualiter à suo dominio abdicatas, cujus dominio subdidit? nullius sanè: aut dato creaturam, quæ habeat in beatorum vitas dominium virtuale: hoc est creaturam, quæ ita se habeat ac si animos beatos produxisset; creaturam, inquam, quæ illos possit corrumpere.

982 *An Deus possit nobis cedere rerum creatarum dominium?*

Octava. *Potest tandem Deus dominium alicujus rei abdicare virtualiter alteri conferendo.* Potest enim promittere se ita habiturum esse ac si non produxisset illam creaturam: permittere ut ille, cui confertur virtuale dominium ita se habeat ac si revera produxisset. Probatur, quia in abdicatione nulla est repugnantia, ut constat ex conclusionibus hucusque expositis: in donatione nulla etiam repugnantia, quia de facto multa dedit Deus hominibus, quorum sunt domini virtuales, ut patet ex Geneseos 1. (28.) ubi ipse nostris Protoplastis *Dominamini*, ait, *piscibus maris, volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* In transmutatione dominii nulla relucet repugnantia, quia qui potest rem à se abdicare, & rem alii conferre, cur non poterit alteri dare abdicando à se ipso, aut à se abdicare alteri conferendo?

983 *An cesserit illud de facto?*

Peris, *An de facto Deus dominium alteri transtulerit?* hoc est, *An detur quispiam, qui sit virtualis dominus rei à Deo abdicatæ?* Alterutra pars non facilè demonstrari poterit; neutram enim censeo positivè probabilem; deberemus enim ad revelationes authenticas recurrere, quæ in præsenti non dantur.

984 *An duo sint ejusdem rei veri & perfecti domini?*

Nona: *Conferi sæpè Deus dominium aliquarum rerum Homini vel Angelo; sic, ut à se non abdicet illarum dominium.* Sed occurrunt statim objiciendo legem, *Si ut certo. §. Si duobus. ff. commodati.* quæ (ut præter Iurisconsultos Vasquez 3. *part. disp.* 8. *cap.* 4. *num.* 39. notat) asserit non posse dari duos, qui sint ejusdem rei domini in solidum: ergo ejusdem rei dominium directum non potest competere simul Deo & creaturæ: igitur non poterit Deus conferre homini dominium alicujus rei, si illud sibi retineat.

985 *An unus possit esse ejusdem rei dominus duobus titulis.*

Nihilominùs certum est Deum & Apellem fuisse naturales dominos picturæ, verbi gratiâ, utrumque in solidum: quia uterque eam liberè produxit, dominium naturale idem quod producere est. Eadem res potest deberi duobus titulis. Patet in Paschatis die, in quo teneris audire Missam jure solennitatis, & jure diei Dominicæ; non tamen teneris audire duas Missas, sed unam. Non minùs eadem res potest ad duos pertinere in solidum, quàm ad eumdem duobus titulis.

986 *Objectio.*

Arguit citatus Vasquez. Duos habere unius rei dominium in solidum ideò impossibile videtur, quia si quisque est dominus rei, habet jus utendi illa in sui utilitatem, solo suo consensu etiam altero invito aut inconsulto: ergo alter non videtur rei dominus. Patet, quia si equus pertineret in solidum ad Titium & Sortem, posset illum Titius occidere etiam Sorte invito: quomodo ergo Sortes asseri posset dominus equi, qui licitè occiditur contra ipsius voluntatem?

987 *De dominis subordinatis.*

Respondeo bene posse dari duos dominos in solidum subordinatos; esto, non-subordinati non possint. Sortes & Titius possent in solidum equum illum possidere, si subordinaretur alter alteri: nempe si Titius posset equum occidere inconsulto Sorte, & Sortes non posset interdicente Titio. Quæ doctrina dilucidat totam difficultatem, quia in casu posito illa pictura erat Dei & Apellis, Apellis tamen subordinati Deo. Sed cur non poterunt etiam esse duo domini ejusdem rei, qui in solidum sint, & subordinati non sint? De hoc agam alibi: quia mea non interest, quia subordinatio me juvat, ut commune Dei & Creaturæ dominium possim dilucidare.

Et iterùm de non subordinatis.

ARTICVLVS III.

Virùm creaturæ aut competat aut competere possit morale dominium in Deum quà Deum?

988 *De dominio in personas.*

SVperiùs ostendi Deum quà Deum nullius dominio physico subesse; & nunc analogam controversiam excito de dominio virtuali. Ago de Deo quà Deo, quia de Verbo æterno quà homine multa concedam ratione humanitatis, quæ non concederem ipsimet Verbo substracto ab humana natura.

989 *Quot modis illud adquiratur?*

Ex Doctorum consensu æqua ratione confirmato quatuor modis adquiritur dominium in personas. *Primus* est jure belli justi: *Secundus* jure nativitatis: *Tertius* justæ condemnationis: *Quartus* ratione emptionis. Ideò apud Græcos Δοῦλος *servus* dividitur in Αἰχμιοδοῦλον, Δουλογενὲς, Ζημιοδοῦλον, & Ὠνητοδοῦλον, hoc est, in Marte servatum, conditione servilis nativitatis subditum, emptum, & sententiâ damnatum; quibus alii adjungunt Αὐθαιρετοδοῦλον seu servum voluntarium.

990 *An aliquis ex his concernat Deum?*

Nullo ex his modis potest Homo aut Angelus adquirere dominium in Deum. Et *primò* non potest jure belli; quis enim contra Deum bellum gereret? Creaturæ vires finitæ sunt, & ideò contra Deum bellum gerere, aut Deum justo vel injusto bello vincere impossibile est. Sæpè hostiles exercitus contra æquitatem Christianos causam Dei defendentes superant, nunquam Deum; cujus vires, quia infinitæ superari non possunt. Quod si tam audax sis, ut ipsum Deum ad certamen provoces, qualis Iulianus Apostata Christianomastix infensissimus, arguam te de atheismo, & in hac controversia à me vincêris prius quàm classicum clangas contra Deum. Qui Deum ad duellum provocas, Deum non provocas, sed ens aliquod finitum quod vocas *Deum*; si enim in illo ente, quod *Deum* nominas, infinitatem esse crederes, non ita

De Iuliano Apostata.

audeſceres. Iulianus ergo Apoſtata bellum Deo indicens, atheus erat; vocabat enim *Deum* perſonam finitam & à ſe ſuperabilem. Igitur, quia nemo poteſt Deum occidere, nemo poteſt ipſum ſervare, nemo ſervando ſervum reddere, ergo Deus dici non poteſt Ἀ*ρῆσ*ὸ*ουλος*.

Secundò, Δ*ουλογενὸς* dici non poteſt, qui cùm æternus ſit à Patre æterno æternùm naſcitur, non tamen à muliere quà Deus.

An Deus peccare poſſit?

Tertiò, Nec Deus peccare poteſt ſibi impoſitam legem temerando, nec ſi peccaret ſubeſſet creaturæ alicui judicandus: ergo Ἀ*ντιο*ὸ*ουλος* non eſt, qui condemnationis jure nullius dominio ſubdi poteſt.

991 *Emptionis leges.*

Quartò, Emptio, ut teneat, debet eſſe juſta, nempe à venditore legitimo, & juſto pretio: quoniam ſi venditor illegitimus ſit, materialiter aut formaliter rapina & furtum erit, non contractus: ſi pretium minus juſto, in donationem tranſit, quæ commutatio debuit eſſe. Sanè qui Deum venderet, deberet eſſe Dei dominus ante contractum venditionis: ubi ergo perſona creata aut increata, quæ tali prærogativâ fulgeat? & ſemel conceſſo hoc impoſſibili, & admiſſo dari ſaltem increatam perſonam quæ Deum venderet, quo illum pretio emeret Angelus aut Homo? quam rem commutaret pretii æqualis & proportionati, ut Deum Ἀ*ντιο*ὸ*ουλον* redderet.

Deus vendi non poteſt.

Eſto igitur luce meridianâ clarius Deum quà Deum non ſubfuiſſe dominio alicujus perſonæ aut divinæ aut humanæ, neque ſubeſſe poſſe.

De ſervitute ſpontanea?

Petis, *An repugnet* Ἀ*υθαιρετο*ὸ*ουλον hominum Deum eſſe?* hoc eſt, *An implicet Deum fieri mancipium ſpontaneum?* Et reſpondeo aſſertivè. Quia ſervus ex conditione & ex voluntate non diſtinguntur in ſubjectione, ſed in ſubjectionis principio & origine; ſubſtantia autem divina cùm infinita & neceſſaria ſit, nec ab agente extrinſeco, nec ab ipſomet Deo hominibus ſubjici poteſt.

ARTICVLVS IV.

De Deo quà Homine.

992 *Qualis ſit?*

CHriſtus Dominus, Deus & Homo eſt, & unitate hypoſtaſis duas naturas toto cælo differentes complectitur: increatam creatam, infinitam finitam, æternam temporalem, perfectam imperfectam; nempe divinam & humanam. Quà Deus ſubeſſe alîi non potuit: potuit quà homo miſerias humanas tolerare, & ſi culpam unam excipias, potuit eſſe faſciculus omnium miſeriarum. Quam dulci calamo mellifluus meus Bernardus ſæpius de Chriſti Domini miſeriis tractat? miſeriarum ſumma illa tolerantia non fuit à neceſſitate & conditionis ſorte, ſed à patientis liberrimo arbitrio & ſumma miſericordia enata. Conſidera reſolutiones ſubſequentes.

Quantas ille miſerias & labores ſit pro nobis perpeſſus?

993 *An, & quomodo ſit ſubditus patri?*

RESOLVTIO I. *Chriſtus fuit Patri ſuo ſubditus phyſicè.* Verè Chriſtus quà homo fuit ſub dominio Patris phyſico, ut omnes aliæ creaturæ. Se eſſe verè ſubditum Patris oſtendit, cum ejus voluntati obtemperans nos redemit ſuo ſanguine. Apoſtolus [*Chriſtus factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis.*] Fuiſſe legi ſubditum conſtat ex 4. Epiſtolæ ad Galatas, ubi legitur; *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret.* Ecce IESVM titulo creationis (hoc inſinuat illud *factum ex muliere*) Patris legibus ſubditum.

Quæſtio incidens.

OCcurrit quæſtio ſubtilis & curioſa. *Fuerítne Chriſtus quà homo æterni Patris ſervus?* hoc eſt, *An fuerit ſub dominio morali Patris titulo mancipii & ſervitutis?*

994

Reſolvit affirmativè D. Thomas 3. *part. q.* 20. *art.* 1. *ad* 2. *& quæſt.* 23. *art.* 4. *ad* 3. Cajetanus & Thomiſtæ *ibid.* Eximius D. Bartholomæus de los Rios *de Hierarchia Mariana libri II. capite XXVI.* Paludanus *in* 3. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. Baſſol. *in* 3. *diſt.* 9. *arg.* 1. Durandus & alii, quibus ſubſcribit Suarius *in* 3. *part. diſput.* 44. *ſect.* 1. Vt hæc veritas oſtendatur, opus eſt meminiſſe illius periodi, quam veræ humilitatis indicem admiramur quotidie, quam in obedientiæ promptiſſimæ teſſeram Maria protulit ab Angelo Gabriele ſalutata. Hic Virgini: *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM. Virgo Cæleſti Paranympho; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* (Luc. 1. 38.) & poſtea Eliſabethæ, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* His poſitis argumentor ſic.

An Deipara ſit Dei ancilla?

995 *An liceat mentiri propter humilitatem?*

Qui humilitatis causâ mentitur, mentiendo in peccatum labitur, qui ne peccaret humiliabatur: ergo vera humilitas fucum non amat, neque mendacia tolerat, ſed ideò vera dicitur, quòd amet ſinceram veritatem. Atqui Virgo-Mater ſe *Dei Ancillam* nominat, & hoc ex vera humilitate: verè igitur ancilla fuit. Fortè, quia omnes creaturæ Deo ancillantur, aut fortè nobiliori aliquo titulo alibi explicando. Chriſtus Dominus filius fuit Mariæ Ancillæ, unde in afflictione conſtitutus, & pro hominibus patiens. [Triſtis eſt, ait, anima mea uſque ad mortem: In die tribulationis clamavi ad te, domine Deus, quia exaudiſti me: In ligno regnaturus ſum, reſpice igitur in me & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo & ſalva me filium Ancillæ tuæ.] Ergo dicendum eſt Chriſtum quà hominem fuiſſe domini ſervum jure nativitatis.

Pſalm. 85.

996

Hoc in perſona Chriſti expreſſit Pſaltes in Epigrammate citato: dixerat verſ. 2. *Salvum fac ſervum tuum Deus ſperantem in te.* & verſ. 16. ſubjunxit, *ſalvum fac filium Ancillæ tuæ.* Si, ſimul connectamus, *ſalvum fac ſervum tuum, filium ancillæ tuæ.* Quod & reſumpſit Chriſtus apud Davidem Pſalm. 115. *O Domine, quia ego ſervus tuus & filius Ancillæ tuæ.* Quò videtur reſpexiſſe Bernardus cùm ſermone 4. in Epiphaniæ octava, reſumit verba Apoſtoli, 4. ad Galatas, & uno aut altero verbo diſſentiens à vulgato, ſic ait; *Miſit Deus filium ſuum in mundum, natum ex muliere, factum ſub lege.* Aſſerit Chriſtum legi eſſe ſubditum, ſed poſtquam dixerat ex muliere eſſe natum; ac ſi ſervitus & ſubjectio illi competeret jure nativitatis.

De dominio Deiparæ in Chriſtum.

RESOLVTIO II. *Virgo Maria habuit naturale*

naturale dominium in Christum-Dominum quà hominem. Patet, quia ipsum genuit, & peperit, & ipsi debent competere omnes prærogativæ, quæ aliis matribus.

997 *An Christus S. Iosepho fuerit subditus?*

RESOLVTIO III. *Maria & Iosephus habuerunt morale dominium in Christum.* Constat ex Lucæ 2. *Disce homo obedire*, ait Bernardus Homilia 1. de laudibus Virginis Matris, *disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista:* Et erat, *inquit*, subditus illis, *haud dubium quin Mariæ & Ioseph. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori?* Erat quidem filiusfamilias, & propterea moraliter subjectus patri & matri. Ratio est, quia si Maria non fuisset naturalis Christi mater, adhuc ei esset ipse subditus non minùs quàm Iosepho, cui non subfuisse physicè sed moraliter tenemur omnes Catholici concedere; imò & tenebuntur assentiri omnes illi hæretici, qui affirmant Christam non fuisse ex copula matrimoniali natum.

NOTA I.

998 *De modo loquendi. Exponitur hæc propositio,* Christus est servus.

OBservandum est hanc propositionem, *Christus est servus Dei*, esse quidem veram, non tamen in omni sensu, unde ut pietati locum veritas tribuat, & testimoniis Conciliorum & Patrum hîc asserentium, & alibi negantium reverentiam, majoris claritatis gratiâ illam semper distinxi & explicavi. Christus quà Deus est servus, nego; quà homo, subdistinguo; est servus ratione divinæ hypostaseos, nego; ratione naturæ, iterum subdistinguo, est servus physicus ratione creationis, & moralis ratione nativitatis, concedo; est servus Dei, bello iniquo victus, captus, & servatus aut emptus, aut tandem ob scelera damnatus, nego.

Hinc constat, quî debeamus Patres explicare. Cùm asserunt Christum esse Dei servum, exponendi sunt de humanitate Christi quæ ancillatur Deo physicè ut omnes creaturæ creatori, & moraliter, ratione Virginis quæ Ancilla Dei, & Christi est mater. Cùm negant, exponendi sunt, aut de divinitate ipsa, aut de personalitate, aut saltem de natura humana cui non competit servitus emptionis condemnationis aut belli titulo. Sed de hoc uberiùs, cùm de Christo in Theologicis tractavero.

999 *Item hæc,* Christus non est servus.

NOTA II.

1000 *Habeant-ne Angeli morale rerum aliquarum dominium?*

DE Angelorum morali dominio nihil occurrit speciale dicendum; ex his quæ diximus sub finem Libri primi colligitur eos esse omninò hujusmodi dominii capaces: an Deus illis aliquas creaturas dederit, incertum; certum tamen multa illis ab hominibus offerri, nulla vel pauca dari: cùm enim iis oblata dicuntur in opera pia ad ejus honorem distribuuntur, non verò illis servantur: unde rebus omnibus consideratis verosimilius videtur Angelos carere omni aut ferè rerum materialium dominio.

CAPVT III.

De Lege Jurisdictionis Moralis aut Virtualis.

1001 *Vsuarium idem est quod proprietarium directum. Scio voces ab aliquibus sumi aliter: loquor cum multis.*

IN hoc dominium Vsuarium ab Vtili distinxi, quod illud rei substantiam respiciat, hoc fructus appendices solummodò. Proprietarius enim & directus dominus potest rem destruere aut conservare, at utilis rem ipsam destruere non potest; & quia directè est fructuum dominus habet jus indirectè ut omnia illa serventur, sine quibus fructus stare nequeunt: ergo & jus ut res ipsa, cujus fructus percipit, conservetur; eâ enim destructâ, fructus etiam deberent excidere & cessare. Iurisdictio dominio utili similis, non dominatur rei substantiæ (non enim illam potest destruere) sed fructibus: differt ab eodem dominio utili, quòd id ipsosmet effectus respiciat, hæc autem operationes liberas, nihil aliud. Res factæ & operationes præteritæ, si infectæ reddi nequeunt, jurisdictioni non subsunt, subessent si infectæ reddi possent. Illis effectus ipsos adnumera, qui non sunt liberi, sed necessariò sequuntur positam liberam voluntatem: ipsi enim quia non in se sed in causa sunt liberi, non jam in se sed in causa jurisdictioni superioris sunt subditi.

An ad præteritum detur potentia?

De actibus liberis in causa.

At jurisdictio duplex: alia physica, alia moralis. Illa potentissima est, & si causas respiciat liberas, soli Deo competit, qui solus potest prædeterminare physicè & infallibiliter actus liberos; moralis non jam soli Deo, sed etiam competit homini, Angelo, & cuicumque creaturæ intellectuali. Cùm Princeps (divinus aut humanus sit) lege morali aliquam actionem interdicit, illæsa libertate subditi necessitat actiones quoad modum; nimirum, necessitat ut interdictæ, aut non eliciantur, aut si eliciantur, malæ & peccaminosæ sint; necessitat ut indictæ, non possint sine merito fieri, nec sine demerito intermitti: non tamen necessitat aut infallibilitat ut sint.

1002 *Iurisdictio duplex: realis, virtualisque.*

Necessitas conditionata.

Dominium proprietatis à dominio jurisdictionis distinguitur, & separari potest: videmus enim alios habere proprietatem rerum, alios jurisdictionem, seu usum. Consultò usum cum jurisdictione conjungo, quia non reperio magnum discrimen aliquod formale inter istos conceptus. Vsufructuarius ille dicitur qui potest uti re, illæsâ substantiâ hoc

1003 *An Prælati sint subditorum dominii usufructuarii?*

est ; qui est dominus operationum & effectuum, & potest de illis disponere tanquam de suis : unde qui erga res inanimes aut alogas usufructuarius ; erga intellectuales, nominari posset Superior aut Prælatus, & uti subdito salvâ illius substantiâ, ejus operationes ad talem legem & normam operandi coërcendo.

Quis possit præcipere ? quis debeat obedire?

Non quæcumque persona intellectualis potest leges morales ferre, sed illa quæ titulo insignis ; non quæcumque incurrit obediendi conditionem, sed illa quæ titulo passivo obnoxia. Tenetur obedire creatura, servus, filius, famulus, vasallus, homo-ligius : mancipium (sumo nomen in rigorosa acceptione juxta ea, quæ superiùs tradidi) non tenetur, sed cogitur.

Mancipium à servo distinguitur.

DISPVTATIO I.

De Iurisdictione Creatoris, & obligatione creaturæ.

1004 *Deus omnium creaturarum est dominus.*

PRIMO Deus creationis titulo proprietarius rerum dominus est; quas enim liberè condidit, liberè conservat, & liberè destruere potest. Est usuarius dominus, quia potest ipsammet rerum substantiam corrumpere ; est & usufructuarius, quia potest illis etiam uti illæsâ substantiâ, in illis & ex illis & per illas operando secundùm singularum à se inditam capacitatem : & quia usuario & usufructuario dominio est præditus, dominium proprietatis plenum, completum & adæquatum habet.

Lex æterna & divina.

Dirigit res non intellectuales & etiam intellectuales lege quâ vult ; legem autem, quâ actiones necessarias promovet, Theologi vocarunt *Æternam* ; quâ liberas aliquas præcipit ; aliquas interdicit, aliquas opinioni concedit, vocarunt *Naturalem* ; quâ has aut illas (permissivè aut prædeterminativè) infallibiliter prædestinat & ad fines nobiliores coordinat, *Divinam providentiam*. De quibus omnibus breviter impræsentiarùm disputabimus.

De Providentia.

ARTICVLVS I.

De Lege æterna physica.

1005 IN Commentarii mei in Regulam Benedictinam Libro primo securissima jeci fundamenta erigendæ doctrinæ, materiam de Legibus tradendo. Multa ibi breviter perstrinxi, quæ uberiore calamo indigerent ; sed quia debebant potiùs libari quàm tractari, non potuerunt prolixiùs & clariùs exponi. Nunc igitur (proprius locus is est) retractabuntur, & secundo calamo expendentur.

Sanè loquendi modus varius, multas huc æquivocationes, aut etiam hallucinationes invexit, quas ut omninò tollam, rem aggredior, & doctrinam totam ad has pauculas lineas reduco.

Iurisdictionis Lex :

Iurisdictionis Lex ut sic est liberum decretum Divinum prout actus liberos intellectualium creaturarum gubernat. Istos gubernat duobus modis : videlicet, realiter & moraliter. Hinc natæ duæ Iurisdictionis leges : realis altera, & altera moralis. ILLA *est liberum decretum Dei præ definiens, aut prædeterminans liberam creaturæ voluntatem, aut alias potentias, si velis, ad istos vel illos actus ab intentione obligandi conscientias absolutè præscindens.* ISTA *autem est liberum decretum Dei, hos actus interdicens, illos verò præcipiens, præscindens ab intentione prædefiniendi aut prædeterminandi voluntatem ad illorum productionem vel omissionem.* Vtraque hæc Lex nominatur *Divina* : utraque *Æterna* : est enim Æterni Dei volitio, quæ divina & æterna est. Vtraque *Naturalis*, quia neutra nobis est libera, & utraque cum hominibus nata. [Et hîc obiter notare volo nobis impræsentiarùm perinde esse, si vel prædeterminationes physicas & decreta conditionata cum Doctore Angelico : aut prædefinitiones à scientia media independentes, cum Doctore subtili : aut tandem prædefinitiones scientiam mediam conditionatam supponentes, quales hodie Patres Societatis defendunt, supponamus : at quia Schola Angelici Doctoris est realis, & captu facilior, & meâ sententiâ melior & probabilior, agemus de lege naturali Dei doctrinam de Physicis prædeterminationibus supponentes.]

Realis, Moralis. Lex Divina, Æterna, Naturalis. Iuxta quam Scholam philosophari debeamus ?

His positis, quæ sola viderentur sufficere, progredior ulteriùs, ut etiam alios Theologos intelligamus. Et ab ipso nomine incipiam.

1006 *Quid sit Lex?*

Legem dico, quam alii, *mensuram, normam, regulam, secundum quam aliquis inducitur ad agendum, aut ab agendo retrahitur.* Ita Suarius *lib.1. de legib. cap.1. num.1.* ex Angelico Doctore *1.2.quæst.90.art.1.* LEGIS ÆTERNÆ nomine intelligo *liberum Dei decretum circa creaturas :* & in effectivam & directivam subdivido. Illa est *decretum Dei liberum circa creaturas creandas :* hæc verò *circa gubernandas ad actiones, quas efficaciter intendit, sine intentione obligandi causarum liberarum conscientias.* Colligo ex eodem Angelico Doctore *quæst.91. art.1.ad 1.* Alensi & aliis, quos citat & sequitur Suarius *lib.2.de leg.cap.3.num.3.*

Lex effectiva & directiva

Legem æternam effectivam mente contemplabatur D.Gregorius Nazianzenus *Orat. 2. de Pasch.* ubi sic; *Oportebat post spiritualem corpoream condere creaturam ;* quæ verba resumit exponítque *lib.2.de fide cap.12.* Damascenus, & inquit, *Hoc autem vocabulo* OPORTEBAT, *nihil aliud à me indicatur, quàm Opificis voluntas ; hâc enim nec lex, nec sanctio aliqua congruentior imaginari aut fingi potest.*

Quid sit oportere apud Deum?

At legem æternam directivam contemplabatur Sapiens, cùm *Proverb.8.* dicebat, *Et legem ponebat aquis ne transiret fines suos :* Et paulò antè, *Certa lege & gyro vallabat abyssos.*

LEX NATVRALIS moralis *est liberum Dei decretum circa creaturas intellectuales gubernandas ad actiones, quas intendit, cum intentione obligandi conscientias.* Vtramque definitionem (nimirum, legis physicæ & moralis) complexus Augustinus *lib.22.contra Faustum cap.27.* sic ait, *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens & perturbari vetans.* Illud *jubere & vetare* sume physicè, & habebis definitionem legis

1007 *Realis & Moralis legis convenientia & discrimen.*

æternæ

æternæ physicæ; sume moraliter & circa aliquos determinatos articulos (non enim omnem ordinem naturæ lex moralis servari præcipit; lapides enim frangi, elevari, & bestias occidi permittit) & habebis definitionem legis æternæ moralis.

1008 *Æquivocationes vitandæ.*

Hinc poterimus utriusque discrimen internoscere. Si consideremus nomina, non proficiemus, sunt enim posita arbitrariò; nam & naturalis lex, æterna est; & æterna, etiam naturalis. Obtinuit tamen usus, ut *Æterna* diceretur, quæ rerum existentias & actiones; *Naturalis*, quæ conscientias respiceret: quia tametsi æternùm sint, videtur debere illa potiùs æterna dici quæ priùs cognoscitur, & certum est ex divinitatis notitia statim legem æternam effectivam & physicè directivam inferri, moralem non statim cognosci. Secunda tametsi moralis sit, vocatur naturalis quasi nativitalis, quod sit nobiscum nata, non verò temporis successu indicta. Si fuissem nomenclator, quam vocamus Æternam, *Naturalem* dixissem; & quam Naturalem, *Moralem*; at quia annosi senis labium mutare impossibile est, nominibus antiquis utar, sed epitheta adjungam majoris claritatis gratiâ. Priorem dicam *Legem æternam physicam*, vel si hoc nomen magis arrideat, *Naturalem realem*: posteriorem *Naturalem*, seu *Nativitalem moralem*. Omissis igitur nominibus, rem ipsam contemplemur, & utriusque legis characteres & proprietates exponamus.

Quibus vocibus placeret uti?

1009

Primò, materia utrisque varia; æterna-physica mores non respicit, nihilque præter mores concernit Naturalis-moralis.

Effectus physicæ prædeterminationis.

Secundò, varia forma obligandi. Æterna physica necessitatem rebus imponit, si necessariæ fuerint; infallibilitatem, si liberæ: aut verius, omni creaturæ infallibilitatem imponit: ita ut si necessaria sit, infallibile sit, quod sit operatura necessariò: &, si libera, infallibile sit, quod liberè sit operatura. [Et hunc posteriorem dicendi modum benè nota.] At Naturalis-moralis nullum actum necessitat, nullum absolutè infallibilitat; nam sæpè præcipiuntur non futura; ut patuit in Adami abstinentia, quæ præcepta fuit, & tamen futura non fuit.

Nota omnia hæc benè.

Effectus legis.

An omnis lex debeat esse præcognita?

Tertiò, Lex moralis debet esse cognita: at physica, nec ab inanimis rebus, nec à brutis cognoscitur, tametsi illis imposita; nec semper ab hominibus, cùm & ipsis imposita. Iubet Deus se amari. Præceptum morale est, nec priùs obstringet, quàm sufficienter cognoscatur. Prædefinit mihi morbum tali die lege æterna-physica, mihi tamen incognita, cognoscenda aut ex revelatione antequam infirmer, vel post discursu naturali.

1010 *Naturalis realis lex, nõ solùm creaturas necessarias, sed etiã liberas gubernat.*

Legem æternam physicam directivam, sive quod idem est, Naturalem realem, non solùm actus necessarios, sed & liberos respicere asserui: & probo; quia si per impossibile nullum Deus præceptum morale posuisset, in tali hypothesi nulla esset in Mundo Lex naturalis moralis, & tamen adhuc Homo & Angelus liberè operarentur, & hoc pro voluntatis divinæ dispositione; posset Deus in data hypothesi prædefinire certò & infallibiliter quemcumque actum liberum; ergo actus liberi sunt æternæ legi physicæ subjecti.

An voluntas activa peccare queat? An agant, aut agantur peccatores, cùm peccant?

Sed occurrit periodus difficilis desumpta ex Augustino *libro* 83. *quæstionum, quæst.* 27. ubi S. Doctor, *In sola bona voluntate*, ait, *secundùm legem agimus, in cæteris autem secundùm legem agimur, cùm lex ipsa incommutabilis maneat.* Notant Lutherani illud *solâ*, & inferunt; ergo in mala voluntate secundùm legem agimur, liberum igitur arbitrium inanime & passivum, non agit, sed agitur cùm peccat.

Hæc doctrina à scientia media aut à prædefinitionibus, aut prædeterminationibus non dependet.

Respondeo negando Lutheranorum consequentiam: nam illa Augustini periodus non continet omnia divisionis membra, sed præcipua, quæ videbantur sufficere Scriptoris intento. Verum quidem est, nos in sola voluntate bona secundùm legem agere; illa tamen particula exclusiva (sola) non opponitur actioni, sed modo operandi secundùm legem; nam in mala voluntate, agimus quidem, non verò secundùm legem, sed contra legem, in cæteris autem (imò & in omnibus tam liberis quam necessariis) secundùm legem æternam physicam agimur, nam secundùm legem à nobis incognitam à Deo æternùm decretam & prædefinitam nostro consensu scientiâ mediâ prævisò, aut non prævisò, juxta diversas opiniones.

Brevis & cõmoda Legis divina seu æterna divisio.

Dixi Augustinum non enumerasse omnia Legis Moralis membra, & dixi benè; sunt enim multa, quæ quà physica descripta & explicata sunt *lib.* 1. & quà moralia *lib.* 2. & modò debent ad compendium reduci.

LEX
- Divina, ac Æterna,
  - effectiva. { realis / moralis } *Huc spectat dominium (naturale, morale) perfectum,* &c.
  - directiva: *dicitur* Naturalis, & *est*, *vel*
    - realis. *Et nominatur* Lex naturalis realis, *& prædeterminat omnes creaturarum actiones sine intentione obligandi conscientias moraliter.*
    - moralis. *Et nominatur* Lex naturalis moralis, *& est legislativa; & præcipit hæc fieri, illa omitti, sine intentione prædeterminandi.*

Notetur benè hæc differentia, quæ interponitur inter Legem directivam realem & Legem directivam moralem, quia in difficultatibus plurimis prodesse poterit.

Hinc

Augustini verba diluciduntur.

Hinc redeo ad Augustinum, qui me comitante sic ait: *In sola bona voluntate secundùm legem naturalem moralem (seu, directivam moralem) agimus: in cæteris, quæ liberum arbitrium non tangunt, secundùm legem effectivam agimur*, &c.

Lege æternâ physicâ effectivâ decreta est existentia elementis, cælis, Angelis, hominibus, brutis, plantis, metallis, &c.

1011 Lege æternâ physicâ directivâ; sive ut vulgò loquimur, naturali reali, decretæ sunt omnes actiones non morales. Statutum gravia deorsum tendere, levia sursum, ignem habere talem calorem, hominem esse risibilem, adamantem durum, ceram mollem, ferrum solidum, aquam liquidam; (pono has omnes denominationes motúsque esse præter prædicata essentialia, communi opinioni subscribens) quæ omnia posità lege æternâ physicâ non contingentia, sed infallibilia, imò si eorumdem naturas contemplemur, & necessaria sunt. Lex autem hæc, cui creaturæ necessariò subsunt, est libera legislatori, qui rerum proprietates & accidentia potuit aliter decernere, & operationes aliter, si voluisset, disponere. Cur non & ignes, si substantia ab aliis differret elementis, medio ureret frigore, si Deus voluisset? An non in Babylonico camino suæ activitatis obliviscitur? hæc illi à lege æterna, quæ præcepit ne in illa occasione combureret; præcepit inquam physicè, aut non prædeterminando, ut aliqui existimant, aut saltem concursum substrahendo, ut putant alii,

Lex divina, licèt hominibus sit necessaria, est tamen Deo libera.

1012 Lex æterna proprietates, accidentia, operationes, & existentiam rerum concernit, non essentias: hæ enim ab omnipotentia quà potente producere, non verò à decreto dependent. Abstrahendo ab omni decreto certum est, Triangulum quatuor angulos habere non posse, Circulum non posse habere aliquem angulum, Hominem esse animal rationale; hæc enim necessaria sunt, & aliter esse non possunt. At Authori liberum, quod triangulus sit aut non sit: & ex hypothesi quod inscribi debeat, quod magnus, parvus albus, niger, aureus, plumbeus, & accidentibus infectus sit: & sic de aliis.

An & quomodo prædicata essentialia sint Deo libera?

1013 Hinc intelligendus Augustinus frequenter asserens nullam creaturam posse subterfugere legis æternæ imperium. Operetur enim quisquam liberè aut necessariò, benè aut malè, semper correspondebit efficaci decreto æternæ istius sanctionis; quia si peccando contra legem naturalem moralem operetur, non potest Legem Dei effectivam subterfugere, nam abiret in nihilum nisi conservaretur à Deo; & & legem directivam moralem violando, respondet directivæ reali, quæ aut illum prædeterminat, aut permissivè se habet ad materiale operationis malæ, sunt enim in hac re oppositæ Theologorum sententiæ.

An homo possit legem divinam subterfugere?

De Legis divinæ & idearum distinctione.

Lex divina ab idæis æternis distinguitur; primò, quod hæ ad Dei scientiam, illa ad voluntatem pertineat; secundò quod ideæ rerum prædicata essentialia contemplentur; lex autem physica effectiva existentias, directiva physica naturales actiones, & moralis morales.

De ejusdem legis divinæ & providentiæ distinctione.

A naturali providentia quomodo lex æterna-physica distinguitur? Distinguitur, quia naturalis providentia est effectiva & directiva, adeóque utriusque legis effectivæ & directivæ perfectiones complectitur: Ergo ab alterutra lege (effectiva reali, aut directiva reali) entitativè ut totum à parte distinguitur. Et etiam à providentia supernaturali distingui debet necessariò, quia illa ante omnem moralitatem intelligitur, hæc sequitur moralitates.

De divinorũ attributorũ distinctione & comparatione.

1014 Sed quia agimus de distinctione attributorum voluntatis divinæ, obiter advertendum est, hæc nomina *Voluntas*, *Lex physica*, *Lex moralis*, *Omnipotentia*, *Virtus creativa*, *Justitia*, *Misericordia*, *Providentia*, *Prædestinatio*, *Decretum*, *Prædefinitio*, & id genus alia, in diversis scholis habere significationes diversas. Nam in Formali, qui Scotistæ sinceri & severi, & etiam Thomistæ subscribunt, significant diversas formalitates distinctas inter se formaliter, Scoto ante; D. Thomæ post operationem intellectus humani has formalitates cognoscentis aut facientis. At eædem omninò voces, in schola expressiva, quæ Realis extrinseca vocari solet, significant (N. B.) unam & simplicem formalitatem, quæ est divina voluntas, eam ad diversa connotata comparando. Voluntas enim Dei, quà potest velle, *voluntas* dicitur; quà vult, *decretum*; quà potest operari *virtus creativa* aut *productiva*; quà omnia potest, *omnipotentia*; quà res naturales gubernat, *lex directiva physica*; quà morales, *moralis*; quà media ad finem coordinat, *providentia*; quà finem infallibiliter intendit, *prædefinitio*, aut *prædestinatio*; quà peccata punit, *justitia*; quà miserias sublevat *misericordia*, &c.

ARTICVLVS II.

De Lege naturali morali.

1015 Æterna est, & naturalis dicitur, quia omnia illa, quæ à nativitate habemus, frequenter naturalia vocamus. Non est lex nobis addita, sed nobis indita. Posset naturalis etiam dici, quod secundùm naturam sit; sed hæc acceptio pateretur suas difficultates; quia licèt nihil lex divina contra rerum quidditates præcipiat, multa præcipit contra inclinationem naturalem, præcipuè naturæ corruptæ. Patientia, Continentia, Paupertas, Veracitas, & aliæ virtutes præcipiuntur, cùm interdicuntur homicidia, fornicationes, furta, mendacia; & tamen certum est hominem in hoc statu, naturæ morbidæ, impetu in hujusmodi peccata inclinari; imò si mala consuetudo etiam adsit, tantùm non ferri.

Cur dicatur naturalis?

An omnia præcepta sint secundùm inclinationem naturæ?

1016 Multi quærunt legem naturalem in homine; nos in solo Deo. Creatam esse dicunt & temporaneam; & formaliter in humana natura consistentem. Omitto illorum opinionem qui asseruerunt totum hominem esse naturæ legem, quia nec ipsis faver Paulus, nec ratio aliqua gravis momenti. Citant hæc verba, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Desumpserunt ex Epistolæ ad Romanos

An lex naturalis moralis sit in Deo?

An homines sibi sint lex?

Romanos 2. Sed illa dono istâ periphrasi. [Gentes, quæ leges humanas non habent, divinæ voluntatis absolutæ legislatricis indices, naturâ duce ea faciunt, quia lex naturalis moralis indicit, & humanæ deberent: quoniam viri hujusmodi, licet legibus careant, sibi ipsis sunt lex, nempe, ita operantur, ut vita cujuscumque posset esse aliis exemplar atque moralis lex.] Vel dicite, quid aliud sunt Virorum illustrium recepta & dilucidata exempla, quàm leges morales avitæ indicentes nepotibus, ut si esse illustres velint, operationes omnes suas Majorum suorum heroïcis exemplis conforment? Omissâ igitur hac opinione, quam carere omni probabilitate judico, alii constituerunt legem naturalem moralem, non jam in tota natura humana, sed in aliqua ipsius formalitate aut consideratione. Omnium placita radicitùs examinabimus.

Verba movere solent duri penetralia cordis: At exempla trahunt, abripiúntque magis.

SENTENTIA I.

Legem naturalem moralem in natura humana quà corporea consistere.

1017 *Error primus.* *Animam rationalem quà potentiam passivam physicam esse legem naturæ* si qui docent, debent dicere illa omnia esse bona moraliter, quæ entitati naturæ conveniunt physicè; esse autem moraliter mala quæ sunt disconvenientia.

Error secundus. *Eamdem rationalem animam quà potentiam activam esse legem naturæ* si defendis, teneberis consequenter asserere actiones malas nullas dari; quia causa efficiens nunquam potest operari contra inclinationes naturales, hæ enim non sunt ad omittendum: debebis asserere omnes omissiones esse malas moraliter; quia sicut non calefacere est contra caloris naturalem inclinationem, sic etiam esset contra animæ rationalis naturam omittere operationes naturales.

Error tertius. *Eamdem animam quà formam esse legem naturæ, qui affirmant* non debent admittere alia peccata aut morum dissonantias, quàm homicidia: ratio est, quia anima quà forma solùm respicit materiam ut actuandam, & contra hunc actuandi appetitum solùm illa militant quæ mortis aut morbi sunt causa.

Sanè in entitate physica formaliter non potest consistere regula morum, sed quærendus est nobilior ordo cui moralia aptiùs adscribantur.

De humana Anima quà rationali. Animum quà rationalem contemplemur, & speculemur quæ illi conveniunt intentionaliter considerando. *Primò*, ipsi conveniunt tales mores potiùs quàm tales. *Secundò* ipse cognoscit quinam convenientes sint, & quinam sint disconvenientes.

SENTENTIA II.

Eamdem Legem in natura humana consistere quà subjectum & fundamentum honestatis.

1018 VAsquezius 1. 2. *disputatione* 150. *capite* 3. naturam ipsam rationalem considerat prout est fundamentum honestatis & turpitudinis, & hanc docet esse legem naturalem; quod Vasquezii discipuli sic explicant. Natura humana, ut entitas physica est, petit ad suam conservationem calorem & alias qualitates, & talia accidentia, quibus positis est in statu connaturali, sublatis in violento. Sic similiter eadem prout entitas intentionalis est, conservatur honestate & elegantia morum, vim patitur cùm inficitur moribus disconvenientibus. Ratio est, quia homini quà entitati physicæ convenientia sunt aliqua accidentia, & alia sunt disconvenientia, & per consequens homo quà intentionalis habebit accidentia intentionalia, quorum aliqua ingenio suo congruant, & alia opponantur.

Exponitur Vasquezii opinio.

Virùm aliquæ actiones secundùm se sint malæ?

1019 *Quæstio summè necessaria proponitur.* SUpponit sententia affirmativa dari actiones intrinsecè malas & bonas: homicidium non esse malum quia prohibitum, sed prohiberi quia malum: & sic in aliis. Intrinsecam rerum malitiam communi decreto Theologorum admitti, docuit Suarius *lib.* 2. *de leg. cap.* 5. *num.* 2. Cæterùm, ut probet hanc, quam vocat communem sententiam, affert authoritates quæ potiùs persuadent contrariam. Citat primò illud 4. ad Romanos, *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Et infert, Ergo dantur actus ex se mali moraliter. Fortiùs autem inferret, Ergo non dantur actus ex se mali moraliter, sed tota actuum malitia provenit à lege: & probo consequentiam; quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio: ergo ubi prævaricatio est, lex est. Ergo qualis lex fuerit, talis prævaricatio erit: prævaricatio physica oritur à lege physica, prævaricatio igitur moralis à morali.

An omnis malitia supponat legem?

1020 *In quo consistat peccaminositas? Communis peccatorum divisio.* Secundò idem Suarius probat res esse intrinsecè bonas aut malas verbis Augustini qui 22. contra Faustum 27. definit peccatum esse *Factum, dictum, aut concupitum contra legem Dei.* An non videbunt cœci his verbis assumptum Suarii non solùm non probari, sed condemnari? si actiones, verba, aut placita, ideò peccaminosa sunt, quia contra legem Dei, constat peccaminosa ipsa non fore, si legi non opponerentur. Ergo non jam ex se, sed ex lege oritur actuum malitia.

1021 *An ulla ante prohibitionem malitia sit?* Tertiò citat Ambrosium libro 8. de Paradiso, dicentem, *Non consisteret peccatum, si interdictio non fuisset.* Sed torquere videbor Ambrosium, si cum Suario in sententiam contrariam vel invitum inducam. Clarè enim colligitur Mediolanensem hunc Antistitem subscripsisse veriori sententiæ, & asseruisse omnem malitiam ab interdictione dependere, quâ sublatâ etiam homicidium & ea omnia, quæ dicuntur esse mala moraliter, mala non essent. Constat igitur malè citari pro contraria sententia Paulum, Ambrosium, Augustinum, qui clarissimè docuerunt actiones esse malas quæ prohibitæ, & ante prohibitionem omnes esse ambiguas & indifferentes moraliter.

1022 Videntes hujusmodi sententiæ defensores sibi non esse sperandum auxilium ab Scriptura aut Patribus, conantur nos ratione con-

Prima ratio. vincere. *Argumentantur sic.* Odium Dei non est ideò malum, quia ratione malum esse censetur, sed ideò malum esse judicatur, quia ante malum fuerat: sic similiter non est censendum malum, quia prohibitum; sed prohiberi justè dicendum est, quia erat malum: vel vel qui asserat odium Dei esse malum quia prohibitum, concedetne illud futurum esse bonum si præciperetur? an non potiùs dicendum est odium Dei ex natura sua ita este malum, ut esse bonum non possit?

An odium Dei sit malũ ex natura rei?

1023
An odisse fugisse sit?

Vt difficultati satisfaciant aliqui Iuniores affirmant in odio Dei sublatâ omni morali lege nullam intelligi deordinationem: & probant, quia odisse est fugere. Fugere autem Deum, si contra præceptum culpa est; si secundùm præceptum, actio laudabilis; & probant pluribus exemplis. *Primò*, quia Protoplasti nostri post peccatum fugiebant faciem Domini (Geneseos 3. 8.) nec hoc ipsis fuit crimini, quibus non erat indictum accedere. Caïnus (4. 14.) in fratricidii pœnam proscribitur; à facie Dei absconditur, & profugus vagatur per terram; non tamen in hoc peccasse dicitur, quia Deum fugiebat exul, & qui legalem pœnam suffert, non est dicendus contra rationem operari. Exodi 19. jubet Deus, ne ad se Israëliticum vulgus adpropiet. In Sinai Moysi Dominus; *Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos. Cavete ne adscendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ita vers. 13. & vers. 24. *Populus ne transeant terminos, nec adscendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos:* quod & resumit Paulus inscriptæ Hebræis 12. 18. Omittunt alia sacræ Scripturæ testimonia, quæ meminerunt eorum, qui cæsi sunt, quòd accesserint ad Dominum contra decretum legis; veniunt ad Christi historiam, ubi author, quem diligebat Iesvs (Ioan. 13.) notat Christum fugi à Petro; qui cùm primum cognovit voluntatem Dei, permisit se à Christo lavari. *Exi à me Domine*, inquit Petrus, *quia homo peccator sum.* Fugere igitur & repellere Deum laudabiliter potuerunt Sancti; accedere non licuit peccatoribus; quoties his accessus, illis recessus cælitùs interdicebatur. Ergo Deum fugere ex se malum non est, quia aliàs sine culpa nec fieri, nec indici posset. Nec valet dicere hanc fugam fuisse bonam, quia erat corporea; sed odium Dei esse malum ex se quoniam est fuga immaterialis. Non valet, inquiunt, quia sicut corporea fuga, cùm sit ex præcepto, exprimit quoddam materialis respectus & reverentiæ genus; sic spiritualis fuga potest præcipi causâ cultus & observantiæ immaterialis. *Sed hæc solutio* displicet, quia odium Dei non in omissione, sed in positiva voluntate consistit; in odio multi primariò fugam ipsam intelligunt, sed secundariò desiderium invidum sitiens alterius perditionem. In odio hominis uterque effectus reperiatur, vel non; at in odio Dei uterque reperiri non potest. Pompejum Cæsar oderat; eum non solùm à corde repellebat, sed persequebatur; non solùm illi mala optando, sed infligendo. Cùm autem Deus sit mortis incapax, incommoditatum expers; eum homo fugere potest; ipsi mala optare aut imprecari potest qui dicerit desiderare impossibilia. Si Petrus non potest desiderare sibi irrationalitatem, quî poterit optare mortem creatori; cùm clariùs constet mortem Deo, quàm Petro irrationalitatem repugnare? Censeo in odio Dei fugam positivam reperiri posse, invidiam non posse; quia sicut appetere non potes quaternarium quinque unitatibus compositum, quia id impossibile est; sic nec mortem Deo, hoc enim magis impossibile est: at potest dolere, quod Deus sit (multa enim nobis causant dolorem, quæ in nostra potestate non sunt) & in hoc dolore odium hoc possemus constituere, illúdque explicare, non jam hoc actu, *Volo ut Deus non sit*, videtur enim impossibilis: sed isto, *Doleo, quòd Deus sit; & vellem omninò quòd non esset; & illum delerem, si possem.*

An possit homo licitè Deũ fugere?

An possit homo creatori mortem aut vovere, aut optare.

Aliud est Volo, *& aliud* Vellem. *Nota id benè.*

Si speculatio, quam sub initium præcedentis paragraphi Iunioribus adtribui, placeat, dicito odium Dei nunquam esse bonum, quia sonat fugam Dei interdictam; sublatâ autem interdictione non manere odium Dei, sed odii subtractum, nempe fugam Dei, quæ ex se est indifferens, ut sit bona vel mala. Et quidem futuram bonam si mandetur, malam si interdicatur. Sed quia hic modus exponendi naturam odii aliquid videtur adstruere, quod philosophicis principiis non consonat, malo asserere odium Dei dicere pro materiali positivam fugam, & pro formali, non quidem interdictionem, sed invidiam, nempe desiderium conditionale interimendi Deum, ut in fine numeri præcedentis exposui. Et quidem, ut hoc benè percalleas

1024
An interdictio in odii conceptu inveniatur?

Quid tandè odium sit?

Nota Primo malitiam esse duplicem, physicam & moralem. Malitia physica est realis & vera deordinatio unius respectu alterius. Sic cervum insequi, persequi, venari, occidere, actio mala physicè est, respectu hujus bestiæ cui meliùs esset non occidi.

1025
Malitia duplex: realis, moralis.

Objicis. Cervus non est vitæ suæ dominus; ergo ipsi non est inæqualis qui eum occiderit.

An cervus sit sua vita dominus?

Respondeo, cervum pertinere ad personam quæ produxerit: unde hoc humanitùs considerando, si quis illum produxerit physicè & liberè, erit ejus dominus, juxta ea quæ diximus *superiùs*; quod si nemo eum produxisset, esset ipse cervus dominus-negativè sui ipsius; hoc est non esset alicujus. Venator igitur, qui illam animantem occidisset, fuisset injurius physicè domino naturali illius aut positivo aut negativo. Cervo autem non esset injurius positivè, sed violentus. Cervicidium malum physicè est, non tamen ex se peccaminosum; quia malitia moralis est deordinatio actus respectu legis moraliter obligatoriæ. Sic non audire sacrum die feriali malum moraliter non est, quoniam nullâ lege indicitur audire Missam tali die: Missam non audire die Paschatis peccatum est, quoniam est contra Pentalogum Ecclesiæ.

De fuga immaterialis & materialis.

Quid verè & propriè odiũ sit?

An & quomodo possit creatura odisse Deum?

Nota Secvndo. Malitiam actuum physicam esse ante omnem legem moralem, non tamen ante omnem physicam: nihil est malum-physicè quia morali aliqua lege prohibitum, sed quia physicè est deordinatum, hoc est, quia militat contra legem physicam & naturalem. Ratio est, quia sublata morali prohibitione adhuc physica malitia remaneret.

1026
Sine lege nec moralis nec physica malitia intelligitur.

Sed

Objectio, à cujus solutione tota ista controversia dependet.

Sed objicis. Malum morale est dissimilitudo actûs & legis moralis : ergo malum physicum erit dissimilitudo actûs & legis physicæ. Patet consequentia, à pari. Atqui nulla entitas est mala physicè & realiter : ergo. *Respondeo* dari duplicem bonitatem physicam, aliam transscendentalem & communem, aliam particularem, & hanc subdividi in Dominicam passivámque & Dominicam damno & injuriæ opponi. Bonitas transcendentalis est similitudo actionum & legis æternæ quà physicæ. Hæc bonitas transcendentalis debet dici, quia nulla reperietur aut actio aut entitas cui non conveniat. Cùm lupus ovem adoritur, occidítque ; hæc actio transcendentaliter mala non est, quia est consentanea physico decreto conditoris : lege physica ab æterno indictum erat illi lupo ovem rapere, ergo illa rapina fuit juxta terminos æternæ legis : igitur bonitatem transcendentalem habuit. Si eandem actionem passivè-physicè consideremus, hoc est, respectu ovis occisæ, mala fuit, quia ovi meliùs esset vivere juxta illud verissimum axioma, *Omne ens appetit suum esse*. Si domini naturalis illius ovis memineris, malum, hoc est, damnum physicum est, nempe ipsi domino qui dominio suo spoliatur invitus ; & si à persona libera ovis illa occideretur esset injuria physica, quia esset actio humana dominio naturali opposita. Considera categorema.

Discrimen inter Violentiam, Damnum, Injuriámque.

Bonitas duplex. Malitia duplex.

MALITIA: est dissonantia ad legem. Et est duplex:

- Generalis, seu Transcendentalis : quæ & dissonantia actionis & legis directivæ physicæ, hoc est, legis naturalis realis. *Et nota hîc nullum actum dissonare prædeterminationi efficaci, nullum consonare inefficaci.*
- Particularis,
  - Innata. *Militat contra appetitum innatum creaturæ, & Violentia vocatur.*
  - Dominica. *Militat contra dominium creaturæ, & consistit in ablatione, retentione, aut destructione rei invito domino.*
    - *Quæ si ab agente necessariò fiat*, Damnum dicitur.
    - *Si autem à libero, nominatur* Injuria : *& potest contingere dupliciter ; nimirum* affectu & effectu.

1027 *Quid sit bonitas transcendentalis?*

Bonitas igitur *transcendentalis* legem physicam directivam, seu Naturalem realem sequitur, & omnes actiones sunt bonæ hoc sensu, quoniam omnes æternæ huic legi obediunt, cui nec una reperitur dissona ; si autem reperiretur quæ huic legi divinæ contradiceret, mala esset. Malitia *particularis* particulari legi opponitur, & ideò est mala. *Violentia* opponitur appetitus innati legi, ac propterea communi illi principio physico, *Omne ens appetit suum esse naturale :* quia naturalis appetitus rebus necessariis est lex. Ergo lignum comburi est contra appetitum innatum ligni, cui bonum esset non comburi : ergo contra legem necessariam particularem. Si benè consideres, non opponitur combustio innato appetitui ligni, quia mala ; sed mala solùm est, quia opponitur : nam combustio secundùm se caloris intentioris excessus est, non tamen malus in se, sed malus ipsi ligno : unde si ligno conveniret, ipse malus non esset, ut neque malus est igni elementari. *Damnum & injuria* mala sunt, quia domino opponuntur ; unde, si non opponerentur, talia non essent : talia non sunt, cùm dominus legitimè invitus non est, quia potenti velle & permittere, atque de facto volenti & permittenti injuria fieri non potest ; jubere enim ovem propriam occidi, est occidere virtualiter, permittere autem est abdicare dominium. Dominium ergo est particularis lex libera, quam fert qui sit dominus.

Quid particularis?

Quo modo ligno opponatur combustio?

Multa permittunt qui non possunt.

1028 *Omnis malitia à lege est.*

Hinc ergo satisfacio objectioni, positæ superiùs, quæ erat hæc. *Malum morale est dissimilitudo actus & legis moralis : ergo malum physicum est dissimilitudo actus & legis physicæ*, &c. admittendo paritatem propositam, & negando minorem. Quia sicut mala moralia talia sunt, quia opposita legi morali, sic etiam mala physica talia sunt, quia legi physicæ & naturali contrariantur : unde cum dentur multæ leges physicæ, quibus opponi possunt, sic etiam dabuntur multæ malitiæ physicæ & naturales, omnes tamen ex lege.

1029 *De præceptis moralibus.*

Nota TERTIO, Omnia præcepta moralia dicere bonitatem physicam & moralem. Legirupionis temeritas est mala physicè & moraliter : homicidium enim est malum physicè, & si fiat contra legem est malum moraliter.

1030 *De odio Dei.*

Hinc collige in odio Dei dari duas malitias, physicam & moralem. Non potest fieri, quòd odium Dei physicè deordinatum non sit ; posset tamen auferri deordinatio moralis, si Decalogus abrogaretur. Homo, qui in tali casu exosus esset Deum, ipsi opponeretur physicè, non moraliter ; quia obligationes morales supponuntur non esse.

Ejus malitia.

Doceri vis qualis sit ista malitia physica, quâ inficitur odium Dei, etiam Decalogo sublato ? Resp. illam non esse transcendentalem, quia ille ipsissimus actus transcendentaliter est bonus, utpote correspondens æternæ illi legi quæ ipsum hominem physicè & infalliblíter prædeterminavit. Malitia passionis aut violentiæ non est, quia Deo violentia non infertur, utpote passionum & accidentium incapaci : damnum Deo inferri dici nequit, quoniam nihil ab illo adimitur, quia nullæ res ipsi nocere possunt. Supereſt igitur, ut sit injuria physica, hoc est damnum invitè acceptum atque liberè illatum : hanc dividis in affectivam & effectivam. Effectivè nullus sufficit nocere Deo : ergo vel dicendum est in

Nō in effectu illa, sed in affectu scelerato consistit.

odio Dei Decalogo ſublato non remanere formalitatem aliquam, quæ phyſicè opponatur Deo; aut ſi qua opponitur, ſolum opponi phyſicè affectivè.

1031 *An præcepta Decalogi ſint morum principia per ſe nota?*

Objicis; Præcepta legis primæ moralis, ſunt principia per ſe nota & ex ipſis terminis conſpicua, & conſequentiæ evidenti neceſſitate ex eis deductæ: Atqui harum veritas naſcitur neceſſariò non ex aliqua lege libera aut decreto Dei, ſed ex veritate principiorum; quæ neceſſaria eſt ante omne judicium intellectus, non ſolùm creati, ſed etiam divini. Ergo moralis actionum bonitas aut malitia non dependet à lege. Principiorum veritatem non dependere à voluntate probas, quia neceſſaria eſt, non minùs quàm veritates phyſicæ.

Reſpondeo negando præcepta Theologicè moralia eſſe principia per ſe nota; quoniam per ſe nota principia à nullius arbitrio aut ſuppoſitione dependent, & tamen Principia moralia theologicè (de his enim agimus) talia ſunt non à neceſſaria terminorum connexione, ſed à libero decreto Dei. Hæc propoſitio *Mendacium imbibit malitiam moralem theologicè*, non eſt propoſitio neceſſariæ veritatis, quia fit malum theologicè moraliter à cauſa libera, nempe à libera prohibitione, quia ſi illud Deus non prohibuiſſet, remanſiſſet malum phyſicè, nempe malum menti cui opponeretur, & non eſſet oppoſitum legi, quæ ſupponitur non lata, aut abrogata.

Inſtas iterum, & objicis verba Auguſtini, qui *libro 2. de Sermone Domini in monte, cap. 12.* ait adulteria, ſtupra, & ſimilia non poſſe bono animo fieri. Et *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 3.* tacitè approbat verba Evodii dicentis, adulterium non eſſe malum, quia prohibitum, ſed è converſo. Objicis etiam Ariſtotelis authoritatem qui *2. Ethicor. cap. 6.* ſic ait, *Sunt affectus nonnulli, qui continuò nomine ſuo, ſunt cum pravitate connexi, ut malevolentia, imprudentia, invidentia; & actus identidem, ut adulterium, furtum, homicidium; hæc enim univerſa, & talia dicuntur, quia ipſa ſunt prava.*

De mente Auguſtini, Evodii, & Ariſtotelis.

Reſpondeo Ariſtotelem, Evodium, Auguſtinum egiſſe de legibus humanis, quæ certum eſt interdicere adulteria, furta, ſtupra, & ſimilia, quia aliàs ſunt mala, ſunt enim divinitùs interdicta. Nunquam Doctor aliquis, quem non liceat explodere, expreſsè aſſeruit res prohiberi lege æternâ morali, quia ex ſe erant non ſolùm malæ phyſicè, ſed & malæ theologicè moraliter: hoc nunquam Auguſtinus, nunquam hoc Ariſtoteles, & ſi hoc nunquam dixerunt, non ſunt dicendi contra noſtram ſententiam militare.

Reſolutio contra Gabrielem Vaſquez.

1032 PErſuaſi nihil eſſe ex ſe malum phyſicè aut moraliter, ſed omnem malitiam à lege oriri; nempe malitiam phyſicam à phyſica, moralem à morali: hac doctrinâ ſuppoſitâ opinio Gabrielis Vaſquez ſtare non poteſt, ut ab ipſo principio videbamus.

SENTENTIA III.

Eamdem Naturalem-moralem legem in dictamine rationali conſiſtere.

VIx eſt quæſtio, quam non tractaverit curiosè Abulenſis Epiſcopus, non ſolùm ſui ſæculi, ſed & nationis noſtræ decus. Agens *Matth. 19. quæſt. 30.* de lege naturali affirmat eam formaliter in dictamine & ratione conſiſtere. Adſonant Sotus *lib. 1. de juſt. q. 4. art. 1.* Viguerius *in inſt. cap. 15. §. 1. verſ. 1.* qui putant ſibi favere D. Thomam qui *1. 2. quæſt. 90. art. 1.* (teſte Beyerlinckio verbo *Lex.*) aſſerit legem eſſe dictamen rationis practicæ. Adſonat ſibi S. Doctor *ibid. quæſt 94. art. 1. & 2. & in 4. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1.* Subſcribunt doctiſſimi Iuriſperiti, ſpecialiter Albertus Bolog. *tract. de leg. jur. & æquit. num. 25. & 26.*

1033 *Abulenſis opinio.*

Verùm hæc ſententia non poteſt ſubſiſtere; quoniam ut defendatur, debent ſupponi res quæ prohibentur, ex ſe eſſe malas, quod eſſe falſum clarè vidimus in præcedentibus. Et tamen D. Thomas, & Thomiſtæ contrarium ſtatuunt aſſerentes operationes noſtras malas non eſſe malas ſecundùm ſe, ſed quia ratione divina, & dictamine humano prohibentur. Nos igitur hujus ſententiæ fundamenta invertentes argumentemur ſic. [Omnia ſunt moraliter indifferentia ante legem moralem-naturalem: ergo hæc lex non conſiſtit in humano dictamine. Patet conſequentia; quia ſi conſiſtat formaliter in ipſo, hoc erit aut liberum aut neceſſarium. Si liberum, erit mutabile ad nutum cujuſcumque: ſi neceſſarium, dictabit omnia eſſe licita, omnia eſſe indifferentia. Probo conſequentiam. Ante legem naturalem omnia ſunt moraliter indifferentia; atqui lex naturalis formaliter conſiſtit in rationis dictamine: ergo ante hoc omnia ſunt moraliter indifferentia; hoc eſt nec bona, nec mala. Sed recta ratio (talis dicitur, quæ fallaciis non ſubeſt) debet judicare de objectis ut ſunt in ſe, nempe ut ſunt ante ipſum judicium: ergo debet judicare omnia eſſe indifferentia & ambigua, errabítque quoties hoc aſſerat bonum aut malum.] Ne igitur aſſeramus quæ univerſorum reſolutioni contrariantur, oportet contradicere paucis illis qui affirmant naturalem legem formaliter conſiſtere in judicio prudenti & rationali.

1034 *Impugnatur.*

Argumentaris contra. Lex naturalis, inquis, non eſt in Deo, quia temporanea & creata eſt: non eſt extra homines, quia non eſt ſcripta in tabulis, ſed in corde: non eſt ipſa natura humana quà corporea, quia corporis inclinationes ſæpiùs naturali lege adverſantur: non eſt ipſa humana natura quà ſpiritualis, ut contra Vaſquez fuit oſtenſum: ergo ſupereſt quòd conſiſtat formaliter aut in intellectu, aut in voluntate. Non in hac, quia non pendet ab humano arbitrio, ſed id regit, obſtringit, obligat: ergo ponenda eſt in humano judicio.

1035 *Vbinam ſit hæc divina moralis lex?*

Reſpondeo negando primum aſſumptum; quia lex naturalis eſt formaliter in Deo tanquam in Legiſlatore ſummo & libero, & eſt lex æterna & increata, obligans creaturas in tempore: quia ſicut hodie obligamur legibus

1036

humanis

humanis ante nostram genethliam latis, cur non obstringemur & legibus quas Deus ante mundi constitutionem tulit, gubernaturus homines, quos volebat creare? Accedit, quòd æternitas sit tota simul: quia sicut Deus æternùm me conservat hodie, ita ut illud *æternùm* afficiat durationem divinam, illud *hodie* humanam: ita & æternùm interdicit Petro hodie mentiri, illud enim *æternùm* afficit Deum, hominem illud *hodie*.

De vero æternitatis conceptu.

1037

De legis effectibus.

Arguis secundò. Naturalis lex causat suos effectus; isti proveniunt à dictamine: ergo istud est lex. Probatur minor; quia tunc quispiam peccat contra legem, cùm contra dictamen operatur.

Quid sit dictamen?

Respondeo legem naturalem causare suos effectus ut cognitam, quia non peccat qui invincibiliter legem ignorat. Si nomine dictaminis intelligas legem quà cognitam, facili negotio admittam operari contra dictamen esse peccatum formaliter; non admittam, si intelligas ipsam cognitionem: hæc enim non est lex sed notitia legis. Furtum, verbi gratiâ, est peccatum cùm liberè fit à cognoscente legem, quia Deus legem tulit cum intentione obligandi illos, qui legem cognoscerent & liberè contra eam operarentur. Ideò humana cognitio non se habet ex parte legis, sed se habet ex parte subditi, quia illis, qui eam non cognoscunt, non est lex posita formaliter. Confirmatur; Ecclesia jubet ut habentes viginti & unum annum jejunent, ætas autem hæc non est ratio operandi legi, sed est conditio quæ ponitur ex parte subditorum, quâ posità incipiant obligari: sic humana notitia est ratio distinguens eos quibus lex naturalis indicitur, ab illis quibus non est indicta, quos non obstringet quamdiu non cognoscatur. Legis notitiam non se tenere ex parte legis constat, quia Deus est absolutè dominus, & quos comedentes venena ex ignorantia invincibili condemnat morte naturali, posset si vellet condemnare æternâ, quoties temerarent Decalogum etiam lege & periculo ignotis. Patet, quia ut probavi superiùs potest Deus quemcumque æternùm reprobare sine causa. [Vide lib.1.disp.9.] Tenentur hoc admittere, quotquot cum D. Thoma affirmant dari reprobationem malorum positivam ante prævisa merita: quod & videtur persuadere infantum sine Baptismo decedentium calamitas, qui in multorum (falsâ tamen) sententiâ æternis cruciatibus torquebuntur omnis actualis culpæ expertes. De illis hæc lex; *Qui baptizatus non fuerit, non salvabitur*, decernitur pœna æterni damni aut fortè etiam sensus, omittenti Baptisma licet ignoret legem; imò licet usu rationis careat. Sed pœna damni infertur pueris ob originale peccatum, à quo ignorantiæ sacramentalis legis, etsi insuperabilis dicatur, non liberat, non autem ob ipsam ignorantiam insuperabilem, quæ peccatum non est, si enim aliqua calamitas ob transgressionem actualem legis incognitæ inferretur, non esset pœna strictè vocabulo sumpto, sed pœnalitas, damnum, miseria, & infortunium.

Cognitio non est ratio formalis legis, sed conditio.

An possit Deus aliquè damnare sine causa?

An sine Baptismo aliquis salvari nequeat? & cur?

Est omninò à pœna distinguenda pœnalitas.

An rationis sit imperare & præcipere?

Arguis tertiò. Legis character est authoritas regendi & dominandi; hæc conveniunt rationi: ergo ratio est naturalis lex; unde aptè Isidorus 2. Etym. cap. de lege. *Si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constiterit:* clariùs Hispano-afer Claudianus 4. Honor.

——*Hanc altâ capitis fundavit in arce*
Mandatricem operum prospectricémque laborum.

Respondeo concedendo majorem & negando minorem: ratio enim propriè & scholasticè loquendo non imperat, sed notificat jam imperata: quod confirmant leges omnes humanæ. Ratio dictat Missam hoc die festo esse audiendam, & tamen ratio non est lex Missam indicens: eodémque prorsùs modo ratio dictat Deum esse colendum, & tamen non est lex, sed notitia legis; lex enim est voluntas Dei.

Ratio non est lex, sed legis notitia.

Lex naturalis moralis est actus voluntatis divinæ.

SENTENTIA IV.

Naturalem-moralem legem esse naturam humanam quà volitivam.

IMperium in speculativa ratione consistere dixerunt aliqui, ita ut intellectus sit dicere, aut etiam indicere voluntati, *Fac hoc*: sed meo judicio non satis probabiliter, si nomine judicii non intelligant mentis actum liberum, hoc est, rectum à concomitante voluntate: quia, si hoc summam libertatem arguit, quomodo poterit intelligi sine libertate? non erit mihi Legislator, qui liber non sit; quia liber natus nobiliorem me judico omni agente à natura coacto. Interim naturalem legem in voluntate humana non constituam, quia cæca est, & obcœcat rationem. Miser homo, quem voluntas propria dirigit dictamini rationis prælata. Periclitantur mores, cùm stat pro ratione voluntas, & appetitus pro dictamine. Nostri ævi hæreticis est axioma Theologicum, *Quod volumus, id bonum est*: esset verum, si nihil vellemus præter bona, sed cùm sæpè ad pejora feramur, sæpè quod volumus, bonum non est. Subscribere videntur Sarabaïtis (Monachorum fuit secta) de quibus Benedictus in primo Regulæ; *Bini vel terni, aut certè singuli sine Pastore, non dominicis, sed suis inclusi ovilibus pro lege est eis desideriorum voluptas; cùm quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere.* Adulterina hæc Philosophia supponit ista fundamenta, ut saltem rationalis appareat.

1038

An imperium sit actus intellectus, an voluntatis?

Sarabaïtæ qui?

Ipsis erat morum Regula voluntas propria.

Supponit *primò*, omnia objecta ex se esse indifferentia, nec interdicta aut naturâ aut præcepto: *secundò*, omnia esse bonitatis & malitiæ capacia: *tertiò*, moralis malitiæ fontem esse noluntatem, & voluntatem honestatis: *tandem* rem honestam amore, malum odio constitui. *Consequenter*, Deum esse physicè immensa perfectione præditum; moraliter autem esse indifferentem, reddi tamen bonum amore, & malum odio.

1039

Perniciosa hujus hæreseos fundamenta.

Hanc impietatem conantur defendere hac ratione: Dei imitatio omnes homines felices reddit, nec dicendum est, esse culpabiles si sint similes Deo, in quem culpa non cadit. Atqui quod Deus vult, id justum est; ergo nihil est justum, nihil sanctum humanitùs nisi eligatur ab hominibus; nihil bonum, si fortè reprobetur.

1040

An omnia sint bona, quia Deus vult?

reprobetur. Ratio à priori est, quia voluntas tendere non potest in malum.

1041 *Quonam sensu possit doctrina præcedens aliàs mala explicari?*

Non immorabor in hujus erroris defensione aut impugnatione, quia clara omnia, nec egent aliqua forti impugnatione; possunt tamen omnia Catholicè & doctè explicari, si dicamus humanam libertatem esse homini legi physicæ, & divinam morali. Homo cùm suæ voluntatis decreta exequitur, bona physicè facit, quoniam malum amari non potest: cùm autem suas resolutiones subjicit morali Dei decreto, rectam rationem sequitur, & honesta operatur.

VERA SENTENTIA.

Legem naturalem-moralem in præcepto Dei positivo consistere.

1042 *An sit ista controversia de nomine?*

SVnt qui putent hanc quæstionem esse solummodo de modo loquendi, ita censuit Suarius *lib.2.de legib.cap.5.num.14.* & me judice ita implicatur à nonnullis, ut de nomine videri queat. Nihilominus vocibus in sensu vero & communi receptis, non jam grammatica ista quæstio, sed theologica & gravissima est, & indiget expedito judicio ut benè decidatur. Vt igitur ab obscuris & dubiis certa & conspicua dicernamus, scire oportet quinque hæc in omni lege reperiri, nempe legislatorem, sanctionem activam, rem quæ præcipitur, subditum cui præceptum imponitur, & tabulam ubi ipsa scribitur.

Quinque in omni lege reperiuntur.

Decalogi Legislator quis?

1043 *Legislator est Deus.*

LEgis *moralis-naturalis Legislatorem esse Deum* tam clarum est, ut nec latuerit Ethnicos, nec Gentiles, Demostenes Aristog. Orat. priore; *Lex est, cui omnes homines decet obedire propter multa & varia, sed maximè quod omnis lex est inventio quidem & donum Deorum; dogma autem hominum sapientum.* Ecce naturalem legem tulit Deus; homines autem non tam leges ferunt quàm dogmata. Differentiam legis & dogmatum communiùs adsignamus hanc. Dicimus legem indicere rei substantiam, & dogmata modum disponere: ideò sub una & eadem lege multa dogmata quotidie reperimus dignissima commendatione. Eadem Philosophia his dogmatibus traditur in secta Academica, illis in Stoïca, & aliis in Peripatetica. Eadem Theologia dogmata supponit apud Thomistas, quæ Scotici refellunt; & ut ad moralia veniam, eadem lex Evangelica observatur à Laïcis, à Clericis, à Monachis, sed diversis dogmatibus. Sacerdotes status sui intemerando dogmate apud Latinos non ducunt uxores, apud Græcos dogmatis remissior institutio est. Militares nonnulli Religiosi conjugalem observant continentiam, Monachi virgineam: ipsi differunt inter se non in Decalogo seu lege, sed in dogmate, vel modo observandi. *Sunt dogmata*, inquit Cicero, *uniuscuiusque sectæ decreta; —— sine quibus nec sectæ Philosophorum, nec Religionum vires constare possunt*; unde benè Laërtius, *Sectam eam appellari non posse*, ait, *quæ dogmatibus careat.* Ergo ex dictis constat asseruisse Demostenem uni Deo competere legem moralem ferre: homines verò non ferre veras leges moraliter obligatorias, sed materiam disponere ut aliter aut aliter obliget divina lex; unde sublatâ lege æternâ morali, omnia moralia dogmata cessare necessarium esset. Do exemplum. Filiusfamilias obedit Patri, Religiosus Prælato; sed cur iste Prælati & alter Patris dogmata obediëter observat? verè neutrum humana natura obligat, sed Parenti filium obstringit secunda legis Tabula, prima Prælato Religiosum; quoniam & Deus jussit honorare parentes, & voto aut jurijurando satisfacere.

Dogmatum & Legum discrimen.

Dogmata Philosophica.

Dogmata Theologica.

Cicero.

Hodie dogmata, hoc est leges secundariæ etiam vocantur *leges*: tenemus ergo Decalogi leges à Deo, sacramentales primarias latas à Christo fuisse: cæteras omnes leges secundarias ad jus humanum (Pontificium, Cæsareum, Regium, &c.) attinere. *Resolutiv.*

Legislatio qualis?

Actio ipsa, sive Legislatio est actus liber Dei. 1044 *Resolutio penitur & probatur.*

HÆc assertio commendat summam Creatoris authoritatem, & subordinationem creaturarum: & ostenditur. Actiones ex se sunt moraliter indifferentes; atqui odium Dei ubique est malum: ergo est interdictum ab aliquo, qui habet ubique legitimam authoritatem, & hic est Deus: quoniam nullus homo dominatur ubique. Majorem superiùs persuasi, de minori non dubitabit ille qui vel Gentiles legerit; consequentia est legitima, quia nec Christianissimus Rex potest leges ferre Regno Angliæ; nec Anglus Sinico; nec aliquis, ubi non sit dominus.

1045 *An circa creaturas sit aliquis actus necessarius in Deo?*

Esse actum Dei liberum ostendo multifariam. Et *Primò*, quia circa rem creatam nullus actus necessarius Deo est; quia finita bonitas non potest tollere infinitam Dei indifferentiam: si enim potuit Deus liberè facere, ne Angeli, ne homines crearentur: cur non potuit etiam facere, ne essent leges, quæ obstringerent istas creaturas: si enim nulla esset creatura intellectualis in mundo, nulla in mundo esset moralis lex.

Secundò, quia licet Deus aliàs posset ferri necessariò ab aliqua creatura, quod nunquam concedendum est, hîc non posset; ratio est, quia ut talis necessitas defenderetur, deberemus dicere Deum à bonitate rei finitæ prædeterminari per modum naturæ: ergo res prædeterminans Deum deberet habere moralem bonitatem aliquam determinatam, quia indeterminata res determinativa dici nequit: sed actiones humanæ ostenduntur esse ex se indifferentes; ergo non potuerunt determinare Deum. Actu igitur libero legem moralem æternam sanxit Deus.

Lex divina est actus voluntatis divinæ.

Augustinus lib.22.contra Faustum, cap.27. *Lex æterna est ratio divina vel voluntas Dei*, quid si quis restituat, *est ratio divina & voluntas Dei?* consulenda sunt antiqua exemplaria. Anselmus lib.de Voluntate Dei. *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.* & in Prostolog. cap.11. *Illud est justum quod vis; & non-justum quod non vis.* Idcirco in sacris literis hæc lex æterna moralis *Voluntas*

domini

domini vocatur : quod videtur definitum à Christo in Oratione Dominica sub illis verbis, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra :* unde D. Thomas 1. *part. quæst.* 19. *art.* 1. & Magister *in* 1. *dist.* 45. & omnes Doctores affirmant, eum qui temerat Decalogum, à Dei voluntate recedere.

An sit actus liber?

Admittis quidem Decalogum esse actum voluntatis divinæ, negas esse liberum, quia odium Dei, perjurium, sacrilegium nec possunt præcipi nec non interdici divinitùs. Et respondeo hanc difficultatem esse gravem & infrà resumendam cùm examinem, *An in Decalogo possit Deus dispensare?* sed modò obiter ostendam esse actum liberum, distinguendo in hac ipsa assertione tres sensus : quoniam vel dicitur esse liber, quia potuit Deus, etsi condiderit intellectuales creaturas, nullam eis legem ponere : vel quia potuit, non solum hanc, sed hac omissâ aliam legem condere : vel tandem licèt hanc debuerit ferre legem si illas creavisset, potuit eas non creare. Si primum dicas, lex divina est divinæ voluntatis actus liber : est etiam actus liber, si secundum : est etiam actus liber, si tertium : non enim tulisset talem legem, si noluisset creaturas intellectuales condere ; nam si hæ non fuissent conditæ, cui Decalogi legem imposuisset ? igitur liberè legem imposuit, qui liberè condidit eos, sine quibus imponi non potuit.

Et quo sensu sit liber?

Petis, quonam ex his tribus sensibus ille actus divinus sit liber ? Respondeo admitti à sententia communissima tertium : & addo priores duos nec ratione nec authoritate destitui.

Materia Legis quæ?

1046 Resolutio.

LEge *morali-naturali servari præcipitur præcipua pars ordinis naturalis :* didici ab Augustino 22. *contra Faustum cap.* 27. ubi legem æternam definivit. *Lex æterna*, ait, *est ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans.* Vbi aliqua veniunt adnotanda.

Quid certum & quid incertum fuerit Augustino?

Primò, tempore Augustini supponi legem æternam non esse in creatura sed in Creatore: dubitari autem, An formaliter in voluntate, an in mente consisteret ? quod hic noluit resolvere, sed disiunctivè asserere æternam legem nihil aliud esse quàm rationem vel voluntatem Creatoris.

Quid sit lex naturalis realis ad mentem D. Augustini?

Secundò, noto verba *jubendi & vetandi* posse intelligi & physicè & moraliter. Si in sensu physico loquutus esse Augustinus credatur, dicendus est legem naturalem realem diffiniviisse, & ejus verba æquivalere his. *Lex æterna physica est actus liber Dei, totum naturæ ordinem physicè-jubens conservari, & perturbari physicè-interdicens.* Si eadem verba exponantur moraliter, erunt actus imperii in conscientia obligantis, exponent naturam & essentiam legis æternæ moralis, & æquipollebunt subsequentibus. *Lex æterna moralis est actus liber Dei præcipuam partem naturalis ordinis conservari jubens-moraliter, & turbari vetans moraliter.*

Quid sit lex naturalis moralis?

1047 Lex moralis æterna non indicit observantiam totius ordinis naturalis, quia non interdixit gravia elevare, animantes occidere, quæ sunt contra ordinem rerum naturalem: statuit tamen ordinem naturæ observari in præcipuis : quæ ad ista duo præcepta reducuntur (nempe AMA DEVM ; & AMA PROXIMVM SICVT TE IPSVM.) reliquarum omnium rerum dispositionem commisit arbitrio, imò & voluntati hominis, cui per moralem-æternam legem, de qua agimus, licet ordinem naturæ perturbare & invertere in omnibus, quæ nec Dei, nec proximi amori adversantur. Potest igitur homo naturalem rerum ordinem perturbare, invertere, alterare, confundere & quomodolibet violare dummodo id faciat propter Deum, aut saltem non faciat contra Deum, aut contra jus alterius hominis.

Materia legis divina duplex : aut enim amorem Dei, aut amorem proximi concernit.

In quibus-nè potest homo contra rerum naturas operari : & in quibus non potest?

Hæc duo præcepta duas Tabulas legis constituunt, & distributa in articulos clariora evadunt. Primum tribus articulis exponitur, secundum septem, utrumque decem, quibus constituitur lex, quæ vocatur *Decalogus.*

Quid sit Decalogus?

Qui obstringantur Decalogo?

Lex æterna moralis hominibus imponitur. An omnibus ? *Primò* imponi omnibus ratione utentibus & cognoscentibus obligationem, tam certum est, ut probari non debeat. *Secundò*, non esse impositam invincibiliter eam ignorantibus ostendi affirmans Deum misericordiæ fontem neminem voluisse ultra vires humanas obligare. *Tertiò*, ab ejusdem legis obligatione amentes excipio, & quotquot moralis usu rationis carent, licet habeant libertatem physicam. Ratio est, quia libertas physica nascitur ex notitia bonitatis physicæ; nec uti morali libertate dicendus, qui non cognoscit solidè honestatem moralem.

1048 *Posset quis dicere legem hanc imponi omnibus nemine dempto, sed rationis usum, ut conditionem necessariam requiri : sed in idem recideret.*

Modò distinguis inter libertatem moralem, politicam & naturalem : hanc habet infans etiam in ventre matris, hanc etiam cùm ad ubera convertitur, cùm ludit ; & crepundiis capitur, ante rationis usum. Politicam & civilem anno septimo, tum enim liber civiliter creditur quoad communes actiones, sed quoad graviores major ætas in jure requiritur. Ideò politicè non pervenit ad usum libertatis puer ille, qui non complevit septem annos, licèt divino ingenio polleat & prudentia senili : ille autem perveniisse politicè dicendus est, qui septimum annum complevit, licet nondum sit doli capax. Hac doctrinâ suppositâ interrogas, *An lege morali obligentur omnes pueri, qui verè & realiter sunt arbitrii capaces, an solùm qui politicè?*

1049 *Libertate carentibus non imponitur divina lex.*

Libertas triplex.

Respondeo in hoc distingui legem æternam à temporali, quod illa possit attingere directè internos actus & spirituales circumstantias, hæc tantùm externas & civiles. Illa imponitur verè habentibus libertatem moralem ; hæc solùm habentibus politicè. Idcirco puer, qui ante septimum annum est rationis suæ dominus, peccabit mortaliter si pejeret; quia hoc interdicitur lege divinâ ; non peccabit si comedat carnes die veneris, quia hæc est lex Ecclesiastica, ad quam nemo tenetur ante libertatis tempus politicum, quod ipsius Ecclesiæ judicio creditur esse post septimum ætatis

1050 *An & quà lex actus meræ internos attingat?*

An pueris possint dari carnes?

ætatis annum. Ita Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 12. *numer.* 9. *& in ſelect. diſputat.* 41. *num.* 31.

Infers. Ergo puer octo annorum, qui nondum ſit arbitrii capax peccabit mortaliter, ſi comederit carnes die veneris. Patet conſequentia, quia habet politicæ libertatis ætatem.

1051 *Vnde habeat lex humana, quod conſcientias obſtringat?* Reſpondeo me reperire duas culpas in actione illa quâ carnes comedis die veneris: primam contra Decalogum, ſecundam contra Eccleſiam. Decalogi præcepto quarto indicitur obedire Præpoſitis, & Pontifex eſt legitimus univerſorum Pater: ergo qui non obedit Pontifici legitimè præcipienti, temerat Decalogi ſanctionem IV. Eccleſiaſtica authoritas abſtracta à Decalogo merè pœnalis eſt, non moralis. Et his poſitis inſtantiæ ſatisfacio.

1052 Dico illum puerum non peccaviſſe mortaliter, quia nondum erat obſtrictus Decalogo: deliquiſſe verò contra authoritatem merè humanam, quà abſtractam ab omni fundamento legis divinæ, atque ideò ſolùm poſſe coërceri pœnaliter, ut alii pueri coërcentur ante uſum rationis.

Miniſtrans carnes nondum habenti ſeptem annos nec uſum rationis non peccat, ita Tannerus 2.2. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *dub.* 5. *num.* 99. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tractat.* 23. *dub.* 4. *num.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. Diana *part.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 42. Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 9. *& in ſelectis diſp.* 41. *num.* 31. Emmanuël Sà *verb. jejunium. num.* 17. Gomezius *in Bull. cruciat. clauſ.* 7. *num.* 16. *&* 17. adquieſcit etiam Sylvius 2.2. *quæſt.* 147. *art.* 4. quando eſt conſuetudo. Sic ſimiliter miniſtrans eaſdem carnes amenti non peccat quia Eccleſia non imponit leges pueris nec amentibus. Ita citatus Diana & apud eum Sanchez & Facundez.

Incidentes quæſtiones. Hac doctrinâ inſtructus incipis dubitare, *An perſuadens amenti aut puero doli incapaci, quòd proferat leve mendacium peccet venialiter? An mortaliter, qui eum pejerare fecerit? An etiam, qui eum fecerit alia præcepta temerare?*

Cauſa duplex, principalis & inſtrumentalis. Vt huic difficultati ſatisfaciam præmitto dari actiones aliquas, in quibus jubens eſt cauſa moralis principalis, & exequens non eſt niſi inſtrumentum: eſſe alias, in quibus ſuadens eſt motivum, & cauſa principalis qui exequitur. Hac obſervatione inſtructus dico

1053 *Pueri & bruta ſapiſſimè ſunt inſtrumenta.* Primo. *Qui inſtruit puerum ut blaſphemias, hæreſes, aut perjuria proferat: quique, ut verba graviter alium infamantia dicat, aut ſecreta gravia publicet, peccat mortaliter.* Patet, quia illa verba ex ſe ſunt ſcandaloſa & impia & opponuntur directæ reverentiæ Deo & proximo debitæ, & qui puerum inſtruit, utitur eo ut inſtrumento ut honorem extrinſecum Dei lædat & ejus authoritatem parvi faciat: unde cenſeo tales blaſphemias imputandas eſſe inſtruenti ut cauſæ principali. Ob eandem cauſam peccati mortalis reos eſſe credidi, qui vel in muris blaſphemias hæreticas, propoſitiones aut ſatyras graviter infamantes exarant; aut eaſdem periodos à pſittacis proferri curant: quia hæreſeon & blaſphemiarum inſcriptione, & prolatione honos divinus læditur, & licèt murus, pſittacus, & puer non ſubſint legi; ſubeſt ille qui eſt cauſa principalis. Similiter, cùm evulgatur ſatyra, honos proximi patitur, & reus erit non puer, non paries, non charta, non pſittacus, quia ſunt mortalitatis incapaces; ſed ille unicus, qui ſimilia docuit, dictavit, inſcripſit, evulgavit.

De blaſphemiis aut calumniis à puero aut à pſittaco dictis.

Accedit, quòd hæretica aut blaſphema inſtructio data puero adhuc rationis incapaci ſcandalizat proximos, & iterum debeat condemnari ratione etiam ſcandali. 1054 *Conſiderari etiam debet circumſtantia ſcandali & periculi.*

Accedit etiam, quòd inſtructio puerilis ſit regimen adoleſcentiæ; unde qui puer in hæreſi, blaſphemiis, atheiſmo, perjuriis, calumniis, & detractionibus inſtruitur, non poterit adoleſcens non pati graviſſima diſcrimina, quorum omnium ipſe inſtructor fuit cauſa.

1055 *Puerorum actiones jubenti imputantur.* Secvndo. *Qui ſuadet puero ut hominem occidat, domum incendat, bona aliena gravia ſubripiat & ſimilia quæ ſunt in damnum proximi, peccat mortaliter.* Ratio eſt ipſiſſima; quoniam ſimilium actionum non puer, ſed inſtructor eſt cauſa principalis, quia vel manu confodere, vel muro præcipite obruere, vel jaculo trajicere, vel leoni tradere, vel per puerum perdere, idem eſt; proximus enim quomodocumque occiditur. Vnde ſi proximo nullum immineat periculum aut damnum, poſſunt feræ dimitti, muri dejici, domus incendi, &c. Idcirco, qui dat puero ſclopetum ſine pulvere pyrio ut occidat hominem vel alterius equum, non peccabit hoc titulo, quia ſupponitur nullam inferri injuriam proximo, peccabit alio titulo, nempe quà injurius ipſi puero, eum malè inſtruens & diſponens ad ſimiles actiones: unde ſi certò ſciatur hanc inſtructionem futuram ipſi eſſe graviter nocivam alio tempore, dicendus eſt inſtructor peccaviſſe mortaliter: ſi credatur nequidem leviter nocivam fore, non peccare venialiter. *Plerumque actus ſunt mali ob damnum quod proximo inferunt.*

1056 *An puerum inebriare ſit peccatum?* Tertio. Sunt duo peccata, quæ non videntur eſſe contra proximum, nempe luxum, & leve mendacium. Petitur; An debeat argui de peccato, qui ſimilium ſit cauſa? Reſpondeo *primò*, non eſſe peccatum mortale inebriare aliquem puerum, modò ebrietas nec noceat ejus ſaluti, nec generet habitum: quia judico gravem injuriam illi fieri, qui ita educatur ut veniat ad uſum rationis infectus malis moribus. Ratio eſt, quia in illis primis annis prudentia eſt debilis, & paſſiones fortiores; éſtque in peccandi periculo certiſſimo, qui incipit ratione uti obrutus malis moribus, quibus vix reſiſtunt prudentes. *Secundò*, non eſſe peccatum veniale indicere illi puero, ut aliquando mentiatur; dummodo mendacium nemini noceat, nec generet mentiendi conſuetudinem. Proſunt omnia quæ mox exponebamus. *Notentur hæc pericula benè.*

1057 *An malum ſit amentibus mala jubere?* Qvarto. *De amentibus eodem modo philoſophator.* Qui ipſis perſuades illa, quæ rationis compos facere non poſſet, examina an illarum actionum effectus militent contra honorem Dei, aut proximi authoritatem, vitam, ſubſtantiam, juxta ea quæ dicebamus: pueris malæ inſtructiones nocivæ ſunt, quia eos abripiunt etiam adoleſcentes: eandem ob cauſam malæ inſtructiones in amente ad tempus condemnantur; ceſſat hæc ratio in amente perpetuo, cujus moribus mala inſtructio

nunquam

nunquam nociva erit. Fortè non dantur amentes perpetui. Fortè omnes in mortis articulo uſu libertatis donantur; nom illi omnes humores, quibus caput obtunditur, in mortis articulo probabiliter debilitantur; Deúſque videtur in illa horâ ſpeciales favores concedere: quod poſſem multis experientiis firmare.

1058 *Cur fornicatio & mollities ſit mala?*

QVINTO. *Peccat mortaliter qui curat amentem committere mollitiem, fornicationem aut ſemen vivum dimittere quomodocumque.* Quia hæc omnia, ſi cauſa adæquata vel inadæquata quæratur, ideò peccata ſunt, quia contra prolem & laſcivientis corpus: quorum integritas & puritas divinâ lege præceptivâ cavetur: & qui inſtruit amentem vel puerum nondum arbitrii capacem ut committat ſimilia, ut cauſa principalis moralis nocet proli, & in corpus ſine libertate laſcivientis liberè peccat: quod aut probo aut confirmo, ſi jam probavi. Nam, qui amenti ſuaderet, ut ſe occideret aut mutilaret, peccaret: ergo, & peccabit, qui ſuadeat ut ſe maculet actiones obſcœnas committendo.

De Angelis. Petis, *An Angelis potuerint imponi divinitùs leges morales?*

Reſpondeo affirmativè; imò aſſero ipſis de facto eſſe impoſitum amorem Dei & proximi; & nomine proximi intelligo omnem creaturam intellectualem: unde exiſtimo peccaturum fuiſſe mortaliter Angelum viatorem (beati manu-tenentur divinitùs, ne peccare poſſint) qui hominem occideret, aut expoliaret.

De Tabulis in quibus ſcripta eſt moralis-naturalis lex.

1059 *Æterna & eſſentialis tabula, ſine qua lex iſta divina non eſſet.*

DEus ab æterno infinito decreto ſuo ſancivit legem illam benignam, quæ ſolummodo indicit amorem Dei & proximi. Hujus Legis Tabula originalis eſt æternum decretum Dei, quod mutari non poteſt. Cùm autem nec homines nec Angeli viatores poſſint naturâ duce legere hanc legem in increata tabula originali, illam tranſcripſit Deus, & ſuæ omnipotentiæ digito exaravit in tabula humanæ conſcientiæ. Anima eſt, ait Ariſtoteles, tanquam tabula raſa, in qua nihil ſcriptum eſt. Verè animam eſſe tabulam excipiendis ſpiritualibus characteribus aptam admittam, nihil in ipſa ſcriptum fuiſſe non admittam. Certè in infantis corde nihil ſcribitur induſtriâ humanâ, ſed divinâ virtute inſculpitur lex Dei. Paulus ad Romanos 1. verſ. 15. & 16. Οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρίνει ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ. *Vt, qui oſtendant Opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente conſcientiâ, & cogitationibus ſe mutuo accuſantibus & excuſantibus. In die, quo judicabit Deus de latebris* (de occultis) *hominum, ex Evangelio meo per Ieſum-Chriſtum.* Et Andreas Cellarius Palatinus in Atlante cæleſti pag. 19. a. [convincit Apoſtolus his verbis malitioſam & profligatam apoſtaſiam & defectionem Ethnicorum, qui à Deo defecerunt, licèt opus legis cordibus ipſorum inſcriptum fuerit, atque ita ipſi bonum à malo diſcernere (potuerint, &) noluerint: cùm tamen bonum & malum noverint, ac conſcientiam habeant: id eſt, omnium ſuorum operum, factorum, dictorum, & cogitationum memoriam & recordationem, quæ in Iudicio ultimo judicatum iri ſacra Scriptura paſſim docet.] Legerat Cellarius Auguſtinum, ait enim S. Doctor lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 9. (habetur tom. 4.) *Nullam animam eſſe*, ait, *quæ ratiocinari poſſit in cujus conſcientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* & lib. 2. Confeſſ. cap. 4. *Lex tua Domine ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec ipſa quidem delet iniquitas.* Quæ videtur ſcripſiſſe Auguſtinus reducens ad memoriam ſe in Ieremiæ 31. 33. legiſſe. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam:* & ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent* (ſcilicet civilem, aut ſcriptam) *naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: ejuſmodi enim legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus.* Ambroſius lib. 5. Epiſt. 41. *Ea lex* (agit de æterna morali) *non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliquâ percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur:* & Epiſt. 71. *Naturalem legem, quam Deus creator infudit ſingulorum pectoribus.* Gerſon in tractat. de vita ſpirituali lib. 2. corol. 5. *Lex naturalis præceptiva eſt ſignum inditum cuilibet homini non impedito in uſu debito rationis & notificativum voluntatis divinæ.*

Nobiſcum naſcitur divina lex.

An in Anima nihil inſcriptum ſit?

Secunda tabula ſeu primus ectypus legis divinæ.

1060 *De characteribus divinâ legis.* *An dentur congenitæ ſpecies?*

INQVIRIS. *Quomodo hæc lex, ſit in cordibus noſtris inſculpta?*

Tria complectitur Quæſtionis titulus; ſupponit enim duo, & unum addiſcere vult: ſupponit quidem primò erraviſſe Ariſtotelem aſſerentem, Animam rationalem in primo ſuæ durationis inſtanti nullas habere ſpecies inditas & infuſas à Deo, ſed eſſe tanquam tabulam raſam, in qua nihil deſcriptum eſt. Supponit ſecundo ex Platone dari ſpecies congenitas; & ex Auguſtino & veteribus Eccleſiæ Patribus legem Dei cordibus humanis inſcribi: & interrogat, quid ſit inſcribi cordi, & quo modo hæc inſcriptio ſit facta?

Converto oculos ad omnipotentiam divinam, & duo reperio, quæ potuit in hac materia facere: *Primò* enim potuit creare intellectualem ſubſtantiam, & illi infundere præceptorum divinorum notitias, (illas *ſpecies impreſſas* nominamus, ut labium attemperemus Dialecto Philoſophicæ, quæ modò in Scholis obtinuit) quæ eſſent accidentia realia ſpiritualia ab ipſa ſubſtantia realiter diſtincta: & quia curſui communi rerum ſtamus, & notitias noſtræ mentis videmus remitti, obſcurari & excidere, poſſemus dicere illas ipſas notitias, licèt infuſas cœlitùs, eſſe caducas, intenſionis & remiſſionis, aut etiam oblivionis & corruptionis compotes aut capaces. *Secundò*, potuit notitias & ſubſtantiam illam idemtificare, hoc eſt, producere aliam novam creaturam, cujus quidditatis perfectio formaliter (aut eminenter, ſi minùs benè loqui

Prima hypotheſis. *An legis divinæ cognitio ab animâ naturaliter diſtinguatur?*

Secunda hypotheſis.

An legis divinæ cognitio animæ realiter idemtificetur?

loqui placeat) contineret, & ſubſtantiæ, & notitiarum illarum perfectionem. Hæc ſubſtantia per eſſentiam & quidditatem ſuam eſſet cognoſcitiva legis Dei; &, niſi impediretur, cognoſcens.

Controverſia proponitur:

His poſitis interrogat quæſtio, *Ad utram ideam homines, qui ſumus in mundo de facto: an ipſi ad primam, an verò ad ſecundam pertineamus? An Decalogi ſpecies impreſſa (loquamur ut multi) quam habemus, ſit realiter à noſtro intellectu diſtincta: aut ſit illi realiter idemtificata? An intellectus noſter, & illa ſpecies, de qua agimus, ſint duæ realitates, ita ut ſicut intellectus in Angelici Doctoris ſententia eſt accidens animæ, ita illa ſpecies accidens intellectûs ſit: an ſint duæ tantummodò formalitates, non realiter, ſed formaliter tantùm diſtinctæ; ita ut ſicut in Scoti ſententia intellectus idemtificatur animæ, ita etiam illa ſpecies Decalogi idemtificetur intellectui: & tam ab iſto ſit ſeparabilis & realiter diſtinguibilis, quàm ipſe intellectus ab anima?*

reſolvitur.

Sanè ſecundus modus alicui videretur impoſſibilis, multis ſaltem difficilis; & ideò pro nunc, ne nos majoribus difficultatibus implicemus, quidquid de iſto ſecundo ſit, primum teneamus; & ſtando doctrinæ, quam in prima editione hujus Tomi defendimus, ſic dicamus. [Characteres, quibus hæc lex inſculpitur humanis cordibus, ſpirituales ſunt; non quidem neceſſarii, ſed contingentes; tales nimirùm, qui potuerunt deficere, & fortè aliquando in barbaris nonnullis defecerunt.

Diſtinguuntur realiter ab anima.

Quando dicimus, quòd Decalogus cognoſcitur naturâ duce, non aſſerimus naturam nudam omni notitiâ ſuperadditâ Decalogi legem exponere, & oſtenditur; quia naturæ humanæ eſſentia eſt immutabilis, & Decalogus mutari poteſt. Pono exemplum. Abroget Deus Decalogum, aut aliquem ejus articulum, & peto, an in tali caſu natura humana exponeret debere moraliter obſervari, an non? Si exponeret debere obſervari, falleret; ergo nunc naturali lumini confidere non expedit, quoniam fallax aſſeritur: ergo & poterit contingere quod vel Decalogus latus non fuerit, aut ſi latus, quòd abrogatus ſit, & quod à natura contrarium exponente fallamur. Ne igitur ſimilia admittantur, quæ conſequentiâ doctrinæ deberent dici, expedit aſſeramus contrarium; nempe naturam humanam ipſam expoſituram eſſe nobis non dari moralem aliquam legem, cum primùm Deus abrogaret Decalogum. Humana igitur natura aliter ſe haberet quàm priùs; videlicet, aliter ſe haberet quando animum certiorem faceret abrogationis Decalogi, ac ſe habebat quando proponebat ipſum Decalogum. Cúmque eſſentiæ ſint invariabiles, neceſſarium eſt totam hanc mutationem eſſe ſecundùm aliqua accidentia: characteres ergo quibus lex moralis æterna in cordibus noſtris inſcribitur

Quid illiſint?

ſunt accidentales. Nempe aut ſpecies congenitæ, aut ideæ infuſæ, aut notitiæ divinitùs communicatæ.

1061 *De Ectypo materiali & corporeo.*

IN TABULIS corporeis primus, qui Decalogum inſcripſit, fuit Deus Exod. 31. 18. *Deditque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei.* Has aſſeritur fregiſſe Moyſes (Exod. 32. 19.) indignatione percitus contra idololatricam plebem, quæ contemnens authoritatem domini, colebat aureum vitulum, quem opere fuſili formaverat ipſis Aaron. Expiatur ſanguine viginti trium millium hominum Μοχολατρία & ſub initium capitis 24. ait Dominus ſervo ſuo Moyſi. *Præcîde tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum; & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti.* Clariùs Deuter. 10. 1. ubi aſſerit Moyſes ſibi dixiſſe Dominum; *Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & adſcende ad me in montem: faciéſque arcam ligneam; & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas antè confregiſti; ponéſque eas in arca.* Præparavit Moyſes tabulas prioribus ſimiles, & adſcendit montem habens eas in manibus: & inſcripſit eis Dominus *verba decem* (Δεκαλογὸν) quæ indicebat populo: ſubjungit Moyſes verſ. 4. & 5. *Dedit eas mihi: reverſúſque de monte deſcendi & poſui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucuſque ibi ſunt.* nempe, uſque ad tempus quo Deuteronomium ſcribebatur.

Inſcribitur lex divina lapidi, digito Dei.

Decalogus an hodie perſeveret?

An lex naturalis-moralis ſit lex divina præceptiva?

1062 SVarius *lib. 2. de legib. cap. 6. num. 5.* ut ſuam ſtabiliat, ſupponit ſententiam D. Thomæ aſſerentis 1. 2. *quæſt. 71. art. 6. ad 4.* actus bifariam poſſe conſiderari; primò, ut regulatos lege æterna morali; ſecundò, ut indictos humanitùs lege morali: Addentis, in conſideratione ſecunda non omnia eſſe mala quia prohibita, quia etiam humanitùs interdicitur perjurium, blaſphemia; quæ ante interdictionem erant mala: in prima autem conſideratione omnia eſſe mala quia prohibita. Sanè doctrina qua ſubſtruit ſuum diſcurſum hic Author vera eſt, & Thomiſtica; militat tamen contra ipſum Suarium, qui *ejuſdem ſecundi libri cap. 4. num. 5.* affirmaverat res ſecuncundùm ſe, hoc eſt, ante omne poſitivum præceptum eſſe moraliter aut bonas aut malas.

Suarius multis ſe periodis exponit, & interim ſæpè volens nolens ad noſtram opinionem reducitur.

1063 Hac doctrinâ ſuppoſitâ negari non poteſt legem æternam moralem eſſe præceptivam; quia aliàs omnia eſſent indifferentia moraliter: quæ ratio fortiſſima eſt, & debet reduci ad formam ſyllogiſticam. Homicidium, verbi gratiâ, eſt malum moraliter; atqui Theologicam malitiam non habet à ſe: ergo ab alio. Sed non eſt aſſignabile principium præter legem, à quo poſſit malum denominari: ergo tota malitia homicidii deſumitur à morali lege. Subſcribere debent huic ſententiæ Okamus *in 2. quæſt. 19. ad 3. & 4.* Gerſon *part. 3. tract. de vita ſpirituali. lect. 1. corol. 10. & Alph. 61. liter. E & F.* & quotquot aſſerunt omnes actus ſecundùm ſe eſſe indifferentes. Eam defendit Andræas de Novo-caſtro *in 1. diſt. 48. quæſt. 1. art. 1.* latiùs Petrus Aliacus *in 1. quæſt. 14. art. 3.* ubi ait poſſe Deum creare homines ratione utentes nulli legi morali ſubditos. Propugnat Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacram. part. 4. cap. 1.* & Cyprianus aut quicumque eſt Author libri *de ſingularit. Clericor.* Nos debet tueri acerrimè D. Anſelmus, aut retractare hæc verba; *Illud eſt juſtum quod vis; & non juſtum*

Lex naturalis moralis præcepta continet.

Malitia & bonitas moralis deſumuntur à lege.

An condi poſſit creatura intellectualis ex lex?

justum quod non vis ; quæ dixit in Prolog. cap.11. & ea quæ libro de voluntate Dei, videlicet ; *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat.*

1064 *Nota id bene.* Authores qui contrarium sentiunt, non possunt duos syllogismos objicere, quin assumant illud Protheorema, *Quæ prohibentur Decalogo interdicuntur quoniam intrinsecè erant mala-moraliter :* quod facilè assumitur, & à nobis facilè etiam negatur.

Resolutio. Hinc colligo hanc legem obligare in conscientia : confirmo ex D.Paulo 2.Epistolæ ad Rom. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, quæ verba malæ conscientiæ pœnam continent, radicem autem quæ sequuntur, *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

De legis-moralis unitate.

1065 *An & quomodo leges, quæ in Decalogo inveniuntur, sint una?* OPortet ea distinguere, quæ vulgò confunduntur non sine jactura veritatis. Dico igitur

Primò. *Legislator æternæ legis moralis unus est.* Hæc assertio est tam vera quàm hæc *Unus est Deus.* Unum enim Deum cognoscimus latorem legis naturalis.

Secundò. *Lex activa seu legislatio intrinsecè & realiter una est*, patet quia est actus Dei liber, qui est simplex & incapax compositionis.

Decreta Dei libera distinguuntur : sed quomodo ? Variæ producuntur sententiæ. Tertiò. *Eadem lex constat ex multis articulis distinctis.* Sed quomodo distinguuntur hi articuli ? secundùm scholas diversas diversa distinctio conceditur. Realis intrinseca admitti non potest : quia omnes isti Articuli sunt unicus actus liber voluntatis divinæ, qui realem compositionem non admittit. Opinio, quæ hos Articulos distinguit formaliter (sive sequatur Scotistas, sive Thomistas in expositione distinctionis formalis) probabilis est, & plausibiliter defendi potest. At clarior & hodie in majori pretio illa est sententia, quæ istos Articulos distinguit expressivè, hoc est extrinsecùs realiter : quia Decalogus sic conderatus respicit connotata realiter distincta. Tum quia interdicit actus realiter distinctos, quales sunt perjurium, adulterium, furtum; tum etiam quia imponitur hominibus realiter distinctis : Lex autem & materiam quam præcipit, & personas quibus imponitur necessariò debet connotare : hæc autem connotata realiter distinguuntur.

Divinæ legis ectypi. Quartò. *Leges passivæ* (hæ sunt legis activæ copiæ, exscriptiones, aut ectypi) *sunt in duplici genere ; nempe aliæ materiales, & aliæ spirituales.* Prioris generis sunt tabulæ illæ lapideæ scriptæ Dei digito, & quas singulis diebus exaramus : posterioris sunt animi, quibus Deus inscripsit in cujuscumque Genesi legem illam moralem, quam ab æterno tulerat. Ergo multæ sunt legis æternæ copiæ, tam corporeæ quàm spirituales.

DISPVTATIO II.

Vtrùm moralis lex sit omnibus æqualiter nota?

OCCVRRIT Dubium, *Vtrùm Deus indiderit æqualem notitiam Decalogi omnibus hominibus?* Majoris claritatis gratiâ, supponamus hanc innatam notitiam esse speciem congenitam, esse enim non potest adquisita : & ex hac hypothesi examinemus ; *An omnes homines habeant species inditas omnium præceptorum Decalogi? An aliqui duorum, alii trium, alii plurium, & pauci omnium?* vel, si non admittas species, supponamus dari in Anima quasdam notitias à Deo inditas (species vocentur, aut non) & de his easdem controversias movebo. 1066 *Proponitur quæstio.* *An sint species intentionales?*

An libertatis opponatur necessitas ex suppositione. Respondurus adnoto aliquos Theologos non admittere in Deo aliquam necessitatem circa res temporaneas ; Caietanum autem, quem laudat & sequitur Suarius *lib.2.de legib. cap.6. num.13.* asserere necessitatem hypotheticam, non autem absolutam ; unde nonnulli dicunt, debuisse Deum indidisse sufficientes notitias animis, quibus legem moralem imponebat, nec potuisse tales notitias non concedere ; reliqui addunt debuisse Deum imponere legem moralem animis, quos produxerat rationis compotes. Veré hæc necessitas ex suppositione pulchrè inventa est, sed benè defendi non potest ; quia ille divinus actus, qui supponitur, liber est, & quo sensu talis asseritur, deficere potuit, & cùm hypothesis additur, ejus supponitur quidditas, hoc est, quòd non esse possit, saltem extrinsecè, eo sensu quo actus divinæ libertatis esse indifferentes dicuntur. Resolutionem fundant sequentes Conclusiones,

1067 *Proponitur aliquorum sententia, quæ à multis non bene intelligitur.* PRIMA. *Aliquorum Theologorum sententia, ex hypothesi, quod Deus produxerit intellectuales animos non tenetur illis leges morales imponere.* Est expressa omnium, qui dicunt actiones ex se non esse malas. Hanc modò non rejicio, nec admitto, nec prolixè dilucido : sed tantùm refero : hanc enim difficultatem inferiùs ex professo resumam. Hinc sequitur posse Deum creare homines exleges, hoc est, nulli morali legi subjectos, quod & expressè asserit Petrus Aliacus *in 1.quæst.14.art.3.* Nec ab hac sententia dissentit Pater Suarius, licèt videatur propugnator contrariæ, quia non distinguit bonitatem physicam à morali : undè *dicti libri & capitis num.13.* ait, Non potuisse Deum non velle prohibere tali creaturæ actus intrinsecè malos, vel nolle præcipere honestos necessarios. Ergo ex mente hujus Authoris potuit Deus non interdicere creaturæ actus intrinsecùs indifferentes ; nec debuit præcipere illos quorum honestas non erat necessaria, atqui omnes actus tales sunt, quod Suarius negat, sed robustè probavi ; ergo ex hypothesi quòd Deus animos intellectuales produxerit, potuit illis nullam legem imponere.

SECVNDA. *Ex hypothesi, quod Deus imposuerit moralem legem hominibus, non sequitur* 10

An teneatur Deus legem ſuam manifeſtare?

eum debuiſſe illam manifeſtare. Patet, quia Dei intentio vel erat obligandi univerſos, vel ſolùm illos qui cognoſcerent legem. Si hoc ſecundum dicatur, ut dici neceſſarium eſt, idem eſt non concedere legis notitiam Alexandro, quam condere Alexandrum exlegem; atqui ex prima concluſione conſtat eſſe Authores, qui dicant poſſe Deum creare homines exleges, hoc eſt, ab omni lege liberos: ergo potuit Deus negare Alexandro notitiam ſuæ legis.

1069

An ignorantia excuſet?

Si dicatur primum, nempe voluiſſe Deum ſua lege obſtringere univerſos pueros & ſenes, doctos & indoctos, imò etiam illos qui invincibiliter legem ignorarent, aſſerendum eſt, & hoc decretum eſſe juſtum, & adhuc in tali caſu Deum non teneri docere legem ſuam animos, ſed poſſe permittere ut illi qui ſine notitia legis viverent, ſine notitia legis, non quidem propter ignorationem legis (hæc enim peccatum non eſt, & nota id benè) ſed propter aliud peccatum (originale aut actuale) perirent, ut patet in omnibus quæ ſunt neceſſaria medii neceſſitate. Verbi gratiâ, lex de Baptiſmo lata eſt ab habente intentionem condemnandi univerſos, tam cognoſcentes illam quàm ignorantes. Legis tenor hic eſt, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Infantes, aut ventre matrum clauſi, aut ante uſum rationis præoccupati, Indi, Inſulani, & Barbari, perpetuò amentes, Iudæi, Gentiles, Mahometani, & quotquot alii ſine Baptiſmate devixerint, ſive illud omiſerint ex contemptu, ſive ex affectata, craſſa aut invincibili ignorantia in æternum peribunt: peribunt, inquam, ut jam dixi: non quod ignorare invincibiliter legem peccatum ſit, ſed quod hæc ignorantia non delet culpam originalem, quæ gravat omnes homines ante Baptiſmum. Nec Deus tenetur accelerare uſum rationis & divinitùs inſtruere mentes eorum, qui in infantia occiduntur; imò ſicut ipſis negavit notitiam latæ legis, potuit etiam eam negare univerſis: aut dicito cur non poſſet deſerere homines infectos originali culpa, putà aut non inſtituendo medicinam, aut inſtitutam nullis aut paucis manifeſtando, qui poteſt hominem æternis addicere cruciatibus etiam ſine cauſa, ut ſuperiùs oſtendi. Hinc patet legem æternam moralem non eſſe neceſſariò latam, ſed liberè nobis conceſſam, unde à Gentilibus Δῶρον θεῶν dicebatur, hoc eſt, *Deorum donum.* Ita Demoſthenes *in Ariſtog. oratione priore*, & meritò, quia ideò donamur beatitudine, quia ſatisfacimus articulis divinitùs donatæ legis. Sed hîc obiter notandum eſt, Deum non fore ex rigore juſtitiæ damnaturum ex ignorantia inſuperabili peccantem, pœna enim in vocis ſignificatione rigoroſa culpam correlativè reſpicit, ſed uſurum ſupremæ ſui dominii authoritate, cui omnes debemus hilares ad mortem & adnihilationem uſque obedire: tunc enim adnihilatio, mors, & æternæ miſeriæ non eſſent pœna, ſed pœnalitas.

An lex de Baptiſmo ſuſcipiendo etiã ignorantes obſtringat?

An teneatur Deus uſum rationis dare alicui?

Lex divina dicitur Donum Dei: & cur?

Qui illam ex invincibili ignorantia violat, non peccat.

1070

An omnes habeant notitiam præceptorum Decalogi?

Tertia. *De facto omnibus animabus Deus ſpecies indidit repræſentativas ſuæ legis.* Hanc concluſionem perſuadent omnia, quæ diximus, cùm de Tabulis legis ageremus. Corda noſtra lapidea, ſcripta ſunt digito Dei. Mentes noſtræ ditantur ſpeciebus infuſis, quæ ſunt repræſentativæ legis. Sed quando iſtæ ſpecies infuſæ? An in inſtanti in quo quis incipit arbitrio uti? an in Baptiſmate? an in nativitate? an verò in animi creatione? Infundi in Baptiſmate probabile non eſt, quia etiam Gentiles, Iudæi, & Mahometani, habent legis hujus notitiam, & nihilominus baptizati non ſunt. Si dicam eaſdem aut in nativitate, aut in inſtanti quo puer conſtituitur ſui arbitrii dominus, carebo fundamentis, ſed & oppugnatore; neutrum enim demonſtrabile eſt: cenſeo tamen has notitias inditas infundi in ipſamet creatione; quia ſicut oculi non gignuntur cùm puer videre incipit, ſed etiam in ipſo ventre matris, ubi nihil omninò videt. Mens & voluntas longo poſt nativitatis tempore incipiunt expediri, interim ſunt congenitæ: ergo ſimiliter notitiæ hæ infuſæ debent eſſe congenitæ ipſi animo.

Quando fuerint inditæ?

Quarta. *Omnes animos ab ipſa conditione Deus inſtruxit notitiis eorumdem objectorum.* Nempe, non eſt dicendum infudiſſe Petro notitias præceptorum trium, Paulo quatuor, Antonio plurium; ſed debemus aſſerere nullum eſſe animum ætatis cujuſcumque, qui non habet notitias impreſſas totius legis divinæ.

An iſta eadẽ notitia ſint omnium præceptorum, an verò aliquorum ſolummodò?

Dices dari multos, qui aliquorum præceptorum laborent ignorantiâ invincibili: ergo hujuſmodi non habent ſpecies inditas totius legis. Patet conſequentia; quia ſi eas haberent, cognoſcerent omnia præcepta.

Majorem negant nonnulli qui ſeveriſſimo judicio utuntur: ego autem non auderem negare invincibiles ignorantias non ſolùm ſtolidis, ſed etiam viris doctis & profeſſoribus veræ ſapientiæ. Circa ſubſtantiam præceptorum reperio opiniones probabiles ſibi contradicentes, cùm autem utraque eſſe vera non poſſit, alterius defenſores falli neceſſarium eſt; hi autem laborant ignorantiâ invincibili in re gravi præcepti ſubſtantiam attingente. Pono exemplum. Primo præcepto obſtringimur ad amandum Deum: ſed quando? Debet homo, ait D. Thomas, Deum diligere cùm primùm utitur ratione: tam rigidam obligationem negant alii. Si tenemur illo inſtanti Deum amare, laborant ignorantiâ invincibili Illuſtriſſimi Authores: ſi non tenemur tunc ſed poſtea, fallitur invincibiliter Doctor Angelicus. Ergo ſi docti in legis ſubſtantiali notitia laborant ignorantiâ invincibili, cur hanc non deberemus etiam concedere pueris & barbaris? Admiſſo igitur objectionis aſſumpto, nego conſequentiam, & poſſe dari ignorantiam invincibilem etiam ſuppoſitis notitiis inditis oſtendo. *Primò*, quia illæ notitiæ inditæ (ſi eas volueris vocare *ſpecies*, de nomine non diſputabo) potuerunt excidere, ut omnes aliæ; non enim erant alterius ordinis, ſed merè naturales, divinitùs tamen infuſæ: & probatur, quia ſicut reſuſcitati divinitùs poſſunt humanitùs occidi; & qui miraculosè receperunt viſum, poſſunt ſine miraculo obcæcari; & qui præter ordinem naturæ Beatorum interventu à morbis periculoſis liberantur, tandem ſecundùm naturæ leges obeunt: ſic etiam qui divinitùs recepit

1071

Multa ſunt in Decalogo, quæ non ſolũ homines ſtupidi & ſtolidi, ſed etiam docti ignorãt ignorantia invincibili?

An & quando teneatur aliquis amare Deum?

An hæ notitiæ inditæ corrumpi aut ſaltem impediri poſſint?

ſpecies

species naturales repræsentativas legis, poterit illas amittere naturaliter, ut omnes alias: putà si ignavia aut negligentia tanta sit ut longo tempore mens non colatur, aut saltem instruatur ideis contrariis adquisitis, quia hæ sufficiunt corrumpere priores. *Secundò* etiamsi remaneant species inditæ, potest homo invincibiliter ignorare multa, quorum habet species. Patet, quia species illæ impressæ, legis sunt repræsentativæ, non verò sunt repræsentantes; ignorantia autem non consistit in carentia potentiæ cognoscitivæ, sed solùm in carentia actualis cognitionis. Cæcus est, qui habet potentiam visivam & speciem visibilem impressam, si impeditus aliquo impedimento elicere non possit expressam: ergo & ignorans ille dicendus, qui licèt habeat mentem & speciem impressam, impeditur ne expressam habeat. Hæc autem impedimenta in mente adsignare facillimum est: quia tunc quis impeditur cognoscere tale objectum, cùm objecti contrarii species est impressior atque tenaciùs radicata, tunc enim fortior est & magis activa, ideò alii prævalet, quousque tandem illam à memoria proscribat.

Quomodo obnubilentur & impediantur?

DISPVTATIO III.

Vtrùm naturali morali Lege ordo rerum physicus fuerit mutatus?

1072 *Ordo naturalis lege naturali morali non est mutatus.*

SI Augustinus *lib. 22. contra Faustum cap. 27.* de morali exponatur, censendus erit credidisse nihil fuisse mutatum lege morali: hoc est, nihil esse interdictum quod non contrarietur physico ordini naturæ, nihil indictum quod non sit secundùm physicum naturæ ordinem. Augustini verba sunt hæc. *Lex æterna est ratio divina aut voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens & perturbari vetans.* Quod facilè persuaderi poterit, si per omnia præcepta discurramus.

Præcepta primæ Tabulæ.

1073 *Est naturæ consonum amari Deum.*

IN prima Tabula indicitur amor Dei, qui non militat contra physicum naturæ ordinem, sed ipsi ita consonat, ut dissonet quidquid sit huic amori contrarium. Creaturas producere & conservare amor est, quia Deus omnia producit voluntate, Amor autem extrema aut similia reperit aut facit; non igitur homo erit Deo amanti similis, nisi illum amet. Ergo quamdiu Deum non amat opponitur physicè, & positâ lege moraliter, divino illi amori homines æternùm diligenti. Amor definitur ab Augustino *libro de Amicitia*, affectus intellectualis, quo animus aut cum desiderio alium quærit, aut invento fruitur cum interiore suavitate. Quî ergo potest amans animus frui animo persequente? ergo amans exigentiâ naturali postulat ut coametur.

Si singulatim ejusdem Tabulæ articulos perscrutemur, omnes indicunt illa ipsa, quæ ordo rerum physicus efflagitabat. Primus, *Non habebis Deos alienos coram me.* An non Idololatra negat suum actualem & physicum dominum, & se subdit ultrò creaturæ? Deus hominum actualis & physicus est; qui Idola colit, Deo verum dominium negat, & in hac negatione satis clarè physica dissonantia relucet. *Est contra legem naturalem Idololatria.*

Perjurium etiam omni lege morali sublatâ physicè opponeretur Deo: quia mendacium habet naturalem & physicam malitiam, & perjurus utitur Deo, ut instrumento ut alios fallat. Ratio est; quia falsitas opponitur rei ipsi quæ dicitur, & mendacium menti ipsi dicentis; & adjuratio falsa authoritati veracitatis adjuratæ. *Etiam Perjurium.*

Solennium dierum observantia physicè mala non est; imò, ut homo aliis negotiis & distractionibus explicitus actu Deum amet, aliquod tempus necessarium est, ergo in tertio primæ tabulæ articulo nihil præcipitur moraliter quod physicè sit malum. *Qui amare tenetur Deum aliquando debet id facere. Ergo debet esse tempus ad cultum Dei destinatum.*

Præcepta secundæ Tabulæ.

SEcunda legis Tabula amorem proximi indicit; odium, invidiam, jurgia, discordias, & controversias interdicit. Præcipitur, ut ames proximum, sicut te ipsum, Matth. 7. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vnde Gratianus; *Ius naturale est, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri: quod in Lege & in Evangelio continetur.* Non igitur est contra ordinem physicum naturæ secundùm omnium legitimam & bonam inclinationem operari. 1074 *Est consentaneum naturæ reali & physicæ amari proximum.* Ovidius *Vis ut amèt? fama.*

Qui honorans patrem & matrem primo secundæ Tabulæ præcepto satisfacis, concedis illis quod suum est, quia non exigit natura physica ut subditus sit inobediens; filius autem subest parentum jurisdictioni physicè. *Honos & obedientia parentibus naturaliter debitus est.*

Occidere contra occisi vitam est, quæ naturaliter appetit esse: est etiam contra dominum illius, qui occiditur, qui solus habet dominium in illam vitam, quam produxit: ergo qui occiderit vitum non sibi naturaliter subditum, erit inæqualis physicè & occiso & occisi ipsius domino, hoc est, Deo; non enim datur homo hominis naturalis & proprietarius dominus: igitur Dominus Deus prohibet homicidia si quidem fiunt cum physica inæqualitate. *Est contra Ius reale homicidium.*

Mœchari inordinata copula est, & hanc deordinationem interdixit Dominus matrimonio instituto. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, inquit Paulus: feminis ergo decisio est contra corporis integritatem. *Est etiam Fornicatio.*

Latrocinia & furta contra proximum sunt, ergo prospexit bono publico Deus quando hujusmodi crimina interdixit. *Furta & mendacia in ipsiusmet naturæ dominii & exigentiâ militant.*

Mendacia consistunt in dissonantia linguæ & mentis, quam proscribit expressâ sanctione Legislator.

Ad nonum, & decimum præceptum venio; & licèt habeam aliqua specialia, quæ eorumdem naturam & ingenium dilucidant, singulari doctrinâ impræsentiarum non indigeo, quam ob rem consto doctrinæ communi, & sic inquam. Ambire res alienas cum *De ultimis præceptis Decalogi.*

damno tertii desiderium inordinatum est, quod eliminat Dominus & voluntatem dirigit dicens, *Non concupiscες proximi tui, aut uxorem, aut domum, aut agrum, aut servum, aut ancillam, aut quæ illius sunt.*

His positis oportet statuere Theoremata, quibus dubitationi satisfaciam.

1075 PRIMVM. *Nihil est indictum lege morali æternâ, quod sit contra rerum physicam dispositionem.* Patet ex dictis: aut, qui dubitet, vel unum morale præceptum, quod sit contra legem realem naturalem ostendat.

1076 SECVNDVM. *Nihil interdicitur morali lege quod non sit contra rerum physicam dispositionem.* Patet ex resolutione præcedenti, & ex verbis Augustini asserentis legem hanc divinitùs moralem esse, quæ naturalem rerum ordinem, & conservari jubet, & interdicit perturbari.

1077 TERTIVM. *Nihil est indifferens physicè quod moraliter aut indicatur aut inhibeatur.* A priori ostenditur, quia non datur actio indifferens physicè, quia omnes possibiles aut sunt bonæ, aut sunt malæ: patet, quia omnia aut sequuntur naturæ ordinem, aut eum invertunt; si sequantur, bonæ omnimodò dicendæ sunt, quia sequi naturæ ordinem à Deo institutum, bonum est; si invertant & perturbent, sunt malæ, quia dissonant regulis ipsius naturæ.

An dentur actiones indifferentes naturaliter? Et utrùm ip, sa sint à lege morali interdicta?

1078 *Dices* posse adhuc reperiri in Decalogo actiones aliquas alias indifferentes: nempe in illo præcepto, *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Quia operari in die festo aliàs esset licitum & non haberet aliquam malitiam physicam, nisi à Domino interdiceretur: ergo jam dantur aliqua naturâ suâ physicè-indifferentia, quæ moraliter interdicantur.

De observantia festorum.

Respondeo requiem esse omninò necessariam, homo non est adamantinus sed carneus, & vel Ethnico teste

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Requies debebat concedi fatigatis, tum ut vires resumerent, tum etiam ut terrenis occupationibus expediti cælestia valerent contemplari. Ergo requies quæ tertio præcepto indicitur, non est præternaturalis, sed ipsi naturæ consentanea. Censeo lege æternâ-morali debere homines cessare aliquo tempore à rerum terrestrium sollicitudine, & Deum orare, quod persuadent ponderationes positæ: debere autem cessare potiùs die Sabbati, quàm alio, legale est, nempe, non tam præceptum, sed præcepti expositio, quæ præcepto remanente post diem Pentecostes cessavit, & Christiani omnes manserunt liberi, quousque Romana Ecclesia idem præceptum contrahens Dominicos & Sanctorum aliquot Natales dies quieti & Deo consecravit. Vbi obiter adnoto, homines non-baptizatos vi tertii præcepti Decalogi, (etsi Religionis Catholicæ nullam notitiam dicerentur habere) teneri quidem habere tempora Deo & suæ conscientiæ destinata, non tamen teneri observare decreta à Catholicis, quia ipsi non sunt Ecclesiæ subditi, nec subsunt Pontificis authoritati: debent tamen sui non oblivisci, & eligere tempus sufficiens, ut Deum orent, & spiritui suo satisfaciant.

Quando excidit observantia sabbati, & incepit Dominica?

An Ethnicus teneatur habere dies festos?

1079 QVARTVM. *Non omnia quæ sunt contra physicam naturam rerum moraliter sunt interdicta.* Facillimo negotio demonstrabitur. Quia multa sunt contra legem innatam effectivam, multa contra realem directivam (nempe contra prædeterminationes inefficaces) quæ non sunt contra legem moralem Dei. Pono exemplum: lapidem elevare est contra naturæ ordinem & gravitatis appetitum, & nihilominus peccatum non est. Florem in campo lascivientem decerpere est contra ipsius naturalem inclinationem, quia marcesit excisus qui diutiùs in ramo suo viveret; non tamen est peccatum.

Multa sunt contra legem realem, quæ non sunt contra moralem?

DISPVTATIO IV.

An præcepta Decalogi ab intrinseco immutabilia sint?

1080 MVT distinguant Humanas à Divinis, aliqui asserunt leges humanas extrinsecæ violentiæ subjici, divinas autem ab extrinseco mutari non posse. Humanas non esse ex se immutabiles ostendunt; quia cùm finitam authoritatem habeant, adveniente majore necessitate aut commoditate ab extrinseco, mutari inevitabile est: cùm tamen legis divinæ authoritas sit infinita, non potest accidere, quòd ingruat necessitas lege nobilior. Sed hæc legum distinctio sufficiens non est, quia etiam finita habent hypotheticam necessitatem, & leges etiam humanæ sæpè sunt irrevocabiles ab extrinseco, ut posteà videbimus.

An sola humanæ leges sint mutabiles?

Vt igitur clarè procedamus notandum est, legi esse multa extrinseca; nempe, legislatorem, materiam quæ præcipitur, subditos quibus indicitur, horum acceptionem, & promulgationem, & contrariam consuetudinem longo tempore perseverantem. Si ex se & ab intrinseco immutabilis lex sit, extrinsecùs mutari non poterit; quia nulla virtus extrinseca potest essentialia mutare. Exempli causâ: Homo ex se & ab intrinseco rationalis nullâ virtute extrinsecâ potest irrationalis fieri.

Multa in lege concurrũt: & sunt singula consideranda.

1081 Addo mutationem posse contingere bifariam, nempe detrimento & auctione. Tunc lex diminui dicitur, cùm aliquis ejus articulus abrogatur; augetur, cùm sanctiones adduntur, quæ non erant. Suarius *lib.2.de leg.c.13. num.1.* putat additione non mutari legem; & probat quia prior integra manet; concedit tamen additione adquiri aliquam perfectionem extensivam, quæ anteà non erat, conatur se tueri Angelico Doctore 1.2. *quæst.94. art.5.* & Vlpiano *L. Ius civile. ff. de just. & jur.* Cæterùm non video differentiam inter diminutionem, & augmentationem: quia si crastinâ die futurum est aliquid de lege morali-naturali quod hodie non erat, demonstratur non esse necessariò præcipienda illa quæ crastinâ die indicentur, quia aliàs essent jussa ab æterno. Et si illa, quæ naturali-morali lege præcipiuntur liberè præcipiuntur & potuerunt non præcipi, poterunt jam præcepta abrogari eo sensu, quo mundus annihilari potest, qui liberè conditus est. Præterea, si cras habebimus

Mutatio duplex.

An quæ augentur, mutentur?

An præcepta legis naturalis sint libera?

habebimus novum præceptum naturale, cur perindie non poterit illud ipsum deficere,quia sicut hodie rerum natura non indiget illo præcepto addendo, sic perindie poterit non egere : ergo jam dabitur perindie aut abrogatio aut cessatio veri præcepti moralis-naturalis. Maneat igitur unam & eandem quæstionem esse, illam, quæ inquirit *An legi morali-naturali possint nova præcepta addi?* ac illam, *An ejusdem legis præcepta antiqua possint diminui aut abrogari?* Quia qui doctè respondeat, debet, aut utrobique affirmativè respondere, aut utrobique negativè.

An Consuetudine Decalogus mutari possit?

COntroversiam in duas partes distinguam. In prima Consuetudinum species, causas & effectus : & in altera an Decalogus subsistat Consuetudini expendam.

PARS PRIOR.

De Consuetudine respectu legum humanarum.

1082 COnsuetudo generalis obtinuit, ut de Consuetudine disputantes Authores, multa congerant, quæ possunt difficulter intelligi, & multò difficiliùs defendi. Falco creditus aëri, non tenet rectam viam, sed angulos diversos implicans, se vento & prædæ attemperat, & laudatur. Ergo Falconi similis huc illuc me agitari permittam, & dum multa propono, & in omnibus rationes dubitandi reperio, usque ad finem hujus prioris partis veram sententiam, quam doceo, & defendo, non ponam.

His ergo præmissis ad rem venio. Sanè consuetudo non obediendi non nisi lege extrinseca, & si Consuetudine Decalogus abrogabilis est, mutabilis est ab extrinseco ratione connotati. Si Consuetudinis essentiam examines, reperies esse *morem, qui aut legem antiquam dirimat, aut novam statuat.* Hinc divisio clarissima : consuetudo enim aliàs est legis introductiva, & aliàs abrogativa. Sunt qui consuetudinem dividant in eam, quæ secundum jus, in eam quæ præter jus, & in eam quæ contra jus : sed primum membrum elimino, quia consuetudo satisfaciendi præcepto non inducit novam obligationem. Dantur aliæ consuetudinis divisiones, quæ cùm merè materiales sint, possunt omitti. Talis est, quâ dividitur in eam quæ versatur circa homines; & in illam quæ versatur circa facta hominum : talis, quâ dividitur in universalem & particularem; talis, quâ in canonicam & civilem; & quâ in morem strictè sumptum, stylum, ritum, & forum; item quâ in rationabilem & in irrationabilem,; malam & bonam; aut etiam in approbatam, permissam, reprobatam; necnon in præscriptam & non præscriptam; & aliæ divisiones similes, quæ vel ipsis nominibus sufficienter intelliguntur, & non egent prolixis commentariis; quia si isti adderentur, officerent huic difficultati, quæ naturalis est, & ex naturæ ipsius principiis explicanda. Agam igitur de consuetudine communi prout legem introducere potest aut habere vim obligandi, & sit

Quid sit consuetudo?

Insinuantur variæ consuetudinum divisiones?

Cur uberiùs singula non exponantur?

CONCLVSIO I.

Non à quibuscumque congregatis per accidens consuetudo introducitur, sed à communitate perfecta.

PErfectam communitatem voco Civitatem, Comitia, Conventum, Capitulum, Vniversitatem, ut distinguam ab hominum confuso numero, quando aliqui congregantur per accidens : quàm esse communem Doctorum opinionem docet Suarius *lib.7.de legibus cap.9. num.9.*

1083 *Non est communitas quæcumque hominum multitudo congregata per accidens.*

Hîc obiter, videant qui juniores Religiosos ad horas privatim legendas obligant jure consuetudinis, quomodo suam sententiam (aliàs plausibilem, & multorum sententiâ hoc ævo utilem) poterunt propugnare & defendere, quin impingant in prima hujus materiæ fundamenta : juniores enim Religiosi nondum promoti ad sacra, non sunt perfecta communitas, sed communitatis ignobilior pars, ac propterea incapax, ut introducat consuetudinem, quæ habeat vim legis. Verè hæc conclusio juniores Religiosos ostendit incapaces consuetudinum esse; demonstrat Monasterio integro non statim debere negari potestatem introducendi mores obligatorios, quia Monasterium, sive hominum, sive mulierum illud sit, est perfecta communitas, & hoc titulo non incapax hujus potestatis, ni fortè aliunde incapax propter alias rationes reddatur. Ergo huc debent respicere, ut juniores certò aut probabiliter obligent.

1084 *An juniores Religiosi teneantur ad Officium divinum?*

An ex his fundamentis possit sententia affirmativa defendi?

Petis, *Vtrùm consuetudo, quæ est in civitate N. abstinendi à carnibus, aut observandi solennitatem talis Sancti tali die, in tali vico, & non in omni civitate, possit censeri obligatoria?* Videretur alicui quod non, quia non est consuetudo totius communitatis, sed unius viciniæ.

1085 *Potest se obligare communitas ad diem & locò determinatum.*

Respondeo posse esse obligatoriam, si reliqua requisita adsint : quia sicut communitas integra potest introducere consuetudinem jejunandi tali die, nec ideò tenebitur jejunare toto anno; sic etiam poterit introducere consuetudinem abstinendi à carnibus in tali loco, nec ideò tenebitur abstinere in tota civitate : cæterùm consuetudo abstinendi in tali loco à tota civitate potest introduci, imò & introducetur quoties habitantes alibi non audeant comedere carnes in illo loco die determinatâ.

Addis; *Ergo tota religiosa communitas potuit introducere consuetudinem quæ juniores solummodò obligaret*; quia sicut tota civitas introducit consuetudinem obligantem eos solummodò qui in tali vico existunt, sic etiam totus conventus posset introducere consuetudinem, quæ obliget eos, qui in tali ætate sunt, aut nondum ordinati.

1086 *An totà communitas possit introducere consuetudinem, quà non omnes, sed seniores solum, aut solùm juniores obstringat?*

Respondebit nonnullus, disparitatem esse summam : quia consuetudo debet esse alicujus rei quæ possit à singulis fieri imò ab omnibus simul : ire ad talem locum omnes & singuli

singuli possunt, in tali tempore omnes simul sint, in tali ætate aut promotione non sunt simul; ideò est falsum dicere hac die Sacerdotes continuare consuetudinem illam quæ obligat juniores recitare privatim, quia juniorum nomine intelligimus nondum promotos ad majores ordines, & Sacerdotes omnes ad majores ordines promoti sunt.

At ego hodie sum liberalior & illationem aut condono, aut concedo.

CONCLVSIO II.

Si est vera hæc propositio, [*Communitas quæ non habet authoritatem condendi leges, non potest consuetudinem obligatoriam introducere*] *paucissimæ sunt consuetudines moraliter obligatoriæ.*

1087 *Quanâ Communitas possit introducere consuetudines?*

SVbsumo: *Atqui plurimæ sunt hodie consuetudines habentes vim legis: quod omnes passim Theologi & utriusque Iuris Professores admittunt: Ergo illa prior Propositio non est vera.* Probatur major: quia pauciſſimæ sunt communitates, quæ possint leges ferre. Infero ex hac Conclusione sequentia Corollaria.

1088 *An Monasteriorum mores sint obligatorii?*

PRIMVM. *Nullæ Monasteriorum consuetudines essent perpetuò obligatoriæ;* quia nullum potest condere morales leges. Idcirco deberemus dicere Beatæ Mariæ Officium, & illud quod pro Defunctis solet legi, ex vi consuetudinis non obligare Conventum neque particulares; & posse sine culpa omitti, ubi putant se obstringi titulo meræ consuetudinis.

De Iuniori-bus.

De Monialibus.

Addendum esset, Moniales non teneri ad Officium privatim recitandum, quia tenentur solo titulo consuetudinis, quæ à Monialibus non potest ita introduci ut fiat obligatoria, quoniam ipsæ non possunt ferre leges.

1089 *An Civitatum mores obligent?*

SECVNDVM. *Civitatum mores non obligarent in conscientia:* Patet, quia hæc cùm subjectæ sint, non sunt Legislatrices. Ideò ubi merâ consuetudine observatur ut abstineant à carne tali die, aut audiant Missam, dicendum esset nec abstinentiam nec Missam cadere sub moralem aliquam obligationem; quia civitas subjecta Principi non potest ferre legem, quæ moraliter cives obliget, aut ad abstinendum à carnibus, aut ad audiendum Missam.

An obligent in materia religionis?

Respondet Suarius *lib. 7. de legib. cap. 9. num.* 10. communitatem sæcularem posse introducere consuetudinem obligatoriam in rebus pertinentibus ad materiam Religionis, quoniam & ipsa est capax potestatis legislativæ etiam in materia Religionis, & cultûs divini, & ideò licet nunc in Ecclesia hæc potestas elevata sit ad superiorem ordinem, & Pastoribus Ecclesiæ fuerit commissa; nihilominus ex consensu eorumdem Prælatorum Ecclesiæ posse permitti populis ut sua consuetudine possint obligari in tali materia cum tacito consensu eorumdem Prælatorum, juxta ea quæ docet *lib.4.de voto.cap.9. & lib.7.de legib. cap.* 10.

1090 *Potentia duplex: remota & proxima.*

Sed hæc solutio non satisfacit, quia ut plurimum probat remotam aliquam capacitatem, non verò potentiam aliquam proximam; quia idem est dicere [Communitas sæcularis potest obtinere ab Episcopis consensum implicitum mores suos confirmantem; atqui hoc obtento consuetudines evaderent moraliter obligatoriæ: ergo potest introducere consuetudines moraliter obligatorias] ac dicere [Cœcus potest donari oculis, his receptis videret: ergo cœcus potest videre.] Sanè cœcus remotè potest videre, & proximè poterit cùm recipiat visum: & similiter, communitas remotè potest introducere consuetudinem moralem, & proximè poterit cùm obtinuerit consensum tacitum vel expressum Prælatorum, non ante.

An cœcus videre queat?

Secundò displicet hæc solutio, non quia asserit sæculares esse capaces authoritatis legislativæ in materia Religionis, quia hoc probabiliſſimum est: sed quia petit consensum Prælatorum, ut evadat moralis; esset enim moralis etiam si citra Episcoporum consensum implicito voto substrueretur.

De voto implicito.

Videns Suarius hac ratione malè defendi suam sententiam, addit secundam. Deinde responderi potest, ait, satis esse quòd illa communitas perfecta & de se passivè capax recipiendi legem. Sed hæc solutio reddit falsam illam propositionem [*Communitas, quæ non habet authoritatem condendi leges, non potest consuetudines obligatorias introducere.*] quia jam asseruntur capaces introducendi consuetudinem communitates quæ possunt leges recipere quamvis non possint ferre. Hinc patet hanc secundam responsionem non esse sufficientem. Quid si sufficeret? adhuc non prodesset, supponit enim falsum; aut saltem diminutè loquitur etiam communitas, quæ sit incapax leges recipiendi, potest introducere mores, ut posteà videbimus.

1091 *De Communitate quæ potest leges recipere?*

De ea, quæ leges recipere non potest.

TERTIVM. *Communitas Clericorum non posset introducere consuetudinem:* patet, quia nequidem potest condere leges, quæ non repugnent Canonibus, ut notavit Suarius *dicti lib.7.cap.9.num.9.*

1092 *De communitate Clericorum.*

Dices: Clericorum communitas habet authoritatem introducendi consuetudinem etiam contra ipsos Canones. *constat ex cap. ult.de consuetudine.* & tamen non potest legem condere contra Canones, *cap.Institutionibus.* 25. Ergo datur communitas quæ possit introducere consuetudinem in materia, de qua leges non possit condere.

1093 *De consuetudine contra jus introducta agemus paulò inferius.*

Respondeo primò, hîc non agi de consuetudinibus contra jus, sed de illis quæ præter jus; & sic condonans antecedens subjicio judicio consequentiam: quâ etiam admissâ adhuc est verum dicere *nullam communitatem posse consuetudines obligatorias introducere, si non possit leges condere,* quia posse ferre leges quæ non opponantur Canonibus, est posse leges condere.

An Clericæ leges, quæ contra Canones non sint, condere possint?

NOTA.

SOlum populum, qui potestatem habet condendi leges, posse consuetudinem introducere, dicitur docuisse Bartolus, Iason, & alii *in L.de quibus.* Panormitanus, Rochus & alii *in cap. Quæ in Ecclesiarum de constitut. cap.*25. & *cap.Accedentes. de Præscript.* Navarrus *in comment.de spoliis.* §.14. *num.*7. & alii, quos refert Tiraquellus *de jure Primogen.q.*10. Idem expressè sensit Ioannes Andreas *tract. de consuetud.post cap.ult.illius tit.* Angelus *verb. consuetudo.num.*7. Sylvester *quæst.*3. Quorum sententia

1094 *Quisnam populus obligatorios mores introducere queant?*

sententia vera non est; an verò sit probabilis, esto aliis examini. Nempe ut videant, utrum verè hi Authores habuerint hanc sententiam, quia si semel supponatur eorum authoritas, temerarium judicem dicerem, qui tantorum virorum opinionem de improbabilitate condemnaret.

CONCLVSIO III.

Quæcumque perfecta communitas potest introducere consuetudines obligatorias.

1095 *De Communitate perfecta.*

PRobatur; quia vix est communitas familiâ minor, & tamen introducere potest consuetudines, quæ illam obliget, asserentibus multis Authoribus apud Tiraquellum *de jure Primogen. quæst.* 16.

CONCLVSIO IV.

Si consuetudo introducatur à pluribus quàm à septem partibus communitatis, licet alii reclament, à tota communitate introducitur.

1096 *Quid requiratur, ut dicatur à tota Communitate introduci?*

CONstat; quia nona communitatis pars non habet authoritatem gravem, ut ostendi sæpè in meo Commentario in Regul. Divi Benedicti: levis autem authoritas non potest officere consuetudinis introductioni; quoniam hanc introducere res gravissima est.

1097 *An sufficiat major Communitatis pars?*

Suarius *libri* 7. *cap.* 9. *num.* 13. putat sufficere majorem communitatis partem: quæ opinio, si benè explicetur, verissima est. Communitas unum corpus est; unus homo mysticus, non plures mystici. Ergo communitas habet simplicem intellectum, & simplicem etiam voluntatem. Patet consequentia; quia moralia debent imitari ipsam rerum naturam; cùmque nullus homo physicus sit, qui habet duas mentes aut duas voluntates rationales, hinc est quòd sine errore nequeant hæ potentiæ in eodem homine mystico moraliter multiplicari. Quomodo ergo dicendum est in communitate ubi sunt dissidentes sententiæ, dari simplex dictamen, & simplex decretum voluntatis? Exponam. Omnium voluntate decretum est, ut pauciores teneantur subscribere pluribus etiam contra propriam sententiam. In electione Antistitis exempli gratiâ (ago de communitate, quæ potest Abbatem eligere sine limitatione aut restrictione) aut clariùs in approbatione unius Novitii, congregantur omnes Religiosi, non ut singuli illum eligant, aut istum approbent, neutrum enim ad singulos spectat; sed ut singuli corpori communitatis consulant, quid debeat facere; quæ ex plurium consilio aut Petrum Antistitem eligit, aut approbat Paulum Novitium. Qui ipsis negaverit suffragium, si dicat eos fuisse promotos contra suum consilium, verum dicet: si asserat Petrum non fuisse à se electum, nec Paulum approbatum; prodet suam ignorantiam, quia ille cui plures voces favent, omnes per modum unius eligunt, omnes approbant: communitati enim est simplex voluntas, quam plurium suffragia prædeterminant.

Debet examinari pactum.

De electione Prælati: & Novitiorum approbatione.

1098 Notandum tamen est nullam communitatem habere authoritatem, ut ex plurium consilio faciat omnia quæ velit, sed solùm aliqua determitata. Explico meum conceptum. In communitate omni inveniuntur Institutor, Pactores, & Interpretes. Cicero 7. in Verrem. *An fœderum interpretes, societatis pactores, religionis authores.* Religio communitas dicitur, quia homines naturali amicitiâ ligantur, & socii mutuâ concordiâ religantur. In communitate igitur debet dari Institutor, quia congregatis per accidens communitas componi non potest: dantur *secundò* societatis pactores, tales sunt omnes qui eam componunt, omnes enim inter se paciscuntur: debent dari *tertiò* fœderis Interpretes, qui omnia dubia resolvant. Possunt homines in communitatis erectione pasciscì multifariam; modos præcipuos explicabo.

An omnia in quacumque Communitate ex votis plurium decidantur?

Compromissi prima.

Possent *primò* dicere; compromittimus omnes in verba plurium, ut secundùm statuta Antistites eligamus, & faciamus hæc aut illa; non verò ut consuetudines novas introducamus: *secundò*, in verba plurium compromittimus non solùm ut præstemus ea quæ ex instituto solent fieri, sed etiam ut introducamus consuetudines; nempe aut morales solùm & non pœnales, aut pœnales solùm & non morales; aut solùm in tali materia & non in tali, putà in materia politica, non autem in materia Religionis: aut è converso.

Secunda.

1099 *De pacto introducendi consuetudinem.*

Cùm igitur tota Communitatis authoritas circa introducendas consuetudines nascatur ex pacto, opus est examinare priùs quale sit habitum in Communitatis illius institutione: si hoc cognoscatur clarè & evidenter, standum est fœderi, nec singuli ultra compromissa obligantur. Verbi gratiâ: Domini Cistertienses ex variis Monasteriis erexerunt unam congregationem, non tamen sine concordiæ legibus, ut constat ex Charta charitatis. Sic etiam omnes aliæ Communitates plurium hominum pacto institutæ sunt. Vbi pactio solùm probabiliter cognoscitur, etiam probabiliter dici potest ignota: & judex sequi poterit quamcumque partem. Vbi non scitur qualiter majores pacti sint, ad Interpretes recurrendum est, & in omni dubio pro libertate standum; nemo enim condemnari debet, nisi jus fuerit certum & clarum. Si prudenter examines poteris concordiam antiquam investigare, nempe ex perenni praxi & moribus antiquis: quia si olim introduxerunt consuetudinem scientes se non esse obligatos, volentes se obligare, putantésque se posse eam introducere, certum est aut olim sic fuisse pactos, aut saltem tunc paciscì.

Quid in dubio sit agendum?

Vnde accidat Consuetudini quòd habeat vim legis?

1100 *Pura frequentia actuum nullam obligationem inducit.*

CErtum est frequentiam actuum non sufficere, ut consuetudo evadat moraliter obligatoria: & demonstratur, quia nulla est Communitas cujus membra non comedant aut dormiant diebus singulis, & nihilominus nemo erit, qui dicat dari dormiendi aut comedendi consuetudinem, quæ quotidie obliget, peccatéque illum qui vel unâ die abstinuerit

nuerit aut à somno aut à cibo. Et si dicas, non posse introduci consuetudinem de re pejori, non statim omnis abstinentia dicenda erit melior quàm dormire & comedere, sed quæ fuerit prudens: & videmus abstinentias nonnunquam imprudentes. Exemplum aliud adjungamus. A carnibus quater in hebdomada indispensabiliter abstinent D D. Benedictini, consuetudo est verbi gratiâ non comedendi carnes diebus Lunæ; hæc tamen consuetudo non obligat sub culpa gravi in communi sententia; imò nec sub levi, si sequimur probabiliorem. Ergo præter actuum frequentiam aliud requiritur, ut consuetudo inducat aliquam obligationem. Dico igitur, *Requiri illud poni tacitè, virtualiter, aut interpretativè, quo expressè formalitérve posito obligatio esset certa & legitima ante omnem actum.*

De Benedictinorum abstinentia.

De circumstantiis tacitè requisitis.

1101 *Virtuales leges.*

Plerique consuetudinem, virtualem esse legem asserunt, recipereque vires à virtuali suo Legislatore: & ut explicent, bifariam considerant Communitatem; quia vel hæc obstringitur lege decernente, *Consuetudines debere observari, quando introductæ sunt sub talibus circumstantiis, & tali modo perennaverint:* vel non. Si supponatur talis lex, certum est consuetudinem, quæ habuerit omnia requisita in lege posita, habere legis vim independenter ab omnis Principis novo consensu. Si talis lex non detur, & consuetudini accedat consensus Legislatoris, transit in legem.

1102 Hæc autem sententia, si ageremus de consuetudine, quæ contra jus, vera esset, ut infrà videbimus; sed impræsentiarum probabiliter defendi non potest, quia suppositâ illâ lege universali [quæ dicat, *Consuetudo ex talibus aut talibus causis introducta, & tali aut tali modo conservata, esto omnibus lex,*] non esset dicendum esse legem virtualem, sed esse verè formalem & hypotheticam, quæ obligare inciperet positâ conditione. Clarioris intelligentiæ gratiâ, esto communis lex. *Consuetudo in materiâ Religionis quæ introducatur liberè à duobus trientibus Communitatis & conservetur per sex annos habeat vim legis.* Ipsa ergo Communitas sex annis integris abstineat à carnibus in profesto Mariani Natalis, dico teneri in posterum, non tamen ratione consuetudinis, sed quia consuetudo est conditio, quâ positâ incipit lex illa communis obligare: unde in tali casu, illa consuetudo non obligat, sed est occasio & conditio sine qua lex publica non obligaret. Tunc igitur dicta consuetudo non esset virtualiter lex, nec haberet vim legis; sed communitas teneretur abstinere à carnibus in tali die, inferentibus obligationem lege illa per se, & consuetudine ut merâ conditione. Illa lex politica est analoga huic naturali. Naturali imperio indicitur igni ut materiam incendat, si approximetur: approximationem sequitur ligni combustio; hoc tamen non combussit approximatio, sed ignis cujus vires natura obstrinxit approximationis conditione. Non aliter illa lex communis, *Consuetudo in materia Religionis, &c.* æquivalet huic, *Observate jejunia, abstinentiam, solennitates, quotiens per solidos sex annos liberè observata sint à duobus trientibus vestræ communitatis:* quis autem hîc non videat, obligationem verè dari, hanc per se à lege oriri, & consuetudinem ut meram conditionem requiri?

Interdum cẽsentur esse leges implicitæ & virtuales, quæ sunt expressæ & actuales.

Sæpè consuetudo non est lex virtualis, sed actualis conditio.

In secundo casu, nempe quando in communitate non datur legitima aliqua lex, quæ præcipiat mores antiquos observari, doceri velim, quomodo consuetudo possit fieri virtualis lex.

Sunt aliquæ, quæ impediũt ut consuetudo habeat vim legis.

1103 *Non potest transire in virtualem legem, si ex errore introducatur, nempe à putantibus se jam esse obligatos.* Ratio est, quoniam non est consuetudo prudens & rationalis; & omnia quæ imprudenter & irrationabiliter fiunt, non possunt condere novum jus, cùm hoc nasci debeat à ratione prudenti.

De consuetudine ex errore.

1104 *Nequit etiam transire in virtualem legem, si introducatur ex mera devotione; nempe à scientibus se non esse obligatos, & non habentibus animum se obligandi.* Patet, quia lex virtualis & implicita debilior est formali & expressa; atqui hæc requirit voluntariam acceptationem in subditis, ut probo *in Comment. Bened. Reg. num.* 48. ergo à fortiori acceptationem requiret virtualis & implicita lex.

De consuetudine ex devotione.

Prætereà sæpè consuetudo introducitur ab habentibus animum se obligandi: & hoc intelligi potest trifariam, nam possunt habere voluntatem obligandi se voto, aut voluntatem obligandi se lege, aut tandem acceptandi illam legem si à Principe feratur: & ideò dico

1105 *Consuetudo, quæ introducitur à communitate habente animum obligandi se lege, si communitas suprema est & potest leges condere; vel saltem licet suprema non sit, si habeat à suo domino condendi municipalia statuta licentiam, potest esse conditio introducendæ obligationis, non tamen semper obligatio introducitur:* & probatur; quia bifariam potest communitas habere animum se obligandi, nempe vel obligandi statim, vel cùm consuetudo sit satis introducta & usu continuo confirmata. Si expressè velit communitas obligare singulos ex tunc, singuli manebunt ab ipsomet initio obligati, non tamen consuetudinis vi: cùm, quia illa nondum esse supponitur: tum, quia hæc expressa voluntas lex expressa est, non consuetudo. Si expressè velit obligare singulos, si sex annis solidis illum morem servaverint, & non aliter, lex conditionalis est, expressa tamen, & consuetudo non nisi mera conditio est. Vbi obiter notandum consuetudines à toto populo introduci, & vix reperiri communitatem barbaram in qua vulgus ferat morales leges. Etiam in communitatibus liberis leges non à vulgo conduntur, sed à Magistratu, ergo vix est casus iste possibilis, qui nunc exponitur. Ergo dicendum est populum qui introducit consuetudinem cum animo expresso obligandi se lege, habere animum faciendi id quod non potest, quoties barbarus ipse non sit; hoc est, quoties non sit penes vulgus legum ferendarum authoritas; patet, quia consuetudo introducitur non à Magistratu uno, sed à vulgo toto.

De consuetudine ex mera devotione.

Bifariam introduci potest.

An vulgus leges possit ferre?

1106 *Communitas, quæ introducit consuetudinem cum intentione obstringendi se voto præstando, antequam id præstet non manet obligata.* Patet, quia velle vovere, non est vovere de facto; sicut velle hominem occidere, non est ipsum occidere. Obligatio autem votum sequitur,

De consuetudine quæ habeat vim voti.

non

non verò voluntatem vovendi ; quod clarè patet in Novitiis, qui reverà habent intentionem vovendi ſolenniter , non tamen in Novitiatu obligantur ad virtutum obſervantiam, quam poſtea promiſſuri ſunt.

1107 *An omnes poſſint communitates ſe votis obſtringere?*

Communitas , quæ introducit mores vovendo expreſsè ſe ſervaturam illos eſſe , ſi ſit capax vovendi , tenetur ex vi voti à prima die , quâ illud expreſsè emiſit , independenter ab actuum frequentia , aut à permiſſione aut confirmatione Principis. Conſultò dixi , *ſi ſit capax vovendi* , quia non omnes communitates poſſunt vota præſtare ſine licentia ſui Capitis, vel ſaltem hanc authoritatem poſſunt ſubjicere Superiorum arbitrio. Quod quidem , licèt in multis Communitatibus verum ſit , apud Benedictinos indubitatum eſt , conſtat enim ex capite 49. (quod do & dilucido in Commentarii mei num. 1613.) noſtri Ordinis Religioſos vota nova non poſſe emittere ſine licentia Abbatis. Sanctus Pater claudit Tabulam iſtam his verbis : *Quod unuſquiſque offert* , (Deo) *Abbati ſuo ſuggerat , & eum ejus fiat oratione & voluntate : quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit , præſumptioni deputabitur & vanæ gloriæ , non mercedi.* Et , ne aliquis opinaretur D. Benedictum non tradere legem aliquam generalem , ſed particularem, infert, *Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda ſunt.* Ergo ſi eſt univerſalis conſequentia , fuit etiam univerſale antecedens.

Et an Benedictinæ præcipuè ?

Cæterùm Communitatem , de qua in caſu (nimirum , quæ vovet , & poteſt vovere) teneri à prima die demonſtro , quia voti vi teneris ſervare id quod promittis ; ergo ſi promittis ex nunc ſervare conſuetudinem , ex nunc teneberis : & ſi nunc promittis te ſervaturum eam eſſe ab anno ſequenti , ab anno ſequenti teneberis ad illam. Sed hæc non eſſet conſuetudo , ſed votum. Cum advertentiâ de voto expreſſo egi , quia vix video quomodo communitas poſſit vovere implicitè, aut indirectè : quia votum implicitum aut indirectum emittitur , cùm aliquid fit quod non probabiliter ſolùm , ſed certò & neceſſariò requirat votum : ita olim multi Religioſi mutatione veſtium ſolenniter profitebantur ; exuere autem veſtes Novitiorum & induere veſtes Profeſſorum , non erat expreſsè vovere , ſed erat vovere implicitè , quia ex humano & communi inſtituto illa actio æquivalebat his verbis , *Voveo Deo ſervare caſtitatem & paupertatem & obedire meo Prælato.* Hodie Benedictini implicitè & indirectè vovemus caſtitatem & paupertatem , quia vovemus ſolenniter obedientiam Monaſticam , quæ ſine paupertate & caſtitate virginea conſiſtere non poteſt. Docear igitur ab eruditis , quid poteſt communitas facere , quod non ſit vovere expreſsè , quod aut ex natura rei , aut humano inſtituto habeat cum voto neceſſariam & certam connexionem ? certè non tam citò reperient. Mihi impræſentiarum id occurrit. [In Communitate A eſt conſuetudo antiqua viſitandi quinque altaria quotidie : negligentes corripit Prælatos tanquam voti violati reos : nec ipſi , nec Communitas reclamat, licèt illi & hæc (nota hoc) poſſint liberè reclamare , ſi velint. Ergo in tali caſu videntur ſinguli implicitè illam obligationem ampleCti ; ergo & vovere implicitè. Ergo & introducere conſuetudinem , quæ habeat vim voti.] ſic Ego : ſi iſte caſus non placeat , alium tu commodiorem & meliorem repone.

An Communitas poſſit vovere implicitè?

De profeſſione implicita.

An Benedictini profiteantur implicitè?

Supereſt igitur , ut omiſſo voto implicito, ad legem implicitam , hoc eſt , ad viam communem & minus difficilem redeamus : dicamus igitur , requiri (ut proſit conſuetudinis obligationi adſtruendæ) populi voluntatem expreſsè volentis acceptare illam legem , ſi à ſuo Magiſtratu , aut Principe , aut tandem à quocumque alio , qui habeat authoritatem legiſlativam , ſanciatur. Igitur , ſi agamus de hoc caſu , dico

De voluntate ſubditorũ.

1108 *Hæc populi voluntas ſine conſenſu Legiſlatoris non ſufficit, ut conſuetudo habeat vim legis.* Conſultò *Legiſlatoris* dixi , non Principis ; quia ſupremæ Reſpublicæ cognoſcunt Legiſlatorem Magiſtratum. Eſt aſſertum clariſſimum : quia velle acceptare legem , ſi feratur , non eſt legem condere , aut lege jam latâ obligari.

De Superioris conſenſu.

1109 *Poſito conſenſu Principis expreſſo aut implicito approbantis hanc populi voluntatem , conſuetudo non habebit vim legis.* Probatur. Quia velle admittere legem ponendam à Legiſlatore populi humanitas & urbanitas eſt , & poteſt eam Legiſlator acceptare, approbare, non tamen inde ſequetur legem ferri. Exemplo fiet res clarior. Monaſterium A Benedictinum , quod olim veſcebatur carnibus ex privilegio Pontificio , ac propterea legitimè incipit abſtinere cum animo admittendi carnium interdictionem cùm Superiori placuerit inhibere eſum carnium : imò & poteſt hoc non ſolùm expreſsè dicere , ſed expreſsè promittere ſuo Superiori , qui approbet, acceptet, & confirmet talem promiſſionem. In tali caſu, non habebunt illi Religioſi obligationem abſtinendi à carnibus , quoniam hoc non promiſerunt ; ſed habebunt obligationem acceptandi legem , quæ carnes interdicat ſi feratur ; hoc enim promiſerunt Superiori ; hoc acceptavit, approbavit & firmavit Superior : incipient autem obligari cùm primùm lex feratur , quæ carnium uſum interdicat. Ergo , ut conſuetudo , quæ eſt præter jus , habeat vim legis, non ſufficit quicumque conſenſus Principis , ſed requiritur legiſlativus. Et propterea addo

Quale eſſe debeat voluntas Superioris, ut conſuetudo habeat vim legis?

An Benedictini teneantur abſtinere à carnibus?

Quò modò promiſſiones obligent?

De conſenſu legiſlativo.

1110 *Si Legiſlator conſenſum legiſlativum expreſsè præbeat , illa conſuetudo obligat , non tamen quà conſuetudo , ſed quà indicta à lege ;* quia conſenſus expreſſus legiſlativus non niſi lex expreſſa eſt. Conſentire legiſlativè Superior dicendus non eſt , niſi expreſsè dicat , *Sancio, Præcipio , Iubeo* , aut *Fero hanc legem , &c.*

Quid ille ſit & quomodo exprimatur?

1111 *Sufficit conſenſus Legiſlativus implicitus , & indirectus , ut conſuetudo habeat vim legis.* Eſt communis Iuriſperitorum teſte Panormitano, eſt etiam plurium Theologorum.

An expreſſus debeat eſſe?

Sed petis , *Quid eſt ferri implicitè legem & implicitè etiam acceptari ?* Reſpondeo non poſſe intelligi dari implicitam legem , niſi expreſsè à Legiſlatore fiat aliquid , quod cum lege lata habet neceſſariam connexionem: nec poſſe dici acceptatam implicitè quouſque à populo fiat aliquid , quod cum acceptatione neceſſariò connexum ſit. Hinc igitur tunc conſuetudo inferet virtualem legem, cùm obſervatur ab omnibus , & tranſgreſſores puniuntur

1112 *Quæſtio valdè neceſſaria, à cujus ſolutione controverſia dependet.*

niuntur ut legirupiones, & populus hanc punitionem approbat. Ratio est, quia Princeps vel Magistratus quatenus consuetudinis transgressores punit, censendus est illam velle esse legem: populus quatenus non reclamat & impedit supplicia eorum qui consuetudinem temerant, censendus est acceptare hanc legem. Ergo hujusmodi supplicia talia sunt, ut sine lege acceptata & obligatoria stare non possint: ergo quando volente Legislatore & populo consuetudinis prævaricator punitur, infertur reum peccavisse saltem contra implicitam legem.

1113 *Pura multiplicatio actuum non habet vim legis.*

Hinc constat à consuetudine mera licet longissimi temporis non oriri notitiam implicitæ legis, sed à transgressorum suppliciis toleratis. Consultò *suppliciis* dixi, non *supplicio*, ut ostenderem, non sufficere unum actum ad interpretationem, quia quando unus aut alter punitur, populus non tenetur scire causam, sed debent omnes consuetudinis transgressores ita ordinariò puniri; ut populus supplicii causam ignorare non possit, & nihilosecius non reclamet; quia non reclamare, implicitè acceptare est.

1114 *An in Communitatibus Religiosorum eodem modo philosophandum sit?* *An & quo modo Benedictini teneantur abstinere à carnibus?*

In Monasticis communitatibus, quia sententiæ forenses leguntur in capitulo, prima punitio tolerata sufficit ad interpretandum dari implicitam legem. Pono casum; [Consuetudo abstinendi à carnibus feriis secundis, est ex mera devotione apud DD. Benedictinos; nam licèt Regularis observantia ea sit, non indicitur moraliter, sed pœnaliter, ut ostendi mei Commentarii in Regul. *disput. 7.* Accusatur Petrus de carnium comestione, actor exhibet testes, convincitur, sententiâ publicâ condemnatur; pœna gravis indicitur; reus non appellat, sed pœnam admittit (aut saltem ille non conqueritur, multi enim doctissimè asserunt Benedictinos à suorum Superiorum sententiis appellare non posse.) communitas non reclamat, sed condemnationem approbat.] In casu igitur proposito pronuncio omnes Religiosos judicare dari implicitam legem. Primò actor, quia si non supponeret Petrum graviter peccavisse (nempe moraliter aut pœnaliter) eum non accusaret; quia venialia & levia in judicio litigioso non tractantur. Secundò ejusdem opinionis est Abbas, qui actionem admittit, & sedet pro tribunali. Tertiò ejusdem opinionis sunt testes, reus, communitas; quia aliàs, nec testes citati responderent, nec reus pœnitentiam admitteret; nec licèt vellet, permitteretur à communitate; illi enim non respondere, & illa reclamare deberet.

An appellare possint?

An peccata venialia in tribunalibus discuti soleant?

1115 *De consuetudinis antiquitate.*

Sed petis, *Quanto tempore debeat perennasse consuetudo permittendi publicas punitiones antequam introducatur implicita lex?*

Nota id benè.

Sanè, non tenetur populus jure implicitæ legis, quousque sit verum dicere, *Transgressores consuetudinis puniuntur, populus scit, potest impedire, & non impedit:* quia ex consensu populi supplicia hujusmodi approbante infertur acceptatio implicita latæ-implicitæ legis. Transgressores consuetudinis debere puniri, constat ex his quæ nuper dicebamus. Eos puniri, debet constare toti populo, ut populus consuetudinem sciat quà legem implicitam acceptare dicatur: ut autem præsumatur toti populo nota, sufficere putat Suarius decem annos. Certè si detur lex de præscriptione consuetudinum, & hæc tempus determinet, standum est legis determinationi; sed hîc agimus de consuetudine secundùm se quà implicitè præceptâ & implicitè etiam acceptatâ. Ergo ut prudenter philosopher assero consideratum iri locum suppliciorum, eorum frequentiam, publicitatem, & populi magnitudinem. Magis publica sunt supplicia ultima, quàm exilia, fustigationes, exactiones; potest enim contingere Petrum aut in exilium mitti, aut verberibus cædi, aut in delicti pœnam summam pecuniæ solvere, quin hoc à populo sciatur. Conducit etiam ad notitiam locus, in quo supplicium executioni mandatur: putà si Paulus stranguletur aut in campo, aut in foro, aut in carcere. Si in carcere, pauciſſimi scient; si in campo, non multi; plurimi, si in foro. Oportet etiam esse publicum non solùm illos puniri, sed etiam propter violatam consuetudinem. Ergo cùm hujusmodi punitiones tam frequentes & communes sunt, ut plusquam septem communitatis partes prætendere non possint ignorantiam, tunc dicendum est illam legem implicitè latam universis imponi.

Lex de præscriptione consuetudinum.

Non omnes pœnæ sunt aquè publicæ.

nec omnis locus ita frequentatus à plebe.

An etiam causa punitionis esse publica debeat?

Non tamen statim dicendum est illos ea lege implicitâ obstringi, nisi accidat alia circumstantia, à priori, aut à posteriori. A priori quidem, si expressè aut implicitè promiserint vel proposuerint admittere illam legem cùm tacitè aut expressè feratur: tunc enim ex vi illius promissionis aut propositi antecedentis prudenter præsumitur legem illam implicitè latam acceptari. A posteriori sanè, si populus possit hujusmodi supplicia reclamando impedire, & impedire nolit: quia populus, qui reclamare non audet, non est dicendus legem acceptare, sed censendus est tyrannide obrui, & consensum præbere involuntarius.

1116 *Unde oriatur tota consuetudinum vis?*

De consuetudine, quæ contra jus introducitur, an possit abrogare legem?

EX his, quæ nuper dicebamus, constat quomodo debeamus quæsito satisfacere. Dico igitur consuetudinem, sicut nunquam per se introducit legem implicitam sed est motivum cognoscendi legem implicitam latam à Legislatore legitimo & à populo liberè acceptatam; sic etiam nunquam posse per se abrogare legem, sed esse aut conditionem aut motivum persuadens legem esse à suo Legislatore abrogatam.

1117 *A rationis paritate proceditur.*

Vt igitur lex implicitè abrogari censeatur, requiritur frequenter & impunè temerari Legislatore sciente & permittente. Vide philosophandi Analogiam. Legem tacitè ferri dicimus, *cùm nemo consuetudinem impunè transgreditur, populo sciente, potente impedire, & consentiente:* non aliter, legem abrogari tacitè judicamus, *cùm eam temerant quicumque volunt, & hoc impunè, Legislatore sciente, potente punire, & non puniente.* Ratio est, quia Legislator, qui videt suam legem passim non observari,

observari, & hoc non judicat facinorosum, est censendus eam cassaviſſe. Arguo ſic. Injurius eſt non ſolùm Principi Legiſlatori, ſed etiam Reipublicæ, qui cenſet illum iniquum; ſi prudentia pietatem induat, debet propugnare ſuum Principem & ſic interpretari actiones ejus ancipites, ut juſtæ & legitimæ evadant. Conſultò *ancipites* dixi, hæ ſunt actiones, quæ laudis & vituperii ſunt capaces ſecundùm captum & pietatem cenſorum. Ergo quando videmus legem A paſſim temerari, & tranſgreſſores non puniri à ſciente Legiſlatore, debemus credere illos non peccaviſſe, quia aliàs argueremus Iudicem de iniquitate, qui paſſim ignoſceret ſceleſtis: ut autem eos non peccaviſſe defendatur, qui temeraverunt legem A, addendum neceſſariò eandem jam abrogatam; quia aliàs & legirupiones peccarent, & Iudex, qui eis ignoſceret, iniquus eſſet.

1119 *Frequentiam actuum etiã hic requiri.*

Peto frequentiam actuum, ut lex dicatur implicitè abrogari; quia non eſt dicendus ſtatim legis temerator, qui eam ſemel aut iterum non ſervat; humanæ enim leges cedunt charitati & neceſſitati, & dantur ſæpè rationes ut hîc & nunc lex A non poſſit obſervari à Petro, nunquam autem ut paſſim & frequenter à populo toto contemnatur. Etiam aliquando legirupioni ignoſcere, prudentia eſt ſpe majoris boni communis aut privati: igitur lex implicitè abrogata non eſt, niſi frequenter violetur, & prævaricatores à Legiſlatore tolerentur & cognoſcantur.

An Conſuetudo poſſit inducere legem merè pœnalem.

1120 *Reſolutio.*

Aſſero cum Suatio *lib. 7. de legib. cap. 16. num. 3.* & alii: quia nulla datur repugnantia.

Et probo; quia poſitâ actuum frequentiâ, poteſt eſſe animus populi admittendi circa talem materiam legem merè pœnalem cùm ponatur, & non admittendi moralem, ergo ſi poſteà Princeps à tranſgreſſoribus pœnas exigat, non reclamante populo, dicendum eſt illam legem implicitam ortam à conſuetudine eſſe merè pœnalem.

1121 *Gravis difficultas ex antecedenti ſuborta.*

Major eſt difficultas, *An poſſit introducere obligationem moralem?* Ratio dubitandi eſt, quia tunc cognoſcitur lex implicita, quando aliquid ponitur, quod non poteſt ſtare ſine lege; ſed quidquid ponatur, poteſt ſtare ſine lege morali: ergo non dantur leges morales implicitæ. Minorem probo. Quia etiam leges merè pœnales obſervantur, & earum tranſgreſſores vituperantur, carpuntur, corriguntur, puniuntur, imò & aliquando ultimâ ſententiâ, nonnumquam infamiâ condemnantur: quando ergo interpretaberis moralem legem, ſi ex præmiſſis hujuſmodi non ſequatur certò & neceſſariò? vel dato circumſtantias alias quæ interpretationi ſufficiant.

1122 *Reſolutiones.*

Hac ratione convictus elicio has Concluſiones.

I. Conſuetudo, cùm habet vim Legis (hoc eſt, cùm infert neceſſariò legem implicitam) niſi aliud aliunde clarè conſtet, obligat in foro exteriori.

II. Cùm autem habet vim (id eſt, cùm infert neceſſariò votum implicitum) obligat in conſcientia.

III. Vix aut ne vix quidem, poteſt dari conſuetudo quæ habeat vim voti impliciti.

IV. Vt conſuetudo obliget certò in conſcientia hoc ipſum debet expreſsè declarari.

Patet, qui non habemus fundamenta, ex quibus id poſſimus implicitè colligere. Sed quando id expreſsè declarat Superior? Quando Alberto Belgii Principi ſimilis edicto ſuo declarat, quænam conſuetudines ſunt taliter aut taliter obligatoriæ, & quæ non: vel quando aliis Superioribus ſimilis expreſsè in ſententia condemnationis exponit, reum violaſſe conſuetudinem habentem vim legis moralis, & ideò peccaviſſe graviter.

De Conſuetudine privata.

1123 *An ipſa poſſibilis ſit?*

NOn facilè admittam privatam conſuetudinem, quæ habeat vim legis, admittam ſtatim quæ vim voti, ſi talis poſſibilis ſit: hæc tamen perſonalis eſt, nec poteſt obligare reliquos mortuo vovente. Ratio eſt; ideò vota communitatis æternùm obligant, quia communitas non moritur: ergo particularium vota ceſſant, cùm ii moriuntur. Patet conſequentia; quia etiam communitatis vota ceſſant cùm hæc deletur. Verbi gratiâ, Civitas N. vover jejunare ſingulis annis tali die: ergo æternùm tenebitur, quoniam tempus non limitat. Si accidat, quòd Martis injuriâ hæc Civitas ab inimicis deleatur, tota obligatio ceſſat, nec tenentur indigenæ ſervare votum; quia jam non ſunt membra illius communitatis, quæ non eſſe ſupponitur. [ſed memineris me vix poſſe intelligere votum implicitum in conſuetudinis materia.]

An vota Civitatum ſint perennia?

1124 *An juniores Religioſi teneantur ad officium divinum vi impliciti alicujus voti?*

Dices conſuetudinem, quam habent juniores Religioſi legendi horas privatim, non eſſe communitatis conſuetudinem, ſed particularium, qui quomodocumque ſe obligaverint moriuntur, & obligationes ipſæ excidunt ob eorum mortem: *Et quidem*, re benè conſideratâ hæc ratio eſt fortiſſima, ſi aſſeratur eos obſtringi conſuetudine quæ habet vim voti; ratio eſt, quia votum non obligat non ſentem, & juniores qui hodie ſunt, non ſunt illi veteres qui dicuntur voviſſe: quia cut eſt verum dicere, communitas Monaſterii N. vixit quingentis annis, quia ſemper fuit moraliter eadem communitas; ſic etiam eſt verum dicere juniores, qui ſunt hodie, non erant à quingentis annis, quia remanet idem myſticum corpus ſucceſſione partium phyſicarum: ergo accidentia, attributa & obligationes partium tranſeunt; corporis attributa, accidentia & obligationes remanebunt, quia & corpus remanet. Interim qui volet vota tranſire ad ſucceſſores non carebit rationibus & objectionibus. *Sed, quia facilius eſt* ad implicitam legem recurrere, ſuaderem, ut hæc quæſtio ad legem implicitam reduceretur.

1125 *De lege, quæ non obliget totam communitatem.*

Dices. Poteſt ferri lex expreſſa, quæ non obliget totam communitatem, ſed tale genus hominum habitantium in eadem: ut cum in Republica indicitur, *Vt nobiles militent, & ruſtici*

rustici pendant tributa, cujus legis virtute non solùm existentes, sed & futuri obligabuntur. Ergo etiam potest intelligi aliqua similis lex implicita.

1126 *Communitas duplex: simplex, composita.*

Respondeo communitatem esse duplicem; aliam simplicem, aliam compositam: simplex quæ indivisibilis, composita quæ componitur ex aliis communitatibus. Regnum communitas est, quæ componitur Provinciis; Provincia constat Civitatibus; & Civitas sæpè Communitatibus diversis, quarum quæcumque habet diversas leges. Eodem modo Ordo Benedictinus constat Congregationibus, Congregatio Monasterii; Monasterium est Communitas indivisibilis.

Quando communitas componitur duabus aliis communitatibus, potest Legislator inconsultâ communitate A, ferre legem pro communitate B; & communitas B poterit inconsultâ communitate A latam legem acceptare, vel non acceptare.

Prætereà. Quando communitas est simplex, potest Legislator ferre legem, quæ obliget unam partem illius communitatis; hæc autem lex debet à tota communitate acceptari.

1127 *Lex etsi non concernat nisi partem, debet à tota cõmunitate admitti.*

Hinc ad argumentum in forma. Vel nobilitas & plebs sunt duæ communitates diversæ in eadem urbe, vel neutra est seorsim communitas, sed confluunt ut constituant unam communitatem. Vbi sunt duæ communitates seorsim, ibi potest Legislator nobilitati legem imponere à populi legibus independentem; quam nobiles aut acceptabunt aut rejicient sine consilio popularium. Vbi nobilitas non est communitas seorsim, potest ferri lex quæ obliget solos nobiles, hæc autem non solùm à nobilibus, sed & à plebeis; hoc est à communitate tota debet acceptari.

1128 Ideò si lex sanciretur indicens junioribus legere privatim, esset lex merè privata, quæ solos illos obligaret, quibus imponebatur, non futuros. Vt autem esset lex publica & permanens, deberet admitti à tota communitate. Ergo ut esset consuetudo communis & permanens deberet introduci similiter à tota communitate.

RESOLVTIO.

MVlta diximus, de multis dubitavimus, & multorum adhuc notitiâ clariori indigemus, omnia ergo ad pauca verba reducturus, sumo secundum calamum, & sic inquam.

De lege implicita.

I. *Pura actuum multiplicatio & frequentatio, si nihil aliud accedat, nec inducit novam legem obligatoriam, nec antiquam abrogat.*

II. *Si consuetudinis transgressores puniantur à Superiore, & subditi id sciant, possint impedire, & non impediant, nec reclament, censendi sunt acceptavisse implicitè obligationem servandi consuetudinem.* Sed qualem? *Si transgressores punierentur tanquam violatores legis pœnalis, & tamen non reclamarunt subditi (scientes nimirùm & potentes impedire & reclamare: de his enim solis agimus.) censendi sunt acceptavisse implicitè legem merè pœnalem. Si autem rei punierentur tanquam violatores legis moralis, tunc punitio ipsa erat quædam legis moralis, jam priùs latæ, implicita publicatio & assertio: & ipsa non reclamatio, quædam implicita moralis legis acceptatio.* Et quid si punirentur ut rei violati voti? *In tali casu, ipsa non reclamatio esset quædam implicita voti emissio.* *De voto implicito.*

III. *Si è contrario, multi transgrediantur legem, & tamen Superior (Legislator, aut quicumque legem valeat tollere & abrogare) sciat hoc, & possit, aut etiam debeat impedire, & tamen non impediat, subditorum fragilitati condescendere censendus est: ipsámque Superioris tolerantiam esse implicitam quamdam prioris legis abrogationem.* Hæc tria Asserta expressa sub his terminis videntur clara, & sufficienter demonstrata superiùs, & ideò ad Quæstionem principalem progredior. *De abrogatione legis implicita.*

PARS ALTERA.

De Consuetudine respectu Decalogi.

SI consuetudinis materia sit præter Decalogum & ipsa consuetudo habeat vim voti, non additur Decalogo novum præceptum, sed nova materia secundo præcepto primæ Tabulæ, non secus ac quando expressa vota facimus. Si consuetudo habeat vim legis, hoc est, imbibat legem Dei moralem implicitam; requireret quòd transgressores divinitùs punirentur, & nobis constaret eos puniri, & sciremus puniri propter hoc: quæ omnia non accidunt; neminem enim Deus punit, qui consuetudinem nondum obligatoriam temerat. Sed Principes aliter faciunt; puniunt consuetudinis violatores, ut suauiùs eam indicant & præcipiant implicitè. Cæterùm, si Deus inciperet hodie punire non audientes singulis diebus Missam, esset fundamentum sufficiens interpretandi legem de audienda Missa quotidie. Sed Deus si illos puniret, non puniret intuitu præcedentis consuetudinis, sed præcedentis legis; aut certè non puniret (innocentes afflictionibus exercet & probat aliquando, nunquam punit) & ideò consuetudo prædicta non veniret dicenda inferre novam legem. 1129 Quæstio prior. *An possit introduci consuetudo, quæ habeat vim legis Divinæ?* hoc est, *An præceptorum Decalogi numerus consuetudine humanâ possit crescere?*

Dices, Cùm Princeps punit Petrum consuetudinis prævaricatorem, ostendit se velle observari talem consuetudinem: ergo etiam Deus, si puniret temerantes talem consuetudinem, ostenderet se velle eam à nobis servari. Atqui primum sufficit, ut introducatur lex implicita humana; ergo secundum sufficeret, ut introduceretur divina. 1130

Respondeo eum qui punit, tacitè dicere se jam ante præcepisse illud cujus prævaricatores punit; non enim puniuntur illi qui faciunt actiones interdicendas, sed qui interdictas. Ergo, si Deus puniret aliquem ob violationem consuetudinis, implicitè diceret illum violasse legem positam, ergo & mentiretur implicitè, quod est absurdum. 1131 *Deus mentiri non potest, nec falli.*

Objicis, ergo saltem jam admittitur Principes mentiti implicitè cùm incipiunt punire consuetudinum prævaricatores. Malè igitur defendimus authoritatem Principum, quos arguimus de ignobili mendacio. *An mentiãtur Principes.*

Respondeo, Deum non posse dicere falsum sine mendacio, Principem posse: hic enim 1132

potest

An saltem fallantur interdum?

potest falli, & putare verum, quod reverà non est; Deus autem, cùm per essentiam sapiens sit, falli non potest. Ideò, cùm videmus Principem (aut quemcumque alium Legislatorem) punientem transgressores consuetudinis, opus est ut eum vel incusemus de iniquitate, vel dicamus hanc consuetudinem affectam obligatoriâ lege, vel saltem talem credi à Principe, qui vult illam servari. Princeps autem putando consuetudinem esse affectam lege, quando nondum est, errat physicè, non moraliter; sed puniendo transgressores, illam consuetudinem lege afficit tacitâ, quam implicitè acceptat populus non reclamando.

Nota hanc paritatem.

1133 Quæstio altera. *An possit introduci contra Decalogũ aliqua consuetudo, quæ habeat vim cujusdam implicitæ dispensationis aut abrogationis?*

Nondum acquiescis, & ideò interrogas, *Quâ conscientiâ primi violatores consuetudinis puniantur, præcipuè, si pœna capitalis sit, aut alia æquivalens?* & te ego interrogo, *Quâ conscientiâ primi violatores latæ & veræ legis eam temerent: nisi enim temerè violetur, non potest ad conniventiam & implicitam abrogationem aut dispensationem deveniri.* Aio utrosque aliquando peccare: & aliquando hallucinari aliquâ apprehensione aut etiam ignorantiâ invincibili.

Decalogum violantes, omnes omninò, punit Deus.

COnsuetudines, quæ contra Decalogum, non derogasse aliquod præceptum illius constat clarissimè. Quoniam licèt Idololatræ legibus & moribus multis articulis legis divinæ adversarentur, non tamen prævaluerunt, & probo. Quia juxta ea, quæ paulò ante exposuimus (videlicet num. 1128.) ut consuetudo legem deroget, debet habere has qualitates. *Primò*, debet esse communis & publica; *secundò* Legislatori cognita, Legislatori, inquam, potenti punire & impedire non volenti; *tertiò* debet constare non puniri transgressores. Has qualitates non habent consuetudines, quæ contra Decalogum perennant. Ethnici contra articulum quintum tenuerunt mortis & vitæ libertatem, & hanc alicubi legibus expressissimis, alicubi constanti consuetudine ut nemo ignorat, qui historias Græcorum aut Romanorum legerit. Hæc consuetudo habebat primam qualitatem, erat enim & communis & publica; non carebat secundâ, nam Legislator Deus illam non ignoravit, qui potuit illam aut impedire, aut punire ejus introductores. Sanè eidem consuetudini tertia qualitas deficit; quia legis hujus æternæ transgressores igne æterno puniuntur, & hoc nemine excepto: peccatores enim dare æternas pœnas, cùm apud Catholicos fide sancitum, omni est humanâ veritate certiùs. Sed neque Gentiles inferni pœnas negaverunt, ut constat ex Poëtis & Philosophis melioris notæ: non igitur dicendum, fuisse consuetudinem, quæ legem æternam abrogaverit.

1134 *An in Deo admitti queat actus impliciti?*

Petis, *An dari possit?* Respondeo negativè, quoniam actus divinæ mentis expressi sunt, & circa illos expressè voluntas divina versatur. Ergo si stantem consuetudinem contra aliquod præceptum Decalogi Deus toleraret, cùm negativè se habere non possit, deberet expressè approbare, & expressè derogare legem. Potest igitur Deus derogare Decalogi articulum, non tamen dari consuetudo quæ habeat implicitam & tacitam Dei approbationem: quia vel expressam permissionem, vel expressam reprobationem habebit. Cæterùm expressa reprobatio, interdictiva lex est: expressa permissio, est etiam expressa dispensatio.

1135 *An omissiones puræ? An illæ in Angelis aut hominibus sint concedendæ*

Cæterùm, si illorum supponas sententiam, qui in Deo dari etiam puras omissiones liberas existimant, interpretativam Dei voluntatem concedes, & consequenter posse dari interpretativam legem: adeóque consuetudinem quæ abroget præcepta Decalogi. Deo autem puras omissiones liberas non concedam, qui illas Angelis & Hominibus frequenter nego.

Dices, & acutè quidem, etsi non dentur actus impliciti in Deo, nec puræ omissiones, dari actus nobis ignotos, & hos ex aliis nobis expressè revelatis posse cognosci implicitè. Et ego in alii materiis hanc doctrinam admittens, nego in præsenti dari tales expressos actus: non enim revelavit expressè Deus se non punire violatores Decalogi, *Ex dictis igitur* constat consuetudines quascumque, quæ sunt contra legem Decalogi, non esse mores, sed meras morum corruptelas docente D. Thomâ 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 1. subscribentibus omnibus Theologis, quibus & consonant Iurisperiti ex capite ultimo *de Consuetud.* & ex capite, *Si consuetudo*, & ex capite, *Quæ contra mores*, & aliis petendis ex *distinct.* 8. quæ confirmat Authent. *Vt nulli judicium liceat, coll.* 9. *tit.* 9. *cap.* 1.

DISPVTATIO V.

An Decalogus civili lege humanitùs mutari possit?

1136 *Proponitur & exponitur quæstio.*

NOn dari humanam aliquam authoritatem, quæ possit totum Decalogum abrogare admittitur ab universis; utrùm detur, quæ saltem pro tempore, occasione & loco unum vel alterum articulum possit mutare, multi inquirunt.

Prima Sententia.

1137 *De authoritate Iuris divini.*

DAntur Authores celeberrimi, qui his tribus assertis fundant doctrinam & obligationem juris divini. *Primum*, Nulla creatura potest condere jus divinum. *Secundum*, Nulla potest totum jus divinum abrogare. *Tertium*, Aliqui juris divini articuli humanâ authoritate aliquando abrogantur, alii nondum sunt abrogati, sed possunt abrogari.

1138 *An in eo possit Pontifex, aut alius dispensare?*

Ita noster Panormitanus Abbas in cap. *A nobis de Decim. num.* 4. & in cap. *Cum tanto. de Consuetud. num.* 3. & cap. *Quæ in Ecclesiarum de Constit. num.* 11. ubi etiam Felin. Innocentius & alii. Angelus *verb. Papa num.* 1. uberiùs hanc quæstionem examinat, & hanc authoritatem Pontifici Romano adscribit. & Navarr. *Qui filii sint legit. num.* 8. asserit posse Pontificem limitare legem naturalem & divinam dispensationes concedendo: & novissimè Sancius

lib. 8.

lib.8.de Matrim. disp.6. ubi citat Theologos & Iuristas. Videtur huic sententiæ subscribere Henriquez *lib.8.Euchar.cap.13.*& Canus *Relect. de pœnit. part. 5.* Hanc etiam habuerunt Authores Glossæ, expressè in cap. *A nobis. de Decim.* verb. *Exempt.* & in L. *Manumissiones.* verb. *Nascerentur.* & in L. *Ius civil.* ff. *de just. & jur.* & sæpè alibi eandem habent universi, qui hujuscemodi Glossas admittunt.

Secunda.

1139 *Communis sententia.*

FErè omnes Theologi & doctiores Iuridici docent Decalogum in nullo vero præcepto diminui aut abrogari posse dispensatione, revocatione, derogatione, aut lege humana. Hanc sententiam tuentur omnes illi, qui asserunt Decalogum mutari non posse: item illi qui docent Pontificem non posse dispensare in jure divino positivo, quia à fortiori dicturi sunt eum non posse dispensare in Decalogo. Expressè verò de Decalogo id tradidit Almainus *de potest. Eccles. cap.13.concl.1.* & *in 4.dist.15.quæst.2. art.1.* Sylvest. *verb. Papa. quæst.16.* Abulen. *Exod.20.quæst.25.* Victoria *Relect.2.de potest. Papæ & Conc.* Driedus *lib.2. de libert. Christ. cap.4.in fin.* Sotus *lib.1. de just. quæst.7. art.3.* & *lib.4. quæst.3. art.1. ad 1.* & *lib.10. quæst.3. art.4.* Turrecremata *in Summ. lib.3. cap.54. & 57.* Covarr. *in Regul. Peccat. part.2. §.11. num.3.* & *in cap. Quamvis pact.2. quæst. §.4.num.6.* & *in Epitom. 4. part.2. cap.6. §.9.num.3.* Barbosa *in Rubric. ff. soluto matrim. 2.part.num.104.* Albertus Bolognet *tract. de leg. cap.26.num.3.* Suarius *lib.2.de leg. cap.14. num.6.* & Navarrus licet sibi contrarius, *Concil.4.de Desponsat.impub.num.16.* & *in cap. Ita quorundam. de Iudæis, Glossa penult. per totam.* Favent Glossa in cap. *Sunt quidem.25. quæst.2.* & Glossa in cap. *Proposuit. de Conces. Præbend.*

VERA SENTENTIA.

1140 *An Decalogus divinitùs abrogari possit?*

SVppono ex dicendis, posse Deum totum Decalogum, aut saltem partem abrogare; quoniam, si id non supponitur, controversiæ locus non est, sed potiùs debebit asseri Decalogum ita ab intrinseco necessarium; ut nec divinitùs nec humanitùs mutari possit.

An Angelo aut Homini, Deus possit suam authoritatem delegare?

Si Deus per se potest aliquos articulos Decalogi expungere, ego non video, cur dicendum sit non posse hanc authoritatem delegare Angelo, Homini, aut alii creaturæ intellectuali. Quia licèt dispensatio esset miraculosa; hoc est, præter communes leges & ordinariam Dei potentiam, non esset homini improportionata, maximè cùm videamus singulis diebus miracula ab hominibus patrari, quorum ipsi sunt saltem morales causæ; quia qui ex delegata authoritate in lege dispensat, est moralis causa abrogans legem pro illo casu.

An homines miraculorũ sint morales causa?

1141 *Authoritas alia est ordinaria, alia delegata, alia subdelegata.*

Vt hoc altiùs intelligas, est necessarium bene scire, *quid sit authoritatem delegare.* Cùm inauguratur Rex, juramento obstringitur populus ad obedientiam; nempe tenetur illi obtemperare, solvendo pœnas si lex fuerit pœnalis, aut satisfaciendo conscientiæ si moralis; & hoc ex vi præstiti juramenti. Si jubet Rex Proregi quòd imponat præcepta plebi, obligatura eam ex vi jurisiurandi, præcepta vana sunt, quia plebs promisit obedientiam, non Proregi, sed Regi; & Rex invito populo non potest transferre suam authoritatem. Quomodo ergo Rex investit Proregem authoritate delegatâ? expendam. Implicitè ipsum promovet hoc tacito tenore verborum. *Esto mihi interpres Prorex, meæ voluntatis expositor. Præcipio meis subditis illa omnia, quæ ille notificaverit, & abrogo leges quas ille declaraverit non obligare.* Ecce Delegatus non habet authoritatem in populum, sed est conditio liberè applicans Regis authoritatem. Ex vi istius formulæ Prorex non habet authoritatem subdelegandi, quia soli conceditur esse interpretem & Legatum Regis. Ideò aptè Romani suos Proreges, & Belli Principes *Legatos* vocarunt, quoniam nullam habebant authoritatem ordinariam, sed erant Legati & Nuntii decretorum, quæ ferebantur in Senatu; is enim præcipiebat militibus, quæ Legati indicebant. Vt Delegatus habeat authoritatem subdelegandi unum aut duos, debet hoc expressè concedi à Delegante. Dabo formulam: *Jubeo meis vasallis illa omnia quæ Petrus, aut ab eo denominatus, notificaverit; dispenso in legibus, quas ipse Petrus, aut aliquis ab eo denominatus, non obligare declaraverit.* Stante hac commissione sive Petrus, sive aliquis à Petro denominatus, aliquid præcipiat, debet populus illud facere, non ut obediat Petro aut Petri Vicario, sed ut obediat Regi, qui illud præcipit per Petrum tanquam per Nuntium & Regiæ voluntatis Legatum. Non aliter; si Petrus, aut ipsius Vicarius dispenset in lege civili, aliàs obligatoria, tenet dispensatio; non quia Petrus dispensare aut abrogare leges civiles potest, sed quia Rex ipse dispensat, Petrus enim est merus tabellarius, qui populo notificat Regiam dispensationem.

Quomodo delegetur authoritas?

Car Romani suos Proreges aut Vicarios appellarunt Legatos?

Quomodo subdelegetur authoritas: & unde habeat quod subdelegari ipsa possit?

1142 *An & quomodo Legatus à Delegato distinguatur?*

Secundùm rigorem scholasticum distinguitur authoritas Legati & Delegati: & discrimen ex formulis creationis constat. Commissio Legati confertur per similia verba. *Dicatis tali Reipublicæ, Regi, aut Civitati quod ego postulo aut præcipio hoc.* Ecce nihil committitur Legati arbitrio; & si quid committitur, jam quoad illud non Legatus, sed Delegatus est, in cujus denominatione Rex suis subditis præcipit illa omnia, quæ Delegatus exposuerit, nihil determinans in singulari.

Prophetæ & Angeli sunt Dei Legati.

Legatos Dei vidimus sæpè sæpiùs. Prophetæ sæpè leguntur à Deo missi, & nomine Dei locuti esse. Angeli tales dicuntur non ratione naturæ, sed officii; quoniam qui Ἄγγελος Græcè, Latinè dicitur *Legatus.* Vnde S. Gregorius Papa homilia 34. in Evangel. ante medium. *Sciendum, quòd Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ: nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli* (hoc est, Legati) *nequaquam possunt; quia tunc solùm sunt Angeli* (Legati) *cùm per eos aliqua nuncian-tur. Vnde per Psalmistam dicitur, Qui facit Angelos suos spiritus: ac si patenter dicat, Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam, cùm voluerit Angelos* (Nuncios, Legatos) *facit,* &c. Et hoc tam pervium, clarum & commune, ut sufficiat notari.

De

De Elia.

1143 *An Deus realem authoritatem suam delegaverit Prophetæ Eliæ?*

CVr igitur non poterit Deus habere Delegatos: Annon Eliam Delegatum constituit cum authoritate dispensandi in physica lege naturali? aut quid aliud sonant illa verba, quæ 3. *Regum* 17. 1. dixit Galaaditis, nempe, *Vivit Dominus Deus Israël in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia nisi juxta oris mei verba?* Ecce Eliam Domini Delegatum. Lege naturali physica decretum erat, ut Astrorum influxus & Solis periodus vapores exigerent à terra, & pluvias debitis temporibus retribuerent. Delegat Eliam Deus, & delegationis authoritatem sic concipio. *Præcipio*, inquit Deus, *cælo ut terræ pluvias non contribuat his annis, quousque ab Elia admoneatur: præcipio eidem ut pluat, cùm Elias indixerit.* Conceptum meum confirmat Ecclesiasticus capitis 48. 1. ubi sic. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidiâ suâ pauci facti sunt, non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter.* Expendo. Pauci facti sunt Galaaditæ cæli inclementiâ atque famis rigore, quam non potuerunt sustinere; atqui dicuntur non potuisse sustinere præcepta Domini: ergo cæli rigor, fames erant à Domino præcepta: non absolutè, sed hypoteticè, nempe ad arbitrium Eliæ, qui irritatus invidiâ eorum pluvias non petiit, & exposuit cælo mandatum præcipientis Dei, & verbo Domini illud clausit. Quod confirmatur ex Iacobi Epistolæ 5. *Elias*, inquit Iacobus, *homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursum oravit; & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Non habebat authoritatem ordinariam Elias, ut cælo juberet; habuit tamen delegatam à Domino. Fuit Orator Dei, & Delegatus; nam Deus jusserat cælo, ne plueret invito Elia, ne non plueret eodem præcipiente. Ergo sicut Deus lege physicâ præcipit elementis ut ea unicè facerent, quæ Elias indiceret, licet communi legi naturali physicæ contraria; illa verò non facerent quæ vetaret licet secundum ordinarium cursum rerum & exigentiam causarum naturalium essent, sic etiam poterit lege morali hominibus præcipere Deus, ut faciant quæcumque illis Ioannes, verbi gratiâ, præcipiat, licèt sint contra communem legem naturalem moralem.

An cælo jusserit Deus ut obediret Eliæ?

De Iosue.

An possit Deus homini obedire virtualiter?

VOlo eamdem doctrinam exemplo secundo confirmare, & rimari Historiam notissimam & communissimam, quæ fortè non ab omnibus benè explicatur.

Contra hostes Iosue victoriam præclaram adquirit.

Irruerat in hostes Iosue, & illos ruperat, & in fugam egerat: persequutus est illos non sine periculis & difficultatibus totâ illâ nocte, & die etiam sequenti ad meridiem usque. Cæterùm quia dispersos tueri poterant & occulere tenebræ, summâ ad Cælum confidentiâ oculos subrigit & ait, *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Abialon.* Et quo id eventu? *Steterunt Sol & Luna:* &c. *Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit anteà & posteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël.* Quem locum sic exponit Isidorus Clarius Episcopus Fulginatensis. [Gabaon fuit in tribu Benjamin, & Aialon in tribu Dan: fuitque circa meridiem cùm Iosue juberet stare Solem, sicut textus indicat. Stetit autem Sol in loco illo immobilis tanto temporis intervallo, quantò aliàs cursu suo diem creasset, hoc est, viginti quatuor horarum, si capitur pro die naturali sicut Hebræi exponunt.]

Stat Sol: stat Luna.

Quanto tempore?

Relego textum, & rem totam considerans, & considerationem etiam hanc cum hypothesibus antiquis & modernis (Aristarchi, Ptolemæi, Tychonis, & aliorum) componens, infero (quidquid de annua sit, qui tamen sine diurna admitti non potest) istis sacræ Paginæ verbis telluris conversionem quotidianam negari: quod sic demonstro. Intentum Iosue fuit, ut dies esset longior, & Sol non occumberet, quousque ipse plenam victoriam adipisceretur: sed si Solis motus annuus sisteretur, dies fuisset brevior. [Quadriennio enim, hoc est diebus 1461. convertitur Sol motu rapto, quem vocant, 1461. vicibus: licet sydera fixa eodem tempore compleant 1465. revolutiones: quas etiam Sol conficeret, si alicui puncto fixus motu annuo careret. Ergo, si aliquibus horis sisteretur Sol in suo orbe velociùs raperetur motu rapto: ergo citiùs ad occasum descenderet.] Ergo motus, quo Solem exuit Iosue, non fuit annuus, sed diurnus. Ergo testimonia, quæ terram non moveri convincunt, directè motum diurnum oppugnant: & indirectè annuum, qui negato diurno probabiliter admitti non potest. Ergo non solùm Aristarchi & Copernici, sed etiam Origani & Longomontani systema sacræ Scripturæ contradicit & meritò ab Ecclesia damnatur. Ergo si quidem de Ptolemaico actum jam est, manet Tychonicum.

Ectheſis Physica & Astronomica.

An annuus, an verò diurnus motus cessaverit?

Hypotheſes quæ terram convolvunt damnatæ.

Eruditio postulat, ut citatus sacræ Paginæ textus benè intelligatur: & quia ibi dicitur DEVS *voci hominis obedisse*, hoc inde pro motu terræ argumentum efformas; sic ais.

An Deus verè & rigorosè obediat homini?

Contextus iste debet eodem sensu explicari: ergo vel totus intelligi debet metaphoricè, vel totus rigorosè & propriè. Si Sol stetit in sensu rigoroso & proprio, etiam DEVS obedivit in sensu rigoroso & proprio: & quia obedientia dicit subordinationem & inæqualitatem, DEVS rigorosè & propriè loquendo fuit minor homine, & hominis imperio subditus: quod sine blasphemia sacrilega dici non potest. Si dicatur obedientia DEI erga hominem fuisse apparens metaphoricáque: etiam quies Solis & Lunæ apparens & metaphorica esse dicetur. At, si Sol & Luna apparenter & metaphoricè quieverunt: terra fuit quæ quievit verè & realiter. Ergo motus diurnus non est in Cælo, sed in terra.

Quo sensu sit intelligenda Sacra Pagina?

Præterea, cognoscunt in DEO Theologi voluntatem signi, quam sic explicant. [dicimus, aiunt, in DEO esse furorem, iram, pœnitentiam, dolorem, nam quod ejusmodi pas-

An detur voluntas signi in Deo?

siones & perturbationes sint in eo : sed quod videamus effectus, qui in nobis ab ejusmodi passionibus & affectibus veniunt.] Ergo non obstante reverentiâ Deo debitâ, poterimus dicere eum obedientiâ signi obedientem fuisse homini : quia tametsi DEVS homini obedire non posset, effectum dedit, quem dedisset si homini obediisset de facto. Ergo consequenter poterimus dicere, quietem Solis & Lunæ fuisse quietem signi, quia licet Sol non quieverit, sed terra, effectus omninò fuit idem : dici enim longitudo æquè quiete Solis in sphæra Tychonis, ac quiete Terræ in sphæra Copernici (aut etiam Origani, & Longomontani) salvatur.

An obedierit homini Deus, non quidem obedientia vera, sed obedientia signi?

Solutio duplex.

Vt huic satisfaciam objectioni duæ mihi solutiones succurrunt : altera, quæ jubet recognosci Hebræum textum : altera, quæ manet in Latino.

Valde est utilis linguæ sanctæ cognitio.

Priorem Do. Sunt apud Hebræos multæ conjugationes (seu voces potiùs) quæ alterant sensum, & non possunt exprimi nec Latinè nec Græcè : inter ipsas sunt duæ *Pahal* & *Hiphil*. Illa significat facere, hæc autem determinare aliquem ut faciat. Hujus character est *He* primæ radicali præfixus : qui solet esse expressè, & interdum implicitè, manente significationis potestate. Sic enim dicimus פקד Pahad, *visitavit* : & הפקיד Hiphkid, *determinavit aliquem ad visitandum*.

De sacrificio Abrahæ.

Genes. 22.

Hinc aliquibus testimoniis lux. Ponam unum, ut cætera intelligere possis. Iubetur Abraham sacrificare suum filium : obediit : conduxit puellum ad montem : *in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit. Cúmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare, super struem lignorum : extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce Angelus Dñi de cælo clamavit dicẽs: Abraham Abraham. Qui respondit. Adsum. Dixítque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quòd timeas* DEVM : *& non pepercisti unigenito tuo propter me.* Legunt istud propter me Expositores, & DEVM fuisse, qui per Angelum loquebatur, affirmant. Igitur, si loquebatur DEVS, quare dicit, *nunc cognovi*, ac si priùs non cognovisset ? An non est infinitè sapiens DEVS ? Respondet Marcus Marinus Brixianus, illam vocem, ידעתי *idahthi*, licèt habeat formam *Pahal*, habere significationem vocis *Hiphil*, & posse verti *Feci cognoscere* : ut tota oratio sit, *Nunc manifestavi & feci, quod universi sciant, quod times Dominum.*

An loquevetur Deus, an Angelus?

Vna interdũ vox habet significationẽ alius.

Redeo ad lineam.

Hinc doctior & eruditior venio ad Iosuam, & aio, obedientiam illam, de qua in sacro textu fit mentio, exprimi per formam *Pahal*, sed habere significationem vocis *Hiphil* : & sic textum interpretor, *Non fuit antea & postea tam longa dies : obediente* (hoc est *faciente* DEO, *ut Sol obediret*) *voci hominis : & pugnante* (hoc est, *faciente, quod elementa cælúmque*) *pugnarent pro Israël.*

Expositio altera.

Posteriorem interpretationem subjungo. Aio multa humana, quæ formaliter sumpta imperfectionem manifestam involvunt, adtribui ab hominibus DEO virtualiter : aiunt enim D. Thomas, Scotus, & ferè omnes Theologi attributa & relationes formaliter aut virtualiter ab essentia distingui : quia licèt verè & realiter non distinguantur, ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Voluntatem etiam Divinam per actum liberum mutari virtualiter : nonnulli dicunt, quia licèt realiter non mutetur, ita tamen se habet, ac si realiter mutaretur, &c. Ergo poterit dici DEVS homini obedire virtualiter : quia licèt verè & propriè loquendo non sit inferior, nec homini subjici possit ex infinita humanitate & dignatione ita se habere vult, ac si deberet obedire.

An essentia & attributa distinguantur virtualiter?

An Deus mutetur virtualiter?

An obediat virtualiter?

Dices. Ergo & poterimus dicere, Solem & Lunam stetisse virtualiter : hoc est, non stetisse verè & realiter, sed propter miraculosam terræ quietem ita se habuisse, ac si realiter stetissent.

De quiete luminarium virtuali.

Nego consequentiam, & regulam valdè necessariam subjungo. Sic inquam : *In expositione sacræ Paginæ insistendum est sensui litterali, quamdiu iste non dicat implicantiam, quæ nos cogat ad metaphoras, aut ad moralitates recurrere.* Cùm igitur sit evidenter certum, quod subordinatio vera repugnet DEO, & etiam evidenter sit certum, quòd motus non repugnet Soli : opus est, ut cùm DEVS dicitur obedire Creaturæ, ad moralitates & virtualitates recurramus : & cùm Sol dicitur moveri, litteram in sensu reali & proprio intelligamus.

Regula generalis, quæ in expositione sacræ Paginæ servari debet.

Resolutio.

HAc ergo doctrinâ de sensu virtuali præmissa, & accuratis rationibus & exemplis dilucidatâ, facilè erit ad Quæstionem principalem redire, & mentem propriam paucis Assertionibus dilucidare. Sit igitur

Resolutiones.

CONCLVSIO I. *Deus potest delegare authoritatem præcipiendi ea omnia quæ ipse potest præcipere.* 1144

CONCLVSIO II. *Potest delegare authoritatem dispensandi, immutandi, alterandi, innovandi illos omnes Decalogi articulos, quos ipse potest innovare, alterare, immutare, & dispensare.* 1145

CONCLVSIO III. *Potest concedere subdelegabilem authoritatem.* Patet, quia potest illam delegare non solùm Petro, verbi gratiâ, sed etiam ab ipso nominandis ; hi autem haberent authoritatem à Deo immediatè hypoteticè, hoc est, ex suppositione, quod nominarentur ab Petro. 1146

Quæstio concernens factum.

DEum posse delegare authoritatem augendi aut diminuendi Decalogi articulos statui ; an delegaverit de facto dubitas. *Sentio nunquam delegavisse.* Et probo

Nemo probavit clarè se esse Dei Delegatum.

Primò, quia non datur aliqua delegatio authentica : vel qui contrarium sciat, ostendat. Hæc ratio fortissima est, & verè convincit, non secus ac si daretur humanitùs Prorex Regis delegatus, deberet habere commissionem authenticam ab ipso Rege ; nec tueri suam authoritatem posset, quin commissionem exhiberet ; detur igitur unus, cui commiserit Deus conscientiarum regimen, & delegaverit authoritatem condendi novum jus naturale-morale, aut abrogandi aliqua præcepta Decalogi. Quousque ipsi contrarium 1147

ostendant,

ostendant, debemus stare pro negativa parte. Hinc patet justissimè damnatos fuisse Hispali novos illos Hæreticos, qui dispensationes in Decalogi præceptis nundinabantur. Erant enim homines perditissimæ vitæ, qui meris suum delirium confirmabant mendaciis, & blasphemiis: qui tamen, si à Deo essent, sua deberent firmare dogmata vitæ innocentia & etiam manifestis miraculis.

1148 *Melius est, quod Deus nulli authoritatem hanc delegaverit.*

Secundò, quia Catholicæ Religionis authoritati videtur expedire, quod nemo habeat jus dispensandi in Decalogo: ratio est, quia si ex dispensatione contra legem naturalem operaremur, scandalizaremus Achristianos, qui censent jus naturæ esse indispensabile: nec haberemus unam rationem quâ possemus adoriri contrarios.

Præterea Idololatras, Mauros, Ethnicos, imò aliquando Hæreticos carpimus, quod aliqua statuant & doceant contra jus naturale: quos deberemus tractare benigniùs, si possent dicere se habere legitimam dispensationem illarum legum moralium-naturalium, quas non observant.

OBIECTIO.

Vt Quæstio principalis dilucidetur, examinatur illa, quæ inquirit, An, & quomodo omnia communia sint Iure naturæ?

1149 *Hodie non servatur bonorum communio.*

VVlgaris ratio est, quæ sumitur de communi rerum dominio, quam contra resolutionem meam expendis sic. Iure naturæ omnia erant communia, & nihilominùs omnia humanitùs ita divisa sunt, ut ex tribus elementis quæ inhabitamus vix sit pars quæ communis remanserit: constat ex cap. *Ius naturale dist.* 1. ex cap. *Quo jure dist.* 8. Ergo humana lege aut consuetudine rerum communitas sublata est. Humana ergo authoritas potest limitare jus naturæ, ejus præcepta aut interdicendo aut limitando.

Prima Satisfactio.

1150 *An iniquitas rerum divisionem invexerit? An etiamnum conservet?*

MVlti respondent asserendo dominii divisionem iniquè fuisse institutam & contra æquitatem perennare: & probant ex cap. *Dilectissimis.* 12. *quæst.* 1. ubi expressè asseritur rerum divisio per iniquitatem introducta. Confirmant ex Rebuspublicis excellentissimis, quæ ut mores dissonos corrigerent, communionem bonorum instituerunt.

Monachi agunt vitam communem.

Primò, omnes Religiosi Monachales & plerique Mendicantes, habent rerum dominium in communi ex vi professionis, in qua morum suorum conversionem (ut constat ex Monasticæ professionis formula) promittunt: ergo si habere bona in communi est morum conversio, erit perversio eorumdem morum habere dominium peculiare.

An habeant rerum dominium Franciscani?

Secundò, aliquæ Seraphicæ Congregationes videntes mille pericula imperfectionum gravida subesse dominio in communi, quatenus una communitas excludit alteram à bonorum suorum proprietate, quæ non poterant ad stateram reducere, absolutè contempserunt, malentes omninò pauperes carere rebus omnibus, quàm iniquam proprietatem habere.

Tertiò, conglomerant rationes omnes quæ approbare videntur dominium rerum in communi, reprobare in particulari.

1151 *Non omnia sunt communia Iure naturæ.*

Verùm hæc responsio nec objectioni, nec viro docto satisfaciet; quia, ut ostendi superiùs, aliquarum rerum divisio est de jure naturæ, aliarum præter naturæ jus, nullarum contra. Illud testimonium desumptum ex capite *Dilectissimis.* veritissimam doctrinam continet, quia sæpè rerum divisio nascitur ex iniquitate: verbi gratiâ, sunto tres Respublicæ supremæ, & habeant bona communia, putà pascua aut sylvas: una pactum prævaricatur, & omnia bona sibi appropriat, ipsi ab aliis duabus bellum indicitur, tandem vincitur & subjugatur, & bona ipsius, utpotè victoriæ fructus, inter victores dividuntur, victis spoliatis. Ecce unius Reipublicæ iniquitas in causa, ut communia bona justè dividerentur. Ad confirmationem dico non posse dari fœlicem & perennem Rempublicam, si communia sint omnia. Ad illud quod *primò* loco dicitur de Religiosis, respondeo eos habere proprietatem rerum in communi & multarum rerum in singulari; quia unius Monasterii Religiosi bifariam possunt considerari, vel ut multi homines physici, aut ut unus homo mysticus & moralis. Vt unum corpus mysticum sunt, habent dominium rerum proprium, quia bona Monasterii N. Sancti Dominici non pertinent ad Religiosos Carthusianos: ecce claram bonorum divisionem. Vt multi homines physici sunt, habent singuli multarum rerum dominium physicum, & etiam aliquarum morale. Petrus est dominus suarum actionum vitalium, ita ut visio ipsius non sit Pauli, sicut nec verba ipsius sunt Pauli. Vide ea quæ dixi *in Commentarii mei in Regul. Bened. disp.* 59. *à num.* 830. proderunt quæ expendi superiùs libro primo per totum. Cæterùm illam qualemcumque bonorum communionem non instituerunt, ut fugerent divisionis iniquitatem, quia si in divisione esset iniquitas, deberent habere bona non sibi solis communia, sed communia universis, ut exponebat Iulianus Apostata, qui jussit ne convenirentur in judicio, qui Christianum aliquem spoliassent, quia, ut dicebat, Christiana Religio condemnat bonorum divisionem, quæ deesse non potest si Christianorum bona solùm sint communia Christianis, quia si & ipsa Ethnicorum non essent, essent divisa & peculiaria. Vide Nazianzenum *Orat.* 1. *contra Iulian.* & Martyrologium Romanum, quod meminit Iulittæ Martyris Cæsarienfis in Cappadocia, quam Basilius elogio pulcherrimo honoravit. Hæc igitur à potente depauperata latronem accusavit; & judicis decreto expositum Christianos in causa possessionum non debere audiri, cùm assererent communia esse universa. Iuliani enim & alterius Iudicis Cæsarienfis sententiæ ideò iniquæ, quia calumniabantur divisionem bonorum à Religione Christiana reprobari; si enim hoc verum, justæ essent, quoniam non possunt communia & indivisa bona dici, quæ alicui homini non sunt communia; bona enim saltem respectu illius dividuntur. Illud quod *secundo* loco de Seraphicis dicitur,

Religiosi dupliciter considerari.

Duæ Religiones, aut etiam Monasteria interdum, non habentia bona communia.

Calumnia antiqua contra Christianos de communione bonorum.

An potuerint exspoliari Christiani? An agere contra latrones?

An bona, quibus PP. Franciscani utuntur, pertineat ad summum Pontificem?

qui carent bonis in communi, non favet; dicuntur enim sua bona Summo Pontifici dedisse, & donatio non teneret, si deficeret legitima rerum proprietas. Præterea & ipsi in singulari habent multarum rerum dominium physicum, imò morale ut alii Religiosi, juxta ea quæ dico Disputatione illa LIX. jam citata: & fortè etiam habent aliquale dominium in communi; aut saltem certum est illorum bona minus communia esse, quàm bona aliorum Religiosorum, quia hæc aliquando sunt communia multis centenis viris, ut patet in Monasterio Alcobacensi (Cistertiense est in Lusitania) quod legitur habuisse 999. Religiosos, bona autem illorum Patrum pertinent ad Summum Pontificem, qui dicitur habere proprietatem bonorum quæ ad tales Religiosos spectarent.

Secunda Satisfactio.

1152 *An ante Adami lapsum fuerit bonorũ communio præcepta.*

SVnt, qui dicant divisionem bonorum ingressam per peccatum, non autem eam peccaminosam esse, & idcirco caput illud *Dilectissimis*, explicant asserendo homini ante peccatum fuisse præceptam bonorum communionem, & hoc præceptum abrogatum fuisse post Adami lapsum: ac propterea addunt bonorum divisionem fuisse contra naturæ jus, si primus homo non peccavisset, non jam tale esse post peccatum, & præcepti illius abrogationem. Ita Scotus *in 4. dist. 15. quæstione 2. artic. 1.* Gabriel *ibidem, quæst. 2.* & alii.

1153 *An bonorum & rerum cõmunio sit cõtra naturã?*

Cæterùm hoc præceptum naturale non placet quia contra naturam esset, demonstro enim rerum divisionem esse ex magna parte naturalem: & argumentor sic. Teste Scoto nihil à naturæ jure præcipitur, quod militet contra rerum naturam; atqui omnimoda rerũ cõmunitas militat cõtra rerum naturam: ergo non est admittendum naturale præceptum, quod indicat rerum omnimodam communitatem. Aut dicant mihi Scotici; essẽntne in statu innocentiæ communes uxores & filii? communia alimenta & res quæ consumuntur uno actu, præcipuè cùm consumerentur? essẽntne communes arbores industriâ privatâ satæ, & metalla artificiosè genita? qui asserat causam efficientem intellectualem non esse dominam effectuum, quos liberè producit, cogetur dicere Deum non esse mundi dominum, aut det aliquam rationem veræ similem dominio divino comprobando. Vide Disput. 3. ubi ago de physico dominio Dei, & ostendo esse rerum dominum, non quà Sapientem, sed quà Creatorem.

?

Ratio formalis dominii in quo sit sita?

1154 *An si Adamus non peccasset ejus filii fuissent nobis meliores, aut pejores quoad mores?*

Præterea; esto homines non habeant dominium privatum naturale & physicum, quo physicè privari non possint, esto omne dominium sit morale. An non gratis asseritur illud præceptum impositum naturæ humanæ nondum lapsæ? Quia, vel homines fuissent sanctiores quàm nunc sunt, si Adamus non peccasset, aut deteriores; si deteriores cessant omnes Scoti conjecturæ, qui ideò putat illud præceptum esse necessarium, quia in summa amicitia & pace essent victuri, & hæc communis tranquillitas indigebat communitate rerum omnium: atqui si homines illi essent nostris pejores, essent minùs tranquilli & pacifici; ergo illud præceptum potiùs ipsis noceret quàm nobis. Si dicatur illos futuros fuisse nostris hominibus meliores & sanctiores, etiam conjectura Scoti vana est, quia meliores & sanctiores paucioribus præceptis indigent, quàm scelerati: ergo præcepta naturæ non debuerunt in illo statu sanctiori & perfectiori multiplicari. Præterea, quidquid hîc dicatur ab Scoticis probabile non est, sed conjecturale; ac propterea ab schola expungendum, quæ solùm certa aut saltem probabilia admittit.

Tertia Satisfactio.

1155 *An omnia communia fuerint jure naturæ? an positivè, an negativè?*

ALii rem altiùs considerantes, dicunt hanc propositionem, *Omnia sunt communia jure naturæ*, dupliciter posse intelligi; videlicet, positivè & negativè. Id dicitur esse de Iure naturæ negativè, quod naturæ jure nec præcipitur nec interdicitur; sicut illud dicendum est esse de jure naturæ positivè, quod jus naturæ præcipit; illud contra jus naturæ positivè, quod jus naturæ interdicit. Addunt rerum divisionem esse de jure naturæ, non tamen positivè sed negativè, hoc est, nec esse indictam, nec prohibitam à jure naturæ. Ita Conradus *de contract. quæst. 10.* Covarruvias *in Regula, Peccatum. 2. part. §. 11. num. 3.* Navarrus *in caput, Ita quorumdam. de Judæis. notab. 11. Gloss. penult.* Suarius *lib. 2. de leg. cap. 19. num. 14.* quibus favere videtur Divus Thomas *2. 2. quæst. 66. art. 2. ad 1.* & *q. 94. art. 5. ad 3.*

1156 *Nota hanc instantiam.*

Verè hæc rerum communio negativa meritò Fortunio Garcia *in leg. Manumissiones. num. 8.* non placuit; imò illam impugno.

Primò, quia eodem sensu posset dici bonorum divisio esse de jure naturæ negativè, quia ex eorum sententia natura nec rerum communionem, nec divisionem interdixit: unde sicut bonorum communio dicitur de jure naturæ negativè quòd non sit interdicta jure naturæ positivè; sic etiam divisio dici posset de jure naturæ negativè, quia non est jure naturæ positivè interdicta. Cæterùm si hoc modo authoritates positæ intelligantur, nihil ab eis docemur.

1157 *An libertas sit de jure naturæ? An captivitas contra jus naturæ?*

Secundò. Simili modo dicere possemus libertatem hominum esse de jure naturæ negativè, hoc est, nec interdictam nec indictam: unde non minùs operaretur præter naturam, qui captivum dimitteret, quàm qui caperet liberum & opprimeret imperii tyrannide: Vel si hoc dici non debet, non sunt omnia communia jure naturæ negativè: quia etiam homines possunt ab aliis possideri, imò & occidi, si causæ dentur judicio prudentum sufficientes.

1158 *Ius naturale duplex: aliud enim dominii est, & aliud jurisdictionis.*

Suarius, ut his instantiis satisfaciat, distinguit jus naturale præceptivum à dominativo: quam distinctionem supra admisi & expendi. Ius naturale dominativum est jus naturale physicum, quale habet causa libera in suos effectus: jus naturale præceptivum est jus naturale morale, nempe Decalogus à Deo liberè latus cum intentione obligandi moraliter.

ter. Hanc distinctionem coactus argumentis Fortunii admisit Suarius *lib. 2. de legib. cap. 14. num. 16.* quam si à principio libri invenisset, in ferè omnibus aliis quæstionibus aliter esset philosophatus, quia ferè omnibus Suarii argumentis hac una juris naturalis distinctione satisfacio.

Quo sensu sunt omnia communia jure naturæ; & quo non?

Hac igitur juris naturalis distinctione suppositâ, inquit Suarius, si agamus de jure naturali physico, seu de jure dominii dicendum est libertatem fuisse unicuique datam à natura non solùm negativè sed positivè; quia jure dominii unusquisque ex se potiùs est liber quàm mancipium, captivitas enim non accidit homini per se, sed per accidens. Sic similiter rerum dominium hominibus datum fuit positivè, quia generi humano potiùs competit rebus dominari quàm non dominari. Verùm si agamus de jure naturæ morali seu præceptivo debere asseri commune dominium, libertatem & idgenus alia pertinere ad jus naturæ negativè, hoc est jure naturæ non indicta nec interdicta esse.

Vera responsio.

1159 *Hanc solutionem omnia, quæ toto libro primo diximus, luculenter confirmant.*

DAri aliqua jure naturæ physico divisa & peculiaria, quæ communia sunt; nempe vitales omnes operationes, & substantiæ effectrice operatione genitæ, quales sunt animantes, plantæ, elementa, quæ ad causas suas pertinere constat ex his quæ dixi *num.* 121. sunt quæ jure concessionis Divinæ pertinuerunt ad communitatem positivè, videlicet volucres cœli, terræ bestiæ, maris pisces, quibus homines divinitùs donati sunt; (ni fortè malis dicere non ea hominibus sed Adamo & quibus ille vellet concessa) sunt quæ ad hominum communitatem pertinuerint negativè, nempe illa quæ nec divinitùs data neque negata. Et ideò hanc propositionem, *Omnia jure naturæ sunt aut fuerunt communia*, semper nego; quia in nullo sensu negativo, positivo, concessivo, indictivo, aut interdictivo potest de omnibus rebus & hominibus verificari. Nihil addam, quoniam huic objectioni respondet totus Liber primus.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm Deus possit dispensare in præceptis Decalogi?

1160 *Exponitur quæstio.*

QVÆSTIO non tangit potentiam ordinariam Dei, sed absolutam; & inquirit, *Vtrùm Deus possit Decalogi præcepta invertere, alterando, mutando, dispensando; nempe interdicendo quod modo indicitur, & quod inhibetur, præcipiendo?* Et quidem proderit ante solutionem legere, quæ superiùs diximus: quia, cùm tota æternitas sit unum *nunc*, non potest de Deo dici, *quòd postquam fecerit hoc, faciet illud:* aut, *quòd postquam fecerat hoc, fecit illud*; adeóque non poterit dici, *quòd possit in lege, postquam illam tulerit, dispensare.* Sanè hoc sensu non debet proponi ista quæstio: sed hypotheticè, vel absolutè: hypotheticè quidem, si clarioris doctrinæ gratiâ supponeremus, in Deo per impossibile dari posse actuum successionem (& hanc, licèt in sensu reali nemo admittat, in formali & qui mentem nostram concernit, multi Viri docti concedunt) vel saltem totam successionem poneremus ex parte creaturarum; & hoc esset quæstionem resolvere absolutè. Ergo, ne nos tam subtilibus quæstionibus aliàs difficilem controversiam implicare dicamur, ab illis meritò abstrahemus, & petemus tantummodò, *An eo sensu, quo dicitur Deus jussisse Abrahamo, ut sacrificaret filium, & postea in hoc ipso præcepto dispensasse: eodem etiam affirmare possimus, Deum, post quam Decalogum tulit, & decem ejus præcepta observari ab hominibus voluit, posse in omnibus, aut saltem in aliquibus (& in quibus) cum eisdem hominibus dispensare?* quod est quærere: *An non verè dicamus dari cursum naturalem rerum, juxta quem gubernat causas reales realiter: & tamen hoc cursu non obstante dari miracula & impossibilia: & illa esse, quæ facit Deus in cursu naturæ dispensando: & ista, quæ naturâ suâ ita repugnant, ut nullo modo possint fieri, nec propter illa possit ordo naturalis mutari?* Et, si verè id dicamus, *An non analogicè dicere possimus, aut debeamus dari etiam cursum communem præceptorum moralium, juxta quem Deus gubernat omnes causas intellectuales, illas legibus diversis dirigendo? An non debeamus addere, hoc communi legum & præceptorum cursu non obstante, dari dispensationes alias impossibiles, alias miraculosas: has esse, quas Deus præter communem cursum mores gubernandi concedit: illas, quas nullo modo potest concedere?* Et si hoc semel dicatur, inquiremus, *An ad miraculosas, an verò ad impossibiles pertinere dicenda sit dispensatio in præceptis Decalogi?* Volui Quæstionem hanc calamo uberiore proponere, ne Lector meus aliqua æquivocatione laboraret: nunc ergo recognoscamus aliorum Theologorum placita, & posteà nostram sententiam exponamus.

In Deo successio actuum non datur.

Sensus duplex, hypotheticus & absolutus.

Prioritas formalis.

Prioritas extrinseca.

Potentia in Deo duplex: ordinaria & absoluta.

An utraque reperiatur in ordine rerum & legum moralium?

INter sententias, quas discussurus sum, nolo Novatorum nostri temporis errores recensere, illi enim suo se pondere insinuant, & ego veritatem, non verò falsitatem inquiro: at non omninò illos præteribo; nam, tametsi hæc consequentia,

Hoc dicunt communiter Hæretici.
Ergo est verum.

non sit bona: hæc non est omninò contemnenda,

Hæc Quæstio non est ab Ecclesia decisa.
In illa asserentem partem tenent communiter Hæretici.
Ergo pars asserens non est evidenter falsa; nec involvit contradictionem evidentem.

An, & quando liceat authoritate Theologorum infidelium argumentari?

Ergo circa hanc Quæstionem, *An in Decalogo possit Deus dispensare?* quid sentiant Martinus Luthetus & Ioannes Calvinus dicamus.

D. Pauli sententia.

Apostolus *ad Galat. 2. vers. 19.* inquit. *Ego per legem legi mortuus sum.* Et his verbis, se per legem Christi à cæremoniali lege liberatum esse demonstrat, ut Patres communiter

Lutherus in 2. ad Gal. v. 19. asserit.

interpretantur ; at Lutherus, quem sui discipuli sequuntur, abutitur hoc testimonio, & illud de Decalogo intelligit, & statuit, *suo Christum sanguine ab obligatione servandi Decalogum liberasse*, hoc est, *ob Christi merita Deum in toto Decalogo cum fidelibus dispensasse.* Verba Lutheri *loc. cit.* hæc sunt. *Legi mori, nihil aliud est, quàm ad legem non esse obligatum, ab eáque liberum esse ; sive cæremonialis sit, sive moralis : certum enim est, Decalogum solis Judæis esse datum, & non nobis.* Sensit ergo Hæresiarcha Primò, Decalogum non obligare homines ex natura rei : si enim obstringeret ex natura rei, quomodo possit in illo Deus dispensare ? Secundò, non esse à Deo necessariò latum : si enim necessariò illum Deus ferret, etiam necessariò manuteneret & conservaret. Et quidem bene hucusque. Sensit tertiò, solis Iudæis & non etiam Christianis (imò, nec Ethnicis) impositum & hoc hæreticè, sine ullo fundamento. Porrò cum omni Christiano Deum in toto dispensasse Decalogo asserit ipsemet Lutherus *libro de libertate Christiana.* in quo inter alia, *Christiano*, inquit, *neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.* Et, quia Ochamus, ut statim videbimus, posse Deum in præcepto Amoris contrariè dispensare docuerat ; videlicet, ut se odio amemus præcipiendo, ex potentia ad actum Lutherus resolutionem promovet, & *tom. 1. Vitembergensis Editionis pag. 189. & 190.* delirat dicens, *Oportet cor humanum legem Dei, atque adeò Deum ipsum supra modum odisse.* Consonat Luthero Calvinus, nam *lib. 3. Instit. cap. 19.* Christianum à Decalogi observantia & obligatione esse solutum Dialecticâ perniciosâ contendit, & *sect. 2.* sic ait. *Christiana libertas, ut ego quidem statio, in tribus partibus sita est. Prima, ut Fidelium conscientiæ, dum fiducia suæ erga Deum justificationis quærenda est, sese supra legem erigant atque efferant, totámque legis justitiam oblivisceantur.* Et paulò pòst. *Ac sic quidem, ut nulla prorsus operum ratio habeatur.* Et inferiùs. *Vbi conscientiæ solicitantur, quomodo Deum habeant propitium, quid respondeant, quâ fiduciâ constaturæ, si ad ejus judicium postulentur ? ibi non subducendum est, quid lex requirat, sed unus Christus pro justitia proponendus, qui omnem legis perfectionem superat.* Quæ verba ita sunt clara, ut interpretatione non indigeant ; interim, ne ab aliquo in sensum, quem non intendit Calvinus, obtorqueantur, hoc scholium & expositionem ex Davide Mauden, Authore docto & Catholico exscribo. *Etiam si quis peccaverit contra legem Decalogi, Deus non puniet, neque condemnabit : nam istorum in extremo judicio non habebit rationem ex eo quòd liberaverit nos à lege.* Ita mentem Calvini exponit Mauden, Concionator doctissimus & Catholicissimus, *discursu primo Decalogi præceptis prævio. pag. 2. a. juxta Editionem Lovaniensem anni 1627.* quam interpretationem esse legitimam demonstrat idem Author Calvini verba *ex Antidoto Concilii Tridentini, sess. 6. can. 20.* producendo : ait enim Hæresiarcha. *Sciendum est, à mandatorum observatione nequaquam pendere salutis fiduciam.*

Decalogum liberè tulisse Deum, & posse in illo dispensare.

Cum omnibus Christianis de facto dispensasse delirat.

An possit jubere Deus, ut se odio habeamus ? An hoc de facto præceperit ?

Calvinus Luthero assentitur.

An bona opera sint necessaria ?

Lutheri & Calvini errorem condemnant sacra litera:

At hæc Lutheri & Calvini doctrina, tam clarè sacræ Scripturæ & Patribus contraria est, ut ipsimet hæretici illam hodie reprobent & execrentur : nam, ut optimè notat Mauden, in suis illi Catechismis tradunt populo Decalogi præcepta observanda per eadem omninò verba, quibus illa *Exod. 20.* describuntur : & in suis Ecclesiis, quia imagines aut nullas, aut paucas tolerant, in muro magnis illa characteribus, ut ab omnibus legantur, sculpunt. Porrò sacra Scriptura Lutherum Calvinúmque evidenter condemnat. *Deuter. 6.* legitur. *Hæc sunt præcepta & cæremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Quæ verba Apostolus *ad Roman. 7.* hoc scholio dilucidat. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* & S. Thomas *1. 2. quæst. 99. art. 1.* putat mandatum legis vocari à Paulo *sanctum* propter præcepta cæremonialia, *justum* propter judicialia, *bonum* propter moralia : quæ expositio Theologis doctissimis perplacet. Vide Davidem Mauden jam citatum. Hanc ob rem Christus ait, *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Vnde Apostolus *ad Roman. 3.* doctissimè dialecticatur : inquit enim *Legem ergo destruimus per fidem ? Absit. Sed legem statuimus.* Hanc veritatem, quam à Christi Evangelistis & Apostolis Patres didicerant, nobis diserte tradiderunt. Augustinus *lib. 10. contra Faust. cap. 2.* scitissimè : Iudæo enim objicienti, *Cur tenes vetus Testamentum, cujus præcepta non servas ?* respondet, *servari à Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ, id est, moralia : præcepta verò vitæ significandæ, id est, cæremonialia, tunc rectè observata, cùm prænunciabantur ista, quæ nunc revelata sunt.* Quod ipsum *Sermone de decimi mensis jejunio* statuit sanctus Pontifex Leo his fortissimis verbis. *Evangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum authoritatis* (legunt alii *utilitatis*) *præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferantur, & ex ipsa Ecclesiastica devotione demonstratur, quòd Dominus* IESVS-CHRISTVS (N. B.) *non venit legem solvere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Salvatoris nostri nunciabatur adventus ; & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua condita sunt, perseverant* (N. B.) *&, quæ utrique Testamento congrua erant, nulla sunt commutatione variata.* Quid clarius ?

Damnant eorumdem discipuli:

Cur lex Domini sancta? cur justa? & cur bona dicatur?

Calvinum, Lutherúmq; condemnat clarissimè Augustinus:

& S. Leo.

Conclusio.

Manet igitur esse ita certum, ut in dubium revocari non possit, *Deum de facto non eximisse Christianos ab obligatione totius Decalogi.* [Consultò illud *Christianos* posui : nam Iudæos Decalogi præceptis etiamnum obstringi, Martinus Lutherus asseruit ; & ad Ethnicos omnes hoc onus transtulit Ioannes Calvinus. Consultò illud *totius* addidi : quia expresè Augustinus affirmat, Deum per Divum Paulum dispensasse, ut multa, quæ inter conjugatos Achristianos sunt peccata mortalia, inter conjugatos Christianos sint venialia solummodò, *propter nuptias Christianas*, hac enim phrasi utitur sanctus Pater, ut Hyperaspistes Logicus, qui contra Borgiam est, uberiùs demonstrabit.] Posito igitur Christianos ac Ethnicos & Iudæos teneri hodie Decalogo, supereſt ut quæramus, *An in illo dispensare possit*

An Deus saltem in aliquibus Decalogi articulis cum Christianis dispensaverit?

possit Deus? &, si possit, An aliquando de facto cum aliquibus dispensaverit?

Prima sententia.

Okami Antistitis Nominalium opinio.

OKamus *in 2. quæst. 19. ad 3. dub.* cui subscribit Petrus de Aliaco *in 1. dist. 14.* & Andræas de Castro Novo *in 1. dist. 48. quæst. 1. art. 1.* affirmant PRIMO posse Deum abrogare omnia Decalogi præcepta; quod, si faceret, possent licitè homines omnia facere, quæ nunc mala censentur, & sunt. Tunc nullus mereretur, neque demereretur; quia nullus impleret aut temeraret legem præceptivam. Addunt SECUNDO, posse Deum præcipere homicidia, furta, mendacia, & alia, quæ hodie inhibet; imò & hæc de facto aliquando præcepisse colligunt ex Doctoris Melliflui libello *de præcepto & dispensat.* cujus verba *disp. 7.* citabo: subjiciunt posse etiam præcipere odium Dei; quod licèt durum videri debeat, nihilominus vidi Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemia, Possonii in Hungaria in disputatione publica doctissimè à Patribus Franciscanis defendi. TERTIO putant Deum posse interdicere contritionem, voti satisfactiones, festa, pietatem, castitatem, veritatem, fidelitatem, & alias virtutes quascumque, quæ respiciunt Deum, aut proximum in singulari. Has tres assertiones insinuat Gerson *Alphabet. 61. 3. Moral. cap. 15.* licèt censeat contrarias esse probabiliores.

Suadetur. Hujus Opinionis fundamentum est illud commune Protheorema, *Omnia, quæ sunt moraliter mala, si agamus de malitia Theologica, sunt moraliter mala, quia prohibita; non verò prohibita, quia mala.*

Secunda Sententia.

1162 *Ponitur & exponitur.* SCotus *in 3. dist. 37. quæst. unic.* cui subscribit Gabriel *quæst. 1. art. 2.* & Almainus *ibidem.* distinguit Decalogum in duas Tabulas, quarum prima indicit amorem Dei, secunda proximi. Positâ hac distinctione, affirmat *primò* duo prima præcepta quatenus negativa sunt, esse indispensabilia, nec posse Deum concedere ut aliquis licitè sit idololatra, aut perjurus. *Secundò*, in tertio illo præcepto primæ Tabulæ reperit cultum divinum, & diem cultui destinatum. Cultum divinum necessarium affirmat, & talis conditionis, vt non possit reddi malus aliqua interdictione; addit temporis determinationem non pertinere ad jus naturæ existimat, sed ad legem, idcirco hanc circumstantiam fuisse abrogatam cùm reliqua cæremonialia. *Tertiò*, totam secundam Tabulam nihil continere, quod necessarium sit & aliter disponi non possit. Sic Scotum interpretantur Viri docti: sed ipse videtur adhuc generosiùs de Dei libertate sensisse, juxta ea, quæ dicemus inferiùs.

Tertia Sententia

1163 DIstinguit affirmativa à negativis, & hac distinctione suppositâ asserit omnia positiva tam primæ quàm secundæ Tabulæ esse dispensabilia; de negativis verò agens censet esse quintum dispensabile, & reliqua præcepta non item. Ita Major *in 2. dist. 37. quæst. 10.*

Præcepta, alia affirmativa, & alia negativa sunt.

Deum posse dispensare in omnibus affirmativis legibus conatur persuadere sic. Potest Deus non concurrere ad actum amoris verbi gratiâ instanti A, pro quo instat præceptum charitatis: ergo tunc homo non amans Deum divinæ voluntati satisfaceret, nec peccati argueretur: potest igitur in Decalogi positivis præceptis dispensare. Sed hæc ratio non sufficit, *primò* quia tollere potentiam non est in lege dispensare; aut dicito, sit impositum Petro præceptum conveniendi Franciscum & dicendi illi talia verba, diceretúrne dispensare aut abrogare illud præceptum, qui aut crura Petri frangeret, ne iret, aut linguam præcideret, ne loqueretur? Igitur non debet dici Deus dispensasse aut abrogasse legem naturæ, cùm suum concursum negat, sine quo homo non potest satisfacere. *Secundò*, quia aliud est extrahere hominem ab ordine & statu illorum, quibus imponitur præceptum, aliud abrogare leges, aut in præceptis dispensare. Esto lex civilis in Republica præcipiens, ut omnes Cœlibes pendant tale tributum: Pastor Ecclesiasticus non habet authoritatem abrogandi hanc legem, nec potest cum Petro dispensare: quem si matrimonio conjungat, efficit ut non teneatur tributum pendere, non quòd lex abrogata aut alterata sit, sed quia Petrus extrahitur ex illorum statu, quibus imposita fuerat hujuscemodi lex. Aut etiam; esto hodie dies Dominica, & Ioannes aditurus Ecclesiam graviter & periculosè vulneretur; non tenebitur audire Missam, qui ante tenebatur, percussor tamen non dispensavit in lege Ecclesiastica, sed extraxit Ioannem ab ordine benevalentium, quibus imposita illa lex, & transtulit ad ægrotorum ordinem, quos Ecclesia nec vult nec potest cum vitę discrimine obligare. In jure naturali, est certum hominem privatum non posse abrogare aut mutare vera præcepta juris naturalis: & etiam ratum est illa naturalis juris præcepta non obstringere moraliter amentes, sed solùm homines rationis compotes. Antonius vir prudens tenetur moraliter Decalogum observare, & amens factus industriâ Medici, non tenetur; non tamen dicendus est Medicus in Decalogo dispensavisse, sed transtulisse Antonium à statu salutis ad amentiam, quâ infectis non imponitur moralis naturalis lex. Non aliter, quando Deus negat suum concursum causæ liberæ, non dispensat cum ea, sed transfert ex statu libertatis ad statum necessitatis. Hominibus potentibus operari liberè imposita fuit lex; non verò cessaturis ab operatione necessariò; illi enim, cui est impossibile obedire præcepto, id non imponitur; & qui caret Dei concursu, obedire formaliter & proximè non potest.

Aliud est dispensare & aliud auferre potentiam.

Mutare statum hominis non est in lege dispensare.

Percutere non est dispensare.

Inducere amentiam est dispensare.

Deus non præcipit impossibilia.

Probat deinde Major; quia nullum est instans, in quo non possit Deus præbere facultatem non obediendi præcepto affirmativo, imò potest jubere ne illi Petrus in illo instanti obediat, putà si aliud præcipiat quod in illo instanti debeat fieri: ergo hoc modo poterit toto vitæ tempore in positivis præceptis juris naturæ

1164 *Prima ratio rejicitur.*

1165 *Secunda ratio rejicitur.*

naturæ dispensare. *Hæc tamen ratio* non satisfacit, quia positiva præcepta obligant datâ occasione, quæ si non occurrat, non obstringunt; sunt enim potiùs hypothetica, quàm absoluta. Verbi gratiâ, *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*, moralis sanctio est positiva, *Parentibus obedi cùm tibi præceperint; illos venerare cùm occasio exigat actualem reverentiam.* Annon hoc præceptum naturale est simile huic civili, *Solvas tale tributum, cùm transiveris per talem pontem?* Petrus privatus vir non potest Reipublicæ leges tollere, alterare, immutare; non potest facere, ut pontem pertransiens, non tenearis id solvere; potest tamen efficere ut navi aut vado transeas, & sic ab occasione solvendi tributum libereris. Sic similiter, si ideò potest Deus dispensare in positiva lege, quia potest hominem totâ vitâ negotiis aliis impedire, faciendo quod nunquam detur occasio, in qua teneatur positivo præcepto satisfacere: etiam dicendus est purus homo posse dispensare in lege naturali, quia potest semper impedire occasiones in quibus sit obediendi obligatio. Verbi gratiâ, Naturali præcepto teneris dives dare eleemosynam extremè laboranti; Titius non potest dispensare in hoc præcepto, potest tamen impedire occasionem; in qua id te obligaret, nempe vel te depauperando, & ad extremam miseriam redigendo, vel pauperem alium ditando.

An præcepta omnia sint hypothetica? quasnam illa conditiones involvant?

Aliud est tollere obligationem præcepti, & aliud tollere occasiones aut personas respectu quarũ obligat hoc præceptum.

Rationes aliæ quibus utitur Major vix sunt alicujus momenti, & ideò missas facio, concludens hanc sententiam ex Majoris fundamentis propugnari non posse: aliqua autem Asserta ipsius solidiùs probabuntur inferiùs, cùm propriam opinionem statuam.

Quarta Sententia.

1166 *An possit Deus in homicidio dispensare?*

PAulò aliter discurrit Durandus *in* 1. *dist.* 47. *quæst.* 4. quia agens de negativis asserit esse indispensabilia excepto quinto, quod licèt sumptum in genere prout abstrahit ab occisione justa & iniqua dispensabile sit, prout dicit hominis injustam occisionem est dispensabile. Sed quia omnia præcepta secundæ Tabulæ sunt negativa, statim Lector inferet esse indispensabilia & obligare ad mortale. At opus est benè intelligere Durandum. Mala jure naturæ ipse vocat, quæ nos philosophicè mala: & in malitia philosophica certum est non posse Deum dispensare. Quod agat de philosophica malitia Durandus, probo: nam *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *num.* 10. asserit fornicationem esse malam jure naturæ: non autem esse peccatum mortale nisi ex præcepto positivo divino. Ergo, sicut de præcepto negativo, *Non mœchaberis*; sic de cæteris negativis Durandistæ debent philosophari. Posteà ipsemet Durandus de positivis, distinguit inter præceptum primæ & secundæ Tabulæ; docet dispensabilia esse quæ proximum concernunt, non quæ Deum. Et probat hac ratione. Omnis materia à qua auferri potest ratio debiti, dispensabilis est; sed talis est materia positivarum legum, quæ sunt in secunda Tabula: ergo dispensabilis est. Minorem probat; quia dependentia unius hominis ab alio separabilis est, inseparabilis dependentia quâ homo dependet à Deo: ideò homo, cujus existentia non potest donari immunitate non dependendi à Deo, nec de absoluta Dei potentia potest liberari à debito obsequii, cultûs, reverentiæ, & obedientiæ, quæ concernunt Deum, ideò etiam potest divinitùs eximi ab obligatione obediendi & venerandi hominem, qui potest ab eo non dependere. Potest igitur fieri, ut filius non teneatur honorare suum Patrem: nequit fieri ut sit immunis ab obligatione honorandi Deum.

An in aliis rebus?

Et cur?

Sed hæc ratio mihi omninò displicet. Quia non probat illam majorem, videlicet, *Omnis materia, à qua auferri potest ratio debiti, dispensabilis est*, quæ falsa est; dispensatio enim non consistit in ablatione passivi debiti, sed in abrogatione indictivi præcepti.

1167 *Debitum duplex, generale & speciale.*

Vt id benè intelligas, annotato duplex considerari posse debitum in subdito: alterum generale, & alterum speciale: & quia agimus de creaturis respectu Dei, aio debitum generale in ipsis esse obligationem obediendi Deo in omnibus, quæ sua divina Majestas præcipiat; & hoc generale debitum omni actuali præcepto prius est: at speciale est posterius & determinatum: ideò enim honorare parentes debemus sub peccato, quia id Deus præcepit. Sanè si agamus de debito generali, illud tollere Deus non poterit, hoc enim ipso quòd homo sit creatura Dei, tenetur obedire creatori. Si de speciali, non benè discurrit Durandus: quia cùm Rex dispensat cum Petro in lege solvendi tributum tali tempore, respectu Petri abrogat illam legem pro tali tempore; nec potest intelligi dari legem indicentem hanc materiam, & materiam non esse indictam à lege. Cúmque non ideò lex indicat hanc materiam, quia hæc materia indicitur; sed potiùs ideò materia hæc indicatur, quia datur lex illam indicens; non potest intelligi actio, quæ materiam primariò & per se indictione passiva expoliet; benè autem, si legem abroget quoad partem aut quoad tempus. Consultò dixi non posse dari actionem, quæ primariò & per se materiam expoliet indictione passiva: quia posset dari actio quæ aut materiam tolleret, aut illam indirectè aut secundariò passiva indictione privaret. Posse tolli materiam evidenter ostendo; quia filius posset non obedire parentibus. *Primò*, si ipsi morerentur antequam filius esset arbitrii capax. *Secundò*; si superstites nihil præciperent; &, ut, si præciperent, Et sanè purus homo, qui purificaret has hypotheses, non dispensaret in quarto præcepto Decalogi, sed tolleret veram materiam. *Posse etiam* dari actionem, quæ remanentem materiam indirectè aut secundariò debito privet, demonstrabile est; quia ipsa dispensatio legitima, dum legem directè, per se, & primariò abrogat; materiam, quæ manere supponitur, privat ratione debiti, sed indirectè & secundariò. Ergo qui velit illam majorem concedi, dicat sic. *Qui effecit, ut materia aliàs præcepta permaneat sine ratione debiti, in præcepto dispensat.* Sed concessa hac majori, negabitur Deum posse efficere ut honos exhibendus parentibus, quia aliàs est debitus, manentibus parentibus & causis ut anteà, exuat rationem debiti. Et pono casum:

Prius est lex debito speciali.

Quomodo tolli possit præceptorum materia?

Alius modus respondendi Durando:

hîc

qui nihil probat.

hîc & nunc præcipiat pater filio rem facilem juſtam & gravem, non ſuadet ratio Durandi poſſe illum filium impetrare à Deo licentiam, ut patri non obediat. Imò contra Durandum arguo ſic.

1168
Cur homo obedire teneatur?

Ideò tenetur homo honorare Deum, quia nequit ab eo non dependere: ergo ſi poſſet ab eo non dependere, non teneretur obedire. Atqui filius nequit non dependere à patre: ergo nequit patrem non colere non venerari. Major eſt conceſſa à Durando, minorem probo. Poteſt Deus creare Petrum, & tunc ipſe non eſſet filius Ioannis, hoc autem non eſſet diſpenſare in præcepto, ſed tollere materiam *cui*, quia honorare parentes præceptum eſt, quòd nec Adamo fuit impoſitum, neque illis qui parentes non habent: cæterùm ex ſuppoſitione, quòd Petrus ſit filius, debet habere patrem, qui ſit ipſius cauſa; ex ſuppoſitione quòd cauſam habeat, debet ab illa dependere, quia cauſa efficiens eſt à qua primariò & per ſe dependet effectus: ex ſuppoſitione quòd à patre dependeat ut à cauſa, debebit illum honorare, quia teſte Durando honorandi debitum neceſſariò ſequitur ex dependentia.

Aliud eſt diſpenſare in præcepto, & aliud tollere materiam præcepti.

Quinta Sententia.

1169
Omnem poteſtatem concedendi diſpenſationem negat Deo.

ALii univerſaliter loquendo docent omnia Decalogi præcepta prout à lege naturali inducuntur moraliter, eſſe indiſpenſabilia etiam per potentiam Dei abſolutam. Hoc tenentur aſſerere omnes illi, qui omnia eſſe prohibita in Decalogo, quia mala exiſtimant; unde ſicut neceſſariò prohibita ſunt, debent neceſſariò remanere prohibita, & nullo modo diſpenſari. Verùm cùm eorum fundamentum ſuprà *lib.2.diſp.1.art.2.ſentent.2. à num.* 1019. ſolidiſſimè impugnatum ſit; non eſt opus in præſentiarum immorari.

VERA SENTENTIA.

1170

MVltorum placita perpendimus & examinavimus, & reperimus quæ placerent non multa. Supereſt, ut quà veritas affulget tendamus: & quia intricata controverſia eſt, illam quâ potero brevitate & claritate pertractabo. Vt igitur rem ab ovo incipiam, aliquibus præmiſſis Protheorematibus viam reſolutioni præparabo.

1171
An ſit quæſtio de nomine.

PRIMVM. *Hæc quæſtio non eſt de mero nomine, ſed in illa agitur de ipſamet authoritate Dei.* Eſt contra multos; multi enim Doctores, ait Vaſquez 1.2. *cap.* 4. *quæſt.* 100. *art.*8. contendunt poſſe in aliquibus præceptis Decalogi diſpenſari à Deo, alii negant, & fortè omnes in modo ſolùm loquendi differunt. Aliqui enim appellant diſpenſationem non jam relaxationem præcepti manente materia, & circumſtantiis illius; ſed mutationem materiæ aut circumſtantiarum, quibus mutatis, mutatur præceptum, & obligatio: quod quidem à Deo fieri poſſe indubitatum eſt. Alii verò præcepti relaxationem invariatâ materiâ. Fateor me reperire Authores aliquos, qui multis hanc controverſiam volvunt, illámque obnubilant & implicant potiùs, quia illam non capiunt; & iſti graviùs quàm æquivocatione laborant: Fateor alios nominum ſignificationes incautè, aut etiam imprudenter confundere, quod notat & corripit Vaſquez: Nego autem quæſtionem hanc eſſe de nomine, eſt enim maximè de re, ſi accuratè tractetur. Vt ergo in illa omnem verborum contentionem vitemus, diſpenſationem in materialem formalémque præeunte Vaſquezio diſtinguamus. In diſpenſatione materiali, interdictio ſeu lex formalis manet, materia tollitur; in formali, forma ſed interdictio tollitur materiâ remanente.

Proſcribo ſubtilem potiùs quàm veram ſententiam aſſerentium, omnem inhibitionem divinam hanc particulam *ſine mea licentia* imbibere, & præcepta Decalogi debere ſic exponi, *Non habebis Deos alienos coram me, hoc eſt, ſine mea facultate: Non pejerabis ſine mea licentia: Non violabis votum ſine mea permiſſione.* Proſcribo enim illam, quia implicat utriuſque opinionis momenta. Sanè, ſi Deus talem legem tuliſſet, formaliter non diſpenſaret, etſi idololatriam licitè exerceri concederet; ſtante enim invariatâ illâ lege, *Nemo Deos alienos colito ſine licentia*, poſſet Petrus, ſi eam impetraret, illos colere. Sed æſtimo divina præcepta non fore ineptiis oneranda, & illa limitatio fruſtra exprimeretur in lege. Quamobrem, ſi Deo negans authoritatem diſpenſandi formaliter, ſolùm velis aſſerere non poſſe eum facere, quòd Petrus legem ſuam ſine diſpenſatione temeret, & non peccet, erit partium concordia, de hac enim diſpenſatione implicatoria nemo prudenter diſputabit. Hæc enim diſpenſatio, ne quidem in humanis divinitùs aut humanitùs poſſet concedi. Non enim poſſet Deus facere ut præceptum humanum ſine ipſius aut Legiſlatoris licentia violes, & tamen non pecces: totus ergo controverſiæ examinandæ cardo in diſpenſatione materiali & formali vertetur, ut utra Deo competat liquidò cognoſcatur. Sit Protheorema

An aliqua ſemper particula ſit implicitè in omni lege intelligenda?

Hæc particula ſine mea licentiâ, *à præceptis proſcribitur.*

Nota id benè, nam frequenter Thomiſtæ hoc modo Scotiſtis reſpondent.

SECVNDVM. *Nihil eſt diſtinctum à Deo, quod ab eo non dependeat.* Oſtenditur; quia aliàs illud ipſum quod non dependeret à Deo, eſſet alius Deus; hunc enim omnimoda independentia conſtituit, & à creaturis (dependent univerſæ) diſtinguit.

1172
Generoſa & vera Propoſitio.

TERTIVM. *Ex omnipotentia Dei oritur creaturas eſſe poſſibiles.* Diſplicent aliqui Theologi, qui ex poſſibilitate creaturarum paſſiva omnipotentiam Dei rimantur, quaſi hæc ab illa dependeret: diſplicent inquam, quia priùs intelligitur Deus omnipotens, quàm creaturæ creabiles intelligantur: nam cùm ipſæ non poſſint dici omninò nihil, aliquod eſſe habere neceſſarium eſt, cúmque Dii non ſint, non niſi à Deo participatum. Creaturæ ergo poſſibiles ſuum eſſe poſſibile recipiunt à Deo, & in illo eſſe (extrinſeco, denominativo, finito, poſſibili, &c.) ſunt ab omnipotentia dependentes, quæ ab illis nullo modo dependet. Si enim hodie multæ creaturæ repugnarent, quæ heri erant poſſibiles (etiam impoſſibiles Theſes rerum quidditates illuſtrant) omnipotentia intrinſecè non mutaretur; non ſecus ac oculi, quorum intuitiva potentia non mutaretur intrinſecùs, ſi paries inciperet non poſſe coloribus affici.

1173
Vnde oriatur creaturarum poſſibilitas?

1174 *An voluntas divina ab omnipotentia distinguatur?*

QVARTVM. *Omnipotentia est Dei voluntas.* Sunt qui in Deo exequutivam potentiam cognoscunt, ab ipsa voluntate distinctam, sed videntur injurii ipsi divinæ voluntati: hac enim posità infinitè efficaci, abstrahendo à quacumque alia formalitate, debet necessariò intelligi effectus: ergo non requiritur potentia præter voluntatem infinitè efficacem, ut Deus intelligatur omnipotens. Omnipotentia igitur nihil aliud est quàm voluntas infinitè efficax; quod fuerat ostendendum. Sed hoc clariùs & uberiùs in Theologia Speculativa tracto.

1175 *Cur creaturæ futuræ sint?*

QVINTVM. *Ex decreto absoluto oritur absoluta creaturarum futuritio.* Admittitur ab omnibus Catholicis; sed negabatur ab Ethnicis & ab aliquibus Hæreticis; qui vel fatum credentes rerum futuritiones esse omninò necessarias & à Deo non dependere putaverunt, vel aliàs carentes perfecto conceptu æternitatis opinati sunt idem omninò esse rem fore, ac Deum voliturum esse. Admittebant quidem rem futuram à divino decreto dependere, non tamen à præsenti & posito, sed à futuro ponendóque. Sed & multi Catholici ita exponunt actuum divinorum prioritates, ut videantur huic ultimo dicendi modo consentire. Sed nos, qui cum Athanasio & reliquis Ecclesiæ Patribus nihil priùs aut posteriùs in Deo admittimus, sed ejus durationem esse unum simplex & indivisibile *nunc* affirmamus, actus in eo præteritos futurósque non intelligimus, adeóque dicimus creaturas futuras recipere suum *esse* futurum à decreto, divino non quidem ponendo, sed posito.

Decretum duplex: positũ & ponendũ. An sit admittenda hæc divisio?

1176 *De futuritione conditionata.*

SEXTVM. *Ex decreto conditionato oritur conditionata futuritio.* Hanc universi admittunt, & solùm controvertunt, an illud sit conditionatum formaliter, an objectivè? hoc est, an Deus decernens Davidem, si manssisset Seilæ, tradendum, mente suâ infinitè sapienti elicuerit hunc actum, *Ego scio, quod si voluero quod David maneat Seilæ, etiam sum volituru* (permissivè aut prædeterminativè secundùm materiæ qualitatem, ad actus enim malos suaviùs permissio quàm prædeterminatio inductiva conceditur) *quòd Saüli tradatur*; à quo non multum distat hic, *Ego scio, quod si David maneat Seilæ, tradetur*: an verò voluntate hunc, *Ego volo quod si David maneat Seilæ, tradatur.* In primo actu conditio afficit formaliter ipsum decretum, in secundo non decretum, hoc enim absolutum est, sed decreti objectum. Et quid in hac quæstione nos? Alterutrum videtur probabile, si debito modo explicetur. At posterior dicendi modus, qui doctrinæ D. Thomæ est conformis, mihi videtur probabilior.

Conditio in decreto.

Conditio in objecto.

1177 *De conservatione creaturæ.*

SEPTIMVM. *Creatura existens dependet à decreto voluntatis divinæ illam de facto conservante.* Patet; quia si non fuissemus à Deo conditi, non fuissemus; nec essemus, ni conservaremur.

1178 *Deus est omnium creaturarum dominus. Et cur?*

OCTAVVM. *Ex eo quod ipse Deus fecerit nos, & non ipsi nos, oritur, quod ipse sit noster plenus & adæquatus dominus.* Hoc, ut existimo, superiùs solidissimè monstratum est. Ex dominio pleno physico & morali, oritur necessariò Deum esse usuarium & usufructuarium hominum dominum. Quia usuarius potest rem destruere, annihilare, perdere pro arbitrio; homóque sic perdendus, tunc haberet reclamandi & appellandi potestatem, cùm lutum in manu figuli posset incusare artificem, quòd in vas ignominiæ potiùs illud, quàm in vas honoris formaverit. Quia usufructuarius physicè, potest Deus hominum actus (fructus sunt adnascentes) physicè prædeterminare. Quia usufructuarius moraliter, eosdem legibus & præceptis moralibus dirigere & gubernare. Ergo sicut ex eo quod Deus creativus sit, ortum ut homo esset creabilis; sic etiam ex eo quod adnihilativus, orietur hominem esse adnihilabilem; ex eo quòd sit prædeterminativus, hominem esse prædeterminabilem, & ex eo quòd sit imperativus, illum esse gubernabilem; & tandem ex eo quòd præceptis obstringat, ipsum hominem obstrictum esse. Igitur sicut priùs in Deo intelligitur, quod possit creare quam quod creet, sic etiam priùs intelligetur quod possit jubere quàm jubeat; ergo & priùs etiam intelligendum erit, quod homo possit præceptis obstringi quàm de facto obstringatur. Homo igitur exlex (illum intelligo, quem Deus conderet, & tamen nulla lege obstringeret, sit casus possibilis aut non, de hoc enim postea) esset Deo tam subditus quàm ego, & tantam haberet obligationem obediendi quantam ego, & solùm per accidens liberaretur ab obediendi exercitio, nimirùm defectu materiæ præceptæ. Exponitur exemplo clarissimo. Religiosus cùm vota emittit, incurrit obligationem obediendi, quæ non augetur præceptis posteà impositis, sed determinatur ad particularem materiam. Et quid, si totâ vitâ nihil subdito Antistes præciperet ille? an ideò maneret ab obedientiæ voto liber? minimè. hæc enim obligatio est omni præcepto prior, & à præceptis independens: sic etiam homo aut Angelus, cùm conditur, etiam si nihil ei Deus præcipiat, incurrit obligationem obediendi Deo, quà suo usufructuario morali domino; cùm autem Deus aliquam ei legem imponit, non inducit obligationem obediendi, hæc enim præexistebat in ipsis medullis creaturæ, sed materiam determinat, circa quam vult obsequium & obedientiam exerceri.

Potestas gubernativa qualis.

An homo exlex esset Deo subditus?

Obediendi obligatio à legum sanctione non dependet.

NONVM. *Non potest Deus condere hominem, Angelum, aut aliam intellectualem substantiam, quæ non habeat obligationem obediendi sibi, si imposuerit præcepta.* Patet; quia titulus dominii est creatio (semper id redit, & tu semper præsentissimâ memoriâ retine.) unde sicut fieri non potest, quod creet aliquam substantiam, quæ non sit creatura, sic nec poterit, quod aliquam, quæ non sit dependens, quæ non sit subdita, quæ non teneatur obedire; & hoc etiam supposito quod Deus nihil omninò præcepturus eidem substantiæ sit. Et quidem si loquamur hoc sensu, *non potest Deus producere aliquam creaturam intellectualem exlegem*: hoc est, creaturam quæ non teneatur obedire legibus divinis, si imponantur.

1179 *An possit Deus condere creaturam, quæ non possit obstringi legibus?*

DECIMVM. *Decalogum Deus liberè tulit.* Si inferas, ergo potuit condere hominem aut Angelum exlegem; multi, qui admittunt Protheorema, negabunt consequentiam illa-

1180 *Decalogus est liber actus Dei.*

tam,

tam, benè enim stat non posse intellectualem substantiam exlegem condi, & tamen Decalogum liberè ferri.

1181 *An libertas consistat cum necessitate?*

Has duas positiones specie repugnantes Authores tribus modis conciliant. *Primò* enim dicunt, quod voluntario sit tametsi necessariò fiat, liberè fieri; & addunt, Deum liberè, hoc est, voluntatis actu, necessariò tamen, & tali qui non esse non potuit, tulisse legem Decalogi, adeóque non potuisse hominem condere exlegem. *Secundò* alii existimant, hominem exlegem condi non potuisse, non tamen debuisse necessariò his legibus obstringi, sed potuisse aliis; Angeli enim obstricti sunt præcepto adorandi Hominem-Deum, ut communior Patrum sententia tenet; Adamus de pomo non edendo præceptum habuit; Abrahamus de circumcisione; Iudæi de cæremoniis; Christus de morte pro mundi redemptione obeunda; Christiani de Sacramentis; &c. nemo est exlex, & tamen præcepta sunt diversa. Vnde concludunt benè componi posse hominem non posse carere legibus, & Deum non potuisse non ferre Decalogum, quia & potuit ferre aliam legem: & si aliam ferret, etiam homo non esset exlex. *Tertiò* Iuniores aliqui sic discurrunt. Potuisset, inquiunt, Deus non condere homines, & si ipsos non condidisset, nec tulisset Decalogum; ergo quia liberè illos condidit, liberè Decalogum tulit, quem & non ferre potuit, nimirum illos non condendo. At ex suppositione quòd conderet, deberet legi subditos & obstrictos præceptis.

An potuerit Deus his præceptis intermissis alia ponere?

An non esse legum pendeat à non esse hominũ aut Angelorum?

1182 *Libertas à coactione ad liberum arbitrium non sufficit.*

Ex his tribus speculationibus, *Prima* non subsistit; quia fundatur Calvinianâ hæresi negante liberum arbitrium; nugæ enim sunt omnes illæ verborum larvæ quibus nomen arbitrii admittitur, & res ipsa negatur: idem enim est admittere irrationales homines, quod homines universos negare; idem asserere liberum hominis arbitrium esse voluntatem necessitatam, quod dicere non dari liberum arbitrium. *Secunda* non videtur gravi aliqua ratione substrui; nam debere hominem obstringi aliquibus præceptis, tametsi non istis aut illis necessariò, leviter dicitur, & deberet graviter probari. *Tertia* probabilissima est, & defenditur à multis doctissimis Iesuitis, quorum rationes supponunt peccata, quæ in Decalogum, esse prohibita, quia moraliter mala, quod quidem probabile est, tametsi multò sit contrarium probabilius.

An ex hypothesi quod condiderit homines Deus, indicere debuerit Decalogum?

Defenditur etiam à nonnullis Scotistis, qui licèt dicant omnem malitiam moralem pendere ab interdictione divina, putant hanc eamdem interdictionem non fuisse Deo liberam, sed Deum ex hypothesi quod voluit creare substantias intellectuales, debuisse concomitanter velle illis legem imponere earum regendis actibus & moribus proportionatam: qui modus dicendi est probabilis.

An possit hominem exlegem producere?

Ego autem huic enthymemati [Decalogum liberè tulit: ergo potuit condere Hominem aut Angelum exlegem] respondeo concedendo antecedens, & consequens congruo sensu: negando tamen consequentiam; quia tametsi verum sit, quod condere personas exleges potuerit (nempe, sensu statim explicando) non tamen hoc ex illo antecedenti infertur.

VNDECIMVM. *In iis legibus potest Deus dispensare, quas potuit non ferre.* 1183

An, & in quibus possit præceptis dispensare?

Corollarium I. *Si omnes leges potuit Deus non ferre, in omnibus potest dispensare.*

Corollarium II. *Si in omnibus potest dispensare, omnes potuit non ferre.* Patent omnia, quia si aliqua lex, positâ hominum creatione & conservatione, necessariò à Deo latâ, necessariò à Deo conservanda est, adeóque nec irritatione poterit nec dispensatione cassari: quod si liberè tolli possit, ipsa necessaria & indispensabilis non est, adeóque etiam non ferri potuit.

DVODECIMVM. *In omnibus secundæ Tabulæ articulis potest Deus dispensare permissivè, contradictoriè, & contrariè.* 1184 *De secunda Tabula.*

Corollarium. *Articulos secundæ Tabulæ potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse contradictorios, imò & contrarios.* Patet; quia omnes illi inhibent materiam quæ non est contra Deum, sed solùm humanitùs & physicè mala.

Vt Protheorema altiùs intelligas, adnotato, eum dispensare permissivè, qui concedit ne aliquis legi latæ obediat; contradictoriè qui contradictorium, contrariè qui jubet omninò contrarium. Verbi gratiâ; Audire Missam Ecclesia præcipit, & sæpè benignè cum valetudinario aut seniore permissivè dispensat, nempe ut possit Missam audire aut non audire, non enim præcipit ne audiat: at interdictos ab officiis divinis arcet, & cum eis videtur contradictoriè dispensare contradictorium præcipiendo. Si nomina displicant, adhuc puto retineri debere; aliàs enim esset summa confusio, si careremus necessariis vocabulis.

Quid sit dispensatio permissiva, quid contradictoria, quid contraria?

Deo in Tabula secunda permissivè dispensente, non obedire parentibus, occidere, fornicari, furari, mentiri, essent actus physicè & immediatè oppositi proximo, adeóque physicè & humanitùs mali; esseteque homicidium etiam oppositum Deo oppositione physicâ & mediatâ, quia occideretur homo qui erat Dei: & occisio ad proximum physicè aut virtualiter pertinentis, esset mala etiam humanitùs, & opposita proximo (nempe domino bruti) oppositione physicâ mediatâ; quia illa actio immediatè esset mala bestiæ, & mediatè homini, qui ob ejus mortem damnum patitur. At moraliter loquendo, omnes istæ actiones essent indifferentes, nempe tales, quæ possent sine peccato morali aut committi aut omitti.

Oppositio duplex: realis & moralis.

Sed dispensante contradictoriè, hoc est, contradictorium præcipiente, eædem actiones physicè & humanitùs malæ manerent, utpotè contra proximum, & tamen essent bonæ moraliter & meritoriæ. Iussit Abrahamo Deus immolare suum filium; ideóque in quinto Decalogi articulo contradictoriè dispensavit. Si ante divinam dispensationem Abrahamus filium suum occidisset, in hominem & Deum peccasset; illa enim actio & respectu filii esset physicè mala; & mala moraliter respectu interdicentis Dei: Posito tamen Dei præcepto, si adhuc eum occidisset, elicuisset actionem, malam physicè ut anteà, bonam tamen moraliter & heroicè meritoriam propter correspondentiam cum lege. Tunc etiam Abrahamus, si dilecto filio ignovisset, & divinum

De dispensatione contradictoria.

De sacrificio Abrahami.

præceptum temeraſſet, procul dubio elicuiſſet actum voluntatis poſitivum (puras enim omiſſiones vix admittimus) bonum phyſicè reſpectu Iſaaci, cujus bonum corporeum proſpiceret, malum tamen moraliter reſpectu Dei, cujus præceptum temeraret.

1185 Hæc doctrina eſt omninò vera, & in terminis defenditur ab Okamo, *in 2. quæſt. 19. ad 3. dub.* Petro de Aliaco *in 1. diſt. 14.* Andræa de Caſtro Novo *in 1. diſt. 48. quæſt. 1. art. 1.* Gerſon *Alphabet. 61. litt. E. & F.* Scoto *in 3. diſt. 37. quæſt. unic.* Gabriel *quæſt. 1. art. 2.* Almaino 3. *Moral. cap. 15.* Defenditur communiter ab Scoticis ſub magna latitudine, tametſi nonnulli circa octavum præceptum videantur dubitare, imò & negare. In Comitiis Provincialibus Patrum Franciſcanorum quibus Lovanii anno 1643. præfuit Reverendiſſimus P. Marchantius, Vir multis titulis illuſtris, non niſi pura Scoti doctrina defenſa die 13. Iulii, Præſide P. Simone Iordens (tunc Provinciale electo) erat Theſis XX. *Naturalis (lex) non eſt ipſa natura, ſed actus divinæ voluntatis, quo per impoſſibile ſublato nullum reſtat peccatum contra legem naturæ. Aliqua (naturæ lex) complectitur materiam abſolutè neceſſariam aut contrariam creaturæ rationali, alia non item; hæc à Deo ſolo, à nullo illa diſpenſabilis.* At ſequenti die Præſide P. Antonio ab Oudenhoven Theſis IV. *Lex naturalis formaliter eſt, non ipſa natura, aut aliquis habitus aut actus intellectûs; ſed actus divinæ voluntatis.* Et Theſis V. *Ex præceptis Decalogi, duo priora primæ Tabulæ, ſi intelligantur eſſe tantùm negativa* (hoc eſt, nullum actum præcipientia, ſed ſolùm odium Dei, blaſphemias & perjuria vetantia) *ſunt legis naturalis ſtrictè. De tertio præcepto, videlicet ſanctificatione Sabbathi, quatenus poſitivum Dei cultum præcipit, dubitat Scotus, & nos cum illo. Cætera, excepto illo quod vetat mendacium, ſunt tantùm legis naturalis largè, adeóque in rigore juris poſitivi. In his Deus diſpenſare poteſt, non verò in illis: in nullis Pontifex, aut alius purus homo.* Et Theſis VI. *Etſi verò implicet hominem cum uſu liberi arbitrii creari, quin etiam præfixam ſibi habeat legem naturalem, ſi tamen per impoſſibile Deus non præcepiſſet ea quæ ſunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licèt quis ſciret ſe agere contra naturalem honeſtatem.* Volui citare has Theſes, ut Lectores cognoſcant, quas ſententias ſchola ſubtilis profiteatur, non enim videtur credibile in Provincialibus tanti Ordinis Comitiis Marchantio Viro doctiſſimo & Scoticæ doctrinæ defenſore acerrimo Antiſtite, totius Belgii Patribus præſentibus doctrinam contra Scotum ſub nomine Scoti potuiſſe ſine contradictione defendi, unde non audiendos exiſtimo, qui Scoti verba in alias ſententias obtorquent, inter quos Ioannes Præpoſitus 1.2. quæſt. 94. dub. 4. ſic inquit. *Citari ſolet Scotus in 3. diſt. 37. quæſt. 1. §. hic dicitur, & ſeqq. verum videri poſſit non ita aptè citari, &c.* Sic etiam plus minus multi alii.

Scotiſtarum doctrina.

Quid ſit lex naturalis.

An in prima Tabula Deus poſſit diſpenſare?

An in tota ſecunda Tabula? An ſit poſſibilis homo ex lex?

An poſſit Deus diſpenſare in mendacio.

Cognitâ igitur Scoti & ejus ſubtilis ſcholæ ſententiâ, quid in illa contra noſtrum undecimum Protheorema militet, examinemus. Videntur duo Præſides in materia mendacii diſſentire; poſterior docet indiſpenſabile, prior illud non excipit. Sanè, ſi mendacium excipias, neſcio cur fornicationem, homicidium, & inobedientiam relinquas: major enim deformitas naturalis in aliis reperitur quàm in mendacio: quis enim non videat, majorem injuriam reperiri, etiam ſi ab omni lege divina præſcindamus, in homicidio quàm in officioſo mendacio? illud hominem interimit, hoc aliquando tuetur & defendit, & ſolum malum poteſt dici, quod contra mentem proferatur. Graviùs hodie peccat adulter & homicida quàm mendax, atqui peccatorum mortalium quantitas non à præcepto majori vel minori ſumitur, ſed à quantitate materiæ, ergo major deformitas in adulterio & homicidio quàm in mendacio reperitur: atqui in adulterio, homicidio, & reliquis ſecundæ Tabulæ articulis Deus diſpenſare poteſt: ergo etiam à fortiori in mendacio.

Alia multa ſunt graviora mendacio.

DECIMVM-TERTIVM. *In tertio præcepto, Sabbathi ſanctificationem indicente, Deus de facto permiſſivè (hoc eſt, tollendo præceptum, & non inhibendo cultum) diſpenſavit.* 1186 Eſt contra aliquos Hollandos Theologos, qui non verentur etiam ſuo Calvino opponi, modò longiùs à Catholica Eccleſia diſſentiant. Docent enim aliqui reformatam Calvini religionem novâ reformatione egere, deberéque iterum ſolennitatem Sabbathi injuſtè ablatam, aut potiùs tranſlatam, reſtitui.

Defectorum cultu.

Dico igitur illud tertium præceptum bifariam conſiderari poſſe: primò prout cultum Dei præcipit, ſecundò prout diem cultui determinat. Hanc determinationem eſſe omninò cæremonialem & cum lege Moſaïca excidiſſe exiſtimo; præceptum verò de cultu non excidiſſe, ſed obligare etiam nunc, & Catholicam Eccleſiam ad Domini majorem gloriam, ut in die Dominica impleretur, & qualiter impleri deberet ſanctiſſimè & prudentiſſimè diſpoſuiſſe. Nec contra urgent Scioli Calviniſtæ; quia nunquam confœderatarum Provinciarum Statibus hanc reformationem propoſuerunt impunè, irriſi enim à populo coguntur Dominicas ſolennitates à Romana Eccleſia, cujus negant authoritatem, indictas obſervare.

Decalogus cultum Dei præcipit: quãdo autem iſte debeat fieri, & quomodo Deus commiſit Eccleſiæ.

An Puritani debeant Sabbata reducere, & obliterare Dominicas?

DECIMVM-QVARTVM. *In eodem tertio præcepto, prout cultum Dei poſitivum indîcit, Deus non diſpenſavit de facto; potuit tamen diſpenſare ſaltem permiſſivè.* 1187 Non opponor Scoto, qui contrarium non tenet, ſed an teneri debeat, dubitat; imò nec formaliter dubitat, quia in dubiis ſtandum docet pro benigniore parte: at ſubſcribo Majori *in 2. diſt. 37. quæſt. 10.* Okamo, Petro de Aliaco, Andreæ de Caſtelnovo, Gerſoni, & Almaino pro prima ſententia relatis.

DECIMVM-QVINTVM. *In duobus præceptis priorib. ſumptis poſitivè potuit Deus permiſſivè diſpẽſare.* Hoc Protheorema Authores pro præcedenti allegati confirmant, & videtur eſſe ex Scotiſtarum ſententia. Cur enim P. Antonius ab Oudenhoven Theſi V. citatâ diceret, *Ex præceptis Decalogi, duo priora primæ Tabulæ: ſi intelligantur eſſe tantùm negativa, ſunt legis naturalis ſtrictè*, ſi non ſentiret; aliàs nõ eſſe legis naturalis ſtrictè ſumptæ? ergo ſi intelligãtur eſſe poſitiva, non ſunt legis ſtrictè naturalis: igitur ad mentẽ Scotiſtarũ diſpenſabilia ſunt. 1188

De duobus præceptis primis.

1189 *Est ad mentē aliorum hac Assertio.*

DECIMVM-SEXTVM. *In eisdem sumptis negativè si Okamo, Aliaco, Castelnovo, Gersoni, & Almaino credimus, potest Deus permissivè dispensare.* Si dispensaret de facto, odium Dei, blasphemia, & perjurium, remanerent mala divinitùs, & essent contra personam & authoritatem ipsius Dei, non tamen essent mala moraliter, hoc est, peccaminosa. Vide primam sententiam.

Major tamen occurrit difficultas circa dispensationem contradictoriam & contrariam. hoc est, *An possit Deus actus indictos in prima Tabula interdicere? an etiam præcipere contrarios?* Sit igitur Protheorema

1190 *An possit Deus juramenta interdicere?*

DECIMVM-SEPTIMVM. *Evidens est posse Deum dispensare contradictoriè in secundo præcepto Decalogi:* (*contradictoriè* inquam; non quidem præcipiendo perjuria, sed vera juramenta interdicendo) *nec apparet cur non possimus id ipsum de primo & tertio asserere.* Evidentiam ostendo. Quia vera juramenta etiam hodie quantum possumus prudenter vitamus: imò & Apostolus Iacobus abstinere ab omni juramento consulit 5. 12. dicens, *Ante omnia autem, Fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est est; Non non; ut non sub judicio decidatis:* ubi ex ultimis verbis colligitur sanctum Apostolum de juramento veraci & utili agere. Quibus positis formo hoc argumentum. Omnia quæ Deus consulit, potuit præcipere; atqui consulit abstinentiam etiam à juramento judiciali vero & utili: ergo & illam indicere potuit. Semel posito Deum potuisse juramenta omnia interdicere, non occurrit cur non potuerit omnem cultum externum, quem tertio articulo præcipit? cur non poterit internum, quem primo?

Nota hoc.

1191 *De dispensatione contraria.*

DECIMVM-OCTAVVM. *Putamus non posse Deum in prima Tabulæ articulis dispensare contrariè, hoc est, contraria præcipiendo.* Non enim videtur possibile Deum præcipere hominibus vel Angelis sui odium, perjuria, aut blasphemias. Putamus, inquam, quia non habemus aliquam evidentem rationem; cùm enim Thomistæ dicunt homines prædeterminari à Deo ad materiale odii Dei, non scio, cur non possent etiam dicere posse obstringi præcepto ad materiale ejusdem odii, non enim videtur sufficiens dari disparitatis ratio.

Conclusionum Conclusio. *In tribus primæ Tabulæ articulis Deus non potest dispensare contrariè; in tota tamen lege potest contradictoriè & permissivè, in secunda Tabula etiam contrariè.* Constat ex his, quæ hucusque expendimus per præcedentia Protheoremata.

MARCHANTII OPINIO

De Homine exlege.

1192 VIx à nostra sententia Reverendissimi Petri Marchantii opinio distinguitur, & quia Virum maximi facio, volui ejus verba hîc adjungere, ut videat Lector Candidus, quam altè & magnificè de Deo sentiant Scotici, quam dimissè adversarii. Ipse igitur ad mentem Seraphicæ Scholæ in Resolutione ad me data 9. Decembris 1643. consultus, *An possit Deus condere hominem exlegem & ab omni præcepto liberum?* sic inquit,

[Advertendum legem & præceptum dupliciter sumi posse. Primò pro regula aliqua directiva ad actionem vel finem absque ullo alio formali decreto vel præcepto, & absque ulla obligatione superaddita; nisi solius rectitudinis debitæ inesse actui ex natura sui intrinseca, vel finis ad quem regula dirigit adipiscendi. Secundò pro formali decreto vel mandato sub obligatione alicujus culpæ vel pœnæ à transgrediente incurrendæ. His sic prænotatis

1193 *Nomen legis sumi bifariā potest.*

Respondeo primò, Deum juxta primam acceptionem non posse condere hominem exlegem. Ratio est, quia cùm homo ex essentia sua sit rationalis, supponit ex natura sua rationem sive rationalem potentiam, cui intrinsecum est humanas actiones dirigere, ita ut si deficiat, actus rectitudine debitâ in esse careat, & à fine propter quem homo conditus est, deviet. Ratio igitur in homine ex natura & essentia sua est participatio legis æternæ, & pro officio habet actiones prout humanæ sunt, & hominem ad finem, ad quem conditus est, dirigere. Et hoc modo implicat hominem rationalem condi, & sine lege, quæ sit ratio, creari.

1194 *Si nomen legis significet rationem, nō potest Deus condere creaturam rationalem exlegem.*

Respondeo secundò, suâ infinitâ potentiâ posse condere hominem absque adjuncta formali aliqua lege vel præcepto rationi superaddito, quo transgressor ad culpam vel ad pœnam obligetur. Ratio est; quia non implicat: & aliàs homo absque tali præcepto verus est homo, rationale animal Dei imaginem & similitudinem referens, & beatitudinis æternæ juxta media ab Omnisciente & Omnipotente Deo disponenda per infinitam suam sapientiam capax. Et legem vel præceptum formale habere superadditum non est hominis essentiæ & naturæ, etsi à principio conditæ naturæ superaddita sint.] Hucusque doctissimus iste Vir, qui, ut videris, sine ulla limitatione de Dei potentia loquitur, & omnia & singula præcepta potuisse non imponere affirmat. Ergo ad mentem Marchantii, *si legis nomine rationem intelligamus, non potest Deus creare hominem exlegem;* quia non potest condere creaturam rationalem sine ratione, intellectualem sine intellectu, albam sine albedine. *Si autem legis nomine præceptum aliquod morale ab homine realiter distinctum intelligamus, potest Deus creare hominem exlegem:* quia talis homo suppositus duas contradictorias non infert, & quidquid contradictionem non involvit, potest à Deo fieri. Sic Marchantius.

1195 *Si idem nomē præceptum significet, potuit.*

DISPVTATIO VII.

An Bernardus nostram habeat sententiam?

1196 SCOTICI, & qui eorumdem ritu Deum necessitati præcipiendi subdi non patimur, cùm eum aut posse præcepta non imponere, aut in positis præceptis dispensare affirmamus, Ducem Melli-

fluum Doctorem ſequimur, ſub ejus generoſa tutela militamus. Sed quia Adverſarii æſtimant; operæ pretium duxi Bernardi verba ponere, ne videar unam vel alteram periodum contra S. Doctoris mentem in propriam opinionem trahere. Ipſe igitur in libri de præcepto & diſpenſatione, juxta diviſionem, quam in Scholio ſum ſequutus, cap. VII. de Decalogi diſpenſatione diſputans ſic ait.

1197 *Nec eſſarium inviolabile.*

NEceſſarium *deinde, quod* inviolabile *nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitùs promulgatum, niſi à Deo qui tradidit, mutari omninò non patitur; ut exempli causâ:* Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, *& reliqua illius Tabulæ legis ſcita; quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere aut licuit, aut licebit, Deus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, ſolvit, ſive cùm ab Hebræis* [Exodi 3.g.] *Ægyptos ſpoliari, ſive quando Prophetam eum muliere fornicaria,* [Oſeæ 1.a.] *miſceri præcepit; quorum utique alterum, quid niſi grave furti facinus, alterum quid niſi flagitii turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet utrumque factum authoritas imperantis. Sanè ubi ſimile aliquid aliquando à ſanctis hominibus fuiſſe legitur uſurpatum, Scriptura non indicante, quod Deus ita præceperit, aut eos peccaſſe fatendum eſt ſicut homines, aut certè ſicut Prophetas familiare Dei conſilium accepiſſe. Vnde & unum exemplum pono quod occurrit de Samſone, qui* [Iudicum 16.g.] *ſeipſum unà cum hoſtibus opprimens interfecit. Quod utique factum ſi defenditur non fuiſſe peccatum, privatum habuiſſe conſilium indubitanter credendus eſt, etiamſi de Scriptura hoc non habeamus.*

Secunda Tabula eſt diſpenſabilis à Deo.

In furto & fornicatione diſpenſavit præcipiendo oppoſita.

De Suicidio Samſonis.

An omnia ſint in Scriptura.

1198 *Neceſſarium incommutabile.*

Jam verò Neceſſarium-Incommutabile *quid accipi velimus? Et quidem nihil congruentius, quam quod divina ita conſtaret æterna ratione firmatum, ut nullâ ex causâ poſſit vel ab ipſo Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere eſt omnis illa ſermonis Dominici in monte habiti ſpiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, cæteríſque virtutibus, tam in novo quàm in veteri Teſtamento ſpiritualiter obſervandum contraditur. Hæc quippe talia ſunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Do ſiquidem moraliter, quo & naturaliter bona, nunquam niſi innocenter, nunquam niſi ſalubriter, aut imperantur, aut obſervantur. Omni tempore, omni perſonæ mortem contempta, cuſtodita ſalutem operantur. Primam ergo neceſſitatem, ſua cuique facit in promittendo voluntas. Secundam, præcipientis authoritas. Tertiam, præcepti dignitas. Differunt autem, ut jam dictum eſt, quibuſdam à ſe invicem gradibus tres iſtæ neceſſitates: nec una omnes ſequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex prima quidem quod efficitur, etſi non penitùs immutabile tamen vix mutabile eſſe conſtat, dum ſolis illud liceat mutare Prælatis, & hoc non niſi fideli & provida diſpenſatione. Quod verò fit ex ſequenti, quæ & major iſta eſt, penè jam incommutabiliter, ſoli quippe Deo eſſe mutabile ſuperiùs demonſtratum eſt. Porrò quod de noviſſima fit, tanquam omnium maxima, omninò incommutabile eſt: utpote quod ne ipſi quidem Deo mutare liberum eſt. Quod igitur nulli hominum fas eſt niſi ſolis mutare Prælatis, dici* vix-mutabile *congruè poteſt: quod ſoli conſtat licere Deo, dicatur* penè-immutabile; *quod ne ipſi quidem Deo,* penitùs-immutabile *nominetur.*

Duo præcepta primæ Tabulæ indiſpenſabilia.

Neceſſitas triplex.

Prima ſubeſt Prælatis.

Secunda Deo.

Tertia nulli.

Ratio nominum.

ECce clariſſimè D. Bernardus docet, Deum poſſe in præceptis ſecundæ Tabulæ diſpenſare, imò & contraria aut contradictoria præcipere, ſed quia illum in varias plurimi ſententias obtorquent, examinandum eſt, *An S. Doctor hanc omninò ſententiam tenuerit? & an illam ipſam efficaciter ſuaſerit?* Sit igitur 1199

Concluſio I. *Tam clarè D. Bernardus poſſe Deum in ſecunda Tabula diſpenſare aſſerit, ut probabiliter in oppoſitam ſententiam retorqueri non poſſit.* 1200

Concluſio II. *Tam clarè idem Mellifluus Doctor poſſe Deum in prima Tabula diſpenſare negat, ut probabiliter exponi non poſſit, ni in aliquo ſenſu Deum non poſſe in illa diſpenſare aſſeramus.*

Bernardi mis ad paucas Concluſiones reducitur.

Concluſio III. *Putamus ſufficere, ſi cùm agit de primæ Tabulæ diſpenſatione, de contraria exponatur.* Quia tametſi videatur Deus non poſſe ſui odium, perjurium, aut contemptum præcipere; non apparet cur debeat præcipere amorem, juramentum verum, aut cultum; ſicut nec apparet, cur non poſſit amorem, juramenta etiam vera, & univerſum cultum inhibere.

IOannes Præpoſitus 1. 2. *quæſt.* 94. *dub.* 4. S. Doctorem & vel invitum in ſuam inclinat opinionem dicens; *D. Bernardus, qui in contrarium citatur, non docet Deum poſſe in lege naturæ diſpenſare; ſed ſolvere aliqua præcepta naturæ; ſcilicet per mutationem materiæ ut explicamus.* Conſonat Franciſcus Sylvius 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. *ad ultim.* ubi ſic. [*Reſpondeo D. Bernardum non dicere quod Deus in præceptis illis diſpenſare poſſit, ſed tantum quod poſſit ea ſolvere; idque verum eſt, in quantum Deus præceptorum illorum naturam ita mutare poteſt, ut quod alioquin foret illicitum, ipſo jubente vel conſentiente fiat licitum. Sicut illicitum eſt, innocentem occidere, rem alienam accipere, mulierem non ſuam cognoſcere; ſi tamen Deus tibi jubeat innocentem occidere, vel mulierem quæ tua non erat, faciat tuam, vel rem alienam tibi donet; tunc licebit, & innocentem occidere, & talem mulierem cognoſcere, & rem alienam accipere: non quod in præceptis illis diſpenſaverit, ſed quia materiam illorum mutavit: unde quamvis tunc innocentem occidas, & mulierem talem cognoſcas, rémque alienam accipias; neque homicidium committes, neque fornicationem, neque furtum, niſi fortè materialiter & ſecundum externam ſpeciem.*] Hucuſque Sylvius. 1201

An ſolvere ſit diſpenſare, num. 1213. examine.

Vide n. 1211.

Sed hæc omnia non placent; ſatius enim eſſet dicere Doctorem Mellifluum habuiſſe contrariam ſententiam, quàm ipſum vel invitum trahere. Et ut videas Bernardum obtorqueri, notandum eſt, putare Deum poſſe ſecundæ Tabulæ præcepta ſolvere, & hominem non poſſe: atqui ſi de ſola materiæ mutatione ageretur, etiam homo nonnunquam poſſet: ergo. Probatur, quia tu in quinto Decalogi præcepto potes mutare materiam, ſi crimen capitale committas, poteris enim jam licitè occidi, qui antea non poteras. In ſexto; ſi 1202

Exponi malè Bernardum.

Relegatur hæc ratio, videtur enim valde firma.

uxorem

uxorem ducas. In septimo, si bona dones. In octavo, si rem illàm facias, quæ à mendaci facere dicereris. Accedit Bernardum peculiari modo loqui de secunda Tabula, illámque à prima distinguere asserendo Deum in secunda dispensare posse, non verò in prima.

1203 *An in prima tabula possit contingere dispensatio per mutationem materiæ?*

Respondet Sylvius manere differentiam etiamsi Deus non propriè dispensaverit. Hæc nimirum quod præcepta primæ Tabulæ non solùm sunt indispensabilia, sed etiam ita sunt immutabilia, ut actiones illic prohibitæ non possint reddi improhibitæ ac licitæ per materiæ mutationem, sicut in quibusdam præceptis secundæ Tabulæ fieri contingit. Nullo siquidem modo, nullâque materiæ mutatione fieri potest, ut adoratio Idoli, vel cultus alterius Dei præter Deum verum, liceat: neque quod juramentum falsum sit licitum, sicut etiam fieri nequit, quod quispiam sciens ac volens licitè dicat falsum testimonium.

1204 Sed hoc respondere non est, quia Bernardo teste potest fieri divinitùs, ut quispiam sciens & volens mentiatur, & tamen peccatum non incurrat; nam de omnibus secundæ Tabulæ præceptis loquitur, & illa esse divinitùs dispensabilia asserit, & nemo ambigit veracitatem octavo secundæ Tabulæ præcepto indici. Prætereà etiam in prima ipsiusmet Decalogi Tabula poterit mutari materia. Putà, si substantiam illam, quam idololatra illicitè colit, à Deo in unitatem personæ adsumatur: si res divinitùs fiat, qualis esse jurejurando asseritur; si Deus vota & juramenta promissoria condonet, quæ tam clara sunt, ut videantur non potuisse à Sylvio Viro doctissimo ignorari.

1205 *Bernardus cum Bonaventura, & ideò etiam cum Scotistis componitur.*

VAsquez 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad implicatoriam dispensationem recurrerat, & postea subjungit. [*Hoc tantùm* voluit *Bernardus lib. de præcept. & dispensat. column. 2. post medium, quem pro se allegavit Bonaventura cùm docet præceptum non occidendi, non furandi, non mœchandi, & alia illius secundæ Tabulæ mutari non posse ab alio, quam à Deo. Non enim dixit dispensari in illis non posse ab alio, quam à Deo: sed illa mutari non posse ab alio, quam à Deo: quia accedente solùm voluntate Dei imperantis, vel concedentis aliquid illorum fieri, jam deinceps fieri potest, ut ex supra dictis patet: at verò consensu humano hæc omnia fieri non possunt absque peccato, nec materia illorum præceptorum mutari. Excipio materiam furti: quia homo, qui est dominus rei, potest facere facultatem, ut rem suam alius accipiat; verum tunc non habent locum verba præcepti de non accipiendo rem proximi sine illius consensu.*

1206 *Etiam hîc Bernardus malè exponitur.*

Vide quàm benè Vasquez Mellifluum Doctorem intelligit, quàm sincerè illum explicat. Agit Bernardus de dispensatione formali, Vasquez de implicatoria aut materiali: ille de secunda Tabula, iste de utraque; materiam enim utriusque posse mutari certum est: ille furtum expresè ponit, nam cùm egisset de Oseæ fornicatione & de bonis Ægyptiorum à Iudæis direptis, *alterum*, inquit, *quid nisi grave furti facinus, alterum quid nisi flagitii turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque authoritas imperantis?* hic verò, *excipio materiam furti*, dicit.

SVarius *tract. de legib. cap. 15.* longè etiam à Melliflui Doctoris sententia abludens, periodos clarissimas fuco aliarum opinionum obvolvit, Ait enim; [*Ex dictis intelligitur, quo sensu dixerit Bernardus in libro citato de præcept. & dispensat. ea, quæ pertinent ad præcepta secundæ Tabulæ, mutari posse authoritate Dei præcipientis; loquitur enim non de præceptis ipsis formaliter sumptis, ut sic dicam, sed de actionibus, circa quas illa præcepta versantur. De quibus ait, cùm per se nunquam liceant authoritate Dei præcipientis posse licere.*] At falli Suarium certum est. Si enim solùm materialiter dispensat in Tabula secunda Deus; malè Bernardus negat Deum posse dispensare in prima, hominem in secunda; vidimus enim & posse hominem secundæ, & Deum primæ Tabulæ mutare materiam. Vnde, si Deo Bernardus solùm concedat authoritatem dispensandi materialiter, verè dispensandi authoritatem non concedit, materialis enim dispensatio, ut optimè ipse Suarius *ubi suprà* adnotat, non est vera & rigorosa præcepti dispensatio, sed mutatio materiæ. 1207 *Iterum malè exponitur D. Bernardus.*

Probat Suarius de una & sola materiæ mutatione Mellifluum Patrem intelligendum, & sic ait; [*Quia hæc mutatio, quando fit ex peculiari dominio & potestate Dei, est (ut sic dicam) extra cursum naturæ, & præter leges ordinarias providentiæ, ideò interdum dispensatio appellatur, non quidem proprii præcepti naturalis (neque hoc dixit Bernardus si attentè legatur) sed ordinarii cursus, & legis providentiæ, quæ à divina voluntate pendet.*] Sed ego repono, Suarium non legisse attentè Bernardum; quia si attentè legatur, videbitur non concessisse Deo authoritatem mutandi materialem rerum ordinem; sed dispensandi in præcepto formali; hujus enim sæpè meminit, ordinarii rerum cursus mutandi non meminit. Legatur textus obsecro sub initium hujus Disputationis positus; ubi, ut puto, evidenter ostendo non posse Bernardum intelligi de dispensatione materiali. 1208 *Dispensationes sunt miracula quædam moralia.*

Progreditur Suarius & Bonaventuram cum Mellifluo Præceptore componens, sic inquit, [*Et in eodem sensu videtur loquutus Bonaventura: nam sententiam Bernardi imitatur*] Sed subsumo. Atqui Bonaventura & tota Scotistarum Schola admittit Deum posse in vero & formali præcepto dispensari: ergo idem etiam tenuit S. Bernardus. 1209 *Hîc etiam Bernardus cum Scotistis componitur.*

Si Suario objicias, ex sua interpretatione sequi nullum posse adsignari discrimen inter primæ & secundæ Tabulæ præcepta, cùm tamen contradictorium Bernardus & Bonaventura constituant; ille enim, cui hic subscribit, c. 6. asserit, quædam ita esse immutabilia, ut nec à Deo ipso mutari valeant: *Respondet* in hoc esse differentiam, quod præcepta primæ Tabulæ talia sunt, ut non solùm ipsa formaliter dispensari non possint, verùm etiam neque in actionibus quas prohibent, possit talis mutatio fieri, ut liceant, vel honestæ sint, ac subinde ut neque etiam materialiter sumptæ honestari possint authoritate Dei præcipientis. Odium enim Dei nullo modo potest cohonestari, nec adoratio Idoli, nec cultus alterius Dei præter Deum verum; quia ab his actionibus secundùm se sumptis inseparabilis *De discrimine inter primam & secundam Tabulam.*

est

eſt deformitas, ſi liberè fiant, quod non ita ſemper eſt in actionibus pertinentibus ad præcepta ſecundæ Tabulæ. Quod non univerſaliter, ſed indefinitè accipiendum eſt: aliqua enim præcepta ſecundæ Tabulæ poſſunt eſſe immutabilia etiam hoc modo, ut apertè fatetur Bernardus dicto capite: & in ſuperioribus ſatis explicatum eſt.

1210 *In prima Tabula poteſt dari mutatio materialis.*

Sed multa reperio, quæ diſplicent. In præceptis primæ Tabulæ poſſe dari materialem mutationem oſtendi; nam ſi tertium indicat feſtorum cultum, quis neſciat hunc vel illum diem eſſe feſtum aut non, pendêre à Legiſlatoris voluntate; maximè cùm Chriſtiani ſimus, & Sabbatum in Dominicam humanâ mutatũ authoritate videamus. In votis & compromiſſoriis juramentis diſpenſat ille, cui fiunt, mutando rationes materiales; nam tametſi dicatur Deus non poſſe facere, quod Religioſus licitè violet vota, poteſt tamen facere ut voto non obſtringatur, jure illo ſuo, quod ex ſolenni profeſſione adquiſivit cædendo: quæ juris ceſſio non Deo ſoli convenit, nam & homines hujuſmodi juribus cedimus, & materiam juris promiſſorii mutamus. Promiſeras mihi te daturum hodie mille aureos, promiſſionem juramento firmaſti, & dictis ſtare teneris. Non poſſum ego facere ut licitè perjurus ſis, poſſum tamen nolle illos aureos recipere, & mutare juramenti materiam; illos enim nec recuſanti promiſiſti, nec ſolvere invito teneris. Sed quia Suarius odium & idololatriam urget, dico etiam in his præceptis materiam divinitùs mutari poſſe. Humanitatem ſubſiſtentem in Chriſto, ſumptam in concreto, latriæ cultu ſuſpicio, in Iuda damnato odio habeo, at Petrus quia illam odio habet, hanc adorat; irreverens & idololatra eſt. Sed verbum non poſſe ſuam humanitatem dimittere & humanitatem Iudæ aſſumere ex Suarii principiis defendi non poteſt, ipſe enim poſſe verbum cujuſcumque hominis humanitatem, imò cujuſcumque ſubſtantiæ naturam expreſſiſſimè admittit. Primæ enim partis *diſp.* 14. *ſect.* 2. dicit primò potuiſſe Deum aſſumere, ſibíque hypoſtaticè unire naturam Angelicam: addit ſecundò non implicare contradictionem naturam irrationalem vel inſenſibilem uniri Deo hypoſtaticè. & *diſput.* 34. *ſect.* 3. non eſſe impoſſibile Deum adſumere naturam, quæ toto priori tempore fuerit in alio ſuppoſito peccato ſubjecta, quia in ipſo adſumptionis inſtanti poteſt ſic illam mundare, ut nihil omninò culpæ relinquatur. Hîc ego. Si Deus lapides, vitulos aureos, & dracones (idola fuerunt Ethnicorum communia) in perſonæ unitatem adſumeret; ſi & Iudæ humanitatem, quæ peccato fuit infecta, ſibi perſonaliter uniret; procul dubio lapides, aurum, bruta, & ipſammet Iudæ humanitatem in concreto ſumptam, qui hodie irreligiosè & idololatricè illa colunt, jure religionis adorare & colere deberent. Poſſet etiam Deus humanitatem, quam nunc habet dimittere, eáque ſic dimiſſa poſſet in humano ſuppoſito ſubſiſtens peccare & condemnari, & ſi hoc contingeret, qui illam nunc veneraris, odio haberes. Igitur inſufficientia ſunt omnia illa, quæ à Suario adducuntur: ſi enim præcepta primæ Tabulæ materialiter mutabilia ſint, in hoc non differunt à Tabulæ ſecundæ præceptis; ſed quia Bernardus diſpenſationem in his admittit, quæ in illis locum habere nequit, dicendus eſt non de materiali, ſed de formali diſpenſatione agere. Vt ſuam ſententiam ſtabiliat, admitti expreſsè à Bernardo dari in ſecunda Tabula præcepta, in quibus ne materialis quidem poſſit diſpenſatio concedi addit Suarius, & caput ſextum, [mihi nonum] citat. Totum lege, totum relege, & non ſolùm videbis falſum eſſe quod expreſsè Bernardus id doceat, ſed quod de hac ibi materia aut diſputet aut tractet.

Dies feſti mutari poſſunt.

Iure ex promiſſione juramento firmatâ poſſum cedere.

Condonare poteſt Deus obligationem ortam ex voto.

An Deus unire ſibi poſſit quamcumque naturã creatam?

In idololatria poteſt dari mutatio materialis.

An Deus poſſit humanitatem dimittere?

1211 *Semper volũt Authores iſti ſolutionem à diſpenſatione diſtinguere: tu interim vide n.* 1213.

Sylvius 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. etiam Bernardum in alienam opinionem obtorquet. Sic enim ait [*Reſpondeo S. Bernardum non dicere quod Deus in præceptis illis diſpenſare poſſit, ſed tantùm quod poſſit ea ſolvere; id quod verum eſt, in quantum Deus præceptorum illorum naturam ita mutare poteſt, ut quod alioquin foret illicitum, ipſo jubente vel conſentiente fiat licitum. Sicut illicitum eſt innocentem occidere, rem alienam accipere, mulierem non ſuam agnoſcere; ſi tamen Deus tibi jubeat innocentem occidere, vel mulierem quæ tua non erat, faciat tuam, vel rem alienam tibi donet; tunc licebit, & innocentem occidere, & talem mulierem cognoſcere, & rem alienam accipere; non quod in præceptis illis diſpenſaverit; ſed quia materiam illorum mutavit: unde quamvis tunc innocentem occidas, & mulierem talem cognoſcas, rémque illam alienam accipias; neque homicidium committes, neque fornicationem, neque furtum, niſi fortè materialiter & ſecundùm externam ſpeciem.*]

Hæc verba ſunt etiam Præpoſiti, ut vidimus n. 1201. *& interim nõ ſunt ad rem, ut oſtendo num.* 1214.

1212 Multa hîc vir ſapiens congerit, quæ majori examine indigerent, duas enim oppoſitas ſententias ita confundit, ut jam alteram, jam alteram tenere videatur; quod & facit in toto diſpenſationis contextu, ut ſtatim videbimus.

Sylvius Bernardum male exponit.

Dicit primò conſultò Bernardum *ſolvere* dixiſſe, non *diſpenſare*, ut ſe agere de materia & non de ipſomet præcepto oſtenderet. Sed ego hanc ſolutionem nec veram, nec ſufficientem eſſe.

1213 Sanè *vera non eſt*, Bernardus enim ita capite illo citato (mihi nono) loquitur. *Etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere aut licuit aut licebit, Deus tamen horum quod voluit, & quando voluit, ſolvit:* ubi velim doceri, An Bernardus, qui ſtylo floruit, tam ignarus latinitatis dici poſſit, ut particulam *etſi* adverſativam eſſe neſciret? Hæc periodus, *Etſi nullus ſubditus poſſit concedere diſpenſationem ſuperior non poteſt*, eſt falſa & barbara. Verè enim & Latinè diceres, *Etſi nullus poſſit concedere diſpenſationem inferior, ſuperior poteſt:* quod ſi etiam ſuperiori negare authoritatem diſpenſandi velles, illud *Etſi* omitteres, & copulâ negativâ ſubſtitutâ diceres, *Nec concedere diſpenſationem inferior, nec ſuperior poteſt.* Ergo ſi inter homines & Deum Bernardus diſtinguit, quod illi in ſecunda Tabula diſpenſare non poſſint, ſatis clarè dixit Deum diſpenſare poſſe. Fallitur ergo Sylvius, Præpoſitus, Vaſquezius, Suarius, qui Bernardum non dixiſſe *Deum poſſe diſpenſare*, ſed *poſſe ſolvere* affirmarunt.

Particula etſi non eſt copulativa, ſed adverſativa.

Et, *ſi vera eſſet*, non ſatisfaceret intento

Sylvii

Solvuntur præcepta, & non materia præceptorum. Quid sit præcepti natura? An innocens occidi possit?

Sylvii aliorúmque. Nam solvi non dicitur materia, sed præceptum: non enim materia, sed legibus & præceptis ligamur.

Præceptorum naturam, inquit Sylvius, Deum mutare posse. Ergo vacillat & perplexè loquitur, quis enim putet præcepti materiam & objectum esse præcepti naturam? Hæc intrinseca rei essentia est, & naturâ differunt præcepta, quæ specie; nimirum, morale & pœnale, fortè grave & leve.

Posteà recurrit ad mutationem materiæ; posse Deum furti & fornicationis materiam mutare, ostendit, & fatemur: sed de facto mutavisse non probat. At in innocentis cæde materiam mutari non suadet, ergo vel novam debet solutionem adjungere, vel dicere tale homicidium, aliàs illicitum, reddi licitum non mutatione materiæ, sed authoritate imperantis; ille enim, qui antequam juberetur occidi innocens erat, post illud præceptum æquè innocens est; ergo siquidem in ipso nulla mutatio ostenditur, dicendum est in præcepto potiùs dispensari.

1214 *De peccato materiali.*

Præterea positâ aut materiæ mutatione, aut divinâ dispensatione malè dicitur furtum aut fornicationem materialiter committi: fornicatur enim materialiter, qui putans se uti suâ, alienâ utitur; & materialiter furatur, qui rem alienam bonâ fide capit: at ille, qui cum Dei licentia bona aliena accipit, non est dicendus furatus materialiter; nam vel illa bona illi dantur, vel non. Si non dantur, cùm furetur ab invito domino, formale furtum patrat, licitè tamen, quia cum Dei licentia: si dantur, non aufert rem alienam ab invito domino, sed suam; adeóque nec materialiter fur est. Eodem modo de fornicatione philosophor: & existimo sententiam aliàs probabilissimam, ad mentem Sylvii ita intricari & confundi, ut sine contradictionibus clarissimis defendi non possit.

Accedit, quod D. Bernardus distinguat inter præcepta primæ & secundæ Tabulæ, velléque expressè diversimodè se habere Deum erga hæc & illa: asserit enim in primæ Tabulæ præceptis dispensationem nequidem divinitùs concedi posse. Cùm autem in primæ Tabulæ articulis dispensare possit mutando materiam, dicendum est omninò sensisse Bernardum posse Deum in secunda Tabula dispensare formaliter.

1215

Hoc tamen negat Sylvius, putat enim manere inter utramque Tabulam satis magnam & notam differentiam, etiamsi Deus non propriè dispensaverit; hanc nimirum, quod præcepta primæ Tabulæ non solùm sunt indispensabilia, sed etiam ita sunt immutabilia, ut actiones illic prohibitæ non possint reddi improhibitæ ac licitæ per materiæ mutationem, sicut in quibusdam præceptis secundæ Tabulæ fieri contingit. Nullo siquidem modo nullâque materiæ mutatione fieri potest, ut adoratio Idoli, vel cultus alterius Dei præter Deum verum, liceat; neque quod juramentum falsum sit licitum; sicut etiam fieri nequit, quod quispiam sciens ac volens licitè dicat falsum testimonium.

Paritatem vult ostendere Sylvius, cùm disparitatem debeat.

Nota illud *sicut*; ergo probat paritatem Sylvius cùm discrimen deberet. Cæterùm posse in prima Tabula mutari materiam negat Sylvius, at ego sæpissimè ostendi.

DISPVTATIO VIII.

An Bernardus Dei authoritatem libertatémque rationibus fortibus suadeat?

RATIONES plurimæ circumferuntur, quibus Deus posse in aliquibus aut omnibus Decalogi præceptis suadetur: robustiores selegit noster Author, illásque impræsentiarùm discutiemus. 1216

PRIMA.

APud ipsum hæc generalis ratio colligitur. Videlicet: *Deus aliquando in lege naturæ dispensavit: potest ergo dispensare.* Et quidem hæc consequentia, si ageretur de dispensatione purè humana, non esset ita certa & secura; multæ enim etiam ab ipsomet Summo Pontifice dispensationes conceduntur de quarum valore docti disputant; nemo tamen auderet dicere Deum posse in dispensationibus excedere limites suæ authoritatis: igitur, ubi Deus dispensare non potest, eum nunquam dispensasse certum est. Et si aliquando de facto dispensavit, certum est etiam eum habere dispensandi potentiam. Vt antecedens probet, Abrahami meminit, cui filium occidere jussum: & infert tunc Deum in quinto Decalogi præcepto dispensasse, nam aliàs peccasset Abrahamus necessariò, nam sive filium occideret, sive non, debebat in unum aut alterum præceptum impingere; nimirum, in Decalogi legem, si occideret; in legem indicti sacrificii, ni occideret & sacrificaret. Ne igitur dicatur homo à Deo ad tales angustias adigi, ut necessariò peccaturus sit, & ne dicatur Abrahamus volendo filium occidere peccasse, tenendum omninò est Deum in illo præcepto dispensasse. 1217 *Hominum dispensationes aliquando sunt merè probabiles.* *Dispensavit in quinto præcepto Deus, cùm Abrahamo jussit, ut filiũ immolaret.*

Respondet Sylvius Deum non dispensasse cum illo super præcepto *Non occides*, quoniam non eximit eum ab obligatione istius præcepti, neque ei concessit, ut occisionem isto præcepto prohibitam licitè faceret; sed mutasse materiam, fecisséque ut occisio quæ alioquin fuisset indebita, jam esset debita ac licita. In Decalogo namque non prohibetur, ut ait, quælibet hominis occisio, sed ea quæ habet rationem indebiti, sive quam oportet non fieri, qualis est ea quæ absque legitima authoritate fit, ut propterea sensus præcepti sit, *Non occides quemquam tuâ propriâ seu privatâ authoritate.* 1218 *Quo sensu intelligat Sylvius Decalogum.*

Sed hæc solutio omninò nulla. Quia si Deus jussit, ut nemo sine licentia occidat, & potest licitè licentiam concedere, cessat quæstio; id enim ipsissimum nos dicimus; nullus enim Scoticus tam stolidus reperitur, ut asserat posse Deum concedere licentiam, ut aliquis occidat privatâ authoritate, hoc est, sine 1219 *Non satisfacit argumento, nec solvit difficultatem.*

Superiorum licentia; nam in tali dispensatione duo contradictorii termini (licentia & non licentia) imbibuntur. Sed inquirimus; An possit concedere Deus, ut aliquis aut innocentem & innoxium occidat, aut se cum aliena fœmina commisceat, aut contra mentem sine culpa, quæ sit in Deum, loquatur? Assertivè respondimus, & Sylvius ut nobis occurrat, ipsissimum quod nos ipsi, dicit.

An innocens occidi queat publicâ authoritate?

Præterea cùm Sylvius privatam authoritatem præcepto subdit, videtur publicam eximere, deberéque concedere judicem publicâ authoritate posse innocentem occidere. Sed huic objectioni frustra ipse conatur satisfacere: negat id ex sua doctrina sequi, & ait: [Quamvis judex ille authoritate publicâ sit præditus, non tamen eam habet ad sic occidendum; & propterea non publicâ, sed privatâ authoritate utitur, quandocumque aliquem occidit aliter, quàm juris ordo, vel quam authoritas publica præscribat. At quando Deus quempiam occidi jubet, sive nocentem, sive innocentem, talis occisio non est indebita; neque qui sic est occisurus, occidet authoritate propriâ vel privatâ, sed Dei summi omnium Principis & Domini authoritate, erítque sententiæ ipsius executor. Postquam igitur Abraham Dei mandatum de filio suo immolando acceperat, poterat, imò & debebat eum occidere; quoniam hoc ei jubebatur ab eo qui est dominus vitæ & mortis; & cui præterea omnes debemus mortem, propter peccatum originale, ac per consequens non erat commissurus occisionem indebitam, qualis in Decalogo prohibetur, sed justam ac debitam qualem nulla lex prohibet.]

Hominem occidere potest Deus, etiam carentem peccato originali. Cur ergo huc recurrit Sylvius?

1220 *Respublica non potest cõcedere, ut cõdemnetur innocens.*

Sed hoc si benè examines, non est suam sed meam sententiam explicare. Primò falsum est, ideò peccare judicem qui innocentem condemnat, quod id contra juris ordinem faciat; peccaret enim etiam in Republica, quæ Regi aut Magistratui homicidia innocentum concederet; & dari tales Respublicas certius est, quàm ut debeat probari. In multis enim Diis tutelaribus sacrificantur infantes & parvuli, qui quidem innocentes sunt. Si *juris* nomine intelligat, non jam leges publicas, sed justas, est iterum reducere quæstionem ad ovum, id enim inquiritur, quando erit licitum occidere innocentem. Sed ipse ait, *Tunc licere, quando illa occisio non sit indebita.* hoc est, si clarioribus verbis uteretur, *Tunc solùm licere, quando licet.* idem per idem: & progreditur, tunc quidem licere, quando Dei Summi Principis & Domini authoritate; occisio enim, quæ authoritate divinâ fit, non solùm non indebita, sed & debita dicenda est. Sed quid aliud dicat Ochamus, aut Authores, qui docent posse Deum condere hominem exlegem, non video; nemo enim ex ipsis deliravit posse Deum concedere licentiam, ex vi cujus possint licitè occidere sine licentia, hoc enim terminos implicantes connectitur. Sed omnes potiùs tenent posse Deum indulgere, ut qui non poterant innocentem occidere, jam possint.

An liceat homines sacrificare?

Potest Deus licentiam cõcedere, ut occidatur innocens.

1221 *Hominem occidere potest ejus dominus.*

Faciliùs & meliùs videtur respondisse Præpositus, quia non jam ad licentiam recurrit, hoc enim est dare manus, & nostræ sententiæ subscribere, sed ad materiam. Nam ipso teste homicidium, non ideò illicitum quòd innocens de medio tollatur, sed quòd occidatur ab eo, qui non est Dominus; nam si homo esset verus & proprietarius hominis dominus, illum posset occidere. Et agens de Abrahamo sic infit. [neque enim Deus tanquam Legislator id concessit, sed ut vitæ & mortis dominus, qui cum supremum jus habeat in vitam hominis, potest illam pro arbitrio tollere, & jus alteri concedere eam tollendi, quod & hîc fecit, quemadmodum & alibi sæpius. Quare cùm non remanserint omnes eædem circumstantiæ quibus præceptum, *Non occides*, censetur jure naturæ obligare, cùm illud præceptum prohibeat vitam alterius tollere privatâ auctoritate, & citra necessariam sui defensionem, patet Deum in tali præcepto non dispensasse. Quemadmodum non dispensat cum Magistratu quando justâ sententiâ aliquem mulctat extremo supplicio.]

Responsio Præpositi.

1222 *Vnde nascatur vita & mortis potestas.*

Authoritatem vitæ & mortis nasci ex vero dominio certum est, at non ita omnibus notum. Scatet enim multis hoc vadum salebris & difficultatibus; nam veteres parentibus, ut opinabantur, veris filiorum dominis jus mortis & vitæ concedentes; ita errarunt ut defendi non possint. Heros esse servorum & mancipiorum veros dominos multi existimant, & tamen jus in capita illorum non concedunt: sed de hoc superiùs disputavi. Nunc igitur breviter dico nec patres nec heros habere dominium plenum & proprietarium in filios aut servos, sed solùm utile; adeóque illos occidere non posse. Addo Deum habere plenum dominium in homines, illúdque posse cuilibet communicare. Subjungo hominem, cui tale indulgeretur dominium, reddi verum legitimum & proprietarium dominum alterius hominis, & posse eum in tali casu occidere, si vellet, etiam sine causa; & si occideret, non peccaturum contra Deum; tametsi non posset non militare contra rationem, nisi sibi bonum finem præscriberet. At hæc omnia non militant contra nos: non enim negamus potuisse Deum mutare materiam, & concedere Abrahamo plenum dominium in Isaacum; sed negamus id de facto feciſſe. Sacram enim Scripturam sanctè lego; verba non torqueo; chimæricas circumstantias non intermisceo positionibus certis: in ea præceptum & imperium supremi Legislatoris lego, donationem non lego: adeò nec credo: existimo enim Deum non dedisse Abrahamo dominium plenum in filium, aliàs enim Sacra Pagina id ipsum insinuásset.

Patres, heri, & domini, nõ habent vitæ & mortis potestatem.

An Deus plenum dominium Abrahamo concesserit in filiũ?

Dices, non omnia debere exprimi in Sacra Scriptura; multa enim Deus fecit, quæ non sunt scripta in libro hoc. Et admitto; nego tamen licere unicuique pro libitu periodos contra literam exponere, imò nec præter literam, ni subsit probabilis ratio. Si subsumas hîc probabilissimam dari, subsumptum clarissimè oppugno. Nemo enim aut benè arguit, aut benè respondet, qui vult supponi illud ipsum quod quæritur: atqui cùm respondent Bernardo & nobis supponunt adversarii illud ipsum quod quæritur; ergo circuli vitio laborantes malè respondent. Vel attendite.

1223 *Adversarii semper supponunt id, quod quæritur.*

Objicimus illis verba Genes. 22. *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram*

1224 *Præceptum*

legitur: concessi dominii non legitur.

terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. Respondent his verbis Abrahamo dominium concedi in suum filium. Impugnamus, quia in illis imperii & præcepti expressos characteres legimus, donationis characterem non legimus. Sed dicunt ex illis verbis colligi. At quare? quia illis verbis præcipitur Abrahamo, ut licitè occidat suum filium; cúmque non posset licitè, nisi priùs esset proprietarius plenus & legitimus dominus, concedendo illi quod posset aut deberet filium interimere, si esset ejus proprietarius dominus concessum est. An non vel cœcus es, vel vides in illa minori supponi illud quod controvertitur? supponunt, ut nobis respondeant, non potuisse Abrahamum licitè occidere Isaacum, ni fuisset priùs vero legitimo & pleno in eum dominio præditus; & in controversia nihil aliud discutitur, nil aliud quæritur: si enim supponitur illa minor, etiam nos errare supponitur. Arguo tamen breviter. Abrahamus tenebatur filium occidere, ergo habebat occidendi præceptum: patet, quia ex mera & liberali donatione nasceretur proprietas in filium, aut etiam occidendi potestas (nota id benè) non verò occidendi obligatio.

1225 *An Abrahamus erat occisurus filiũ ut quo?*

Alii putant se meliùs satisfacere: si dicant injunctum fuisse Abrahamo, ut filium tanquam vicarius Dei delegatâ authoritate interimeret; sed hoc clarissimè oppugnatur. Nam Abrahamus nomine proprio, & non Dei, erat filium suum occisurus: ergo non jam delegatâ, sed propriâ authoritate. Antecedens demonstro: Quia Abrahamus erat immolando occisurus, & occidendo sacrificaturus; atqui non poterat illud offerre *ut quo* & ut causa instrumentalis, Deus enim non offert sacrificia, nec immolat: debebat ergo *ut quod* & ut causa principalis; suo igitur & non divino nomine.

An potuerit illum sacrificare ut quo?

SECVNDA RATIO.

1226 *An Deus in furto dispensaverit?*

PRobat secundò D. Bernardus posse Deum in Tabula secunda dispensare; quia de facto dispensavit in furto, cum permisit Hebræis Ægyptios expoliare.

An bona Ægyptiorum donaverit Israëlitis?

Occurrit verò Sylvius dicens; [De Israëlitis Ægyptiorum bona tollentibus benè respondet B. Thomas tam *hîc*, quàm 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 8. *ad* 1. quod non commiserint furtum; quia non tulerunt res alienas, sed suas, seu sibi debitas ex sapientia Dei; & quamvis Ægyptii essent inviti; quia tamen Deus res eas ipsis donabat, non invito supremo domino auferebant, sed jubente potiùs ac donante, ídque in recompensationem laboris & operum, quæ Israëlitæ Ægyptiis præstiterant, & pro quibus mercedem non acceperant, hinc Sapientiæ 10. de Deo dicitur. *Reddidit justis mercedem laborum suorum & deduxit illos in via mirabili.* Et mox, *Ideò justi tulerunt spolia impiorum.*]

1227 *An liceat occulta compensatio?*

Sed non adquiesco. Fateor Ægyptios multa debuisse Hebræis, quibus crudeliter in ædificiis usi; scio tamen ad compensationem justam eos non eguisse aut mandato Dei, aut aliqua divina licentia. Sed quis credet, ita potuisse famulum in rebus mechanicis mereri, ut tota domini substantia deberetur? Prætereà, Hebræis nihil debebant Ægyptii privati, sed Rex; hic ergo, & non illi erat hoc titulo expoliandus.

1228 *Multa semper supponũt adversarii, nil probant.*

Sanè Deus, cùm expoliando Ægyptios ditavit Hebræos, potest dici concessisse Hebræis dominium proprietatis in Ægyptiorum opes, & potest non concessisse tale dominium, sed licentiam ut Ægyptios veros rerum dominos invitos & involuntarios expoliarent. Si secundum dicatur, stat Bernardi resolutio, & sacri textus intelligentia clara. Si primum, falsum est illud Sapientiæ, *Reddidit justis Deus mercedem laborum suorum*: ipsi enim habebant verum jus in illam mercedem, nec debebat Deus illis tale dominium dare, licitè enim illam possiderent etiam si tale dominium non concederetur.

TERTIA RATIO.

1229 *An aliquando Deus dispensaverit in quinto præcepto Decalogi?*

SEd & morte Samsonis utitur Bernardus, ut supremam Dei potestatem persuadeat, ipse enim Deo dispensante sibi mortem conscivit.

Respondet Sylvius nullam factam fuisse dispensationem: cùm enim seipsum vnà cum aliis occidit, non fecit aliquam occisionem indebitam; quia ex Sancti Spiritus instinctu motus id fecit, atque ita istius rei faciendæ authoritatem à Deo acceperat, unde sequitur, quod licitè ac justè se interfecit: talis autem interfectio nulla lege prohibetur. Confer 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 4.

1230 *Miror has & toties repetitas Sylvii responsiones!*

Sed hîc iterum Sylvius pressus pondere opprimitur. Sentit cum Ochamo, & tamen vult cum Thomistis loqui. Dispensationem negat, & negandi rationem adducit, quia non fecit occisionem indebitam. Sed quis unquam audivit dispensationem colligi à posteriori ex eo quod fiat actio indebita? non est actio mala quæ cum dispensatione fit. Sed esto, sit illa occisio debita. Sed cur talis? quia ex vi præcepti in lege priore dispensante fuit facta. Sed quia iterum Sylvius eisdem terminis utitur, quibus prius, cùm de Abrahamo agebatur, volo adhuc rigorosiùs ipsius responsionem discutere.

1231 *Quo sensu dicendus sit Deus in Decalogi lege dispensare?*

Aut fallor aut concedet Sylvius dari aliquas leges morales humanas, in quibus possit Superior dispensare; sit hæc: *Ego*, inquit Pontifex, *jubeo, ut legas Officium divinum.* Probóque Pontificem non posse dispensare; [quia cùm tu jussus à Pontifice tacere, officii lectionem omittis, non habet omissionem indebitam, qui ex sanctissimi Patris instinctu & motu taces & vacas aliis rebus: atque ita omittendi lectionem authoritatem à Pontifice acceperas: unde sequitur, quod licitè & justè lectionem omittas, talis enim omissio nulla lege prohibetur.] Puto me ne verbum quidem substantiale mutasse. Ergo si Sylvii responsio æquè contra dispensationes Decalogi & Iuris Pontificii militat, dicendum non minùs Deum posse dispensare in Decalogo, ac in Canonico Iure Pontificem: id enim Sylvii responsio evidenter & dilucidè probat.

QVARTA RATIO

1232 *Osea 1.*

IN Sacris literis etiam fundatur; Deus enim jussit Oseæ ad pellicem & meretricem accedere;

cedere; dixit enim, *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Nam, si Prophetæ jussit ad fornicariam extra matrimonium accedere, verè in sexto Decalogi præcepto dispensavit.

1233 *An Oseas jubente Deo ad meretricem accesserit?*

Vt Sylvius satisfaciat Bernardo sic inquit: [De Propheta Osea certum est neque eum esse fornicatum, neque ut fornicari posset divinitus accepisse dispensationem: non enim ipsi indultum fuit, ut accederet ad non suam; sed jussum ei est, ut mulierem fornicariam acciperet sibi in uxorem: id enim ista verba significant, *Sume tibi uxorem fornicationum, id est, mulierem fornicariam accipe tibi in uxorem.*]

1234 *An possimus à vulgato recedere?*

Sed quia statim poterant occurrere verba sequentia, nimirum: *Et fac tibi filios fornicationum:* occurrit asserendo esse aliquos qui teneant nec in Hebræo nec in Græco textu, imò nec in multis Latinis exemplaribus manuscriptis ista verba *fac tibi* reperiri. Sed hæc solutio nec sua nec ad rem, quia in materia fidei & morum ad Sacram Scripturam recurritur, nec auderem à gravi censura excusare illos, qui dicunt vulgatum esse corruptum & periodos spurias inter canonicas amplecti.

1235

Sed quia vidit Præpositus hoc esse periculosum effugium, aliò tendens sic inquit. [Etiamsi retineatur sicut in Bibliis jussu Clementis VIII. emendatis (libentius ego *restituis* legerem; non enim licet Pontifici Biblia Sacra emendare, si emendare aliud quàm restituere sit,) retenta sunt, nihil obstat: non enim sensus est, procrea filios ex fornicatione, sed jubetur, vel ut simul cum muliere fornicaria assumat, atque in domum suam introducat filios jam anteà ex fornicatione genitos; eósque faciat suos per adoptionem, vel ut ex muliere fornicaria sibi per matrimonium facta uxore sumat filios eos ex illa procreando: qui quidem filii fornicationum vocandi sint, non à fornicatione patris, sed à fornicatione matris, juxta illud cap. 2. *Filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum;* ac fortassis etiam ab ipsorum filiorum fornicatione, eo quod & ipsi instar matris multum essent fornicaturi.]

An meretricè Oseas duxerit in uxorē?

1236 *Filios Oseas non adoptavit, sed fecit, hoc est, genuit.*

Si non esset adamantina Sacra Scriptura, frangeretur tam violenter obtorta. Quomodo filios ante ex fornicatione genitos adoptare præcipitur, si recensentur eodem primo capite tres ab ipso geniti. *Fac tibi filios fornicationum*, inquit sacer Textus, & addit, *Et abiit* (Oseas) *& accepit Gomer* (in pellicem) ... *& concepit & peperit ei filium, ... & concepit adhuc & peperit filiam, ... & concepit & peperit filium?* liquet igitur ibi non de adoptivis, sed de naturalibus filiis agi. Præterea filius fœminæ, quæ ante matrimonium fuit meretrix, si in matrimonio habeatur, legitimus est, nec filius fornicationum nominandus. Nec ad fornicationes filiorum reflectitur Sacra Scriptura, illud *fornicationum*, vocem *fac* afficit, & sumitur aut adverbialiter, aut adjectivè more Hebræo, ac si diceretur, *fac filios fornicariè*, aut *fac tibi filios fornicarios:* ipsis enim, *Spiritus sanctitatis* est Spiritus Sanctus; *Filius fornicationis*, spurius; *Filius mortis* damnatus capite.

Filius fornicationis. Filius mortis. &c.

Et, si objicias iterum, quod eidem Prophetæ cap. 3. præcipitur, *Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram:* sibi consonans ait, hanc mulierem esse illam ipsam, quam cap. 1. jussus erat Propheta accipere in uxorem, & quæ post matrimonium cum ipso initum adulteriis se infamem fecit, ac nihilominus Propheta jubetur eam diligere, non conjugaliter, sed velut ancillam, quam mortuo ipsius marito sibi comparaverit quindecim argenteis, & semi-coro hordei.

An adultera à meretrice in illo loco distinguatur?

Sed existimo constare liquidò, nullum inter Gomeriam, Oseámque intercessisse matrimonium; nam præcepto illud volebat proponere Deus coram universorum oculis scelera Reipublicæ Iudaïcæ hujus meretricis nomine significata. *Vade*, inquit Deus, *& sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Atqui quando terra fornicando concipit, quòd modicum adhuc sustineatur, quòd indigna sit misericordiâ, quòd non sit Dei populus (hæ sunt tres Prophetæ soboles) non copulantur intra matrimonium, sed contemnens sponsum Deum, ad dæmonem ipsum conversa: ergo Oseas meretricem in uxorem non duxit, vel Gomeria non est terræ luxuriantis aut regionis fornicantis character.

1237 *Meretricem Oseas non duxit in uxorē. Clarè id probatur.*

VIDIT Præpositus negari non posse Oseam cælibem fornicariâ commixtum, aliam excogitavit solutionem, & ait, [Quamvis cum quibusdam diceremus Deum concessisse Oseæ, ut accederet ad non suam, seu ad eam, cum qua nullum matrimoniale vinculum intercederet, non propterea dicendum in lege dispensasse, sed ut suprà dicendum, id feciisse tanquam supremum dominum omnium jurium creaturæ, ratione cujus dominii potuit concedere, ut ii inter se commiscerentur, inter quos nullum vinculum matrimoniale intercederet, occurrendo similiter incommodis, quæ moraliter inde sequi possent.]

1238 *Responsio Præpositi.*

Possit-ne præcipere aut concedere Deus, ut Cælibes commisceantur?

Sed hæc solutio accinit Ochamo & universis, qui Deum in Decalogo dispensare posse concedimus. Non dicimus id posse Deum ex vi alicujus humani privilegii, sed quia est supremus dominus omnium jurium creaturæ. Præterea, si ratione supremi dominii potuit Deus concedere, ut ii inter se commiscerentur, inter quos nullum vinculum matrimoniale intercederet: procul dubio potuit dispensare. Nam cùm Ochamus Bernardo subscribens affirmat potuisse Deum dispensare in sexto præcepto Decalogi formaliter, nihil aliud quàm Præpositus, concedit; nam putat Deum dispensare materialiter, si mutaret materiam, hoc est, non conjugatos conjuges faceret: formaliter, si ipsis immutatis & solutis manentibus adhuc concederet ut possent misceri sine peccato.

1239 *Sufficit nobis id quod concedit Præpositus, ut dicamus Deum de facto dispensasse in Decalogo.*

Sed dices, adhuc Præpositum mutationem materiæ in illa Oseæ & Gomeriæ commixtione invenire: quia copula extra matrimonium non est mala propter se, sed propter incommoda quæ inde sequi possunt aut solent: & Deus potest occurrere incommodis quæ moraliter inde sequi possunt.

1240 *Cur fornicatio mala sit?*

Sed hæc instantia talis est, ex qua inconvenientia quàm plurima sequantur. Quia si tota malitiæ ratio in inconvenientibus subortis consistit, & tollitur illis sublatis, non potero intelligere,

intelligere, cur non possit etiam homo concedere ut solutus solutáque commisceantur licitè, potest enim occurrere similiter incommodis, quæ moraliter inde sequi possunt. Vel qui dubitet, adsignet illa incommoda, & me legat cùm fornicationis malitiam in Præcepti VI. expositione ostendo.

Hæ sunt quatuor columnæ, quibus suam sententiam Mellifluus meus Doctor fundavit; quatuor, quæ quia firmissimæ, vacillare non possunt: aliàs, sed debiliores nonnullas etiam Bernardi discipuli addiderunt; eas breviter discutiamus.

DISPVTATIO IX.

Rationes minùs fortes.

De aliarum rationum efficacia ad eamdem veritatem probandam.

1241 *An in omnibus præceptis dispensaverit Deus?*

BERNARDI analogismos suspicis, etiam alios pugiles in eadem arena merentes admirare. Deum posse dispensare probant, quia non est censendus limites authoritatis prætergressus, & tamen de facto jam sæpè dispensavit in omnibus præceptis Decalogi.

In primo

An contritionem in attritionem & confessionem cõmutaverit?

IDololatriam permittens & loco contritionis lege naturali requisitæ, substituens attritionem.

1242 *An unquam Idololatriam permiserit? Naamani historia.*

Quod idololatriam permiserit Deus probatur ex historia Naaman & Elisæi, (4. Reg. 5. 14. & Lucæ 4. 27.) quam placet breviter subjungere. Erat Naaman apud Regem Assyriæ militiæ Princeps, fortis & dives, sed leprosus: in Samariam venerat curandus ab Elisæo Propheta Dei. Ejus indicto salutem pristinam recuperat; exuit ulceratam carnem, & induit simillimam pueili. Israëlis Deum ibi proponit colendum, & ait, *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Subjungit, *Hoc tantùm falum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remnon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remnon, adorate eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Consentit Elisæus, & ait, *Abi in pace.* Ergo Naaman in posterum poterat tutâ conscientiâ adorare idolum Remnon. Patet consequentia, quia aliàs non dimitteretur in pacem, sed in peccati servitutem.

Remnõ Deus Assyriorum.

1243 *An in lege amandi Deũ, & dolendi de peccatis commissis dispensaverit?*

Quod in contritionis lege dispensaverit, constat ex ipsamet natura peccati mortalis & Sacramento Pœnitentiæ. Peccatum gratiæ opponitur, nec potest naturaliter attritione fugari. Stando rerum cursui ordinario comparatur cum attritione, & cum confessione non sacramentali, nec sine contritione (actus amoris est à charitate productus & ad charitatem immediatè disponens) deletur. At Deus absolutâ suâ potentiâ usus, Pœnitentiæ Sacramentum instituit, hominémque à veteri jugo liberans, contritionem sibi jure naturæ debitam in attritionem & confessionem commutavit. Cùm igitur commutare etiam sit dispensare, dicendum est, Christum in Decalogi præcepto primo, quod contritionem indicebat, dispensasse.

AD INSTANTIAM desumptam ex historia Naaman respondet Sylvius, neque Elisæum dispensasse neque permisisse, ut domino suo, idolum adorante seu colente, ipse quoque illud coleret (quomodo enim alioqui vera fuissent hæc ejus verba: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi*, hoc est, sed tantum *Domino soli*) ei permisisse, ut Regi idolum in templo colenti solitum sui corporis obsequium exhiberet; vel declaravit, quod illud posset ei præbere, atque adeò Rege se curvante & genuflectente, se curvare & genuflectere. Quæ incurvatio atque inclinatio, etiam alibi *adorationis* nomine expressa invenitur, ut Geneseos 18. ubi Abraham conspectis tribus viris dicitur *adorasse in terram*, hoc est, se pronum in terram prostravisse, & cap. 23. *Adoravit Abraham coram populo terræ.* Reges quoque solitos fuisse incumbere vel inniti super aliquem è suis aulicis, ex 4. Reg. 7. patet. 1244 *Sylvii responsio.*

Eadem potest actio à duobus fieri: ab altero bono animo, & ab altero malo: ab altero licitè, & ab altero peccaminosè.

Sed hæc omnia non satisfaciunt. Et *primò* illa verba, *Non faciet ultrà servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino soli*: non militat contra instantiam; benè enim componi potest; quòd Naaman nunquam sacrificaret idolo, & tamen illud aliquando extrinseco cultu adoraret, ut hodie benè posset componi quod Petrus nunquam celebret aut celebrare Missam faciat, & tamen expositum Sacramentum adoret. 1245

Secundò, falsum videtur Naamano fuisse concessum, ut posset Domino servire à brachio etiam in templo; quia illi concessum fuit quod petiit; ipse autem non petiit licentiam serviendi Regi suo à brachio, sed adorandi, hoc verbo enim utitur expressè. Nec juvat nomine adorationis inclinationem purè materialem intelligere, quia in locis à Sylvio citatis præter genuflexionem reperio reverentiam moralem illis personis exhibitam, quibus Abrahamus dicitur genuflectere. Nam 18. Geneseos, sic lego. *Cùm elevasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi & adoravit in terram:* & cœcus sum, si non reluceat aliqua Abrahami erga Angelos in hac adoratione reverentia. Et 23. adorat Abraham in gratitudinis testimonium, nam cùm petiisset ab Hethæis, ut posset Saram uxorem jam defunctam in eorumdem sepulchris condere; ipsi benignè adnuerunt; ipséque ne ingratus & inurbanus videretur; surrexit & adoravit eos. Malè igitur Sylvius his duobus testimoniis utitur; ut ostendat in adoratione cultum non claudi, nam & Abraham Angelos & Hethæos adoratione coluit, genuflexione est veneratus. *Benè tamen probaret*, verbo hoc non semper exprimi latriam, sed vel latriam, vel duliam; at hæc animadversio tametsi vera, non prodesset, gentium enim idola (hoc est, dæmones) adoratione duliæ colere illicitum est. 1246 *Quid Naaman postulaverit, & obtinuerit?*

Abraham coram Angelis flectens illos fuit veneratus.

Etiam in genuflexione factâ Hethæis venerationẽ reperio.

Adorationis lex in sacra Pagina non semper significat latriã.

Tertiò, ut concederetur hîc non agi de 1247

Ratio ſcandali conſiderari ſemper debet.
An in genuflexione Naamani reperiretur ſcandalum?

cultu Idoli, ſed de obſequio præſtando Regi, cui à brachio ſerviebat Naaman; adhuc ratione ſcandali tenebatur ipſe non genuflectere, cùm Rex genuflexus adoraret. Negat id Sylvius, putat enim nullam ſubfuiſſe cauſam, ob quam qui templo aderant ſcandalizaai poſſent: tum quia conſtabat eum unius veri Dei eſſe cultorem, tum quia nunquam ingrediebatur templum niſi cum Rege. Sed hæc nec certa, nec ſufficientia ſunt. Conſtitiſſe, inquit Sylvius, omnibus templum frequentantibus Naamanum eſſe cultorem veri Dei. Sed unde habeat hoc Sylvius, mihi non conſtat; id enim nec in Sacris literis, nec in authenticis hiſtoriis legit: fingit ergo, quæ judicat prodeſſe poſſe. Sed ex hac ſolutione arguo ſic. [Eſt error in Dialectica aſſerere conſequentiam clariorem aut certiorem præmiſſis eſſe; nam, ut communi circumfertur axiomate,

Conſequentia non eſt clarior præmiſſis.

Conſequentia ſemper partem debiliorem ſubſequitur. Atqui, ut inferat Sylvius Naamanum non habuiſſe Idolum colendi, nec populum ſcandalizandi licentiam, præmittit eſſe apud omnes Idoli illius cultores notum quod Naamanus non illum fictum, ſed verum Deum coleret. Ergo illa conſequentia non eſt certior hoc antecedenti: atqui hoc improbabile eſt, ergo & illa. Subſumptum probo, quia cùm ſit aſſertio practica, & à ſolutione quæſtionis de facto dependeat, à ratione probari non poteſt; & tamen non datur teſtimonium, quod illam vel probabiliter perſuadeat: Ergo.]

Quæſtiones de facto non poſſunt à ratione diſſolvi.

1248 *Examinatur alia ratio.*

Præterea illa ratio, *Naamanus nunquam ingreditur templum niſi cum Rege: ergo omnes ſciunt eum non niſi Deum Iſraëlitarum colere*, quâ Sylvius excurſum ſuum claudit, laborat ſexcentenis capitibus.

Primò enim, quid ſcimus, An fuerit falſum antecedens?

Et eadem propter multa rejicitur.

Secundò, ſi illud verum, unde ſcimus fuiſſe univerſis notum? Scit ne ipſe Sylvius, utrùm talis Principis famulus nunquam ingrediatur templum ſine ſuo domino? minimè, quia negotiis ſuis intentus alienas vitas non examinat: & ſi hoc ipſe ſcire non ſolet, cur aſſerit homines univerſos illos, qui templum Remnonis viſitabant, ſcituros quod Naamanus nunquam ingrederetur templum ſine Rege.

Tertiò eſto id omnes ſciverint, An ideò judicaturi, eum non Remnonem Aſſyriorum Deum, ſed peregrinum alium colere? Si Petri famulus nunquam ingrederetur Eccleſiam ſine Petro, & tamen toties ingrederetur quoties Petrus, quis auderet eum non-Chriſtianum aſſerere? ergo idem dicemus de Naamano.

Quartò, detur omnes ſcire Remnonem à Naamano non coli, ex hoc non-cultu eum eſſe veri Dei cultorem non ſequitur: poſſet enim propter alia idola Babyloniorum Deos contemnere.

Ex eiſdem Sylvii præmiſſis infero conſequentiã oppoſitam.

Quintò, condonentur Sylvio omnia, quæ, ne probet, ſupponit; adhuc nihil habebit. Sciant omnes eum eſſe veri Dei cultorem, aut etiam ejuſdem cum Eliſæo religionis, ſi velis: infert Sylvius, *Ergo ſcandalizari non poterant videntes illum coram Remnone genuflectere.* infero, *Ergo non ſcandalizari non poterant.* Ratio eſt; quia omnia peccata publica pariunt ſcandalum; & Naamanus, ſi crederetur corde Iſraëlitarum Deum colere, & tamen videretur Aſſyriorum Deo extrinſecum cultum exhibere, cenſeretur peccare; peccatum enim eſt in omnium prudentium ſententia, unum Deum mente, & alterum linguâ profiteri.

Maneat igitur, quidquid ſit de inſtantiæ 1249
hujus, quæ ex hiſtoria Naamani deſumitur, efficaciâ, illi Sylvium non ſatisfacere. An aliter occurri eidem poſſit, Lectori judicandum relinquo; non enim libenter diſpenſationem, quam argumentator urget, concederem; & tamen qualiter negari poſſit, in Sylvii aut aliorum Thomiſtarum libris clarè non video.

Ad instantiam deſumptam ex Sacramento Pœnitentiæ aliqui mihi reſponderunt, ita tamen ut reſponſionem calamo indignam judicârim.

In ſecundo Præcepto

Diſpenſare Deum poſſe clarè oſtenditur. 1250
Quia in votis & juramentis purè humanis poteſt homo diſpenſare, imò & in divinis in ſuam utilitatem emiſſis: ergo & Deus in Theologicis. Patet conſequentia, quia nulla eſt diſparitatis ratio: Minorem probo. Si Petrus tibi promittat mille aureos, tenebitur tibi humanitùs; & ſi promiſſionem juramento confirmet, divinitùs: & tamen tu poteris cedere tuo jure, & facere quod ille non teneatur illam ſummam auri donare. Ergo ſimiliter, ſi voves Deo caſtitatem, paupertatem, religionem, aut aliam quamcumque virtutem, poterit Deus obligationem condonando in voto diſpenſare. Imò & hanc poteſtatem videtur conceſſiſſe hominibus, in omnium enim ſententia univerſi Patresfamilias poſſunt in aliquibus votis Deo factis diſpenſare.

An poſſit Deus in votis & juramentis diſpenſare?

An homo poſſit?

Nec juvat ad materiæ mutationem recur- 1251
rere, quia homo ſtantibus eiſdem circumſtantiis liberè relaxat obligationem natam ex promiſſione ſibi facta, & nulla ratio ſuppetit ob quam debeat quis dicere Deum teneri neceſſariò hominum vota admittere, nec poſſe hæc ipſis condonare.

In tertio Præcepto

Diſpenſavit Deus aliquorum ſententiâ, 1252
cùm in obſervantia Sabbati 1. Machab. 2. *Et cogitaverunt (Machabæi) in die illa dicentes, Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbaterum, pugnemus adverſus eum.*

An liceat pugnare die feſto?

Sed hanc rationem omninò debilem judi- *Aliud eſt habere feſtos dies: & aliud tales.*
co, nec illa utar confirmaturus ſententiam mei Bernardi, nam ut benè notat Præpoſitus, cùm huic objectioni ſatisfacit, in Decalogi tertio præcepto indicitur cultus Dei, & decernitur exhibendus eſſe tali die. Prima præcepti pars ad legem naturalem pertinet, poſterior ad cæremonialem. Addit Deum non diſpenſaviſſe in lege naturæ, ſed in cæremoniali; quia ut in lege naturæ diſpenſaſſe dicendus fuiſſet, deberet indulſiſſe licentiam ut rationalis creatura nunquam ſibi cultum & adorationem deferret.

At ego exiſtimo, ne quidem in cæremoniali 1253
diſpenſaviſſe: & ratio eſt, quia tam olim Judæis indicebatur

An pugnare sit opus servile?

indicebatur observantia Sabbati, quàm Christianis Dominicæ : at isti possunt pugnare die Dominicâ : ergo & illi poterant die Sabbati. Minorem apud Dianam admittunt viri docti, & probant, quia die Festo omnia opera servilia interdicuntur, at pugnare servile non est; nam & Principes & Reges pugnant.

In quarto Præcepto

1254 *An possit cõcedere Deus, ne filius parentes honoret?*

POsse Deum dispensare ostenditur; Ideò enim obedîmus Superioribus, quia id jussit Deus; & tamen non teneremur obedire, si non jussisset; nec si inhibuisset, possemus.

Respondet Sylvius ubi suprà, præceptum de honorandis parentibus esse affirmativum, adeóque tantùm obligare positis certis circumstantiis loci, temporis, & similium, ita ut cùm dicitur, *Honora patrem & matrem*, intelligi debeat, quando & quomodo recta ratio dictat honorem iis esse impertiendum. Vnde, si Deus alicui juberet, ut patri suo nullum honorem vel reverentiam, nullámque sustentationem exhiberet, sed permitteret eum mori fame, tunc recta ratio non dictaret honorem illi esse impertiendum, ac per consequens ille non obligaretur patri honorem exhibere; non quia Deus cum eo dispensasset (non enim feciſſet, quod liceret non exhibere patri honorem, quando juxta rectæ rationis dictamen exhibendus est,) sed quia præceptum cum talibus circumstantiis consideratum definiret esse præceptum, & cessaret ejus obligatio.

Considerentur, quaso, verba singula.

1255 *Videtur non velle, aut non posse quæstionem intelligere Sylvius.*

Me miserum! quid dicam, aut quid addam? Aut non intelligo, aut non intelligor. Hæc solutio extra difficultatem exorbitat, & omnes etiam juris positivi divini, & humani dispensationes tollit. Peto à Sylvio, An hodie præcepto circumcisionis teneamur? & si non, cur non teneamur? aut disipio, aut respondebit Deum veterem illam legem solvisse, & in ejus rigida obligatione dispensasse. Quid si ego dicerem, [præceptum de circumcisione esse affirmativum, adeóque tantùm obligare positis certis circumstantiis; ita, ut intelligatur homo debere circumcidi, quando recta ratio dictat? Sanè si cui Deus Circumcisionem inhiberet, tunc recta ratio dictaret Circumcisionem non esse admittendam, ac per consequens ille non obligaretur circumcidi: non quia Deus cum illo dispensasset (non enim feciſſet, quod liceret non circumcidi, quando quis juxta rectæ rationis dictamen circumcidendus est) sed quia præceptum tali circumstantiâ (nempe, præcepto contrario posito) definiret esse præceptum, & cessaret ejus obligatio?] Sanè verbis ejusdem uteret, & duas similimas quæstiones eodem prorsus modo resolverem. Cùm Deum in Decalogo posse dispensare asserimus, & Sylvius negat, idem omninò sentimus, sed diversimodè loquimur.

Sylvius sentit cum Scotistis sed contrà loquitur.

Hanc responsionem Sylvii prævidit & impugnavit Scotus *in* 3.*dist.*37.*quæst.unic.*§.*Aliter.* ubi post alios modos dicendi hunc proponit. *Dicitur, quod actus manens inordinatus non potest fieri ordinatus* (videlicet, in sensu composito) *actus autem in quantum est contra prohibitionem est inordinatus, ideò non potest dispensare in illo in quantum est contra prohibitionem.* Et quid ad hæc Scotus? *Istæ expositiones*, ait, *quæ fortè redeunt in idem, non videntur salvare propositum: dispensare enim non est facere, quod stante præcepto liceat facere contra præceptum: sed dispensare est revocare præceptum, vel declarare qualiter debeat intelligi.* Nos igitur stando fundamentis Scoti non volumus, ut Deus relinquat præceptum, & concedat quod quis illud sine peccato violet; id enim impossibile est; &, si esset possibile, non esset dispensatio: sed volumus, quòd Deus aut non præcipiendo id quod præcipiebat, aut præcipiendo contrarium, possit facere quòd præceptum desinat esse præceptum, & cesset ejus obligatio; quam quidem Deo potentiam expressissimè Sylvius concedit. Nam cùm Prælatus, qui tibi jejunium indixerat, dicetur dispensare, non concedit, ut possis stante præcepto omittere jejunium sine culpa, nec concedit quod illud possis omittere, quando recta ratio non omittendum dictat, sed tollit præceptum, & facit quod recta ratio dictet posse illud omitti. Et siquidem hoc ipsissimum concedit Sylvius Deo, ne abutatur verbis, sed loquens cum multis Thomistis, quibus mente valedixit, etiam valedicat linguâ, & nostræ sententiæ cui dictamen subdidit, etiam subjiciat labium. Thomistis potiùs dixerim, quam D. Thomæ, nam stando doctrinæ & literæ Doctoris Angelici posse commodè defendi nostram doctrinam, certum est. Vide Commentarium meum in Reg. D.Bened. *num.*21. in quo cito D.Thom. 1.2.*q.*100. *art.*8. dicentem Deum Decalogi esse Legislatorem.

Quid sit dispensare?

Ostenditur instantiâ ab humana dispensatione desumpta.

In quinto Præcepto

1256 *An possit Deus in quinto præcepto dispensare?*

DIspensavit Deus teste Bernardo, cùm Abrahamo filicidium injunxit, ut superiùs vidimus: sed & huic rationi alteram æquè fortem adjungo.

Vir quidam de filiis Prophetarum, ait Spiritus sanctus 3.Reg.20.35. *dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cúmque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum; Percute me. Qui percussit eum & vulneravit.* Ergo Deus non tolùm dispensabat in quinto præcepto Decalogi, sed & percussionem illam præcipiebat.

1257 *Potuit, Ergo & fecit: Dialecticus doctus non dicet.*

Si objicias Deum potuisse illum Propheram sub dominium plenum socii ejus submittere: dicam certum esse, quod Deus id potuerit; non tamen probabile quod fecerit. Præceptum enim in Sacra Scriptura clarè video, donationem non video. Præterea, si ille filius Prophetarum servitute plenâ (nostri servi non cognoscunt dominum plenum, non usuarium, sed utilem: adeóque ille Propheta strictiùs teneretur socio, quam servus emptus suo emptori) subderetur socio, qui potuit domino imperare? verba enim illa, *Percute me*, imperium sonant: qui sine licentia posteà à domino innocenti recedere? an & Deus iterum donationem factam revocavit, & dominium concessum

Quo servi modo subjiciantur suis Dominis?

An servus possit imperare Domino?

Monitum cholasticum.

conceſſum percuſſori ſubſtraxit? ſunt ſomnia, quæ ab afflictis finguntur, quod ſua aliàs placita tueri non poſſint: cùm tamen faciliùs eſſet mentes ad exemplar Sacræ Scripturæ reformare, quàm illam ad mentis ſuæ fluctuantes ideas torquere.

In ſexto Præcepto

1258 *An Polygamia ſit contra Ius naturæ? & an in illa Deus diſpenſaverit?*

DIſpenſaſſe cum Oſea Propheta oſtendit Bernardus, & nos ejus montem ſequuti. Sed & eandem Melliflui Doctoris ſententiam ſic confirmo. Polygamia jure naturæ eſt illicita; atqui Deus in ea diſpenſavit, cum Patriarchis poſſe habere plures ſimul uxores indulſit: ergo.

Cur Polygamia fuerit licita, aut illicita?

Hæc ratio fortiſſimè ſtringit omnes illos, qui concedunt majorem. Præpoſitus minorem negat, & rationem negandi ſic proponit. [Quamvis enim Deus permiſerit aliquando uni viro ſimul habere plures uxores, id tamen non fecit propriè diſpenſando in lege naturæ, ſed ratione ſupremi dominii, ratione cujus poteſt permittere, ut vir acquirat jus perfectum in corpus fœminæ, ita ut illa jus in ſuum corpus nequeat ſimul in alium transferre, conceſſo tamen eidem fœminæ jure imperfecto in corpus mariti, & cum quo ſeſe compatiatur, quod alteri fœminæ ſimile jus in corpus ſuum poſſit concedere. Quamvis enim id non poſſit mulier propriâ authoritate; poteſt tamen Deus, ut ex dictis patet, valens variis incommodis, quæ nata eſſent ſequi, occurrere. Videri poſſunt quæ diximus *3. part. de matrim. quæſt. 1. d. 8.* Eodem modo Deus non diſpenſavit in lege naturæ permittendo libellum repudii ſecundùm eam ſententiam, quæ cenſet per illum matrimonium fuiſſe ſolutum; ſed tamquam ſupremus dominus ſuſtulit vinculum, quo partes ſibi invicem adſtringebantur; quo ſublato vir licitè ad alias nuptias poterat convolare.] Hucuſque ille.

De libello repudii. An matrimonium ſolverit in lege veteri?

1259 *Deus olim in Polygamia diſpenſavit?*

Hîc iterum ad ſupremum dominium fruſtra tamen recurritur, nam & ego nunquam doceo poſſe Deum de potentia ordinaria diſpenſare in Decalogo, ſed id concedo uni & ſoli ſupremo dominio ſeu potentiæ abſolutæ. Igitur ex conceſſis à Præpoſito ſic argumentor. [Poteſt Deus ratione ſui ſupremi dominii concedere, ut Petrus adquirat in ſingulas uxores verum & adæquatum jus, & tamen ſingulæ in eum inadæquatum & partiale. Ergo, vel lex naturalis non concedit adæquatum jus fœminis in corpus viri, vel Deus ratione ſui ſupremi dominii poteſt aliquid jubere contra legem naturæ, & per conſequens in illa diſpenſare. Atqui Præpoſitus Polygamiam jure naturæ interdictam concedit: ergo & debet concedere Deum in lege naturæ diſpenſaſſe.]

An illa hodie ſit licita?

Cæterùm Polygamiam eſſe ex natura rei interdictam nemo mortalium ratione evidenti probabit: hæc tamen ratio ad hominem, ut dicitur, fortiſſima eſt.

Inferes. Ergo hodie Polygamia eſt licita? Et ego nego conſequentiam. Vbi enim rationes evidentes deſunt, authoritates infallibiles ſuppetunt, quas proprio loco dabimus.

In ſeptimo Præcepto

1260 *An poſſit Deus diſpenſare in furto?*

CVm Iſraëlitis diſpenſaſſe certiſſimum eſt, ut ſuperiùs oſtendimus, cùm mentem Bernardi exponeremus: poſſent ſimiles hiſtoriæ etiam adduci, ſed quia nulla clarior recenſitâ, non juvat exempla analoga multiplicare.

In octavo Præcepto

1261 *An in mendacio?*

POſſe diſpenſare, non negabunt illi qui auſi ſunt aſſerere Deum ipſum de potentia abſoluta mentiri poſſe. Sanè, ſi poſſet ipſe contra ſuam mentem ire, etiam poſſet homini concedere, ut licitè contra propriam procedat & mentiatur. Sed quia nimis durum videtur primum illud aſſertum, nos tenemus Deum non poſſe mentiri, & tamen poſſe in omni mendacio diſpenſare, illúmque, qui mentiretur poſitâ tali diſpenſatione, proceſſurum eſſe contra mentem & veritatem ut hodie, non tamen peccaturum contra Deum. Deum de facto diſpenſaſſe in hoc præcepto aliqui fortiter contendunt, non tamen reperio inſtantiam, quæ ſit fortis, ut intentum perſuadeat. Interim ubi deeſt ratio, non videtur deficere authoritas; nam S. Hieronymus *tom. 2. lib. 3. Dialogi adverſus Pelagianos cap. 5. fol. 293. b.* ſic inquit. *Indignabatur quondam & Ionas, cur Deo fuerit jubente mentitus: ſed injuſti mœroris arguitur, malens cum pernicie ingentis populi verum dicere, quàm cum ſalute tantorum mentiri. Ponitur ei exemplum, tu doles ſuper hedera, ſive cucurbita, in qua non laborasti neque fecisti ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & una nocte periit: & ego non parcam Ninivæ civitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit in dextram & ſiniſtram ſuam.* Scio poſſe exponi hiſtoriam Ionæ ſine ullo mentiendi præcepto, at volui ob oculos ponere S. Hieronymi interpretationem, ut videamus ſuppoſuiſſe illum Deum poſſe diſpenſare in Decalogo; aliàs enim non dixiſſe cum Iona contrariè (hoc eſt, præcipiendo mendacium) diſpenſaſſe.

An Deus mentiri poſſit?

An juſſerit Ionæ, ut mentiretur?

In nono & decimo

1262 *An Deus in nono & decimo præcepto diſpenſaverit?*

VIdetur materia aliorum Præceptorum reſumi; adeóque ex his, quæ de aliis præceptis dicta ſunt, conſtare poterit, quid de his duobus præceptis dicere debeamus.

Interim recognoſce, quæ *lib. 1. c. 4. diſp. 12. §. Ad id.* dixi, ut argumentis reſponderem Ærodii, cujus Objectioni tres ſolutiones dedi, ex quibus, ſi ſtet tertia, dicendum ad nonum Decalogi præceptum *Non concupiſces*, in Hiphil, *Non facies concupiſcere.* pertinere ſcandala, & in hoc Deum præcepto etiam diſpenſaviſſe.

Ad quodnam præceptum ſcandala pertineant?

DISPVTATIO X.

Possimus-ne adversariorum objectionibus clarè & demonstrativè satisfacere?

1263 RESPONDEO affirmativè; quia ex iis quæ diximus, tam clarè satisfit contrariæ partis argumentis, ut nemo prudens possit illa indigere aliâ satisfactione suspicari.

Arguis primò.

1264 *Authores eôtra D. Bernardum.* SEntentia, quæ contra omnes aut saltem ferè omnes Theologos militat, non solùm non est demonstrata, sed ne quidem probabilior; atqui talis est Bernardi sententia; ergo demonstrari non potuit. Minorem probas, quia Bernardum sequuntur valdè pauci, cùm tamen contrariam amplectantur sententiam D. Thomas *quæst.* 100. *art.* 8. *& in* 3. *dist.* 37. *art.* 4. Cajetanus *ibid.* Sotus *lib.* 2. *de just. q.* 3. *art.* 8. Richardus *in* 3. *dist.* 37. *art.* 1. *quæst.* 5. Molina *tom.* 1. *de just. tract.* 1. *disput.* 4. Becanus *tract.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 4. *num.* 5. Vasquez *disp.* 179. *cap.* 2. Valentia *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 6. §. *hæc sententia mihi.* Lorca *de legib. disp.* 9. *membr.* 2. §. *nihilominus tamen.* Ricardus *in* 3. *distinct.* 37. *art.* 1. *quæst.* 5. Abulensis *in cap.* 20. *Exodi q.* 35. Cajetanus, Conradus, Medina 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. Montesinus *disp.* 26. *de legib. difficult.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. Becanus *tract.* 3. *de lege naturali cap.* 3. *quæst.* 4. Suarez *lib.* 2. *de legibus cap.* 15. Vasquez *disp.* 179. Salas *quæst.* 94. *tract.* 14. *disp.* 5. *sect.* 9. Granadus *controvers.* 7. *de legib. tract.* 2. *disp.* 6. Tannerus *disp.* 5. 2. *quæst. dub.* 4. & alii plures.

Authores pro D. Bernardo. Respondeo Bernardi sententiam esse communem, & oppositam à nullo Classico Authore (hoc est, à nulla Theologorum Schola, vel Classe) defendi: nam primo illam S. Thomas & ejusdem discipuli constanti resolutione tuentur: illam etiam Scotus, & Scotistæ universi: illam denique Ochamus & omnes Nominales. Præter has tres Scholas nulla est Schola Classica in Europa quam sciam. Nec Authores, qui pro opposita citari solent, illi favent: agunt enim jam de fundamentali, aut jam de philosophica malitia, quam præscindendo ab omni præcepto Divino inesse humanis actibus frequenter docuimus & docemus. Ergo rarissimus est, qui in terminis sit nobis contrarius. Si dicas nostram doctrinam esse solius Scoti & Scotistarum Scholæ, dicam duo: Primum, hoc esse falsum: quia, ut diximus omnium Scholarum, & omnium Authorum Classicorum est illa: secundum ex hypothesi, quòd esset Scotistarum tantum esset, demonstrari esse probabilem; nemo enim tam esset efrons, qui unius Scholæ sententiæ auderet improbabilitatis notam imponere: maximè, cùm Scoti Schola numerosior sit omnibus aliis simul sumptis.

An Bernardi sententia sit communis? An opposita alicujus Schola sit?

Scotista est omnibus aliis numerosior. Vide Propugnatorem Logicum, qui contra Borgiam est, Quæst. I. II. & III.

Arguis secundò.

1265 NOn subsistit sententia, cujus rationes & fundamenta facili negotio diffluntur: atqui fundamenta Bernardinæ opinionis diruì possunt: igitur sententia non subsistit. Minor probatur à Vasquezio 1. 2. *in quæst.* 100. *art.* 8. ubi sic. [Facilè dissolvi possunt omnia argumenta, quibus nonnulli probare nituntur, in aliquibus præceptis naturalibus Deum dispensare posse: solùm enim probant hoc ipso, quod Deus præcipit aliquid fieri, id, quod aliàs esset contra præceptum naturale, illud sine peccato fieri, non quia dispenset in præcepto ipso, sicut humanus Legislator in sua lege dispensat, permanente materiâ & circumstantiis, cum quibus illa obligat solâ remissione factâ præcepti erga aliquem; sed quia Deus authoritate suâ præcipiens illud fieri mutat aliquam circumstantiam necessariam ex parte materiæ, sub qua res illa solùm prohibita erat jure naturæ.]

Argumentum Vasquezii.

Sed aut fallor, aut Vasquez ad dispensationem implicatoriam confugit, de qua, quàm sit absurdum disputare, jam vidimus: quia solo Dei mandato materia præcepta non mutatur sed sola circumstantia se tenens ex parte materiæ (sic ipse loquitur) quæ alia esse non potest, quàm dispensatio; ut jam totâ manente materiâ interdicta, & interdictione, illa sola circumstantia varietur. Sed hæc expositio, ut vidimus legem Dei onerat superfluis circumstantiis, & tamen talibus quæ non possint illam ab humana distinguere. Nam si Rex hanc legem ferret, *Nemo sine licentia aves occidito:* posset concedere licentiam Petro, & tamen ex vi hujus facultatis indultæ, nec relaxaretur præceptum, nec mutaretur substantialis præcepti materia, sed una sola mutaretur circumstantia necessaria, se tenens ex parte materiæ, non secus ac Vasquez affirmabat.

1266 *Est inefficax.*

Notetur formula hujus legis.

Arguis tertiò

1267 EX Sylvio, & ais, Præcepta quæ continent ipsam intentionem Legislatoris, sunt omninò indispensabilia: sed præcepta Decalogi eam intentionem continent: ergo sunt omninò indispensabilia.

Quæ præcepta sint indispensabilia?

Major probatur; quia tunc in præceptis legis locum habet dispensatio, quando talis casus occurrere potest, in quo si verba legis servarentur, ageretur contra intentionem Legislatoris.

Minor probatur; quia præcepta Decalogi continent vel ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis: tria enim prima quæ ordinant ad Deum, continent ordinem ad bonum commune & finale quod est Deus; cætera verò continent ordinem justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum: secundùm hanc enim rationem intelligenda sunt præcepta Decalogi.

Quæ præcepta intentionem Legislatoris contineant?

Confirmatur, intentio Legislatoris primò & principaliter ordinatur ad bonum commune, secundariò autem ad ordinem justitiæ & virtutis, secundùm quem ipsum bonum commune

1268 *An omnia Decalogi præcepta bonum commune respiciant?*

mune conservatur & ad id ipsum pervenitur: illa igitur præcepta, quæ continent ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis, continent intentionem Legislatoris; ac per consequens, sunt indispensabilia.

1269 AT TV NEGA, illa præcepta, quæ continent ipsam intentionem Legislatoris esse indispensabilia; quia si major Sylvii esset vera, nullum esset præceptum dispensabile; nullum enim datur, quod ipsam intentionem Legislatoris non contineat. Ad majoris probationem totum nego; leges enim non consistunt formaliter in verbis, sed in intentione & voluntate obligandi, verba enim requiruntur ut medium tanquam animi indices. Bonifacius in sexto Regulâ ultimâ, *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Cùm aliquis casus occurrit, in quo si verba legis servarentur, contra intentionem Legislatoris ageretur, non est petenda dispensatio; quia si non fuit intentio Legislatoris in tali casu obligare, certum est non dari in eodem casu obligationem, adeò nec legem. Sed videtur Sylvius non velle scire quid formaliter sit dispensatio. Est enim *actus liber superioris eximentis unam aut plures personas in uno vel pluribus casibus à legis, alias in suo vigore mansuræ, rigore; ita tamen ut illam aut illas etiam non eximere possit.* Necessaria enim immunitas dispensatio non est, oritur enim ex natura rerum præceptarum etiam superiore nolente. Exemplo res dilucidatur. Est in Decalogo expressa lex homicidia interdicens, & tamen cùm invaderis, & ni occidas, evadere non potes, non est dicendus Legislator concedere dispensationem, sed non dari legem quæ homicidium necessarium inhibeat. Et hoc quidem clarissimum est. Sed condonemus Sylvio, ibi dispensationem concedi, & inferam sese confodere hoc adsumpto, quia si in præcepto quinto locum habet dispensatio, stat Bernardi Thesis asserens in secunda legis Tabula posse Deum dispensare.

An leges in verbis consistant?

An quando finis legis cessat, cesset lex?

Quid dispensatio sit?

Quid sit immunitas necessaria?

De inculpata tutela.

An Deus necessariò præcipiat?

Ad probationem minoris admitto præcepta primæ, & si velit secundæ Tabulæ, continere ordinem ad Deum, ad bonum commune: at his non obstantibus posse non præcipi constanter dico: Deus enim liber est, & jubet quod vult, quando & quibus vult, nec posse dici sine suæ authoritatis præjudicio existimo, debere Deum in suis legibus ab hominibus necessitari.

1270 Confirmationis antecedens concedo, & nego utramque consequentiam; quia multa sunt, quæ nos in Deum dirigunt, publicum & commune bonum respiciunt, & tamen divinitùs præcepta non sunt. Charitas enim nos intimè connectit Deo, & tamen attritionis actu cum sacramentali confessione conjuncto contenta, contritionem omnipotens clementia non præcipit. Puræ etiam humanæ promissionis religio in bonum commune collimat, conducit ad proximi tranquillitatem, quietémque, & tamen non est divinitùs præcepta, nam promissioni etiam acceptatæ, si purè humana ipsa fuerit, si non stes, non eris latro, fur, sed mendax.

An contritio præcepta sit?

An promissio acceptata obliget?

Arguis quartò.

1271 EX eodem Authore, si in communitate aliqua statueretur, ut nemo Rempublicam destruat, nullus civitatem hostibus prodat, nullus injustè aliquid faciat, illa præcepta essent penitùs indispensabilia; ídque propterea, quia continent intentionem Legislatoris & conservationem boni communis: sed, si aliqua alia præcepta traderentur, quibus determinarentur aliqui speciales modi, putà quod ad meliorem civitatis conservationem, ex singulis vicis aliqui excubias agerent; hæc essent dispensabilia: cùm igitur præcepta Decalogi intentionem Dei Legislatoris contineant, omninò indispensabilia sunt, etiamsi alia quibus speciales modi conservandi boni communis & justitiæ jubentur, dispensabilia sint.

An humana præcepta, quæ divinitùs jussa præcipiunt, sint dispensabilia?

1272 Omnia videntur falsa. *Primò* enim dico præcepta etiam præcisè necessaria conservationi privatæ aut publicæ esse dispensabilia: & ut melius intelligas demus casum, [Deus quinto suæ legis præcepto Sacerdotis cædem interdicit sub peccato mortali, eamdem Ecclesia sub excommunicatione, eamdem Respublica sub pœnâ capitis.] qui casus verus est, & admitti ab adversariis debet. Si petam, an Respublica possit in Sacerdotis cæde dispensare, errabis, si absolutè affirmes, aut absolutè neges: dispensare enim potest in lege à se lata, non in aliis. Hoc est, potest cassare legem illam, quæ Sacerdoticidas morte damnat; & si cassaret, qui Sacerdotem occideret, peccaret primò contra Deum, & peccati mortalis crimine inficeretur; peccaret secundò contra Ecclesiam, obstringerétúrque excommunicationis vinculis: & tamen non violaret legem Reipublicæ nec esset condemnandus capite. Sic similiter, cives, quia jurant Magistratui obedire, tenentur ratione voti, & erunt sacrilegi si inobedientes. Ponamus ergo hunc casum, anno MDXLI. noluerit lege latâ Respublica prohibere proditionem; anno sequenti de facto prohibuerit, anno subsequenti in lege dispensavit. Sistantur tuo tribunali tres proditores, quorum primus anno illo MDCXLI. alter sequenti, alter subsequenti peccaverit. Me consule dicas primum peccasse quidem contra Deum & quintum præceptum Decalogi, non tamen inobedientem fuisse Reipublicæ, nec fuisse perjurum, quia supppnitur nec præcepto nec juramento ad fidelitatem obligari, adeóque solo jure Decalogi teneri. Addas secundum & inobedientem esse respectu Dei, & respectu Reipublicæ, & simul duas leges alteram divinam, alteram humanam temerasse. Et subjungas tertium esse similem primo, quia tametsi Decalogum temeret, non temerat legem Reipublicæ.

Quando cadèm res præcepto divino & humano præcipitur, si homo dispenset, tollitur præceptum humanum, & manebit divinum.

N.B.

Hinc ad argumentum respondeo distinguendo majorem, si in civitate statueretur, ut nemo illam destruat, hoc præceptum esset indispensabile, distinguo; divinitùs, nego; humanitùs, subdistinguo; esset indispensabile quà humanum, nego; quà divinum, concedo. Ratio est: quia tunc destructio illa Reipublicæ esset interdicta duabus legibus, humanâ

Satisfit argumento.

manâ & divinâ : & Deus diſpenſare in utraque ; at homo in ſua, non tamen in divina, poſſet.

1273 *An præcepta moralia Decalogi ſint neceſſaria?* *Secundò*, non video cur eadem præcepta debeant dici præcisè neceſſaria, & non potiùs utilia & ad melius. Si Deus nec furta nec homicidia moraliter interdiceret, poſſet adhuc homines arcere ab hujuſmodi actionibus lege purè pœnali ; poſſet mero conſilio, putà ſi virtutes contrarias commendaret. Sed & homines poſſent lege ſibi proſpicere, ut in multis aliis, quæ nec divinitùs indicta nec interdicta ſunt. Nam ſicut homines damnis ex clandeſtino matrimonio emergentibus ſalubriter proviserunt, ſic etiam poſſent obviam ire aliis quibuſcumque periculis leges peculiares ferentes.

An ubi non eſſent leges Divinæ poſſent ſibi homines humanas ferendo conſulere?

Arguis quintò.

1274 *Conſideretur hæc ratio, quia eſt etiã mirabilis, ut reliqua.* EX eodem Sylvio, nam materia præceptorum Decalogi eſt ſecundùm ſe debita ut fiat, vel debita ut non fiat : ergo non poteſt ſuper illam cadere diſpenſatio ; alioquin ſequeretur unum & idem habere rationem debiti inſeparabiliter annexum, & eam rationem non habere. Quod enim dicitur, materia Decalogi eſt ſecundùm ſe debita, non ita eſt accipiendum, quaſi ſolùm ſit debita, ſtante præcepto & manente ejus obligatione, quo modo etiam aliorum præceptorum materia eſt debita ; ſed ſignificatur eſſe debita ſecundùm ſe, hoc eſt, ſecundùm naturam & conditionem materiæ relatæ ad actum creaturæ rationalis, etiamſi non eſſet ullum præceptum poſitivum.

1275 *An actus aliqui ex ſe, & ante omnem legem, ſint boni vel mali moraliter.* Sylvio ſubſcribunt, qui ſic ratiocinantur ; [Præcepta Decalogi jubent ea quæ ex ſe, ſeu ex natura ſua ſunt bona & debita ; prohibent verò illa quæ ex ſe ſeu ex natura ſua ſunt mala & illicita ; ergo in illis non poteſt diſpenſari, ne quidem per Deum ; cùm Deus facere non poſſit, ut quod ex natura ſua eſt debitum, non ſit debitum ; & quod ex natura ſua malum eſt, non ſit malum.]

1276 Sed reſpondeo nec materiam præceptorum Decalogi ſecundùm ſe ſumptam debere ſub peccato fieri, aut debere ſub peccato non fieri ; quia ſecundùm ſe eſt indifferens, ut præcipiatur, aut non præcipiatur. Si præcipiatur, debebit fieri ; ſi non præcipiatur non debebit : & ſi inhibeatur, debebit non fieri : non enim obligatio aliqua aut peccatum intelligitur ante omne præceptum. *Sed & vides*, in hoc argumento, adverſarii ut nos oppugnent contradictorium noſtræ Theſeos ſupponunt ; noſtra enim Theſis cum Paulo aſſerit, ante omnem legem nullam poſſe prævaricationem adſignari : lex enim divina non interdicit actus, quia mali ; ſed iſti mali potiùs evadunt, quia interdicti.

Semper Sylvius ſupponi vult ſuam concluſionẽ, ut contradictoriam oppugnet.

Arguis ſextò.

1277 *An, quod ſemel præceptũ à Deo eſt, ſit diſpenſationis capax?* SEd & uteris verbis Præpoſiti contrariam ſententiam probantis. Sic ais ; Quod ſemel lege naturæ fuit vetitum, ſemper manet intrinſecè malum remanentibus iiſdem circumſtantiis ; atqui Deus nullo modo poteſt diſpenſare, ut agatur id, quod eſt intrinſecè malum, ergo non poteſt diſpenſare in eo quod lege naturæ eſt vetitum remanentibus ſcilicet iiſdem circumſtantiis. *Confirmatur.* Actus lege naturæ præceptus ita dicit neceſſarium reſpectum ad naturam rationalem, ut ejus omiſſio vel actus contrarius ſit contra rectam rationem, ut plurimis exemplis poteſt declarari : verbi gratiâ, colere Deum ita dicit reſpectum ad rectam rationem, ut omiſſio ejus pro tempore quo urget præceptum, ſit contra rationem. *Confirmatur iterum.* Si in Deo ſolo conciperetur poteſtas Legiſlatoris, nullo modo poſſet diſpenſare in lege naturæ : ergo neque nunc poteſt directè & immediatè diſpenſare.

1278 *An præceptũ ſit circumſtantia?* Reſpondeo te vel nomine circumſtantiarum, quæ dicuntur remanere, vel intelligere præceptum ipſum, vel non. Si primum dicas, concedo majorem, non enim poteſt Deus facere, quòd maneat & tollatur præceptum, aliàs duas contradictorias veras haberemus. Ergo quia non dicis primum ſed ſecundum, neganda eſt major : manentibus enim eiſdem circumſtantiis & ſublato præcepto, illa omnia quæ mala erant, tranſeunt in licita. Vbi obiter ille terminus *intrinſecè malum moraliter* pro nulla re ſupponi notandum eſt ; nulla enim reſpectu Dei conſiderata ſunt moraliter intrinſecè mala, tota enim malitia eſt accidentalis denominatio deſumpta à libero præcepto Dei. Conſultò dixi, *reſpectu Dei conſiderata* : quia reſpectu hominum benè poſſunt dici intrinſecè & neceſſariò mali illi actus, quos Deus inhibuit.

1279 *Quid ſit agere contra rationem?* Ad primam confirmationem reſpondeo, multa ſubſumi falſa, multa ambigua. Primò enim non credo actus illos, qui contra rationem militant, militaturos fuiſſe, ſi interdicti non eſſent. Ratio eſt, quia tota ratio pugnandi contra rationem eſt lex. Contra rationem enim militat hæc aſſertio, *Non volo obedire Deo*, non tamen hæc, *In rebus à Deo non interdictis ſequar meam libertatem.* Secundò, eſto pugnent contra rationem ante omne præceptum & legem ; quis non videat eſſe alienas ab omni forma & ſyllogiſtica figura has conſequentias, *Mendacium contra mentem militat : ergo & contra Deum.* Nam & labor & ſtudium & nimia attentio plus nocent menti quàm mendacium, ſi non eſſet divinitùs interdictum noceret, & tamen contra Deum non ſunt. Etiam militat contra rationem & honeſtatem humanam, quod ſtantibus eiſdem circumſtantiis & fundamentis dictamen mutes, & tamen in puré probabilibus liber es, & mutare ſententiam poteris ſine ſcrupulo, ut ferè omnes Doctores affirmant. Non ſtare promiſſis abſurdum, & tamen licèt mendacium ſit (de hoc enim non agimus) peccatum contra juſtitiam non eſt ; nec erit grave ſeu mortale, niſi illa ſint juramento aut contractu firmata. Et, ut verbo dicam, innumeræ actiones ſunt, quas non auderes coram aliis facere, ratio enim dictat ſecretò eſſe faciendas, & tamen non ſemper eſſent peccata, ſi publicè coram populo fierent.

An ſit peccatum?

An liceat mutare dictamen?

An & quæ modo promiſſio obliget?

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo negando antecedens ; quia nihil aliud eſt non

1280 *An omnis*

quæ politicè mala sunt, sint peccata?

dispensatio, quàm legislatio perseverans; idem enim est dispensare, quàm pro tali tempore aut persona aut materia, nil jubere.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm Decalogus sit, aut esse possit lex merè pœnalis?

1281 *An Regula D. Benedicti sit purè pœnalis?*

IPE lege pœnali *in mei Comment. in Regulam Benedictinam num.*30. ideò uberiùs quàm de aliis legibus, quoniam ipsa Regula, licèt moralis esse possit, si Abbas velit, juxta communem observantiam & procedendi modum lex quidem, sed pœnalis est. Legem quà obligatoriam contemplatus in moralem, pœnalem, & mixtam divisi; & definii moralem obligare conscientias; pœnalem res extrinsecas (putà commoditatem, opes, authoritatem) talémque audire, quod conscientias non liget, sed solummodo pœnas imponat: mixtam ex utraque componi. Nunc inquiro, *An Decalogus, siquidem est lex obligatoria, sit merè pœnalis?* & si moralis sit, *An esse purè pœnalis potuerit?*

An etiam Decalogus?

Decalogum non esse legem purè pœnalem.

1282 *An in originali peccato sit culpa, an pœna tantùm?*

INter alias positiones ex operibus Petri Abaïlardi collectas & Innocentio Papæ hujus nominis secundo à Mellifluo Claræ vallensium Abbate transmissas reperio hanc de essentia peccati originalis. *Quod non contraxerimus culpam ex Adam, sed pœnam tantùm:* at quia Franciscus Amboësius in præfatione Apologetica pro Petro Abaïlardo subdubitat, an illi quos Bernardus enumerat errores, sint ex doctrina Petri exlecti, an verò injustè afficti; addam, quæ circa hunc errorem Parisienses Doctores invenerunt reprehensione digna, ut constat ex eorumdem Censura, quæ Operibus Abaïlardi impressis Parisiis anno 1616. præfigitur, nihil omninò Bernardum imposuisse Abaïlardo, sed ejus sententias candidè & sincerè exscripsisse, exscriptas censurasse. Ibi lego *Paginâ 419. l.n.5. in solutione* XVI. *Problematis, præceptum de diligendo proximo, à Christo Domino cõmemoratum, solos Iudæos devincire autumat; nec videt Decalogi præcepta, quia juris naturæ sunt, singulos homines obstringere..... Pag.555. lin.30. & 31. in duobus aberrat. Primò quod censeat ei, qui antequam baptizetur justus est, nondum in baptismate dimissa esse peccata; ille etenim per votum Baptismi jam veniam delictorum est consequutus. Secundò quia peccata nondum dimissa, pœnam non adhuc exolutam interpretetur... Pag. 582. lin.ult. per peccata quæ moriendo Christus sustulit, perperam Abaïlardus pœnam solùm ablatam exposuit. Sic & pag.630. lin.12. & 14. ad eumdem scopulum allidit. Pag. 586. lin. 7. verba hæc D. Pauli, In quo omnes peccaverunt, ad pœnam tantummodo revocat, & reatum ipsum peccati originalis, in quem incurrerunt omnes, omittit. Pag.588. lin.13. in eodem lubrico nutat. similiter & pag.590. lin.6. itidem & pag.592. lin.9. & 10. pag.597. lin.29. & 30. & lin.33..... Pag.591. lin. penult. & pag.600. (quæ falsè numerum præfert 592.) lin.36. Abaïlardus peccata dimitti perinde existimat ac pœnam ipsorum condonari. & pag. 592. lin. 3. aliquem habere peccatum, præteritâ peccati actione, nihil aliud, quàm remanere obnoxium pœnæ. Sed hanc illius opinionem Catholica explodit Ecclesia.* Hæc de hoc errore Doctores Parisienses. Videat igitur prudens Lector an audiendus sit Amboësius dum dubitat (*reperta, si credere fas est, partim in libro*, &c. dicit expresè) an heterodoxa capitula, quæ Bernardus ex libris Abaïlardi excerpsit, sint verè ejusdem Abaïlardi? an dicemus olim Bernardum & diversorum Conciliorum Patres, & hodie Doctores Parisienses in Abaïlardi intelligentia hallucinatos; & solùm Amboësio concessum, ut mentem ipsius potuerit adsequi? an levi hujus fautoris conjecturæ contra expressas Abaïlardi periodos stabimus? minimè. Libri prostant, & quæ olim displicuerunt Bernardo, etiam hodie Doctoribus displicent, etiam aliis Theologis quibusque displicebunt: non displicebit tamen pœnitentia Abaïlardi & errorum retractatio & correctio, omnes enim locos, quos hoc errore infecerat, hoc uno in Apologia profligat firmamento, *Ex Adam, in quo omnes peccavimus, tam culpam quàm pœnam nos contraxisse assero.* Sed adhuc vellem scire, quid nomine culpæ intelligeret. Exolevit hic error, & jam à nemine, quem sciam, in Europa defenditur.

An sit merè pœnalis lex? Bernardus justè accusavit Abaïlardum.

Abaïlardus suos errores retractat, & obit pœnitẽs.

Potuisse Deum lege merè pœnali nos ad legem naturæ obligasse.

1283 *Proponitur quæstio.*

NOn ago de præceptis, in quibus, si qui sunt, Deus dispensare non potuit, sed solùm de illis in quibus asseritur posse dispensare, & inquiris, *An quæ omninò permittere potuisset, pœnaliter potuerit interdicere?* nimirùm, *an ad secundæ Tabulæ observantiam potuerit obligare homines monitis & præceptis pœnalibus, ita ut prævaricatores non essent rei culpæ, sed pœnæ?*

An Bernardus Abaïlardo imposuerit errores, quos ipse non habuit?

An Decalogus solos Iudæos obliget?

1284 *Quid monitum, & quid consilium sit?*

Sanè monita opponi consiliis in Scholii elimati ad Regulam Bened. *num.*31.37. ostendi: quod si semel admittas consilium, esse legem merè præmialem; monitum, merè pœnalem; teneberis concedere dari de facto leges merè pœnales à Deo latas, & ferri plures posse, si Legislatori placeret: consilia enim & monita in sacra doctrina reperimus. Imò & videtur non dari consilium sine monito saltem negativè, aut è contrà. Si enim illustrem talem actionem patraturo mille aureos promittas lege merè præmiali, non patraturo carentiam eorumdem promittis lege merè pœnali negativâ, non enim positivam aut novam pœnam infligis, sed præmium illud non concedis. Non aliter, si homicidium pœnâ crucis inhibeas, non homicidas præmio negativo afficies, hoc est, non punies. Sed præcindendo ab aureola aut pœna negativa, addo me nescire, cur non possit Deus, ucut & legem purè

An dentur leges merè præmiales? an & merè pœnales?

purè præmialem tulit, cùm consilia tradidit; ferre etiam leges merè pœnales circa aliquarum observantiam virtutum.

Posse & purè morales.

1285 *Nemo Deum necessitare potest.*

SVnt & aliqui Authores, qui nescio quo judicio præventi millenas Deo libero necessitates imponunt. Non posse peccata non punire, inquiunt, non posse ignoscere sine satisfactione ex parte peccatoris positâ: nos verò, qui altiùs de Deo sentimus, posse peccata condonare sine physica peccatoris mutatione, imò & posse condonare pœnam manente culpâ asserimus, & potuisse leges merè pœnales, immò etiam merè morales constituere affirmamus. Non esset Deus, qui libet & Dominus non esset; nec Dominus, qui aliquid non posset, quod repugnantiam non involveret.

DISPVTATIO XII.

Impossibiles aliquas Hypotheses supponit, ut Decalogi examinet vires.

1286 *An sint utiles quæstiones in quibus aliquid impossibile supponitur?*

SOLENT Theologi utiliter aliquas propositiones, etsi apertè falsas & impossibiles supponere, ut radicitùs aliarum veritas investigetur. Tales sunt, *An si Deus cæcè & ignoranter, aut saltem necessariò daret creaturæ intellectuali illa eadem auxilia quæ modò, ipsa liberè operaretur? An, si careret scientiâ mediâ & decretis conditionatis, posset certò & infallibiliter aliquem prædestinare? An, si vellet & nollet idem objectum simul, hæc volitio & nolitio identificatæ voluntati distinguerentur inter se? & si distinguerentur, an essent duæ personæ divinæ? an in tali casu admittenda esset personarum quaternitas? An si creaturæ possibiles repugnarent, Deus esset omnipotens? an repugnante unicâ, tota tolleretur omnipotentia? An, si creaturarum passiva possibilitas haberet terminos magnitudinis & parvitatis, omnipotentia Dei esset categorematicè infinita? an si Deus inciperet in tempore velle aliquid, quod non voluisset ab æterno, mutaretur realiter? An, si prædestinatus in sensu compositò condemnaretur, frustraretur divina voluntas, divina falleretur scientia? An, si natura intellectualis esset capax plurium potentiarum, quàm intellectûs & voluntatis, essent plures in divinis personæ? An, si priùs operaretur voluntas quàm intellectus, secunda persona esset Spiritus-Sanctus à solo Patre procedens; tertia Verbum ab utroque? an in tali casu Verbum esset Filius Spiritus-Sancti? an si à Spiritu-Sancto in tali casu non procederet, ab eo distingueretur? An, si poneremus, nullum volitum quin præcognitum, & adderemus naturam divinam in volitione infinita consistere, dici deberet Verbum non esse primæ personæ Filium, sed primam & secundam per modum unius principii generativi producere Spiritum-Sanctum tanquam utriusque Filium? An, si Spiritus-Sanctus non procederet à Verbo, distingueretur ab illo? An ita inhabitet justorum corda, ut si careret immensitate & ubique non esset, nihilominus adhuc hujus inhabitationis ergo, futurus fuisset realiter præsens justorum animabus; an solùm moraliter, vel intentionaliter? An, si daretur subsistentia communis omnibus tribus personis, una potuisset sine alia incarnari? Et supponendo non dari potentiam ad præteritum, An, si Adamus non peccasset, Christus venturus fuisset? An, si merita Christi essent finita, nos essemus redempti? An, si malitia peccati infinita, potuerit dari meritum majus peccato? An, si habuisset gratiam infinitè intensam, plus fuisset promeritus? An, si noluisset mori & Pater in præcepto posito non dispensasset, peccasset? An, si peccasset Christus, etiam peccasset Deus? An, si Deus posset mentiri, darentur articuli fidei? An, si hæ duæ positiones* Deus est, & Deus verax est, *non demonstrarentur, esset aliqua in mundo religio, quæ obligaret conscientias? An, si Theologicæ virtutes componerentur cum vitiis oppositis in eodem animo, iste talis damnandus, an salvandus esset? An defendi posset immaculata Virginis Matris Conceptio positâ peccati & gratiæ coëxistentiâ in uno indivisibili instanti reali? An, si Deus impossibilia præciperet tyrannus esset? An omnipotens, si innocentem affligere non posset? An ex hypothesi, quod animam omninò innocentem pœnalitatibus affligere non possit Deus, defendi, vel apparenter possit Beatam Virginem peccato omni caruisse? & si non possit, An ratio eodem modo in Christi impeccabilitatem militaret?* Has & alias similes hypotheses, tametsi impossibiles, utiliter solemus supponere, ut inde veritatum aliarum essentias & formalitatum necessariam connexionem aut incompossibilitatem eruamus: igitur utiliter procedemus supponendo aliquas Theses impossibiles, ex quarum suppositione resultabit quòd valeamus cognoscere quid per locum intrinsecum, quid per extrinsecum, quid per utrumque, quid per neutrum opponatur aut non opponatur Decalogo. Hypotheses autem impossibiles, quæ veritati dilucidandæ proderunt, sunt sex. *Prima*, Deum non esse. *Secunda*, Esse quidem, sed non cognosci. *Tertia*, Cognosci quoad existentiam, non verò quoad præcipiendi potestatem. *Quarta*, Cognosci verè Deum potentem obstringere conscientias, nesciri tamen eas de facto obstrinxisse, sive quod idem est, nesciri Deum tulisse ullam legem moraliter obligatoriam. *Quinta*, Dubitari. *Sexta*, Cognosci probabiliter. *Quarum* quidem Hypotheseon, tametsi prima sit omninò impossibilis; reliquæ in multorum opinione possunt admitti ut verè possibiles, ut videbimus; cùm de singularum positione tractabimus.

Notent hoc Lorcista.

Hypotheses examinanda proponuntur.

N.B. *Si quis Theologus has seorsim quæstiones olveret, librum pulchrum & subtilem mundo daret.*

HYPOTHESIS I.

Deum non esse.

1287 *Quales humani mores essent, si non daretur Deus?*

VT Ethnicorum & Atheorum universorum mores saltem philosophicè formem, suppono per impossibile non dari Deum, reliqua autem natura ductu necessario aut contingenti eodem prorsus modo discurrere quo

nunc, & hac chimærâ ſuppoſitâ mores hominum examinabo, ut videam, an malitia & bonitas ſit ipſis actibus intrinſeca, an ſit denominatio extrinſeca deſumpta à Deo.

1288 *De cultu Dei in tali caſu.* Poſitâ igitur hac impoſſibili hypotheſi dicendum eſt. PRIMO, *ſupervacaneum futurum fuiſſe alicui Deorum cultui aut religioni vacare:* nulla enim tunc daretur religio, nulla conſcientiæ moralis obligatio: ratio eſt per ſe nota; quia habitus intellectuales ita dependent ab objectis, ut iis repugnantibus eſſe non poſſint. Si non eſſent colores poſſibiles, non daretur viſus; nec medicina, ſi corpus non eſſet ſanabile; adeóque nec Theologia, nec Fides, nec Spes, nec Charitas, nec gratia, nec religio, ſi non daretur Deus.

1289 *An tunc daretur infidelitas, blaſphemia, periurium, &c.* SECVNDO, *Cultui divino vacantes non fuiſſe dicendos irreligioſos, nec ſuperſtitioſos, ſed vanos ſtultos ſtolidos.* Ratio eſt, quia in illo caſu nulla eſſet poſſibilis ſuperſtitio, nulla irreligio; neutra enim ſine religione (nam ipſi opponuntur) poteſt intelligi: & data hypotheſis omnem proſcribit religionem. Sanè qui ſuperſtitioſi nō eſſent, ſtulti eſſent; ſummos enim honores adtribuerent non-enti, & ſe creaturas non exiſtentis rei profiterentur, non ſecus ac ſi hodie aliquis in Inſula deſerta oberrans aſſereret ſe eſſe in Magni Alexandri palatio, illíque reverentias faceret, morem gereret, libellos ſupplices ſcriberet, illóſque arboribus creditis Regis vicariis genuflexus offerret: nemo enim hunc irreligioſum diceret; nemo bonæ mentis compotem crederet. Hinc neceſſariò ſequitur nullam pro illo ſtatu eſſe poſſibilem blaſphemiam, infidelitatem, nullum perjurium, &c.

1290 *An tūc eſſent peccata? An gratia?* TERTIO, *Nullum peccatum mortale aut veniale commiſſum iri.* Oſtenditur, quia mortale peccatum gratiam excludit, hominem Dei inimicum conſtituit; & veniale, ſi gratiam non remittit, ſaltem fervorem debilitat, & impedit aliquarum gratiarum accidentalium infuſionem; atqui in tali hypotheſi, nec daretur gratia quæ excludi, nec Deus qui offendi poſſet: ergo nec peccatum daretur.

Quid peccatū operetur in animā?

1291 *An actus ſint ante omnem legem divinam mali?* *Dices.* Ideò Deus peccato offenditur, quia peccatum malum eſt: ergo priùs eſt quod malum ſit, quàm quod Deum offendat: ergo ſublato Deo adhuc remanebit peccatum. *Et confirmas* à ſimili: quia priùs eſt, quòd paries coloratus ſit, quàm quod videatur, unde ſublatis oculis non ſequitur colorem auferendum eſſe: &, ut clariùs procedamus, poſſumus ſupponere Petro colorem viridem diſplicere, & arguis ſic. Priùs eſt agrum eſſe viridem quàm Petro diſplicere: infero, (& nota hanc illationem benè) *Ergo, ſi tota ratio diſplicendi eſt viror, non diſpliceret ſi viridis non eſſet; ergo nec viridis eſſet, ſi Petrus non eſſet.* Concedis primam & negas ſecundam conſequentiam, quia tametſi Petrus non eſſet, ille ager viridis eſſet: ergo ſimiliter, ſi Deo diſplicet omnis actus peccaminoſus; benè inferre potes, actum A non diſpliciturum Deo, ſi peccaminoſus non ſit, malè autem, non futurum eſſe peccaminoſum, ſi Deus non ſit; nam ut dicebatur priùs eſt eſſe peccaminoſum quàm offenſivum Dei.

1292 *Reſpondeo* negando primum antecedens; quia ideò actus aliquis moraliter peccaminoſus eſt, quia Deum offendit, non è contra; nam ſi Deum non offenderet, non eſſet peccaminoſus moraliter: unde ſublato Deo auferetur, quòd Dei offenſa ſit; ac per conſequens, quòd peccatum ſit. *Cur actus peccaminoſus ſit?*

1293 *De ſecunda Tabula.* QVARTO, *Etſi nullæ leges humanæ poſitivæ darentur, adhuc daretur tota ſecunda Tabula naturaliter, non tamen moraliter obligatoria:* quam proderit ſingulatim diſcutere.

De authoritate parentū in filios. Filii fortè eſſent ſubditi ut nunc, hoc eſt, tanquam dominis utilibus, & non habentibus dominium proprietatis. Sed ſi hoc, cui eſſent ſubditi ut proprietario domino? Ergo non eamus hac. Filii igitur in tali caſu (id enim videtur clarius certiúſque) eſſent parentibus pleno jure ſubditi, ut dominis proprietariis, adeóque deberent ſuum *eſſe* parentibus; tanquam cauſis efficientibus liberis, & illis deberent vivere & operari. Eſſet igitur phyſicè injurius patri filius, qui aut nollet illi vivere & ſe occideret, aut nollet illi operari & non obediret; non ſecus ac pictura, ſi capax eſſet rationis, & nolens exiſtere pictori, ſe diſſolveret; aut nolens ipſi obedire, aufugeret.

1294 Parentes, utpote filiorum pleni & directi domini poſſent de illis diſponere tanquam de ſuis tam dominio uſufructuario; quod operationes, quàm uſuario, quod reſpicit ipſam ſubſtantiam. Poſſent igitur illis invitis quamcumque legem aut præceptum imponere, & tandem etiam innocuos & obſequioſos ſine cauſa interimere, non ſecus ac pictor imaginem à ſe pictam poteſt, non ſolùm ducere quà vult, affigere ubi vult, ſed & igni mandare quando vult, tametſi perfectam & artis regulis correſpondentem.

1295 *De hæreditate.* Filii eſſent parentum hæredes; judico enim hanc conſequentiam, *Eſt filius, ergo hæres:* quâ Paulus utitur eſſe neceſſariam ex natura rei. Filius igitur hæreditatis dominium capiens, omnium rerum, quæ ad patrem pertinebant, dominium caperet, ac propterea cùm & ipſe ad patrem pertinuerit ſe ipſum etiam caperet, & in ſui dominio patri deviventi ſuccederet. Eſſet igitur reſpectu ſui, dominus vitæ & mortis, nec ſibi eſſet injurius ſe occidendo. Sed quid ſi multi fratres eſſent? ſi primogenitus ſolus adiret hæreditatem, eſſet aliorum omnium fratrum dominus proprietarius, adeóque illos poſſit ſine cauſa interimere. Si omnes ſimul adirent, unuſquiſque ſui dominium caperet. Sicut, qui hominem ſuum occideret, jure ſuo uteretur, & nemini faceret injuriam; ſic etiam, qui alienum, peccaret phyſicè & purè naturalem injuriam faceret, non quidem homini occiſo, ſed ejus proprietario domino: nimirum occiſi parenti, ſi ſupervivat; aut ipſi occiſo ſi & ipſe emancipatus, ſui ſit dominus. *Vtrùm homines eſſent mortis & vitæ domini?*

1296 *De fornicatione.* Vnuſquiſque emancipatus eſſet dominus ſui corporis, & non emancipatus haberet corpus ſubditum parentis dominio. Filius ergo familias, qui ſine parentis licentia mollitiem aut fornicationem committeret, contra patrem ſuum peccaret, & contra fœminæ etiam patrem, ſi & illa eſſet filiafamilias. At emancipatus & ſui juris vir, qui cum emancipata ſe commiſceret, nemini injuriam faceret: mollities illi eſſet licita, & quæcumque ſeminis

minis effusio non judicaretur turpis & deordinata. Si emancipatus cum filiafamilias, aut contra, commisceretur, in patremfamilias delinqueret, cui scienti & consentienti nulla fieret injuria. Adulteria dari non posse ubi non essent matrimonia scis, at in tali rerum statu non repugnaret dari concordiam circa corporis usum ad tempus, aut in perpetuum, quæ, si daretur, deberet servari, & sine injuria violari non posset: cæterùm talis contractus à filiisfamilias sine parentum licentia iniri non posset. Debere in tali rerum hypothesi admitti incestûs deformitatem, & consanguinitatis aliquod impedimentum non video; nec scio cur dici debeat esse contra decentiam aut naturæ humanæ aut paternitati debitam, si pater aut filiam duceret, aut uteretur non ductâ.

An essent matrimonia? & an essent perpetua?

An daretur incestus?

1297 *An furta?*

Darentur vera furta & latrocinia; omnis enim, qui aliquam rem faceret, esset illius naturalis dominus, virtualis qui emeret, & fur qui alienam raperet.

An nobilitas? an detractiones & calumniæ?

Possent dari nobiles & ignobiles, illustres & infames, & qui honorem alienum detraheret, esset injurius infamato: nec redderetur æqualis ante condonationem aut restitutionem.

An contractus? An emptiones venditionesque?

Essent venditiones, emptiones; non tamen usura, aut simonia. Non illa, quia nemo teneretur dare mutuum; non hæc, quia non darentur sacra aut supernaturalia, quæ sacrilegè aut indecenter venderentur. Essent & donationes. Vxor invita non posset dari, volens posset; quia volenti & permittenti injuria non fit; nec tunc daretur lex, quæ talem actionem interdiceret.

Qualia essent mendacia?

Mendacia opponerentur menti physicè ut nunc, deciperent proximum ut nunc, & in filiofamilias erga patrem essent injusta, quia patri teneretur dicere veritatem, utpote summo jure subditus. An & alii homini; nescio, cur.

1298 *Qualia bella? quales seditiones & lites?*

Bella, seditiones, & lites essent; & non semper de iniquitate arguenda. Qui bello justo hostem caperet posset occidere adeóque & inire contractum, quo victor jure occidendi cederet, victus jure fugiendi & remaneret perpetuò servus. Sic servatus esset victoris servus, & tametsi esset suæ vitæ dominus proprietarius, careret usufructuario sui dominio; id enim pertineret ad dominum, qui exceptâ vitâ posset de omnibus

An darentur servi & domini?

actionibus servi disponere. Hinc est, quòd servus non posset se occidere, nec occidi; non occidi ex vi contractus, non se occidere, quia nec qui locat domum aut equum potest aut illam incendere, aut illum occidere, tametsi sit directus dominus: deberet in rebus justis obedire, non posset ducere uxorem, fornicari, aut mollitiem committere sine licentia domini, cum illa posset. Si illi præciperetur se occidere, posset, non tamen teneretur obedire: ratio est, quia cessaret omnis ratio ob quam se occidere non posset; non tamen teneretur, quia illud præceptum impingeret in servationis contractum. Si præciperetur occidere aliquam personam pleno jure domino suo subditam, deberet obedire, aliàs non. Non posset domino mentiri, nec ipso præcipiente furari, quia cum domino omnes actiones ejus subsint, non posset sine injuria negare veritatem: nec deberet alteri nocere, quia nec ad hoc se obligavit, nec potuit cùm fœdus securitatis vitæ iniit.

Quid tunc servi facere possent aut non facere?

Vt hoc melius intelligas, vide quid de servis Bœotis superius dixerim.

QVINTO, *Leges humanæ ferri: Communitates, & Respublicæ possent, quæ bene regerentur, institui.* Sed nexum vitæ communis non tam facili negotio explicabimus. Primò enim deberet dari hominum communem vitam agentium consensus seu contractus, sed unde ille securitatem & perennitatem haberet? Firmari juramento non posset; in tali enim hypothesi, nec juramenta essent, nec perjuria: deberet ergo ad leges pœnales recurri; & pro transgressionis qualitate mulctam determinari; assignatâ etiam ultimâ sententiâ etiam in materia levi, si assentirentur universi: qui enim, se possent sine culpa interimere, possent etiam acceptare legem, quæ levi culpæ pœnam mortis imponeret. In vitæ communis contractu nec filiifamilias, nec servi haberent vocem. Patresfamilias possent qualcumque leges statuere circa filiorum regimen, emancipationem, & modum adeundi hæreditatem; circa jus vitæ & mortis, circa matrimonia, fornicationem, & immunditias venereas; circa bonorum dominia; circa nobilitatem, famam, honorem, & authoritatem; circa furta & latrocinia; & circa mendacia, detractiones, calumnias: quæ quidem leges semel latæ & acceptatæ obligarent pœnaliter, & deberent absolutè servari; & nulla posset dici injusta, ni Reipublicæ propriæ limites prætergressa aliam Rempublicam, aut aliquem huic non subditum directè offenderet. Ratio est, quia quidquid tunc juxta legem fieret, si malum, humanitùs malum id esset: ergo vel contra aliquem contentum in contractu, vel contra non contentum. Primum dici non potest, quia potenti se directè occidere, scienti & volenti non potest fieri injuria: at si secundum dicatur, stat nostra positio.

1299 *De Legibus & Communitatibus. Vnde contractus vim haberent, si non daretur Deus?*

An filii & servi haberet vocem?

Qui Leges ferrent? & in qua materia?

Quo modo illa obligarent?

PEtis, *An in tali casu expediret ferri leges de religione, cultum divinum præcipere, Dei reverentiam commendare, præmia bonis promittere, pœnas transgressoribus perpetuas minitare?* Respondeo affirmativè omnes Gentiles veteres, qui prævio Deorum consilio dicuntur prima fundamenta rerum publicarum jeciſſe; sciebant enim se mentiri, & tamen Deorum revelationes, promissiones, & minas nonnunquam, ut generosos animos ad virtutem & egregia facinora incenderent, ut dissolutos cohiberent & refrænarent, vociferabantur. Vnde Marsilius Ficinus in Platonis Minoem chart. 1151. omnes Deos, quos antiqui legum Authores asseruerunt, recenset, & ait, *Legum-latores illustres omnes, legum inventionem in Deum, sed per diversa nomina retulerunt. Zoroastes, Bactrianis Persisque leges tradens in Horomasim; Trismegistus, Ægyptiis in Mercurium, ... Minos Cretensibus in Jovem, Charondas Carthaginensibus in Saturnum, Licurgus Lacedæmoniis in Apollinem, Draco & Solon Athenienſibus in Minervam, Pompilius Romanis in Ægeriam, Mahometus Arabibus in Gabriëlem,*

1300 DVBIVM *incidens de Religione.*

Dei varia nomina:

Horomasis, Mercurius, Iupiter, Saturnus, Apollo, Minerva, Ægeria, Gabriël, Vesta.

Gabriëlem, Zytmolxis Scahis in Veſtam, Plato noſter Magneſiis & Siculis in Jovem & Apollinem, Et in Plat. de Republ. dial. 7. chart. 1409. *Leges à Jove Minos contemplando petiit, Scipio Jove Magiſtro ad Rempublicam accedebat, Numa Pompilius civitatem religioſis legibus gubernavit.* Quibus etiam ſubſcribent Chriſtiani omnes illi, qui falſis miraculis, aut tyrannidem ſuam, aut ambitionem firmant, & mentito numinis patrocinio ſecuriorem reddunt.

HYPOTHESIS II.

Deum eſſe, non tamen cognoſci.

1301 *An aliqui ignorent dari Deum?*

SVppono, id quod luce meridianâ clarius, videlicet Deum eſſe: ſuppono etiam dari homines, qui illum ignorent. Secundam hypotheſeos partem non omnes judicant impoſſibilem: nam ſi tu, vir docte, id ſcis, propter aliquas rationes ſcis; & ſi propter aliquas, ignorabit abſolutè Deum, qui nullas æquivalentes habeat, & has ignoret. *Exceptis paucis*, inquit Auguſtinus tractatu 106. in Ioannem, *in quibus natura nimium depravata eſt, univerſum genus humanum Deum hujus mundi fatetur Authorem.* Vnde poſſe dari invincibilem Dei ignorantiam quoad aliquod tempus ſaltem breve, ferè omnes Scholaſtici admittunt; at verò poſſe dari hominem bono judicio præditum, qui invincibiliter totâ vitâ atheus ſit, pauci admittunt; paucioréſque poſſe dari Rempublicam, quæ invincibiliter ignoret Deum. Sanè multas fuiſſe & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proſcriptus apud excellentiſſimos Authores videmus. Veteres Hiſpaniæ Scriptores Gallecos fuiſſe bellicoſos, putaſſe hominem habere vitæ & mortis libertatem, nullam habuiſſe religionem, imò & in multis regionis montibus nullam Deorum notitiam ſcribunt: & ut veteres hiſtorias intermittam, hodie pertinax Hiſpanorum & Holandorum diligentia novis Oceanis allapſa incognitas inſulas reperit, in quarum multis nulla divinitatis notitia.

De Gallecis, & aliis ſylveſtribus populis.

1302 *An peccaret, qui ignoraret Deum invincibiliter?*

Statuta igitur hac hypotheſi (poſſibilis ſit aut impoſſibilis; id enim examinabo uberiùs cùm de Deo uno tractabo) exiſtimo in hac ſecunda danda eſſe peccata materialiter, non formaliter; ideóque ſi diſputaretur de mortali peccato, illum rerum ſtatum cum noſtro, in quo vivimus abſolutè coincidere; ſi de formali, coincidere cum prima hypotheſi: mores enim illorum, qui invincibiliter ignorant Deum, venirent eodem prorſus modo ac ſi Deus non eſſet judicandi. Eſſet tamen propter peccatum originale aliqua differentia, nam ſi Deus non eſſet nec peccatum originale eſſet, fortè nec animæ eſſent abſolutè immortales; at ſi Deum eſſe, ignorari tamen ſupponamus, peccatum originale & immortalitatem animorum debemus neceſſariò ſupponere; non enim illud abluit, nec hanc proſcribit invincibilis Dei ignorantia. Igitur, ſi non daretur Deus, homo & canis eodem prorſus modo morerentur, aut ſaltem ſi poſt mortem animus humanus ſuperviveret, non puniretur: at Deo ignorato mortui hominis animus, tametſi actuali peccato careret (nemo enim peccat ex inſuperabili ignorantia) originali infectus deberet eadem condemnari ſententia, quâ pueri in matrum viſceribus oppreſſi damnantur.

De originali culpa.

1303 *An teneretur credere Deũ?*

Si viro invincibiliter atheo leves proponeres rationes, ut Dei exiſtentiam oſtenderes; levis ipſe eſſet, ſi propter leves ſententiam in re tanti momenti mutaret.

Argumenta multorum contra Atheos.

Dices. Atheus ille poſſet incipere dubitare, & dicere: [Vel datur Deus, vel non datur; ſi detur & non colam illum, ipſe damnabit me; ſi non detur & tamen colam, nocere non poterit: præſtat igitur in dubio Deum colere.]

1304 *An ſit poſſibile dubium de Deo?*

Reſpondeo vix poſſe dari dubium circa hanc materiam: quia vel Deum cognoſcis, vel non. Si cognoſcis, rationes graves habes, ergo fieri non poteſt ut dubites; quia cum rationum gravitate dubium ſtare & componi non poteſt; quod ſi negativum ſit, omnem rationem; ſi poſitivum, omnem gravem excludit. Si Deum non cognoſcis, in atheiſmo inſtructus à majoribus es, quorum authoritas cùm levis non ſit cum dubio compati non poteſt. Sed eſto admittamus verum circa hanc materiam dubium, dico tunc ſtandum eſſe pro poſſeſſione dictaminis (veri, aut invincibiliter erronei) nam dubia, non ſunt prudentiæ regulæ, nec debent aliquid mutare: unde invincibiliter atheus adhuc poſitâ notitiâ dubiâ maneret invincibiliter atheus, igitur teneretur inquirere veritatem, non tamen ante repertam Deum credere. Nec argumentum objectum alicujus eſt ponderis, nam eliditur iſto. [Vel datur Deus, vel non: ſi non, prudenter illum nego. Si datur ipſe erit prudens & omnis tyrannidis incapax, ac propterea non præcipiet quod temerè illum credam.] Et ad formam reſpondeo concedendo dilemma majoris; & minoris primam partem diſtinguo. Si detur, & non colam illum cognitum aut vincibiliter ignoratum, damnabit me, concedo: ſi non colam invincibiliter ignoratum, damnabit me, nego. Aut dicito, nonne poſſet etiam hodie formari ſimilis ſyllogiſmus à Petro. [Vel dantur plures Dii, vel non: ſi non, & tamen colam illos, non nocebunt: ſi dentur, & tamen eos non colam, me damnabunt?] & tamen certum eſt, hoc argumento, tametſi priori analogo, nihil convinci.

De pluralitate Deorum.

1305 *An aliquis poſſit licitè decredere Deum?*

Si viro habenti Dei demonſtratam notitiam, qualem nos habemus, proponerentur graves rationes, quæ viderentur divinitatem tollere, non poſſet adquieſcere; quia tametſi ipſæ ſeorſim ſumptæ eſſent probabiles, demonſtratione contraria ita eliduntur, ut probabilitatem non habeant. Si autem proponerentur invincibiliter Atheo, poſſet prudenter Deum credere, quia probabiliter; eſſet tamen imprudens, ſi certum eſſe Deum dari ex antecedentibus incertis inferret. Putarem tamen teneri, ſi prudenter procedere vellet, & reddere ſuam ſalutem certam, deberéque Deum, probabiliter ſolum propoſitum credere, ſi ſimul & peccati originalis ſine fide indelebilis

Eliditur à demonſtratione probabilitas. Nota hac omnia.

delebilis probabilem notitiam adquireret; at non video teneri sub peccato, contra quem enim peccaturus esset, qui probabiliter non dari Deum existimaret.

An hæc propositio Deus est, *de facto sit merè probabilis?*

Sanè, siquidem dantur in mundo homines qui Deum invincibiliter ignorant, & homines qui illum evidenter cognoscunt, non puto repugnare intermedios; videlicet, doctiores primis, & indoctiores secundis, qui Dei tantùm probabilem cognitionem habeant. Et hîc nolo audire Aliacensem *quæstione 3. articulo 2.* opinantem Deum demonstrari non posse, sed tantum probabiliter persuaderi: nolo Majorem *in 1. distinctione 2. quæstione 1. conclusione 1.* nec Gabriëlem *quæstione 10. articulo 3. dubio 1.* qui in Aliacensis opinationem inclinant: habeo enim non unam, sed multas clarissimas demonstrationes, quæ

Quid si esset?

Deum esse evidenter evincunt: quibus omnibus si careremus (nam sufficeret unicâ) non haberemus media necessaria, ut Decalogum debere observari evidenter sciremus: adeóque corrueret omnis Religio, Fidesque, virtutes etiam & culpæ Theologicæ, omnia enim, quæ in his materiis dicerentur, essent incerta, & hominem obligare in conscientia non possent.

HYPOTHESIS III.

Cognosci quidem Deum existere, non tamen habere jubendi authoritatem.

1306 *An ex existentia potestas divina inferatur?*

HÆc consequentia; *Datur Deus: ergo qui leges ferre possit*, est mihi necessaria; quia, qui ponit Deum, nomine Dei non nisi creatorem intelligit: &, ut judico, tota dominandi authoritas nascitur ex productione physica vel morali, & Deus ex nihilo produxit nos. Sed & contingeret hominem aliter imbutum, hanc esse consecutionem necessariam negare: posset igitur scire clarè dari Deum, & tamen ignorare invincibiliter deberi obediri isti Deo. Admissâ hypothesi, prima etiam Tabula materialiter veniret admittenda, & tamen nullum daretur crimen, nullúmve peccatum formaliter. Considera resolutiones subsequentes.

1307 *An sine hac potestate malitia peccati posset esse?*

Prima. *Si per impossibile Deus non haberet authoritatem præcipiendi, nullum esset formaliter peccatum.*

De prima Tabula.

Corollarium. *Ergo, qui eum tali authoritate carere crediderit, crediturus consequenter est nullum dari peccatum.*

Secunda. *Qui Deum odio persequeretur, quique in eum blasphemias & convitia multiplicaret, qui esset perjurus, qui actus religionis omitteret & sacrilegia patraret, esset physicè injurius Deo, non verò peccaret moraliter.* Patet; quia omnes illi actus, qui recensentur, essent verè & realiter contra Deum, non tamen essent interdicti, atque adeò neque moraliter peccaminosi.

De secunda.

Secundæ autem Tabulæ articuli universi eodem prorsus obligarent, quo in prima hypothesi, in qua sunt uberiùs explicati.

HYPOTHESIS IV.

Deum esse & ferendi leges potestatem habere, nesciri tamen aliquam de facto tulisse.

1308 *An divinitas ab omnipotentia inferatur? An contra?*

SVspecta mihi de affectatione & fictione omnis ignoratio circa Deum; utrùm excusabiles sint Barbari, qui Deum ignorant, ipse scit, ipsi viderint, nostra non interest, tametsi illis, utpote proximis, omnem felicitatem in hac & in vita altera desideremus. Primò cognosci ut omnipotentem, quàm ut Deum, admittunt universi, qui existimant, non nisi à posteriori, hoc est, ab effectibus Dei existentiam demonstrari. Semel admissâ omnipotentiâ admittendam jurisdictionem scio, sed admissâ authoritate præcipiendi, esse necessariò ponenda præcepta non video: aut enim potuisset Deus illa non uti potestate: aut ratio, ob quam id non posset, non posset viro indocto innotescere. Vnde igitur Sylvanus, nutritus inter barbaros, tametsi excellentissimo ingenio sit præditus, cognoscere poterit, *An Deus leges tulerit, & quas?* Hîc degens in Lovanienſi Academia Philippum Magnum existere scio, suspicio, amo, veneror; posse Americis leges ferre ignorare non possum; tulisse conjector; & quasnam tulerit aut non tulerit prorsus ignoro, & tamen habeo & habui à quibus doceri, à quibus & discere possim. At inter quercus natus, mugitu boum excultus, rauco fluviorum murmuri adsuetus, qui vel non vidit homines, vel se doctiores nullos, si eò pertingat, ut non solùm dari rerum Authorem, sed & hominum dominum habentem jubendi authoritatem noscat, unde eum leges tales aut tales tulisse discernet? Sanè aut ignoraturus prorsus, aut miraculosè docendus. Legem suam Deus omnipotentiæ suæ digito in cordibus singulorum scripsit: at hoc non fecit ex naturæ necessitate aut debito, sed ex favore & gratia: nec ideò minùs miraculosè, quod semper faciat. Vide quæ superiùs ex Augustino docuimus.

An leges Dei possint cognosci naturaliter?

An aliquis illas ignoret?

1309 *Resolutiones.*

His positis dicendum est primò. *Si per impossibile nihil Deus præcepisset, nullum peccatum esset.*

Secundò. *Impossibile esse hominem peccare formaliter aut moraliter, qui sincerè existimet nulla lege (affirmativa aut negativa) divinitùs latâ teneri.*

Tertiò. *Posse hujuscemodi hominem peccata materialia & naturalia contra primam & secundam Decalogi Tabulam (hoc est contra Deum & hominem) committere.* Et constat ex his, quæ prima & secunda hypothesis uberiùs edisseruit.

NOTA. scitè Arriaga *tom. 1. Cursus Theologici disp. 39. sect. 5. num. 48.* ait [Hîc solet disputari, an is qui solum habuit remotè potentiam ad conversionem, peccet contra virtu-

tem ſupernaturalem, dum non convertitur. Vt quæſtio hæc ſit de re, debemus quærere, an habeat ſpecialem malitiam peccatum hujus, quam non haberet, ſi homo non fuiſſet elevatus ad ſupernaturalem finem; ſi enim non habet, parum eſt quod dicatur, vel non dicatur peccare contra præceptum ſupernaturale. Ego uno verbo reſpondeo. Si ille homo non habuit ullam notitiam de eo præcepto ſupernaturali, non poteſt ei ad majorem malitiam imputari, quam ſi non fuiſſet elevatus, quia hoc invincibiliter ignoravit. Si verò habuit notitiam, gravius peccavit, quia tenebatur ſpecialiter ex ea notitia non ſe reddere incapacem proximè ad ea ſecunda: neque hoc majori eget probatione.]

An elevatio addat in peccato malitiam?

Qui invincibiliter ignorat legem, eam violãdo non peccat.

HYPOTHESIS V.

Cognoſci Deum eſſe hominum abſolutiſſimum Legiſlatorem, dubitari tamen, an aliquid præceperit.

1310 HÆc poſitio nova non eſt, aut ſi nova analoga multis antiquis. Deum furta interdixiſſe ſcimus; ubi ſit autem prima ponenda quantitas, quam graviter ipſe interdixit, dubitamus: unde nihil ſpeciale in hac hypotheſi reperio, quod in caſu furti poſito aut multis illis ſimilibus non reperiamus; aut ſi quid, ſolam dubii latitudinem, quia qui dubitat, An Deus aliquod præceptum tradiderit, dubitat de materia latiſſima. Dico igitur in omni dubio ſtandum pro libertate quæ creditur eſſe in poſſeſſione. Igitur qui dubitaret, An darentur divina præcepta præter examinandi & interrogandi obligationem, quam omne dubium infert, nullam haberet aliam, quam qui juxta Hypotheſin IV. abſolutè neſciret.

In dubio ſtãdum eſt pro poſſeſſione.

HYPOTHESIS VI.

Credi probabiliter Deum nihil juſſiſſe.

1311 MAgna hoc ævo imperitorum copia viris doctis inſultat, quod invenerit opiniones benignas, & per ſecuriſſimas probabilitatis ſemitas homines ad cælum conducant. Neſcio quis Ianſenianus anonymus contra Ieſuitas virus evomit, & tandem concludit ab hujuſcemodi Scriptorum induſtria expectari, ut tandem aliquando totus Decalogus evadat in ſententias probabiles. Sanè hoc non expectamus, multa enim in Decalogo tam certa & clara, ut in controverſiam probabilem venire non poſſint: multa ſunt fide ſancta: multa demonſtratione firma. Sed eſto hoc poſſet fieri: quid mali? quid homo perderet, ſi eſſet in tali conditionis ſtatu, in quo mereri magna incrementa gratiæ poſſet, peccare non poſſet? exiſtimo Anonymum illum calcaſſe ingenium tam ſtolidam periodum ſcripturus. Nullibi probabilitas opinionum nocere poterit. Si res, de qua agitur, neceſſaria ſit neceſſitate præcepti, ad materiam liberam impulſu probabilitatis reducitur: ſi de neceſſitate medii, vitæ tempore urgere non poteſt, & in mortis articulo remiſſiùs obligat, quàm ſi cognoſceretur evidenter: & ut terminos Decalogi non prætergrediar, ſi latum eſſe conſtaret ſolùm probabiliter, probabiliter ſolùm obſtringeret, poſſemúſque aut obedire aut non obedire pro arbitrii libertate. At peccata materialia, quæ à rebus ipſis & non ab opinione pendent, eſſent eadem quæ nunc, carerent tamen malitiâ morali, quæ eſſe nequit, ubi obligatio non cognoſcitur.

An ſint nociva opiniones probabiles?

Qualia ſunt peccata, qua in materia probabili.

QVÆSTIO INCIDENS.

PRo hujus diſputationis reſolutione penitiore, placuit unum actum examinare, quo Scoticos nonnunquam torſi. Dicat Petrus, *Si Deus mihi præciperet audire Miſſam, non obedirem.* Et inquiris, *An in hypotheſibus præmiſſis deberet argui de peccato mortali?* 1312

Lege attentè hanc quæſtionem; multũ enim prodeſſe poterit.

Sanè, ſi PRIMAM ſupponamus, ipſum eſſe peccaturum non video; quia contra quem eſſet? Ergo dicendum omninò eſt, hunc actum pro tali rerum ſtatu indifferentem eſſe, ac propterea non eſſe peccatum. 1313

Si SECVNDAM placeret ſupponere, video multos exiſtimare Petrum mortaliter peccaturum, ſed rationis pondus me non premit; quia non eſt ſtrictiùs lege devinciendus, qui legem ignorat, quàm qui ſcit, & adhuc eam cognoſcens poterit excuſari, ut videbimus. Cur invincibiliter Atheus deberet mortaliter peccare dicens, *Si Deus mihi præciperet audire Miſſam, non audirem?* An non crederet primò eſſe impoſſibile dari Deum, ſecundò poſſet credere poſito per impoſſibile Deo, adhuc eſſe impoſſibile eum habere authoritatem obligandi. An & ego hodie peccarem ſi dicerem, *Non obedirem meo cani, ſi eſſet Deus?* verè videor potiùs nugari, quàm diſcurrere, cùm canem ſuppono fieri Deum, & Petrus ſimiliter cùm chimœram impoſſibilem (talem Deum concipit) ſupponit exiſtere. Severiùs & ſtrictiùs loqueretur, ſi diceret; *Si daretur Deus, & ipſe haberet leges ferendi authoritatem, & mihi aliquid præciperet, non obedirem.* His enim verbis omne effugium videtur præcludi, & exiſtimo hunc non peccare formaliter, ſed objectivè, & hoc non quidem abſolutè, ſed conditionaliter; hic enim aſſenſus eſt circa materiam, quæ eſſet interdicta; at verò actus ipſe aut non eſſe interdictus ſupponitur, aut ſaltem non cognoſci interdictio. 1314

An ligent conſcientiæ hypotheſes impoſſibiles? Nota illa verba, Videor potiùs nugari, & intellige, quæ ex cauſa hypotheſes iſtæ explodantur?

Si ad TERTIAM hypotheſin recurras, hic actus, *Si Deus hoc mihi præcipiat, non obediam*, malus non eſt; ſupponitur enim Deus non habere juriſdictionem in homines, nec eos poſſe præceptis aut legibus obſtringere. Si autem iterum conditionem negatam in hypotheſi conditionaliter reſumas dicens, *Si Deus indiceret mihi jejunium, tametſi haberet* 1315

Omnis obligatio juriſdictionem ſupponit.

si haberet præcipiendi & obligandi potestatem, non jejunarem, videreris quodammodo Deo, quem esse fateris, obversari; non tamen peccares mortaliter, quia non violares legem, cùm hanc impossibilem esse supponas.

1316 *Hic tantisper hærendum est.*

Sed ad QVARTAM veniamus; & quia si per impossibile Deus nihil juberet, nullum futurum fuisse peccatum à Scoticis doctè defenditur, an ille conditionatus actus Petri hanc universalem positionem enervet, placet severè examinare.

1317 *Argumentū contra Scotistas, quod bona solutione indiget.*

Sic arguo. Ante omne præceptum intelligitur mortale peccatum: falsò ergo assumitur nullum futurum fuisse, si per impossibile nil præcepisset Deus. *Probatur antecedens.* Si Petrus dicat, *Si nunc mihi Deus aliquid juberet, non obedirem*, peccaret, aut non: alterutrum dicatur, militat contra conclusionem: ergo. NAM si peccare diceretur, arguerem sic. Petrus dicens illa verba, peccaret: & tamen Petrus sic loquitur ante omne præceptum Dei: ergo ante omne Dei præceptum datur peccatum: non igitur ratio peccati, à præcepto divino, sed à ratione aliqua præcepto antiquiore & magis necessaria desumitur: ergo ab ipsa extremorum oppositione. Proderit audire Augustinum. *Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare.* Attende. Ergo S. Augustinus non cognoscit peccatum, quod contra præceptum non sit: ergo non cognovit peccatum, quod ex natura rei sit. Progreditur. *Duobus modis peccat*, ait, *antequam sit sapiens: si aut non se accommodet ad accipiendum præceptum: aut cùm acceperit non observet: sapiens autem peccat, si se averterit à sapientia.* Citatur à Langio, *verb.* Peccatum. *column.* 2119. *circa finem.* ergo hunc actum, *Si Deus mihi aliquid præciperet, non obedirem:* peccatum esse asserit Augustinus. Ergo, qui illum eliceret, peccaret. SI AVTEM diceretur non peccare, urgerem sic. Vel Petrus habet obligationem obediendi Deo, vel non habet: si habet, peccat dicens, *Si Deus mihi aliquid præciperet, non facerem*, non secus ac Religiosus si diceret, *Si nunc meus mihi Prælatus silentium legitimè indiceret, non obedirem*, & adolescens, qui diceret, *Si haberem modum lucrandi uxorem Pauli, libenter adulterium committerem.* Si non habet obligationem obediendi Deo, nec tenebitur obedire cùm de facto Deus illi præcipit, quia invalida sunt præcepta imposita non habenti obligationem obediendi, ut si Magnus Persarum Sophius mihi præciperet adire forum, non enim præcepto obstringerer, quia ante præceptum respectu illius non habebam obligationem obediendi.

1318 *Exponuntur nonnulla ante solutionē.*

Vt igitur respondeas, doctrinam superiùs positam resume, & dicito, dari tria peccatorum genera; objectiva, materialia, formalia. Peccata primi generis respiciunt objectum interdictum, & tamen ipsa, illa lege interdicta directè non sunt: at secundi generis sunt interdicta, non tamen interdicta sciuntur: tertii tandem generis committuntur certâ scientiâ & libero peccantis consensu. Exemplis universa illustremus. Scis homicidium esse interdictum divinitùs, & tamen hominem occidis, & committis formale homicidii peccatum. Cæterùm, si legem invincibiliter ignoras & tamen occidis, peccas materialiter, non formaliter, hoc est, ponis materiam lege ipsâ interdictam, non tamen sub forma quâ interdicitur, quia non scienter. Tandem volens incurrere excommunicationem formaliter excommunicatus non est; nec sacrilegus qui vult sacrilegium committere; nec mendax qui vult mentiri; nec qui vult occidere homicida: ac per consequens nec qui vult non obedire inobediens: attamen omnes isti actus mali sunt malitiâ resultante ab objecto, & pertinent ad objecti præceptum, & possent entitativè interdici, & tunc entitas ipsorum mala esset malitiâ novâ ab interdictione desumpta. Dicendum est igitur ante omne præceptum nullum dari peccatum, quia actus mali objectivè, sunt post præceptum objectivum, mali verò formaliter sunt post præceptum formale. Vnde ille actus, de quo agimus, esset malus objectivè & non formaliter, & eo sensu, quo peccaminosus & malus, esset præcepto posterior. Nam cùm Petrus, *Si Deus mihi juberet*, inquit, *non obedirem*, priùs ponit objectivè præceptum, quàm ponat inobedientiam objectivam. Cæterùm in eodem actu formalis inobedientia non involvitur, quia ante omne formale præceptum, nec ille inhibetur, nec actus contrarius præcipitur.

Peccatum triplex est: materiale, formale, & objectivum.

1319 *Argumenti solutio.*

Hinc ad argumentum respondeas. Nega primum antecedens, non enim ante præceptum intelligi potest peccatum. Ad probationem dicas Petrum illa verba pronuntiantem, peccaturum esse, non quidem peccato materiali, neque formali, sed objectivo, illúmque actum fore malum, non materialiter, nec formaliter, sed solùm malitiâ objectivâ. Ad impugnationem respondeat argumentatorem agere de peccato formali, & te de objectivo, adeóque singulas debere positiones distingui. *Dicis* Petrum peccare objectivè & hoc prima impugnatio non dissuadet. Nam majorem distinguis. Petrum dicentem illa verba peccare; objectivè, concedis; formaliter negas. Et distinguis similiter minorem. Eumdem sic loqui ante omne præceptum; objectivè positum, negas; formaliter positum, concedis: & negas illatam consequentiam. *Addis* Petrum non peccare formaliter; & ad impugnationem dicis Petrum verè habere obligationem obediendi Deo, & hanc à vitæ initio tametsi Deus nihil juberet. Intuli, ergo peccaret eodem modo quo Religiosus qui diceret, *Si meus mihi Prælatus silentium legitimè indiceret, non obedirem:* & respondes peccaturum fuisse Petrum contra Deum eodem

Considerentur benè duæ malitiæ, duæ oppositiones, quæ reperiuntur in isto actu, & hîc exponuntur à nobis.

eodem prorsus modo, quo ille Religiosus contra Prælatum; cui esset inobediens objectivè non formaliter, quia ille actus non erat à Prælato interdictus, esset tamen aliunde differentia, quia ille actus Religiosi præter inobedientiam objectivam, quæ Prælatum respiceret, indueret aliam formalem inobedientiam contra quartum & secundum Decalogi præceptum jam formaliter positum, quorum priùs obedire Superioribus præcipit, & alterum reddere vota Altissimo: at verò præscindendo ab isto respectu, quem actus illius Religiosi diceret ad legem divinam, consideratus prout Prælatum unum concernit, solùm esset objectivè inobediens, & per omnia similis actui illi Petri, cujus gratiâ omnia ista sunt dicta.

LIBER III.

DE CONSCIENTIÆ DICTAMINE, SEV TABVLIS LEGIS DIVINÆ.

PROOEMIVM.

Conſcientia definita, diviſa; membra etiam dividentia expoſita.

1320 *Quomodo ſapientia, ſcientia, ſyndereſis, & conſcientia diſtinguantur?*

VT ſapientia à ſcientia, ſic ſyndereſis à conſcientia diſtinguitur. *Sapientia* eſt intellectus ſpeculativus (fortè naturales habitus ab ipſo intellectu indiſtincti) prout prima principia contemplatur; *Scientia* eſt idem intellectus prout contemplatur concluſiones ex principiis neceſſariis deductas. Et analogiâ ſervatâ definio *Syndereſin* intellectum practicum, quà conſiderantem primas eáſque generaliſſimas veritates morales: Quales ſunt, Deo eſt obediendum, Bonum eſt amandum, Malum eſt fugiendum: *Conſcientiam* autem definio eſſe eumdem numero intellectum, quà conſiderantem concluſiones particulares ex his generalibus principiis deductas. Dicitur *Conſcientia*, quaſi Cordis-ſcientia, vel quaſi Comes-ſcientia. Bernardus Meditationum capite 13. *Quocumque vado conſcientia mea mecum eſt, ſecum portans quidquid in ea poſui, ſive bonum, ſive malum. Servat vivo, reſtituet defuncto depoſitum, quod ſervandum accepit.*

Quid ſyndereſis ſit?

Quid conſcientia?

1321 *An in omnium cordibus inſcripta ſit?*

Omnium inſcripta cordibus conſcientiiſque lex naturalis, non neceſſitate naturæ, nulli enim Divinitas ſubdita, ſed beneficio Conditoris. Sed tametſi Dei digito ubique ipſiſſimo, non ubique æquali claritate expreſſa. Sunt enim mentes magis & minus aptæ, ſunt voluntates magis & minus diligentes, adeóque corda hominum diverſimodè divinos characteres excipiunt. Hæc diverſitas tres dictaminis ſpecies peperit; datur enim dictamen Bonum, Malum, Indifferens. Indifferentia in dubio negativo conſiſtit, Bonitatem in conſcientia timida, Probabili, Evidenti, & Fideli reperies: Malitiam in Temeraria. Dedi nomina, addam definitiones.

An aquè clarè.

Dictamen triplex.

1322 *Quid ſit dubium?*

Dubii nomine purè negativum intellige, quando quis hæret, & quid debeat facere omninò ignoranti nulla ratio pro alterutra parte contradictionis occurrit. Conſcientia igitur negativè dubitans definiri poterit, *omnis rationis expers.* Vbi enim vel minima ratio occurrit, dubium negativum proſcribitur. Hanc conſcientiam *Indifferentem* dixi, quòd nullatenus conducere poſſit ad reſolutionem habendam, ita enim ſe habet ac ſi non eſſet.

Conſcientia timida.

Si dubio merè negativo melancholia accedat; Conſcientia timida conſtituetur quæ & doctrina & pharmacis indiget; illis quà dubitans, iſtis quà ægra, interim quia timida, utilis eſt: nam dum in partem ſeveriorem inclinat, ni diſcretionis terminos prætereat, virtutes fovet, & pericula peccandi proſcribit.

1323 *Conſcientia ſcrupuloſa.*

Scrupuloſa conſcientia eſt, *quæ judicatura, inſtruitur ratione levi.* Multi hanc *Dubiam poſitivè* nominant, & à Dubia-negativè diſtinguunt, ita ut negativè dubius dicendus ſit, cui nulla ratio aut gravis aut levis occurrit; & poſitivè dubius, cui occurrit aliqua levis, nulla gravis. SÆPE videas ſcrupulis melancholiam adcreſcere, & hominem morbo duplici ſpirituali & corporeo vexari, nec facilè curari à primo, quin à ſecundo liberetur.

Interim etiam hæc conſcientia bona & utilis, expedit enim ita horrere peccandi diſcrimina, ut & levia timeamus & fugiamus : bona inquam quamdiu in ſuperbam non evadit : cùm enim ſuperbiâ inficitur (ſed heu , quia rarò non inficitur) eſt abſolutè pernicioſa.

An ſcrupuli ex ſuperbia & ignorãtia ſuboriantur?

Cæterùm , quia vix unquam carent ſuperbiâ ſcrupuloſi , poſſet illorum conſcientia definiri , *Conſcientia ſuperba & ignorans :* quæ enim altero vitio careat , etiam carebit ſcrupulis : nam humilis ignorans, aliis credit, aliis ſuæ animæ regimen concredit ; obedit ; & fruitur pectoris tranquillitate. Superbus doctus , veritatem cognoſcit , ſcit quid facere aut omittere debeat : ſcit , quid fecerit : ſi dubitet , ſcit peccata dubia & probabilia non eſſe neceſſariò in confeſſione explicanda : nunquam igitur ſcrupulis ullis torquebitur. Supereſt , ut ſe & Confeſſarios torqueat ille , qui & ignorans , & ſuperbus eſt. Quia ignorans , ſibi non ſufficit : quia ſuperbus , à doctis non vult gubernari & inſtitui : nemini credit , nemini regimen ſui concredit , nemini obedit ; & ideò , niſi aut ſcientiam aut humilitatem adquirat , remedio caret.

An peccata dubia aut probabilia ſint in confeſſione explicanda?

Scrupulorum medicina.

Conſcientia probabilis.

Probabilis conſcientia , *quæ graves rationes habet ut propoſitam quæſtionem reſolvat.* Hanc aliqui *Dubiam-probabiliter* vocitant , ut ab Erronea, Evidenti , & Fideli , quibuſcum nullum compatitur dubium , diſtinguant.

Conſcientia certa.

Evidens dicitur , *quæ omnem Formidinem excludit , principiis per ſe notis inſiſtens.* Quàm paucæ ſint humanæ evidentiæ , & quàm fallibiles ipſæ , inferiùs clariſſimè oſtendetur. Præter conſcientiam evidentem & certam realiter , datur certa moraliter ; quam ſi evidentem moraliter vocare velis , de verbis non erit diſputandum. Hæc in regimine morum ſufficit , ut res indubitatæ dicantur , nam licèt realiter ſit obnoxia formidini , eſt indubitata moraliter.

Conſcientia Fide illuminata.

Conſcientiam fidelem ſeu religioſam dicimus , *quæ habet certitudinem Fidei :* & hæc etiam omnem formidinem excludit : ubi admonebo obiter dari multa quæ cùm ſint de fide probabiliter , formidinem probabiliter excludunt ; nimirum ex hypotheſi quod ſint de fide : talis eſt , ut alia præteream , theſis illa quæ aſſerit Mundum ſex diebus naturalibus conditum , Auguſtinus enim probabiliter hos dies ad inſtantia diſcretáſque Angelorum cognitiones reducit.

An ſex diebus naturalibus ſit mũdus conditus?

Bonæ conſcientiæ mala opponitur , & quia ipſa ſuos habet bonitatis gradus , oportebit conſiderare oppoſitos gradus malitiæ.

CONSCIENTIÆ GRADVS (non enim ſunt ſpecies) ad hanc poſſunt Categoriam reduci.			CENSVRA		
			Si hæreat.	Si aſſerat.	Si neget.
CONSCIENTIA	DVBIA	negativè : Timida.	*Secura, & Prudens.*	Temeraria. & Improbabilis.	*Prudens , & ſibi conſulens.*
		poſitivè : ſcrupuloſa.			
Quando videlicet pars affirmativa proponitur.	PROBABILIS	minùs.	Prudens.	*Minùs probabilis.*	Magis probabilis.
		æquè.	Prudens.	*Æquè probabilis.*	Æquè probabilis.
		magis.	Prudens.	*Magis probabilis.*	Minùs probabilis.
	CERTA	moraliter : Ferè evidens.	*Imprudẽs.*	Indubitata moral.	*Temeraria : improbabilis.*
		phyſicè : Evidens.	*Imprudẽs.*	Indubitata real.	*Temeraria : improbabilis.*
		de Fide : Religioſa.	*Periculoſa.*	De Fide.	*Hæretica.*

Sed & dari ſolent dictamina confuſa , & ex præcedentibus mixta.

Quomodo Conſcientia dubia cæteris opponatur?

Dixi Dubiæ-negativè nullam conſcientiam opponi , hæc enim hæſitabunda eſt , & in nullum contradictionis terminum inclinans : videtur abſtractorum naturam ſapere ; Animal enim ut ſic nec opponitur rationali nec irrationali , & dubium negativum nec errori nec ſcientiæ : ſi conſcientia dubia ſubjecto accidentium contrariorum comparetur , ſtabit ſimilitudo , nam ſicut ligno accreſcit calor aut frigus , ſic & dubio ſcientia aut error : & tamen , ſicut nec calori nec frigori lignum opponitur , ſic nec ſcientiæ nec errori dubium. Lignum accedente alterutra qualitate nil poſitivum ſed ſolam privationem perdit , accedente ſcientiâ aut errore nil poſitivum intellectus dubius , ſed ſolam certitudinis aut erroris privationem amittit.

Conſcientia audax & temeraria.

Timidæ Audax oppoſita , & utraque in morbo conſiſtit. Melancholia triſtitiáque ſæpè timorem , nonnunquam audaciam , imò temeritatem , & contemptum aut deſperationem pro materiæ quantitate parturiunt.

Scrupuloſæ audax & temeraria etiam opponitur. Sanè ſcrupuloſa cauta , ab opere abſtinet quòd vel levi conjectura apparet illicitum : Audax autem , aut temeraria , quia ſemper arrogans & præceps eſt , cùm vel leviſſima ratione excuſari ſe judicat , illicitas actiones committit.

Probabili opponitur Improbabilis , & magna

Conſcientia improbabilis.

gna differentia à Non-probabili, Audaci, & Temeraria diſtinguitur: nam Non-probabilis eſt illa quæ probabili ratione caret, vel quòd nullam habeat, vel nullam robuſtam. Si nullam omninò, conſcientia taliter non-probabilis, à dubia negativè non differt; aut ſaltem ab audaci, ſi aliqualis accidat præſumptio aut deſperatio ex melancholia aut mœrore ſuborta: ſi habeat rationes aliquas, ſed nullam gravem, temeraria eſt. Cùm autem aliud ſit te non videre rationes eſſe probabiles, aliud & omninò diverſum, te videre non eſſe probabiles: temerariam dicam, conſcientiam illam, quæ operatur ubi ſaltem probabilitatem non videt; improbabilem, quæ etiam ubi videt non eſſe probabilitatem.

Aliud eſt Hoc mihi non videtur probabile, & aliud, Hoc mihi videtur improbabile.

Conſcientia erronea.

Erronea contra evidentem militat; ubi enim altera contradictionis pars eſt evidens, altera ſine errore defendi non poteſt.

Hæretica.

Hæretica contra aſſertum fidei: nam circa objectum, de quo nihil revelatum, hæreſis verſari non poteſt.

Hæ ſunt humanæ Tabulæ, in quibus Lex divina ſcribitur: quæ, quia diverſimodè affectæ, diverſimodè divinos characteres imbibunt. Hæ ſecundum quas homines venient judicandi: ſed quia, quando pars affirmativa proponitur, tribus modis ſe poteſt habere intellectus (nempe, hærendo, hoc eſt, ſuſpendendo judicium; aſſerendo & negando) hanc ob rem in Tabella præmiſſa Cenſuram addidimus, quæ ſingulis conſcientiis reſponderet.

Intellectus procedere ſolet tribus modis

tam in Dubio,

Qui habet conſcientiam dubiam, aut poſitivè aut negativè, ſi ſuſpendat aſſenſum ſecurè & prudenter procedit: nam temerè & improbabiliter aſſeret, & prudenter negabit. Verbi gratiâ proponitur, An ſuperior hoc aut illud præceperit? Nil ego ſcio, aut fortè ratio aliqua levis ſuſpicandi ſuggeritur. Hærebo ſecurè & prudenter, & pro neutra parte præcipitabo judicium. Si aſſeram, aſſenſum temerarium improbabilem imprudentémque eliciam: & quia in Realibus non ſunt multiplicanda Entia abſque neceſſitate, & in Moralibus non eſt notitia dubia ad mores regendos ſufficiens. Stabo pro poſſeſſione, quæ erat ante præceptum dubium, hoc eſt, pro libertate; & mihi conſulens, prudenter negabo dari illud præceptum quod eſt dubium.

Conſcientia probabilis (jam dixi) illa eſt, quæ habet hinc inde rationes fortes gravéſque, nullam verò evidentem aut certam. Dividitur in minùs, æquè, & magis probabilem. Tres hi Probabilitatis gradus in vitæ & morum regimine ſunt æquè tuti. Accidit nihilominus, ut minus probabilis ſit per accidens tutior, ſi benignior, facilior, & operantis genio accommodatior, ut Tom.1.num.3. expoſui. Si poſito fundamento probabili, hæreas, & aſſenſum cohibeas, prudenter omninò procedes; prudenter, ſi aſſeras; & etiam prudenter, ſi neges. Quando altera contradictionis pars eſt probabilior, altera erit minùs probabilis, & utraque erit probabilis. Quando altera eſt æquè probabilis, utraque erit æquè probabilis, ac per conſequens utraque erit probabilis.

quàm in Probabilitate.

An omnes opiniones probabiles ſint æquè tutæ?

Conſcientia certa certis fundamentis innititur: & quia certitudo eſt aut moralis, aut realis, aut de fide, etiam conſcientia certa triplex eſt. Poſitis fundamentis certis poſſe hominem cohibere & ſuſpendere aſſenſum non videtur impoſſibile, quidquid ſuccłament alii. Hæc ſuſpenſio, ſi præmiſſæ ſint certæ realiter aut moraliter, inutilis & imprudens eſt. Si illæ ad Fidem pertineant, eſt periculoſa: nam licèt non ſit hæretica formaliter, poterit fortè eſſe hæreſeos alicujus occaſio, & tempore tentationis præcipuè, ſi mentem ſuſpendens non ſit benè radicatus in Fide. Petunt Theologi, utrùm dubius in Fide ſit hæreticus; & dum varia loquuntur, ajo tam eſſe hæreticam hanc, *Perſonæ Trinitatis non ſunt tres*, quàm hanc *Dubium eſt (incertum eſt; probabile eſt) non eſſe tres*: interim, ſuſpendere animum non eſt dubitare, nam ſuſpenſio eſt non actus, & dubitare eſt actus mentis poſitivus. Si altera contradictionis pars eſt certa & indubitata moraliter, alia erit moraliter improbabilis & temeraria. Si altera ſit evidenter vera, altera erit evidenter falſa, adeóque realiter improbabilis & temeraria. Et tandem, ſi altera ſit de Fide, altera erit hæretica.

De conſcientia indubitata & certa.

An poſito præmiſſarum aſſenſu ſequatur neceſſariò concluſio?

An dubius in Fide ſit hæreticus?

Suſpenſio non eſt dubium.

Vt rem intelligamus benè, per ſingulos gradus Conſcientiæ diſcurramus.

CAPVT

CAPVT I.

De Conſcientia dubia.

1324 *Quot modis poſſit dubiũ occurrere?*

DVBIÆ conſcientiæ nomine debilius quam minùs-probabile dictamen intelligendum eſt, ſive nulla ratione ſubnixum, ſive ſolis levibus; ſeu morbo ſeu animoſitate laborans, ſeu non: dubiúmque prout à probabilitate diſtinctum, & tamen intra improbabilitatis terminos latiſſimè acceptum poteſt quadrifariam accidere; vel ante operationem prævisam, vel poſt operationem prævisam, vel in operatione ipſa, vel poſt operationem: adeóque quatuor poſſunt excitari difficultates. *Prima*, An teneatur quis examinare actionis æquitatem antequam prævideat ſe illam facturum? *Secunda*, An ſaltem teneatur cùm prævidet ſe illam facturum? *Tertia*, Si non examinaverit, quid facere debeat, ſi in ipſamet operatione ſubdubitet? *Quarta*, An ſi dubium ſit de re præterita, putà de facto aut jure, teneatur quis illud peccatum confiteri? an debeat contritionem elicere? an poſſit licitè ſine nova diſpoſitione aut Euchariſtiam aut viaticum ſumere? Illas omnes breviſſimè & ſolidiſſimè, ut ſpero, ſolvemus.

DISPVTATIO I.

De dubio operationi prævio.

1325 *Circa obligationes ſui officii nemo habet invincibilem ignorantiam.*

NEMO tenetur morales obligationes, quæ ſibi non incumbunt, cognoſcere: non enim tenetur ruſticus percallere obligationes regias, quia conditionem ſuam ſuperant, & poſſunt ſine periculo ignorari. At obligationes officii omninò cognoſcendæ; non enim invincibiliter neſcius, qui illud admittit, & obligationes adnexas non examinat. Nam officia qualitates ſunt practicæ, & nemo ignorare poteſt, quòd ipſa aliquam agendi & operandi obligationem ſemel admiſſa inducant. Sunto igitur Reſolutiones.

PRIMA.

1326 *Quas & quando liceat res ſponte ignorare?*

QVi dubitat, An Quadrageſima Dominicis poſſint comedi lacticinia, & tamen non vult ea comedere, non tenetur, aut dubium deponere, aut doctiores conſulere. Ratio eſt; quia ſi tenetur, directè, aut indirectè; hoc eſt, præcepto hanc illi ſcientiam indicente, aut indicente aliud quod requirit neceſſariò iſtam ſcientiam: atqui neutrum poteſt dici: ergo. Probatur minor, & priùs quoad priorem partem: Quia nec in Decalogo Dei, nec in Pentalogo Eccleſiæ, nec in aliis Tabulis authenticis & obligatoriis tale præceptum reperitur. Et quoad poſteriorem probatur eadem minor; quia in tali rerum hypotheſi ſcientia hujuſmodi neceſſaria non eſt, adeóque nec præcepta indirectè, nulla enim actio directè præcepta reperitur, quæ hac ſcientia indigeat, cùm quis vult omninò à lacticiniis abſtinere: unde qui ſemper jejunaret, ſemper ſacrum audiret, numquam operaretur, non teneretur Eccleſiaſticos faſtos, vigilias, aut ſolemnitates diſquirere.

Multa notitia non ſunt neceſſaria.

SECVNDA.

1327 *Quando dubitans debeat interrogare?*

IDem homo non poterit comedere lacticinia illis diebus, quin fecerit diligentias humanitùs ſufficientes ad inveniendam veritatem: putà, interrogando, examinando, diſquirendo. Patet; quia, qui non vult ſcire veritatem quâ indiget, ſponte ſe exponit errandi periculo, ac propterea in illo periturus eſt. Conſultò illud, *quâ indiget*, addidi, ut iterùm lectorem monerem multa inutiliter ſciri, multa utiliter ignorari; nemo enim tenetur habere notitiam, quâ non eget.

TERTIA.

1328 *Quid ſi poſt diligentias maneat dubium?*

FActis debitis diligentiis (hoc eſt, ordinariis; extraordinarias enim nemo tenetur ex vi ordinariæ legis facere) *ſi adhuc dubium merè negativum* (imò & ſi timor aut ſcrupulus) *maneat, ſtandum eſt pro poſſeſſione quæ fuerat ante dubium.* Hæc Reſolutio ſecuriſſima eſt, fundatúrque in illo juris principio, *In ambiguis beatus qui poſſidet*: & probatur clariſſimè. Operationes morales ſunt magni momenti, illis enim homo ſolet perdere, ſolet lucrari totum Deum: ergo debent dirigi regulâ prudenti & gravi: atqui dictamen dubium & anceps nec regula eſt, nec cognitio gravis nec prudens: ergo. Non eſſe regulam patet, quia hæc debet eſſe determinata, & quodammodo prædeterminare indifferentem voluntatem, quod præſtare non poterit ſi anceps & indeterminatum dictamen ſit. Non eſſe cognitionem gravem ſuadetur, quia eſt levior ſcrupulo qui in ratione levi fundatur. Et tandem non eſſe notitiam prudentem colligitur; imprudens enim qui levis corde, leviſque qui dubitat, qui ſcrupulizat, nam hic leviter impellitur & adquieſcit, ille nequidem leviter, & tamen actione ineptiſſimâ ex nullo antecedenti præmiſſo concluſionem creat.

Dubium non eſt regula morum.

1329 *In dubio ſtandum eſt pro poſſeſſione.*

Hanc regulam, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, in materia juſtitiæ, non tamen in materia aliarum virtutum admittunt apud Dianam, Vaſquez, Antonius Perez, Salas, Turrianus, Azorius, Comitolus, Sayrus: cæterùm

An hæc veritas in omnibus virtutum materia habeat locum?

cæterùm in omni materia habere locum ſentio cum Suatio, Sanchez, Coninck, Henriquez, Filliucio, Ioanne Sancio, Villalobos, Sanctarello, Tannero, Maldero, Merolla, Caſtro Palao. Loca dabit Diana, *part. 4. tract. 3. Reſol. 2.* & ipſi alios etiam Authores. Vtramque partem æquè probabilem exiſtimat citatus Diana, & miratur Suarium *in 3. part. tom. 5. diſp. 40. ſect. 5. num. 18.* aſſeruiſſe falſum omnino & ſine fundamento eſſe, poſſeſſionem in ſola materia juſtitiæ ſuffragari. Sed ſi rem benè examinem mihi Suarius non diſplicet, non enim video, cur debeat illa Regula morum limitari; & ut rem fatear, opinio limitans, quæ ratione Authorum ab extrinſeco probabilis eſt, ab intrinſeco falſa mihi & fundamento deſtituta videtur; eſt enim me judice error in Ethica humanos mores Regula imprudenti & indeterminata gubernare: igitur dictamen dubium (ſit phyſicè quale volueris) moraliter eſt nullum, adeóque virtualiter non eſt, hoc eſt, ita ſe habet, ac ſi verè in rerum natura non eſſet. Ergo, cùm dubitare incipis; abſtrahe dubium, & ipſas dubitandi rationes leves (graves cum dubio nullatenus componi poſſant) abſtrahe, & reliquis manentibus ut anteà, ad morale judicium accede. Nos enim hac certiſſima opinione præoccupati multas quæſtiones difficiles, ſummâ facilitate, ſummâ doctrinæ conſequentiâ ſolvemus.

An negativa omni fundamento deſtituatur?

Dictamen dubium eſt moraliter nullum.

COROLLARIVM I.

1330 *De caſu reſervato dubio.*

DVbitans, utrùm caſus ſit reſervatus, poteſt pœnitentem abſolvere. Ita Diana ubi ſupra *Reſolutione IV.* citans pro ſe Sà, Ochagaviam, Hurtadum, Homobonum, Filliucium, Suarez, Portel. Ratio eſt; quia cùm dubium non ſit morum regula, operaturus debebit ab eo præſcindere & ſupponere tale dubium non eſſe: ergo & ſupponere non eſſe reſervatum.

COROLLARIVM II.

1331 *De facultate, ſeu licentia dubia.*

SCiens caſum fuiſſe reſervatum, dubitans verò, an poſſit abſolvere, tenetur non abſolvere. Dubitat, an poſſit abſolvere, quia dubitat, an Prælatus revocaverit reſervationem, aut an dederit abſolvendi licentiam, & tunc quia ſtandum eſt pro poſſeſſione quæ erat ante dubium, ſtandum eſt pro reſervatione quæ erat certa, contra revocationem, aut diſpenſationem, dubias.

1332 *De præſumptione fori externi.*

Sanchez *in Summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 74.* limitat utriuſque Corollarii doctrinam; non enim primum admittit, ubi eſt præſumptio fori externi. Nam hæreſis, verbi gratiâ, ſi externa & interna ſimul, reſervatur; præſumenda eſt reſervata in omni dubio; nam ſi ad tuos pedes provolvatur, qui certò ſciat ſe linguâ hæreſin pronunciaſſe, & dubitet an mente conſenſerit, non poterit abſolvi, nam in tali caſu, ut exiſtimat, cenſenda eſt reſervata; quia cùm verba ſint naturaliter ſigna intentionis, & nullus præſumatur dicere quod in corde non habet, nec aliter quàm in eo habet, præſumptio eſt & poſſeſſio in hoc dubio, ut hæreſis illa proceſſerit exteriùs ex vero conſenſu interiori in illam. Sic Sanchez.

Nullus præſumitur dicere, quod in corde non habet.

Sed multa ſunt, quæ diſplicent in Sanchezii diſcurſu. Hæreſin purè internam non poſſe reſervari certum mihi eſt, actus purè innos ab humano judicio eximenti poſſe reſervari purè externam ob eamdem rationem etiam certum: at actus ille nimirum, hæreſis interiùs aſſerta & exteriùs prolata, mixtus eſt, partim internus partim externus, & quî poſſit ſubeſſe judici, qui purè externa examinat, vix poſſum capere, aut ſupponerem Eccleſiam de occultis judicare directè, aut dicerem illam circumſtantiam interni conſenſus ad reſervationem non conducere formaliter; aut reſervatores proceſſiſſe prudenter ex ſententia probabili, contra quos militare poteſt probabilior. Conſultò illud *formaliter* appoſui, teneo enim poſſe in reſervatione dari rationem ſine qua non, liberæ enim reſervationes ſunt, & poſſunt ita limitari, ut judex, verbi gratiâ, non intendat omnem hæreſin exteriorem, ſed illam ſolam, quam comitetur interior, reſervare: & tunc interior hæreſis non dicitur reſervata, ſed eſſe ratio ſine qua non, reſervatur exterior.

1333 *An hæreſis purè interna ſit reſervata?*

An actus mixtus, partim internus, partim externus, poſſit reſervari?

An poſſit poni conditio purè interna?

Hæc de ipſa hypotheſi. Sed illâ admiſsâ videtur omninò tolli caſus, qui quæritur: hæc enim conſequentia, *Protuli exteriùs, ergo conſenſi interiùs*, cùm Metaphyſicè neceſſaria & evidens non ſit, multæ enim hæreſes dictantur, leguntur, pronuntiantur ſine interno conſenſu, ſupereſt ut leviter aut graviter ab antecedente inferatur. Alterutrum dicas, dubium purè negativum proſcribis, id enim nec levem nec gravem rationem compatitur. Si conſequentia leviter inferatur, leviter admitteretur: ergo quia in pœnitentiæ tribunali graviſſimo, non eſt leviter procedendum, illa conſequentia leviter illata admittenda non eſt, & ſi non admittatur remanet debere cenſeri illam hæreſin labio mero prolatam ſine interno conſenſu; adeóque reſervationi non obnoxiam. Si conſequentia graviter inferatur (conſideratâ hominis fragilitate & conſuetudine poſſet inferri graviter) erit quidem probabilis & libera, nam ſi probabile eſt fuiſſe cum hæreſeos prolatione conſenſum, etiam erit probabile non fuiſſe, adeóque ille caſus erit probabiliter reſervatus & probabiliter non reſervatus: ac per conſequens non pertinebit ad præſentem materiam, in qua non quidem de probabili, ſed de dubia conſcientia diſputamus. AT QVIA in curioſam difficultatem incidimus, tametſi ad probabilem conſcientiam pertineat, ne dicta iterùm inferiùs reſumamus, inquiram, quî debeat Confeſſarius, quî Pœnitens procedere, cum reſervatio eſt merè probabilis?

1334 *Verbi externi & interni connexio.*

Illatio dubia

Illatio gravis

De reſervatione probabili.

Sentio primò Confeſſarium poſſe talem pœnitentem abſolvere, licitè & validè. Licitè quidem, quia probabilitas licitas operationes facit; validè, tum quia in communi ſententia abſolutiones à vero Sacerdote, qui tamen habeat probabilem authoritatem, ſunt validæ; tum denique quia ſemper intermiſcetur aliquod veniale peccatum, & qui probabiliter abſolvit à mortali, habet certam authoritatem abſolvendi directè à veniali, adeóque abſolvit à mortali directè, ſi opinio ſit vera; aut ſaltem ſi ſit falſa, indirectè. Conſono Merollæ *in diſp. Theol. tom. 1. diſp. 3. cap. 5. dub. 2.*

1335 *Ab illa poteſt Confeſſarius pœnitentem abſolvere.*

dub.2. corollar.23. num.370. ubi dicit, quod cùm reſervatio ſit odioſa, debet reſtringi ad certam, ex Reg. XV.

1336 *Ab illa debet.* At quia opinio probabilis neminem neceſſitat, dubitari poſſet, an talis Confeſſarius poſſet negare abſolutionem ſubſcribens alteri probabilitatis parti? Sanè non abſolvi, condemnari eſt, & in judicio non niſi plenè convicti condemnantur; ergo certiùs videtur Confeſſarium in tali caſu, non ſolùm poſſe, ſed & debere pœnitentem abſolvere. Accedit, quòd ſit invidiæ actus negare aſſiſtentiam proximo graviter laboranti, ſi ſine damno poſſumus, aut indemnes reddamur. atqui exiſtens in peccati mortalis ſtatu graviter laborat, & Confeſſarius ſine damno poteſt illi abſolutionem concedere (nam ſi contrarium probabiliter ſentiat, poteſt mutare probabile dictamen ſine periculo aut jactura) ergo invidiæ peccatum committeret, ſi abſolutionem negaret. Dixi videri certiùs Confeſſarium teneri in tali caſu abſolutionem concedere, non tamen eſſe omninò certum, ſcio enim has inſtantias tametſi fortes, non eſſe indiſſolubiles; nam & Authores dubitant, an ille quem eſſe plenè convictum eſt probabile, damnari poſſit; & poſſe probabile eſt: & etiam certum eſt non poſſe quempiam ſine damno mutare dictamen, omnis enim mutatio eſt argumentum levitatis, & non ſervatur indemnis qui notam levitatis incurrit.

Eſſet invidus, ſi negaret abſolutionem.

An poſſit quis mutare dictamen?

1337 *An detur præſumptio evidens?* Hîc obiter notandum, talem poſſe eſſe præſumptionem contra eum qui illam hæreſin protulit, ut videatur eſſe certitudo moralis; putà, ſi ex prava hominis conſuetudine & illiberali educatione conſtet, eum ſemper moraliter (hoc eſt, ferè-ſemper) cùm talia profert, habere interiorem conſenſum: & in tali inquam hypotheſi, ſi eſt verum dicere, *Non jam dubium aut probabile, ſed moraliter certum eſſe Petrum habuiſſe conſenſum interiorem in hæreſin illam, quam protulit*, fore etiam verum, *Peccatum illud eſſe reſervatum.*

COROLLARIVM III.

1338 *De intentione dubia in voto.* *QVi certò ſcit ſe emiſiſſe verbis votum aliquod (caſtitatis, exempli gratiâ) dubitat tamen poſitivè aut negativè, aut fortè timet vel ſcrupulizat, an habuerit intentionem obligandi ſe, voto illo non obſtringitur.* Ex dictis patet, qualiter verba inferant præſumptionem; hæc enim conſequentia, *Emiſit verbis, ergo animo*, tametſi in foro exteriori potentiſſima ſit, in interiori non ſemper concludit & convincit. Nam ſi illatio, conſideratâ hominis qualitate, videatur certa moraliter, tunc non eſt ille dicendus dubitare, timere, ſcrupulizare, ſed certò ſcire; & tollitur quæſtio, qui enim certò ſcit ſe voviſſe cum animo ſe obligandi, certò ſcit ſe teneri. Si eadem illatio prudentum æſtimatione ſit probabilis, eum voto illo obſtringi, & non obſtringi, probabile erit. Cæterùm, ſi illatio ſit minùs quàm probabilis (hoc eſt ſcrupuloſa, timida, dubia poſitivè aut negativè) dubium erit, an detur verum votum (verba ſine animo obligandi vota vera & obligatoria non ſunt) ergo, quia hoc votum dubium non poteſt eſſe morum regula, debet à quæſtione præcidi, & ſupponi non eſſe: atqui eo præciſo manet in poſſeſſione libertas: ergo qui taliter votum emiſit, non emiſiſſe votum validum, adeóque nec teneri caſtitatis voto cenſendus. Ita Alphonſus de Leone *tr. de poteſt. Confeſſ. part.1. recollect.17. concl.8. num.93.* citans pro ſe Rebellium *part.1. lib.2. quæſt.14.*

Forum externum differt ab interno.

De intentione probabili. in voto.

Objicit tamen Diana, *Primò* Rebellium nec hîc nec alibi hanc ſententiam tenere. *Secundò*, ſibi non placere, nam quando aliquis eſt certus de voto; & dubitat, an habuerit animum ſe obligandi, tunc poſſeſſio non eſt pro libertate voluntatis, ſed pro voto, ut poſt alios docet etiam Merolla.

Diana objectio.

SED *ad primum* reſpondeo non vacare mihi, ut recognoſcam Rebellium, adeóque utri ille ſententiæ faveat, ipſi viderint. *Ad ſecundum* fateor poſſeſſionem ſtare pro voto quà purè vocali præciſo ab intentione, nego illam ſtare pro voto vero & obligatorio; quia verba ſine animo verum & obligatorium votum non conſtituunt: adeóque nihil eſſe quod militet contra libertatem.

Aliud eſt poſſeſſio interna, aliud externa.

Cùm Sanchez *in Summ. tom.1. lib.4. cap.40. num.26. & cap.44. num.3.* admittit eum voto teneri, recurrit ad præſumptionem; talem ergo, quæ certò intentionem inferat, aliàs enim non eſſet cur ad præſumptionem recurreret: ergo militat etiam pro nobis; nam ſi talis ſit præſumptio, ut hæc aſſertio, *Emiſit votum verbis, ergo & animo*, ſit moraliter certa, ceſſat dubium, adeóque etiam quæſtio. Interim in foro externo cogi debet, ut is votum obſervet, quouſque in eodem externo probet, ſe non habuiſſe ſe obligandi intentionem.

Præſumptio niſi certa, non probat certâ obligationē.

De foro externo.

COROLLARIVM IV.

1339 *De voti dubia emiſſione.* *QVi dubitat, an votum emiſerit, non tenetur illud implere.* Ita Malderus, Villalobos, Fauſtus, Laymanus, Sanchez, Suarez, Rebellius, Reginaldus, Henriquez, Filliucius, Avila, Fagundez, Alvarez, Medina, quos citat & ſequitur Diana *part.4. tractat.3. reſol.10.* Ratio eſt eadem, quia præſcindendo à voto dubio, manet in poſſeſſione libertas.

COROLLARIVM V.

De voto indefinito. *QVi ſcit certò ſe emiſiſſe votum Religionis, dubitat tamen an voverit ingredi hanc vel illam determinatè, tenetur Religionem quidem ingredi, non verò aliquam determinatè.* Patet, quia, ut benè S. Bernardus, *lib. de præcept.* nos docet: *Illud à me poteſt exigi, quod promiſi:* ingredi autem hanc potiùs, quàm illam, non promiſi.

COROLLARIVM VI.

QVi certò ſcit ſe emiſiſſe votum ingrediendi unam è duabus religionibus, neſcit verò utram promiſerit, non ſolùm tenetur religionem ingredi, ſed unam ex illis duabus, non tamen tenetur ingredi alterutram determinatè. Ratio eſt eadem.

COROLLARIVM

COROLLARIVM VII.

QVi ſcit ſe emiſiſſe votum caſtitatis, & dubitat, an virgineæ aut conjugalis, debet ſervare caſtitatem, & tamen ſatisfacit ſi alterutram. Conſtat ex Regula XV. & XXXI. quia in dubiis odia debent reſtringi, & minimum eſt ſequendum.

COROLLARIVM VIII.

De dubio circa durationem.

QVi certò ſcit ſe voviſſe caſtitatem, & dubitat an in perpetuum aut ad tempus, tenetur illam ſervare, non tamen tenetur in perpetuum.

COROLLARIVM IX.

Melius eſt non ingredi religionem, quam ingredi ut egrediaris.

QVi ſcit ſe voviſſe ingredi religionem, dubitátque an ſtabilitatem etiam voverit, ſatisfaciet quidem ſi ingrediatur, non tamen remanere tenebitur. [Imò, ſi rem benè conſideres, nec tenebitur ingredi; nam ſtando communibus hominum moribus, meliùs eſſet non ingredi, quàm ingredi cum animo egrediendi; quod etiam in meo Commentario olim tenui.]

COROLLARIVM X.

De dubio circa quantitatem.

QVi vovit ſe lecturum Roſarium, & dubitat an parvum vel magnum, debet Roſarium legere, non tamen debet magnum, ſed alterutrum. [Omnia ſunt parallela, & eidem fundamento innituntur, quia in omnibus pro poſſeſſione ſtamus. Admittuntur à Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 10.* & apud eum ab utroque Sancio, Petro Cornejo, Navarro, Suario, & aliis.

COROLLARIVM XI.

1340 *De dubio circa libertatem.*

QVi certò ſcit ſe voviſſe, dubitat tamen an liberè, non tenetur ſervare votum. Caſus eſt poſſibilis; & primò, ratione ætatis; putà, ſi in tenera emiſerit. Secundò, ratione perturbationis, ut ſi in procella aut morbo, in talibus enim miſeriis viri puſillanimes turbari & perturbari ſolent. Ratio reſolutionis eſt eadem, & caſus ſimilis illi, quem Corollario III. propoſui, quia votum ſine libertate, non eſt obligatorium, & tametſi poſſeſſio ſtet pro voto verbis emiſſo, non ſtat pro voto emiſſo liberè, adeóque nec pro voto obligatorio & vero. Ita Sotus, Ludovicus Beja, & alii apud Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 1. diſp. 9. num. 12. in 4. arg.* Cæterùm in foro externo cogi debet, quouſque ſe caruiſſe libertate perſuadeat.

1341 *An in dubio detur magis & minus.*

Sed quia ſæpè contingit in dubio dari magis & minus, inquiris, An qui non omninò dubitat, ſed magis in eam partem inclinat, ut votum emiſerit, vel ſi ſe illud emiſiſſe certò ſciat, & tamen in eam partem magis inclinet, ut exiſtimet ſe liberè illud & validè emiſiſſe, teneatur illud adimplere? Et ego noto illud *magis*, & dico *primò* caſum repugnare, ſi agatur de dubio negativo, eſſe tamen poſſibilem ſi de timore, ſcrupulo, aut dubio poſitivo. Et teneo contra timorem & ſcrupulum ſtandum pro libertate, quia nec corporis morbida affectio, nec ratio levis debet eſſe morum regula: ergo ſi te tuus morbus torqueat & timore inficiat, aut ſcrupulus vexet in levi ratione fundatus, ſta pro tuæ libertatis poſſeſſione ſubſcribens Garziæ, Lorcæ, Fernandez, Laymano, Caſtro Palao, Sanchez, Vaſquez, Salas, quos citat & ſequitur Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 12.* Et hæc dicta ſint, ſi illud *magis* levem aliquam rationem importet: hoc eſt, ſi pro neutra parte occurrat ratio gravis, & tamen illa quæ tibi favet ſit levior, quæ obſtringit minùs levis, levis tamen. Si autem illud *magis* aliquam gravem rationem afficiat, dubium omne proſcribitur, & gignitur probabilitas, quæ etiam neminem ad aſſenſum neceſſitat. Nam, ſi ſit probabile quòd votum non emiſeris, & probabilius quòd emiſeris; aut ſi ſit probabile quòd ſine animo, aut libertate, aut cum aliquo impedimento emiſeris, & probabilius quod emiſeris cum animo te obligandi, aut cum deliberatione plena, aut ſine impedimento dirimente, poteris liberè in alterutram probabilitatis partem inclinari; ſecurè enim minùs probabilem ſententiam, ubi non agitur de proximi detrimento, tenebis.

De libertate probabili.

COROLLARIVM XII.

1342 *De voti materia dubia.*

IN dubio, An materia devota ſit bona vel mala, teneri & non teneri juxta noſtra principia probabile eſt. Conſultò poſui illud *juxta noſtra principia*, quia alii Authores, ſi ſuis liberè permittamus inſiſtere, dividuntur; Suarius enim, Filliucius & Fauſtus aſſerunt; Sanchez, Sotus, Caſtrus Palaus & Bonacina negant; Diana utramque partem probabilem putat, & præelegit Suarii ſententiam. Nos igitur ſtando poſſeſſioni obligationem ſic, ſed merè probabiliter ſuademus. Petrus eſt vir prudens, ergo debet conſervare ſuæ authoritatis opinionem & poſſeſſionem in omni dubio, ergo quamdiu contrarium non conſtiterit, debet credere ſe examinaſſe materiam juramenti vel voti, & judicaſſe meliorem oppoſitâ; imprudens enim eſſet ſi malam aut minùs bonam voveret: ergo præſcindendo à dubio ſuperveniente illa materia voti eſt in ſuæ bonitatis jam priùs judicatæ poſſeſſione: ergo & votum eſt validum. Cæterùm, cum illa ſententia non ſit infallibilis, ſolùm poteſt dare objecto probabilitatem, & caſum potiùs tollere, quàm inducere neceſſitatem operandi. Sed libertatem fortiùs & clariùs perſuadebimus. Certum eſt, quod homo non poſſit voto aut juramento ſe obligare ad actionem malam: ergo quamdiu non conſtet voti materiam eſſe licitam, ſtandum pro certa illa impotentia, adeóque pro non implendi poteſtate & libertate.

Pro voti valore.

Contra voti valorem.

1343 *De voti materia probabili.*

Si quando eſſent probabiles Authorum ſententiæ teſte Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 13.* circa hanc bonitatem & malitiam, fas eſſet quamcumque amplecti, etiam minùs probabilem: quod quia & ego veriſſimum judico, meâ qualicumque etiam authoritate roboro.

COROLLARIVM XIII.

1344 *De lege, in dubio, an sit acceptata.*

SCiens certò legem, quæ excommunicationem, suspensionem aut irregularitatem imponit, latam fuisse, & dubitans an acceptata, aut usu recepta sit, prudenter non esse receptam; & esse receptam putabit temerè & imprudenter. Alterutrum diceretur, non tangeret illos, qui nimis animosè communitatem suppeditare & Principes in Tyrannos convertere gestiunt: at nos qui cum viris doctissimis, mancipio, servo, & cuicumque subdito qui occidi possit, licere imponi leges etiam invito; at libero & ingenuo homini non posse aut saltem non solere credimus; affirmamus nullam humanam legem nos (liberi & ingenui sumus) urgere involuntarios, nullam ante acceptationem habere vim, nullámque post acceptationem majorem illâ, quàm ipsa tribuerit acceptatio & usus acceptationis interpres. Quamobrem in dubio præsenti asserendum, nos teneri illâ lege, si debeat censeri acceptata; & si debeat credi non acceptata, non teneri.

An obliget lex non acceptata?

1345 *An pro lege si dubitatur, an sit acceptata, stet possessio?*

Apud Dianam, cujus diligentiæ multorum Scriptorum nomina & suffragia debemus, contra me sentiunt Sanchez, Filliucius, Bonacina, Merolla, Alphonsus de Leone, & alii, & nostra ipsa principia supponentes *sic arguunt.* Standum est pro possessione; atqui in tali casu possessio stat pro lege: ergo standum pro lege. Minorem probant. Quia supponitur esse lex lata, & solùm an acceptata sit inquiritur. *Et respondeo* eosdem ex hallucinatione Authores contra me militare, cùm enim eadem mecum fundamenta supponant, videntur Dialecticæ defectu deficere: tu autem Lector Candide, utri simus meliores Dialectici judica, nam communia principia supponentes differimus in consequentia. Ad formam igitur concedo majorem, ipsa enim mihi fundamentalis & certissima: nego tamen minorem. Ad probationem admitto legem esse latam & esse in possessione publicationis, nego tamen hanc possessionem sufficere, ut sit vel fuerit moraliter aut pœnaliter obligatoria: lex enim antequam acceptetur, non est vera & formalis lex; unde idem est dubitari, an detur acceptata lex, quàm an detur vera & obligatoria lex, non enim vera & obligatoria ipsa antequam acceptetur. Pono casum similem. Scio substantiam A esse animal, dubito, an sit rationalis; & quæritur an homo sit? Quid debeo judicare in hoc dubio? esse illam hominem? non credo.

Animal, si dubitetur, an sit rationale, non est judicandum esse homo.

1346 *Probatur Resolutio.*

Sed Corollarii doctrinam mecum tenent Azorius, Emanoël de Moura, Rebellius, Castrus Palaus, & alii quos sequitur Diana *part.4. tract.3. resol.14.* asserens esse valde probabilem & tutam in praxi. Salas eidem videtur opinioni adhærere, citat enim Azor. & tamen non impugnat: & ut rem fatear, ex nostris principiis, quæ etiam admittunt adversarii, evidenter infertur. Arguo enim sic. Standum est pro possessione, & à dubio abstrahendum, supponendúmque rem illam, de qua dubitatur, in rerum natura non esse. Abstrahendo igitur ab acceptatione, ipsa enim dubia, remanet lex ab acceptatione præcisa, adeóque lex nondum vera, nondum obligatoria; non enim intelligi potest habere obligandi virtutem, antequam acceptata intelligatur.

COROLLARIVM XIV.

1347 *De impedimento dubio.*

IN dubio, An detur impedimentum ante matrimonii contractum, potes liberè contrahere sine dispensatione. Patet, quia standum est pro tuæ possessione libertatis: ita universaliter Ioann. Sancius *in Selectis disp.43. n.44.* quod est intelligendum de homine libero & nulli certo impedimento obnoxio, tum enim datur vera libertatis possessio. Si autem dubites, an impedimentum habeas, eo quòd scias te habuisse verum impedimentum, nescias tamen an obtinueris validam dispensationem, tunc etiam standum pro possessione est, & cùm impedimentum in possessione sit, censendum dari impedimentum.

De dispensatione dubia.

1348 *An Episcopi declaratio sit evidens? An omnes Episcopi sint docti?*

Emanuëlem Sà, virum aliàs ingenio forti, claro, imò & audaci præditum video, *verb. dispensatio n.1.* in re clarissima hærentem & scrupulizantem: in tali casu desiderat recurri ad Episcopum, ut declaret, quod non requiratur dispensatio; aut, si & ipse dubitet, ut in dubio dispenset. Sed nescio, an secura sit illa Episcopi declaratio, rarò enim ipsi tam docti, ut præponi debeant Theologiæ Professoribus. Fœlix judico Belgium, ab ipso enim erectionis initio, Episcopatibus doctissimos viros præfecit, sed ignorare Sà non poterat in multis Provinciis ad summas dignitates nobiles, aut fortè divites promoveri; & in tali casu quid facturus esset cum Episcopi declaratione, non scio. Illa quidem dispensatio in dubio concessa nocere non posset; sed hîc non solùm requiritur, quid possit, sed quid debeat fieri; & dicimus dispensationem illam in dubio non debere peti, sed posse: multa enim inutilia possunt licitè fieri.

COROLLARIVM XV.

1349 *De die dubio.*

SI quis dubitet, An die Iovis sit hora duodecima, adhuc potest edere carnes. Ratio est; quia est in possessione dies Iovis, & non tenetur quis credere non esse diem Iovis, quousque evidenter sciat. Ita Ioannes Sancius, Thomas Sanchez, Laymanus, Salas, Naldus, Castrus Palaus, Fagundez, Villalobos, quos citat & sequitur Diana *part.4. tract.3. res.18.* Eodem modo philosophaberis de quocumque die, in quo comeduntur carnes, si sequens jejunii aut abstinentiæ sit. At ex hoc Corollario inferri debet alterum Corollarium. *Nam qui die Sabbati dubitat an sit hora duodecima, nondum poterit comedere carnes,* & hoc propter eamdem rationem: quia cùm sit in possessione dies abstinentiæ, non potest quis prudenter credere eum jam transiviſſe, quousque habeat aliquam rationem probabilem.

COROLLARIVM XVI.

1350 *QVi dubitans, An esset hora duodecima, comedit & bibit, si die sequenti sciat nondum fuisse duodecimam, potest celebrare aut Sacramentum Eucharistiæ sumere.*

COROLLARIVM XVII.

1351 *An, qui ex inadvertentia comederit, celebrare possit?*

SEcus verò si sciat fuisse duodecimam. Prima pars est verissima in omnium opinione, secunda tam vera quàm hæc, *Qui ex oblivione aut inadvertentia sumpserit jentaculum, non potest celebrare,* quæ aliquibus videtur difficilis; putant enim leges agere de humanis actionibus: & quæ ex inadvertentia fiunt, animales potiùs

potiùs eſſe quàm humanas, adeóque incapaces pœnæ & præmii. Sed hoc alii viderint; ego enim in Theſi malui ponere communem ſententiam. Obiter tamen dicam me audiviſſe Reverendiſſimum D. Manriquum, nunc Salmanticenſis Vniverſitatis Primarium Profeſſorem, in Gymnaſio publico ſic diſcurrentem. [Si quis ex inadvertentia aut oblivione die jejunii carnes in magna quantitate comederit, non fregit jejunium, adeóque tenetur ſervare formam jejunii reliquo tempore eodem modo ac ſi carnem non comediſſet; unde ſi comederit caponem mane, poterit meridie prandere & veſperi collationem ordinariam ſumere, quia leges actibus non-humanis non violantur, & illi qui ex inadvertentia aut oblivione, hominum quidem ſunt, non verò liberi & humani: contrarium tamen addebat, non auderem dicere improbabile propter Baſilii Poncii de Leone (tunc Primarius Profeſſor erat) opinionem, docentem illud jejunium eſſe fractum reverà tametſi inadvertenter, illúdque die reliqua non obligare, & ab inadvertentia habuiſſe, non quidem quòd non violaretur, ſed quod violaretur & frangeretur ſine culpa.] Sic diſcurrebat Angelus Manriquus, ſic Baſilius; tu Lector attentè utriuſque ſententiam conſidera, quia ex utraque multa conſectaria naſcerentur.

An jejunia ex inadvertentia frangatur?

COROLLARIVM XVIII.

1351 *De debito dubio.*

SI quis putans talem pecuniam eſſe tuam, noluerit tibi reſtituere, & tamen poſtea re meliùs examinatâ repererit non eſſe tuam, ſed ſuam, non tenetur illam tibi tradere. Patet, quia error præcedens non mutavit pecuniarum dominium. Tamen dicendus eſſet peccaſſe contra dictamen illas pecunias retinendo quando putabat eſſe tuas, ni fortè rem voluerit meliùs examinare, & cenſuerit ſe nondum habere certitudinem, quia in probabilitate vel dubio poterat ſibi retinere. Nota hoc ultimum, veriſſimum enim eſt, & plurimis conſcientiis ſedandis & componendis proderit.

COROLLARIVM XIX.

1353 *De media nocte dubia.*

QVi dubitat, An poſt horam duodecimam biberit vel comederit, poteſt communicare. Et ratio, ut ante deſumitur à poſſeſſione, quia dies heſterna fuit in poſſeſſione priùs quàm hodierna, nec tenetur aliquis credere illam eſſe finitam, quamdiu non ſciat evidenter hanc incœpiſſe. Ita Ioannes Sancius, Layman, quos citat & probabiliter ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 26. contra Thomam Sanchez, Fagundez, Villalobos.

Sæpè dicitur, Poſſeſſio ſtat pro præcepto. Quomodo hoc intelligendū ſit?

Dices. Standum eſt pro poſſeſſione, atqui tali caſu nulla poſſeſſio ſtat pro communicaturo, tota ſtat pro præcepto: ergo. Et reſpondeo te argumentari ex illorum doctrina, quos contra me citavi, & tamen me deſiderare minorem poſitam ſuaderi. Poſſeſſio ſtat pro præcepto intra ſphæram præcepti: at pro libertate multò antiquior, & certior. Ergo quouſque ſit evidens quod ſim obnoxius illi præcepto, ſtandum eſt pro libertate. Præceptum interdicit Euchariſtiæ ſumptionem non-jejunis nihil interdicit: ergo non eſt in poſſeſſione interdicendi jejunis hujuſmodi ſumptionem: ergo nec Petro illam inhibet, quouſque evidens ſit, quod non ſit jejunus. Similis illi lex, quæ lictori præcipit ſuſpendere Anſelmum propter latrocinium, nec tamen lictor, ſi dubitet, an ſis Anſelmus, te poterit ſuſpendere dicens, ſtandum pro poſſeſſione præcepti; quia illud nullum alium reſpicit, niſi ſolum & certum hominem, nimirum Anſelmum; & ſimiliter præceptum illud Euchariſticum ſolis illis imponitur, quos non eſſe jejunos certum eſt.

COROLLARIVM XX.

1354 *De ætate dubia.*

IN dubio, An expleveris vigeſimum primum annum, non teneris jejunio. Et ratio ſemper eſt una & eadem; tunc enim benè philoſophamur, quando ex eiſdem principiis eodem modo diſcurrimus; veritas enim ubique una, Deus unus, religio una; & qui quæſtiones ſimiles reſolvit diverſimodè, unitatem, quæ indiviſibilis eſt, conatur dividere, & ingenii debilitatem oſtendit. Scis te in annum vigeſimum primum ingreſſum, ſta pro poſſeſſione hujus anni; non enim teneris te egreſſum credere, quouſque evidenter ſcias, & quamdiu non teneris credere te viginti unum annum compleviſſe, non teneris credere te eſſe jejunio obnoxium; lex enim illa ex Eccleſiæ benignitate & omnium Authorum ſententia hanc ætatem compleram ſupponit. Subſcribo Ioanni Sancio, Naldo, Caſtro Palao, Alphonſo de Leone, Laymano, Fagundez, Thomæ Sanchez, & Dianæ *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 21. quicos adlegat.

Quæ ætas requiratur, ut quis teneatur jejunare?

COROLLARIVM XXI.

1355 *De die feſto dubio.*

SI quis dubitat, An hodie ſit dies feſtus; & an ſit jejunii, non tenetur Miſſam audire, nec jejunare. Ita Suarius *de cenſuris diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. & Diana *ubi ſuprà.* Quod ego limito ad feſta nova, ita ut dubium de præcepto ſit, non de diſpenſatione; & clariſſimè expono. Scio diem talem fuiſſe ferialem & liberum & dubito, an ſolennis ſit factus Pontificis authoritate aut præcepto? & ſtabo pro poſſeſſione libertatis & ferialitatis, quouſque contrarium conſtet. Si tamen ſciam hucuſque diem Marianæ Conceptionis feſtivum fuiſſe à viro tamen, cujus authoritas non ſufficit ut formem dictamen probabile, audiverim eſſe à faſtis expunctum, quamdiu probabiliter non ſciam eſſe expunctum, tenebor ſtare pro poſſeſſione ſolennitatis: & idem de jejunio dixero.

COROLLARIVM XXII.

1356 *De die Paſchatis dubio.*

SI quis dubitet, An hodie ſit Dominica Ramorum vel Paſchatis, non poteſt credere eſſe Paſchatis. Et ratio eſt eadem. Quadrageſimale tempus jejuniúmque eſt in poſſeſſione, à qua non poteſt excidere ante notitiam ſaltem probabilem: ergo quamdiu non habeas rationem probabilem, non poteris hac die carnes comedere, nec teneberis ſequenti (nempe die Lunæ) Miſſam audire (feriâ ſecundâ Paſchatis debes illam audire) quamdiu non habeas certam.

COROLLARIVM XXIII.

1357 *De ætate dubia.* *Qui dubitat, An habeat ætatem sufficientem, ut profiteatur, aut promoveatur ad ordines, neutrum potest facere.* Et hoc ob rationem præpositam. Nam ætas insufficiens est prior, & ideò in possessione. Ita omnes Authores Corollario XX. citati.

Professio ante ætatem legitimam est invalida. Sed ex dubio dubium suboritur. Sit casus: Petrus dubitans, an haberet sexdecim annos ætatis vota emisit, & re posteà benè examinatâ reperit se non habuisse illam ætatem, & inquirit, An sit verè professus? Et communis omnium Doctorum resolutio est negans.

1358 Sed Paulus, qui eodem dubio laborans professus est, & diligentiâ post professionem adhibitâ reperit se habuisse septemdecim annos cùm professus, an validè sit professus inquirit. Et respondeo hanc non esse quæstionem tam facilem quàm multi judicant: venit enim interpretanda Pauli, Abbatis, Communitatis, & Ecclesiæ voluntas; quorum omnium, si vel unus prudenter judicetur renuere, nihil factum. Ecclesia sexdecim annorum ætatem ita exigit, ut professionem aliter factam, non solùm illicitam, sed nullam declaret; quid de dubio sentiat, non expositi. Prælatum Communitatémque, si scirent esse dubium de ætate, non fuisse admissuros professionem illam, videor non præsumere, sed certò scire; & si hoc verum, involuntarii contrahunt: sed erga quid involuntarii? erga contractûs substantiam, an erga modum? si erga purum modum; validus ille est. Sed quis Novitium in tali dubio vota emittentem à peccato mortali absolveret? & quis crederet dari tam stupidam communitatem, quæ vellet admittere, quem mortaliter peccaturum deprehenderet? Sed hæc inter dubia à me per modum dubii proposita alii examinent: non enim auderem in re tanti momenti præcipitare judicium: professionis illius valorem non video, nullitatem non adstruo: quæstionem doctioribus resolvendam relinquo. Interim tu, quamdiu non probetur contrarium, judica illam professionem fuisse in utroque foro validam & obligatoriam.

COROLLARIVM XXIV.

1359 *Cùm dubitatur, an lex obliget in tali casu?* *Quando constat legem fuisse latam, & dubitatur, utrum in tali casu obliget, erraret qui universaliter obligationem aut affirmaret aut negaret.* Ratio est; quia tametsi standum pro libertate sit, non est semper eadem possessionis ratio, nam aliàs erit in possessione lex, aliàs libertas. Si instantias casúsque ad oculum exposuero, non tam videbor Authores conciliare, quàm interpretari.

1360 *Possessio pro lege.* Potest *primò* universaliter lata lex fuisse in suæ universalis authoritatis possessione, & dubitari an totaliter, partialitérve exciderit, ob contrarium præceptum, præscriptam consuetudinem, aut legitimam dispensationem; & in his casibus standum pro legis possessione, quousque saltem probabiliter constet contrarium. Et hanc existimo esse mentem Ioannis Sancii, Thomæ Sanchez, Medinæ, Suarii, Naldi, Villalobos, quorum opinionem vocat communem Diana *part. 4. tract. 3. resol. 22.*

1361 *Possessio contra legem.* Potest *secundò* universaliter lata nunquam fuisse in possessione alicujus articuli aut circumstantiæ, aut dubitari an in tali possessione unquam fuerit; putà si dubitetur an fuerit Legislatoris intentio talem casum sub talibus circumstantiis interdicere, an communitatis legem in eodem, aut sub eisdem acceptare: & si constet illum voluisse etiam illum casum comprehendere & hanc de facto acceptasse, adhuc quis (sed hic non jam dubio sed probabili discursui locus; legis enim latio & acceptatio sunt gravissimæ authoritatis) posset opinari neutrum potuisse. In hoc igitur dubiorum aut probabilitatum concursu vera omninò erit sententia Ioannis Salas, contra quem nemo prudens procedet, stari enim in dubiis pro possessione debet, in probabilibus potest; cúmque ante legem dubiam aut probabilem, stet in certa possessione libertas & immunitas, standum est pro libertate.

1362 *An quis teneatur jejunare, si dubitet, an sibi nocebit jejunium?* *Hinc patet* eum, qui dubitaret, an jejunia, abstinentia à carnibus, aut similia sibi notabile nocumentum allatura, non tenere jejunare aut abstinere; quia cùm certum scit Ecclesiam nec posse nec velle talia jubere in subditorum destructionem, stat in possessione libertas, non lex; & hoc supponendo timeri nocumentum, quod, si velles, etiam illæso Decalogo admittere posses: nam si hoc tale sit, ut in Decalogum vel leviter impingat, stabit pro possessione Decalogus, omnium aliarum antiquissima lex, nobiscum natus, contra quem nulla hominum authoritas prævalere poterit. Sed casus non concernit praxim, nam jejunia plerisque omnibus prosunt; &, utrùm noceant pisces ab experientia discitur, quæ non dubiam, sed certam aut probabilem notitiam generat.

COROLLARIVM XXV.

1363 *De beneficii dubia tenuitate. An recitare teneatur Clericus, qui tenue beneficium habet?* *Dubius ob tenuitatem beneficii non tenetur recitare officium divinum.*

Suppono esse Doctorum receptissimam sententiam quæ docet, eos, qui nimis tenue beneficium habent, non teneri totum officium divinum quotidie recitare (an ad partem teneantur, cùm tenue beneficium congruæ sustentationis pars sit? an teneantur recitare aliquando, resolvam alibi suo loco) & inquiro, quid in dubio dicendum? Et assero, dubium bifariam posse accidere: uno modo, si sciat se habere tenue beneficium, & dubitet an illi qui tenue beneficium habent, includantur in lege, quæ lectionem horarum præcipit: alio modo, si sciat non comprehendi hac lege, qui tenue beneficium habent & tamen dubitet, utrùm ipse habeat tenue, vel crassum beneficium; hoc est, si dubiter, quot aurei requirantur, ut beneficium esse tenue aut non tenue dicatur. Vt ergo dubio satisfaciam,

Dubium bifariam accidere potest.

1364 *Resolutio prima.* Dico *primò*, Si Ecclesia omnibus tam habentibus pingue quàm habentibus tenue beneficium lectionem horarum indixerit, & posteà mota precibus horum cum ipsis dispensaverit, lex est in possessione erga universos, & nemo potest certam legem evadere titulo dispensationis dubiæ, ergo quamdiu non constet probabiliter

probabiliter beneficium eſſe tenue, dicendus eſt beneficiarius ad lectionem divinam obligari. Huc refer Vaſquezium 1.2.*diſp.*63. *c.*3. *num.*11.

Reſolutio ſecunda. Dico *ſecundò*, Si Eccleſia ſolis habentibus beneficium pingue horarum lectionem indixerit, quamdiu ipſe non ſciat evidenter ſuum eſſe tale, non tenebitur totum officium diebus ſingulis legere. Ratio eſt eadem; quia in hoc caſu libertas erat in poſſeſſione, à qua non debet violentia dubiæ legis excidere.

Reſolutio tertia. Dico *tertiò*, Si ſciat ſuum beneficium eſſe tenue, dubitet tamen utrùm illa prima lex quæ horas præcipit, extendatur etiam ad eos qui tenue habent; ſtare pro ſua libertate poterit; quouſque contrarium evidenter cognoſcat. Pro his duobus ultimis aſſertis adlega Ioannem Salas 1.2.*tract.*8.*diſp.unic.ſect.*17.*n.*154.

An hìc ſit opinionum diſſidium. Diana univerſaliter loquendo utramque ſententiam probabilem judicat *part.*4.*tract.*3. *reſol.*24. Sed ſi Authores benè legantur, puto non dari duas ſententias, ſed omnes mihi præire illas poſitiones, quas tradidi. Vtrùm probabiliter ab ipſis poſſis diſcedere, tu videris, non tamen me ſocium habebis, ſi diſcedas.

COROLLARIVM XXVI.

1365 *De negligentia dubia.* *COmmodatarius, Locatarius, & Depoſitarius, ſi dubii ſint, an res ſit ſuâ culpâ corrupta aut amiſſa, non tenetur ad reſtitutionem.* Et probatur eadem ratione. Nam in dubiis ſtandum eſt pro poſſeſſore: atqui qui reſtituet, eſt dominus rerum quas reponet: ergo manuteneat illas, quouſque certò ſciat ad alium illas pertinere. Ita Ioannes Sancius, Thomas Sanchez, Villalobos, Leſſius, Salas, Caſtrus Palaus, Henriquez, Diana *part.*4.*tract.*3.*reſol.*30. & alii.

An pro damnoſine peccato illato ſit facienda reſtitutio? Hìc obiter notandum, eſſe Dianæ *ibidem*, & apud eum Soti, Ledeſmæ, Henriquez, Emanuëlis Sà, & Leſſii opinione liberum à reſtitutione, quicumque damnum proximo intulerit ſine peccato gravi; putà, ſi animo favendi, aut ex inadvertentia, aut ex negligentia peccaminoſa venialiter: quæ doctrina valde neceſſaria & utilis eſt, ad ſedandas ſcrupuloſorum conſcientias. Eam tamen limita, ſi res ablata aut ejus pretium extet, tunc enim debebit reſtitui.

1366 *Præſumptio fori externi contra Cuſtodem, aut Depoſitarium.* Pro foro exteriori non eſt mala Dianæ, Maſcard.*de probat.verb.Depoſitarius.concl.*509. & aliorum doctrina, aſſerens poſſe præſumi dolum, ſi res depoſitarii appareant incolumes, & ſola perierit depoſita. Contra iſtam præſumptionem poteſt probare depoſitarius ſe non potuiſſe ſimul ſuas & illam ſervare (non deberet ſuas contemnere, ut ſervaret alienam) putà ſi incendium, inundatio, aut aliud infortunium acciderit.

Quid ſi Depoſitarius ſtipendium recipiat? Dices: hoc poſſe intelligi de depoſitario, qui ex humanitate & gratis depoſita ab amicis conſervat, non verò de publicò qui ſtipendiis civicis alitur, nec de privato ſi pretium pro labore recipiat: quia cùm ſuum laborem vendat, debet omnem curam adhibere; unde ſi ex negligentia venialiter peccaminoſa, aut ex eo quod res ſuas depoſitæ præpoſuerit, hæc perierit, tenebitur ad reſtitutionem.

1367 Reſpondeo ſtipendia communia & pretia ordinaria exigere ordinarias & communes diligentias; & ordinariæ ſine levibus negligentiis fieri non ſolent, nec ſecundùm communem modum agendi tenetur homo majori cura aliena quam propria conſervare. At poſſet quis dare extraordinaria jura depoſitario, ut rem reſtituat, ſi contingat qualitercumque perdi aut perire; &, ſi talis iniretur contractus, deberet ſervari procul dubio, & qualitercumque perdita reſtitui per æquivalentiam.

COROLLARIVM XXVII.

1368 *De Patre dubio.* *QVando duo dubitant, uter illorum pater illegitimi ſit, uterque tenetur contribuere, ut illegitimus nutriatur.* Eſt communis. Si alter ſit ditior, debet plus contribuere; unuſquiſque enim debet dare mediam partem ſummæ, quam daret aliàs. Si alter non poſſit aut nolit, alterum debere dare totum aſſerunt Villalobos & Azorius, negant Caſtrus Palaus & Salas: & tu in praxi ne à communi Authorum ſententia diſcede.

De foro externo. At ego benè video poſſe in foro exteriori utrumque condemnari, quia cùm certum ſit in iſto binario hominum eſſe contribuendi debitum, poteſt Reſpublica ab illo binario ſummam neceſſariam exigere, & qui judicaverit hoc durum, non degat in tali Republica aut contra mores & leges, ſi potuerit, reclamet.

1369 *De foro interno.* Non tamen benè video cur debeat alter credere, ſe debitorem illi proli. Non dari ſemipatres à Medicis & Phyſicis (an ſolidè, alii viderint) ſemper ſupponitur: ergo Petrus, verbi gratiâ, diſcurrere ſic poſſet: [Ego cùm non ſim hujus parvuli ſemipater, ero vel pater, vel non-pater: ſi pater, non jam mediam congruam, ſed integram debebo: ſi non-pater, nihil debebo illi. Ante duos annos non eram pater ipſius: ergo eram in poſſeſſione carendi tali filio: ſtabo ergo pro mea poſſeſſione quamdiu non probetur contrarium.] Eſſet quidem dura reſolutio matri, ſevera proli, talis tamen quam non facili negotio iniquam oſtenderes: vel ſi iniquam putes, oppugna non teſtimoniis, fatemur enim eſſe communi doctrinæ oppoſitam, & ideò illam non defendimus, proponimus tamen, deſideramúſque videre, quî poſſit à ratione diſſolvi.

COROLLARIVM XXVIII.

1370 *De dubia ſolutione.* *DEbitor certus de debito, & dubius de ſolutione, debet ſolvere.* Oſtenditur, quia ante ſolutionem dubiam ſtat pro debito certo poſſeſſio. Ita uterque Sanchez, Vaſquez, Salas, Suarez, & teſte Diana *part.*4. *tract.*3.*reſolut.*32. communiter omnes Doctores. Vbi noto primò, poſſe debitorem prudenter ſolutionem differre quamdiu affulgeat ſpes veritatem liquidiùs indagandi. Secundò, non benè dici dubitare debitorem, quia creditoris teſtimonium eſt notabilis authoritatis, adeóque tale dubium melius vocaretur certitudo aut probabilitas; vide quæ ſub finem Corollarii XXX. dicturus ſum.

Poteſt ſolutio differri.

COROLLARIVM XXIX.

De dubio debito.

DEbitor dubius de debito, nil debet ſolvere. Patet ex eadem ratione; quia ante debitum dubium, erat certa libertas, ergo ſtandum pro poſſeſſione libertatis.

COROLLARIVM XXX.

1371 *Quid, ſi debitor & creditor ſimul dubitent?*

SI debitor & creditor certi ſint de contractione debiti, & dubii de ſolutione, debet debitor ſolvere. Ita Merolla *tom.1.diſp.3.cap.3.dub.2. num.65.* At Tannerus *1.2.diſp.2.quæſt.6.dub.4. num.49.* putat tunc creditorem non teneri ſolvere; & Diana cum Layman mediâ viâ incedentes concordiam ſuadent, & rem in duas partes dividi, ne vel unus bis ſolvat, ne vel alter debito careat. Si concordia fiat, erit utilis; nam ex vi illius non tenebitur illam mediam partem reſtituere creditor, ſi poſtea debitum fuiſſe ſolutum, nec debitor alteram mediam refundere, ſi poſtea debitum non fuiſſe ſolutum comperiatur; nam in illa concordia uterque ſe expoſuit periculo lucrandi & perdendi.

Quid, ſi fiat concordia?

Probatur Reſolutio.

Meam Theſin ſic probo. Quando debitum fuit certum ut ſupponitur, ſolutione in opinione debitoris dubia non eliditur, ſed manet in ſua poſſeſſione: atqui nec elidetur, ſi & creditor de ſolutione dubitet, ergo. Minorem probo: quia ſemper manebit debitum certum, & dubia ſolutio.

1372 *An dubium in caſu duorum ſit?*

Confirmo; & legas hæc attentiùs. In aliquo caſu eſt verum quòd debitum certum maneat in poſſeſſione non obſtante ſolutione dubia; atqui hic caſus tantùm poteſt contingere, quando uterque (nempe debitor & creditor) dubitat: ergo quando uterque dubitat, ſtandum eſt pro poſſeſſione debiti, & debitor debebit ſolvere. Minorem probo. Eſt impoſſibile quod unus ſolus dubitet: ergo. Probatur antecedens. Quia quando non recordaris an ſolveris, ſi creditor te non ſolviſſe dicat, ſolutio non eſt dubia, ſed certa aut probabilis; datur enim gravis authoritas pro parte negativa & quod ſit gravis evidenter probatur, nam ſi creditor aſſereret ſe recepiſſe debitum, ab omni obligatione eſſes liber.

Nota id bene.

COROLLARIVM XXXI.

1373 *An in Republica benè gubernata dari poſſit extrema neceſſitas?*

DVbius, utrùm proximus extremè indigeat, tenetur veritatem ſine mora inveſtigare, aut ſtatim ſuccurrere. Non auderem dicere caſum eſſe poſſibilem in Republica benè gubernata. Ita pauperibus ſuccurritur, ut pietas multis noceat, qui ignavi ſunt, & malunt ex liberalitate aliena, quàm ex proprio labore victitare. Pœnas imponi vidi otioſis mendicantibus, imò & ſtipem dantibus. In Montiſramenſi Collegio Philoſophus pientiſſimo Prælato ſubfui, cujus erga pauperes zelum, non prudentiam laudabo. Conqueſti ſunt vaſalli Monaſterii de eleemoſynis; experiebantur enim non poſſe juvenes artibus applicari, nam ſcientes ſe ad Monaſterii portam victum reperturos, nolebant operari. Debuit Prælatus admoneri, & habenas ſuæ pietati contrahere.

An eleemoſynæ ſint interdum nocivæ?

Cæterùm, ſi contingeret aliquem dicere ſe eſſe in extrema neceſſitate, nemo teneretur illicò credere, nam ſimilia mentiuntur mendici, at deberet rem examinare, & ſi hoc nollet, illi ſuccurrere deberet.

An dicenti ſe extremè indigere, credendum ſit?

Si poſt examen adhuc maneret dubium, quid fieri deberet, inquiris. Et reſpondeo debere ſuccurrere.

Quid fieri in dubio debeat?

Arguis me de inconſequentia, & ais. In omni dubio ſtandum pro poſſeſſione quæ erat ante dubium: atqui ante illud dubium, quod proponitur, erat dives in ſuarum divitiarum poſſeſſione: ergo ſi poſtea maneat dubium, pro poſſeſſione ſua poteſt ſtare.

At reſpondeo, me ubique curare ſummam dicendi conſequentiam, & ut exiſtimo in hac materia de conſcientia ſervaſſe. Ad formam argumenti reſpondeo concedendo majorem, & minorem negando, non eſt dives in poſſeſſione ſuarum divitiarum, ſed pauper qui laborat extremè: & oſtenditur. Ex donatione Dei (facta fuerit Adamo, aut facta hominibus; nam utrumque diſputari poterit) omnia communia fuerunt; diviſa ſunt dominia ex hominum concordia, qui debuerunt neceſſariò extremam neceſſitatem excipere, non enim potuerunt cedere tali jure. Si igitur diviſio bonorum in tali caſu non fuit admiſſa, imò nec potuit, in tali caſu eſt in poſſeſſione bonorum communio: ergo qui dubitat an pauper laboret extremè, dubitat an detur in tali caſu bonorum diviſio. Ergo ubi bonorum diviſio eſt dubia, ſtandum eſt pro bonorum communione certa, quæ erat in poſſeſſione. Hæc inſtantia in communi ſententia fortiſſima eſt; communiter enim dicitur naturæ jure non dari bonorum diviſionem: at nos, qui etiam in jure naturæ bonorum diviſionem cognoſcimus, addimus vix dari aliquid, quod materiam ſaltem communem non ſupponat, adeóque ſemper ſupponitur gentium contractus, qui ad caſus extremæ neceſſitatis non extenditur.

1374 *Vtra prior fuerit, bonorũ communio, aut diviſio?*

COROLLARIVM XXXII.

1375 *De excommunicatione dubia.*

DVbius, An incurrerit excommunicationem, non eſt cenſendus excommunicatus, niſi fortè dubium in revocatione aut diſpenſatione conſiſtat. Omnia (multa enim hîc dici & objici ſolent) breviter oſtendemus.

Dubium circa legem.

PRIMO, *Si dubium ſit circa jus, hoc eſt, An lex præcipiat ſub excommunicatione, præſumendum eſt quòd non ſit affecta excommunicatione.* Quia cùm ante legem eſſemus in libertatis poſſeſſione, non debemus à tali poſſeſſione excidere, quouſque conſtet contrarium. Ita Molina, Azorius, Sayrus, Turrianus, Vaſquez, & Diana *parte 4. tractatu 3. reſolutione 35.*

Dubium circa factum.

SECVNDO, *Si dubium circa factum verſetur, an commiſſa ſit talis actio, cui annexa eſt excommunicatio, aſſero debere unumquemque ſtare pro ſuæ innocentiæ poſſeſſione, nec teneri credere ſe feciſſe, quod feciſſe non conſtat.* Ita Diana, Layman, & Thomas Sanchez.

Dubium circa diſpenſationem.

TERTIO, *Qui ſciens legem fuiſſe latam affectam excommunicatione, & dubitans de diſpenſatione, ſi culpam commiſerit, cenſendus eſt excommunicatus.* Patet, quia poſſeſſio ſtat

pro

pro cenſura, diſpenſatio enim aut abrogatio dubia eſſe ſupponitur.

An in dubio vitandus ſit excommunicatus?

QVARTO, *Eo caſu, quo quis poteſt ſe judicare non excommunicatum, poteſt etiam judicare alium non excommunicatum.* Patet, quia ubi eædem ſunt circumſtantiæ, idem judicium debet eſſe; habemus enim Deum communem non particularem. Vnde cùm ſolùm excommunicatos vitare teneamur, ſequitur neminem poſſe vitare aliquem in dubio, an ſit excommunicatus.

De excommunicatione conditionali.

QVINTO, *Quando excommunicatio eſt conditionalis, & dubium an conditio fuerit impoſita, cenſetur non obſtringere.* Quia cenſetur conditio manere in poſſeſſione ſui *non-eſſe.* Ita Sanchez. Et ego obiter noto omnem quæſtionem facti eſſe de conditione poſita aut non poſita. Hujus enim legis, *Ego te excommunico, ſi percuſſeris Clericum*, dubium circa factum, & circa conditionem eſt.

An confiteri poſſis excommunicato?

SEXTO, *Conſulenda eſt ſententia Filliucii tom. 1. tract. 13. cap. 7. num. 129. tametſi reducta ad limam ſcholaſticam non videatur vera; eſt enim ſtricta & ſecura.* Ipſe loco citato ſic inquit: *Quando dubium eſſet de validitate actus, ut ſi quis confiteri velit ei, quem dubitat eſſe denuntiatum, tunc abſtinendum eſſet ne ſe exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modo abſque ſcandalo vel alio periculo fieri poſſet.*

1376 Fateor eſſe res omninò diverſas loqui, & confiteri: illa minoris & aliquando nullius ferè momenti, hæc ſemper gravis: illa debita (urbanitas ſæpè ex juſtitia communicationem expoſtulat) indebita hæc, communiter enim loquendo ſunt multi Confeſſarii adeóque ſecurius eſt non confiteri tali viro, ſi valor futuræ confeſſionis proſpicitur. Neſcio tamen cur dicendus eſſet peccare, qui illi confiteretur. Huic enim rationi Emanuel Moura ſatisfaciat. Ad approbatum, inquam, & non excommunicatum Sacerdotem, poteſt quis ratione confeſſionis accedere: atqui eum, de cujus excommunicatione dubitat, poteſt (imò & debet) non excommunicatum præſumere: ergo licitè confitebitur ei: validè quidem, ſi reverà careat excommunicatione, invalidè verò ſi non careat. Et hanc rationem tametſi fortem ſic confirmo. Si adſit ſcandalum aut periculum poteſt quis confiteri excommunicato dubio: ergo etiam ſi deſit ſcandalum periculúmque. Antecedens eſt expreſſum Mouræ: conſequentiam probo. Si poteſt in caſu ſcandali confiteri illi, vel dicendum eſt, eum habere abſolutè authoritatem confitendi tali Sacerdoti, vel non habere, recipere tamen à circumſtantia ſcandali: hoc ſecundum eſt ridiculum, quia hæc circumſtantia non mutat naturas rerum, nec dat aut demit potentiam intrinſecam activam aut paſſivam ſacramentalem: ergo dicendum eſt illud prius: ergo ſi independenter à ſcandalo habeat talem authoritatem & poteſtatem, etiam poterit, licèt deſit circumſtantia ſcandali. Sed quia tametſi dicatur talem confeſſionem fore licitam, eſt dubium an ſit valida, conſulendum pœnitenti eſt, ne patiatur confitendi pudorem, ni certò ſciat Confeſſarium habere liberam & expeditam (hoc eſt omnis impedimenti impotem) authoritatem.

An abſolutio ab excommunicato data ſit invalida?

De aliis cenſuris.

SEPTIMO, *De interdicto, ſuſpenſione, & quibuſcumque cenſuris & pœnis eodem prorſus modo philoſophandum eſt.* Patet, quia quoad hoc non eſt dabilis diſparitatis ratio.

COROLLARIVM XXXIII.

SI certus ſis de voto emiſſo, & dubites an in pubertate, an poſt minorem ætatem emiſſum ſit, pater non poterit illud irritare. Supponit hæc poſitio vota puerorum in minori ætate conſtitutorum poſſe à parentibus irritari etiam poſt multos annos: non verò facta ab adoleſcentioribus.

1377 *De ætate dubia in voto.*

Probatur. Quia votum ante diſpenſationem eſt certum & ſupponitur obligare: ergo vel irritabitur diſpenſatione certa, vel manebit; dubia enim votum certum irritari non poteſt, juxta ea quæ ſæpè reſumpſimus. Atqui pater non poteſt concedere diſpenſationem certam: ergo. Probatur minor. Vbicumque eſt dubium, an materia ſit capax, non erit certum agens operaturum eſſe; idem enim eſt dubitare an corpus ſit coloratum, ac an ſit viſibile. Atqui in præſentiarum dubitatur an votum ſit diſpenſationis capax (nam ſi eſt perſonale poſt annos pubertatis, aut reale poſt vigeſimum quintum teſte Salas citando indiſpenſabile omninò eſt) ergo dubitabitur, an pater validè diſpenſet. Atqui ubi obligatio eſt certa & diſpenſatio dubia, ſtandum pro obligatione eſt: ergo.

1378 *Vide, quàm mirabiliter abutantur Authores hoc principio, Beatus, qui poſſidet.*

Scio contrarium valdè probabiliter & plauſibiliter teneri à Ioanni Sancio, Thoma Sanchez, Diana & Villalobos. Sed ratio, qua armantur, videtur non poſſe ſubſiſtere. *Audio ipſos argumentantes ſic.* Licèt vovens poſſeſſione ſua careat, & ſic votum reſpectu ejus poſſideat; at pater poſſeſſionem ſuæ poteſtatis dominativæ habet ad irritanda vota, & ne independenter ab ipſo ea emittantur: ergo dum non conſtat de exemptione ab hoc dominio per lapſum ætatis, qua hoc durat, non eſt privandus hac poſſeſſione. *Sed non urgeor.* Pater enim non eſt nec unquam fuit in poſſeſſione irritandi vota perſonalia facta poſt quartum-decimum ætatis annum, nec realia facta poſt vigeſimum-quintum. Ergo idem eſt dubitare an ante, vel poſt talem ætatem illud emiſſum ſit, ac dubitare, an pater ſit in poſſeſſione aut non poſſeſſione diſpenſandi.

Pater non eſt in poſſeſſione.

Quomodo argumentetur Villalobos?

At Villalobos ex eiſdem principiis fortiùs argumentatur. Dubium eſt; inquit, de ætate, in qua votum emiſſum eſt: ergo quia prior fuiſti puer quàm juvenis; non teneris credere te annos pubertatis exceſſiſſe quouſque id conſtet. Hæc ratio valdè probabiliter concludit, & poſſet in Gymnaſio defendi, ſed conſequenter deberemus dicere uxorem, ſi dubitet an votum emiſerit ante vel poſt matrimonii contractum, adoleſcentem anté vel poſt profeſſionem, debere præſumere quod in priori tempore, hoc eſt ante matrimonium, ante profeſſionem, &c.

COROLLARIVM XXXIV.

SAcerdos, qui dubitat, An habeat abſolvendi poteſtatem, debet ſupponere non eſſe in rerum natura illam circumſtantiam in qua dubium fundatur, & ſtare pro poſſeſſione præcedenti.

1379 *De poteſtate dubia.*

De licentia dubia.

Hinc est, quòd dubitans, An Episcopus concesserit illi licentiam, non possit absolvere: quia præscindendo à licentia dubia intelligitur Sacerdos sine jurisdictione. Hic in casu necessitatis absolvat sub conditione. An cum onere iterùm confitendi eadem peccata? Affirmat Naldus, negat Salas. Sed mihi videtur Naldi sententia evidens, quia talis absolutio non est probabilis, sed dubia; nisi tanta credatur necessitas, ut cuicumque non approbato audire confessionem liceret.

De revocatione dubia.

Hinc etiam, quòd sciens se habuisse licentiam, si tamen dubitat an revocata sit, Episcopi aut Vicarii morte aut voluntate contraria, poterit stare pro possessione licentiæ certæ contra revocationem dubiam

COROLLARIVM XXXV.

1380 *De voto castitatis dubia.*

QVi scit certò se vovisse castitatem, & dubitat an religiosam, hoc est servandam ex vi voti solenniter emittendi, non tenetur ingredi religionem. Patet ex dictis. Quia ipse est extra religionem de facto, poterítque hanc possessionem tueri, quamdiu non constet clarè votum Religionis emisisse.

De voto castitatis conditionatæ.

Hinc solvitur dubium occurrens. Scit Petrus se vovisse castitatem, dubitat autem an absolutè; aut conditionatè, hoc est, si Religiosus fiat: & petitur, an debeat præsumere se absolutam, an verò conditionatam promisisse. Et Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 16. num. 114.* ad formulam promissionis prudenter recurrit; quia cùm verba sint voluntatis indices, ex ipsis est illa judicanda. Si verba exciderint ex memoria, vel etiam ambigua & dubia sint, libertatis possessio contra omne dubium manutenenda est, dicendúmque vovisse solummodò conditionatè; hoc est, si Religiosus fieret.

COROLLARIVM XXXVI.

1381 *De superstitione dubia.*

IN dubio, An effectus proveniat à causa naturali, an à dæmone, præsumendum est procedere à causa naturali. Ponitur contra multorum levitatem & præsumptionem, quâ omnia quæ non intelligunt, hoc est plura, de superstitione incusant. Rem fateor; libenter disco, & semper vaco literis & experientiis, & singulis diebus crescit apud me naturalis potestatis opinio, decrescítque dæmoniacæ iniquitatis potentia. Si alea sermonis Nicromanticos tangat, quàm multa, quàm pulchra, quàm rara, quàm stupenda audiemus! Sed ubi illa, & quando sunt facta? alio ævo; in alia Provincia; unde tales historiolæ, non incongruè possint ultramarina mendacia vocitari. Si Madriti sis, Nicromanticis Bruxellam scatere audies; si Bruxellam appuleris, coactos esse in Italiam; si Romam venias, in Norvegia solido familiares vendi, ventos asse; & si tandem totum orbem terrarum circumeas, nihil videbis, quod excedat vires naturæ. Deum posse hominem punire scio; & posse in pœnam ei permittere dæmonis familiaritatem non ambigo; id aliquando fecisse historiæ sacræ & prophanæ testantur. Sed exempla sunt rara, & ita rara, ut in consequentiam traduci non valeant. Si quid rarum videas, gratias age naturæ conditori: potentissimus condidit potentissimam; hoc suppono: sublatere aliquod pactum, aut dæmonis interventum, quousque videam evidenter, non credam.

Pro Sagarum & Nicromanticorum causis legendus inter alios juniorum libros, parvus ille qui inscribitur, *Cautio criminalis.* Somniant, domine mi; cùm vigilant anus decrepitæ; cùm sapere videntur, delirant; & Nicromantici, cùm Scioli censentur in sua prætensa superstitione, sunt vani, impostores, mendaces. Aliqua vera fuerunt, aliqua vera reperiuntur, pauca tamen: adeóque judices timidè debent pronunciare sententiam; errabunt enim frequentissimè, si sagarum declarationi & confessioni semper credant. 1382 *De Nicromanticis & sagis.*

COROLLARIVM XXXVII.

1383 *Nemo ad plus tenetur, quàm promisit.*

QVi vovit dare tot mensuras tritici, non debet dare majores: qui dare vinum, non tenetur dare optimum: qui unam partem auream, non tenetur dare maximam: qui calicem, non tenetur aureum dare, sed sufficit talem qualem decenter Ecclesia recipiat. Patet; quia cùm promisit, vel promisit rem in genere & universaliter sumptam, vel determinatam. Si in communi sumptam, putà si mensuras ut sic, abstrahendo à magnis parvísve; vinum ut sic, abstrahendo ab Hispano, Gallico, Rhenano; voto satisfacit si det illam rationem generica aut communem quomodocumque contractam: nam qui tibi promitteret unam bestiam, æquè satisfaceret si leonem, quàm si canem daret. Si determinavit differentiam, & recordatur determinationis, debet reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Si non recordatur benè, aut opinabitur probabiliter, aut dubitabit, & alterutrum fecerit, ita se habebit ac si solùm genericam aut communem rationem promisisset; quia cùm abstrahendum sit ab omni circumstantia dubia, hic facta abstractione tantummodo remanet ratio communis aut generica. Videatur Diana *part. 4. tract. 3. resol. 48.* ubi aliquos Authores citat, & plures posset, quia hæc videtur communis omnium Doctorum opinio.

Votum de re generica.

COROLLARIVM XXXVIII.

1384 *De bello dubio.* *De lite dubia.*

IN bello eodem prorsus modo ac in lite procedi-
tur. Tunc licebit bella movere dubia, cum jure dubio litigare. Hoc est, si rem benè examines, *nunquam, aut rarò.*

In dubio licet litem instituere contra eum, qui etiam dubitat, & tamen non vult concordiam prudentem admittere. Et quidem tunc duo dubitant cùm neuter possidet: nam contra possessionem debent esse rationes moraliter convincentes. N. B. *Possessio omni dubio potentior est.*

De jure in regnum dubio.

Non aliter in Monarchiis. Si sit una Provincia juris dubii (ubi dabitur? omnia Regnorum jura in ratione gravissima fundantur) carens possessore (hoc non caret, quæ sui est juris, & se ipsam possidet: qualis est Veneta, Genuensis, & aliæ) Principes, qui jus dubium habent in illam, debent eam pacificè dividere (quia est communis Theologorum opinio) &, si alter velit habere totam, injurius

rius erit alteri, poterítque bello compeſci. Si alter Princeps illam Provinciam poſſideret, ceſſaret dubium; ratio enim, quæ ex poſſeſſione deſumitur, fortiſſima eſt, contra quam debent eſſe arma moraliter juſta, realiter convincentia. Sed hoc alibi uberiùs, apparo enim Theologiam Militarem, ubi caſus omnes, qui ſolent in militia accidere, uberâ brevitate reſolvo; primus ut opinor, qui me commiſi huic oceano.

COROLLARIVM XXXIX.

1385 *An, & quomodo pueri ante annum ætatis ſeptimum debeãt abſolvi?*

IN dubio, An puer, qui nondum complevit ſeptem annos, habeat uſum rationis, debet non abſolvi abſolutè, poteſt conditionatè, imò & aliquando debet. Quòd abſolutè abſolvi non poſſit, oſtenditur; nam cùm ipſe priùs caruerit uſu rationis, poſſeſſio ſtat pro carentia illa, adeóque præſumendum adhuc etiam carere, quamdiu non conſtet de ipſius ingenio & mentis maturitate. At, quia ſacramentali regenerationis beneficio, ſi peccarunt, omnes homines indigent, ne fortè contingat aliquando, ſubeſſe præſumptioni falſum, conſulendum omnibus eſſet, ut dubiæ capacitatis pueros conditionatè abſolverent, ne illos, ſi capaces ſint, tanto beneficio privarent. Hoc ſemper utile, at in mortis articulo omninò neceſſarium; appoſita conditio non eſt injuria ſacramento, & interim animæ favet. Nam cùm poſſibile ſit judicium ortum ex præſumptione eſſe erroneum, quid ſi ille puer, qui non eſſe doli capax præſumitur, eſſet de facto in peccato mortali, cùm dicitur non debere abſolvi? an non, ſi abſolutione conditionata careret, in æternum periret? Ita Layman, Zambranus, Villalobos, & Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 5 3.

1386 *An in dubiis favendum ſit reo?*

Sed quia noſtra fundamenta præmiſimus, aliorum etiam, tametſi nobiſcum ſentientium, rationes diſcutiamus. *Arguunt primò*, In dubiis favendum eſt pœnitenti, atqui in noſtro caſu puer pœnitens eſt: ergo illi favendum. Probatur major. Quia juxta omnium legum præſcriptum favendum eſt ſemper reo; ut ex Regul. XV. & XXX. & XLIX. colligitur: & cùm pœnitens in tribunali confeſſionis reus ſit, favendum pœnitenti eſt. *Secundò*, Injuria eſt procedere contra alicujus jus, atqui puer ille habet jus ad Sacramentum confeſſionis: ergo. Minorem probant; Quoniam tale jus omnibus Chriſtianis conceſſum. *Tertiò*, Quando aliquis adultus fatetur unum peccatum dubium & nihil præter illud, abſolvendus eſt ſub conditione, ergo etiam puer. *Quartò*, Rationes, quæ articulum mortis reſpiciunt, ferè æquè probant extra illum articulum: ergo univerſaliter debet abſolvi ſub conditione.

1387 *Sed quomodo?*

Sed nulla urget. Sententiam teneo, & fundamenta difflo. *Ad primam rationem* reſpondeo in dubiis favendum eſſe pœnitenti dubio, eo modo quo leges & jura præſcribunt, hoc enim convincit probatio; addo tamen illas, illa favere præſumendo crimen dubium commiſſum non fuiſſe. Ergo, ſi illa jura ad forum confeſſionis deberent rigoroſè extẽdi, probarent, abſolutè contrarium, quàm argumẽtatores intẽdunt: contra eos enim eandem rationẽ efformarem. Iuxta omnium legum præſcriptum favendum ſemper eſt reo, præſumendúmque hominem eſſe bonum quouſque probetur malus; puer in tribunali confeſſionis reus eſt; illi ergo favendum, præſumendúmque eum eſſe innocentem, quouſque probetur malus. Atqui innocens non abſolvitur, nec pœnâ aliquâ vel levi condemnatur: ergo ille puer abſolvi non poteſt, nec pœnitentiam judicialem recipere. Conſtat igitur rationem primam non urgere. *Ad ſecundam* etiam reſpondeo concedendo majorem, & negando minorem: Ad probationem nego aſſumptum: quoniam multis Chriſtianis illud jus (agitur de proximo) non conceditur; amentes enim, deliri, & pueri doli incapaces non habent tale jus: & ille puer, de quo procedit quæſtio, non eſſe doli capax, adeóque illo jure carere præſumitur. *Ad tertiam* reſpondeo Deum ſcire an antecedens omninò verum ſit; & tamen quidquid de illo ſit aſſero non eſſe bonam conſequentiam. Audi Dianam illud antecedens cenſurantem. [Si quis adultus, inquit, fatetur aliquid quod dubitatur, an ſit peccatum veniale, eſt abſolvendus ſub conditione; quamquam in dicto caſu meliùs ſit dicere aliquod peccatum ſaltem veniale certum vitæ præteritæ, etiam ſi ſit confeſſum.] Et quidem ego extra neceſſitatem has conditionales ſacramentorum formas non libenter admitto. Sed quidquid de antecedenti illo ſit, probo conſequentiam nullam eſſe; quia in adulto ſcitur, quòd potuerit peccare, & quòd actionem fecerit, & poſſet præſumi peccaſſe: in parvulo dubitatur, an potuerit peccare; adeóque an illam eamdem actionem fecerit (qui enim peccare non poteſt, in natratione poteſt vel mentiri vel falli) adeóque ſemper ſint majora dubia, unde cùm argumentatio ſit à minori ad majus non urget, malè enim ſupponit eum, qui poteſt minus, poſſe majus. *Ad quartam* dico rationes, quæ in articulo mortis neceſſariam confeſſionem probant, non probare eſſe citra eum articulum neceſſariam; bene tamen eſſe utilem: quia cum illo tempore aliter, quàm ſub conditione dari non poſſit, ne longo tempore gratiâ puer deſtituatur, etiam ſub conditione abſolvi poteſt. Addo tamen non bene inferri, *poteſt, ergo debet.* Hæc de rationum efficacia ſint dicta. Interim maneat in praxi Reſolutio, videlicet, puerum, de quo dubitatur, an uſum rationis habeat, poſſe, & in articulo mortis debere ſub conditione abſolvi, etſi ad annum ætatis ſeptimum nondum pervenerit.

An omnes Chriſtiani habeant ius ad ſacramẽtum pœnitentiæ?

Abſolutio dubia.

Argumentũ à minori ad majus affirmativè nihil valet.

An ſit bona conſequentia: Poteſt, ergo debet?

COROLLARIVM XL.

1388 *An pueri utantur ratione anno ſeptimo?*

IN dubio, an puer ſeptennis aut major, habeat uſum rationis; debet abſolutè & ſine conditione abſolvi etiam extra mortis articulum.

Mirabilis natura in effectibus, ludit, abludit. Et tametſi ordinem & regulas generales ut plurimum obſervet, etiam ipſa nonnumquam extra leges exorbitat, jam prodiga, jam liberalis. Hoc tametſi in omni creatura verum, clariùs in homine, & uſu rationis conſpicitur. Cenſus iſte, quem ipſa homini ſolvit anno ſeptimo; hoc enim tempus lege communi præſcriptum videtur debere obſervare. At ipſa præcox aliquando feſtinat, & aliquando

An Ss. Innocentes habuerint usum rationis?

moras trahit. Innocentes illos, quos Herodis crudelis mundo perdidit, anticipata arbitrii libertas, in multorum sententia, cælo lucrata est. Sed de illis sanctis infantibus, quidquid sit (ut enim essent martyres usu rationis non egerunt) legimus nihilominus in Sanctorum vitis etiam quinquennes pueros flammis æternis absorptos; cùm tamen è contrariò duodecennes, ne adolescentiores producam, doli omninò incapaces. Qualiter philosophandum de iis, quos prævenit dubius rationis usus, Corollario præcedenti discussum: de iis quos prævenit ætas ante certum usum rationis impræsentiarùm disputabimus. De pueris, quos vel ante septimum ætatis annum suarum operationum dominos, vel post septimum adhuc doli incapaces evidenter cognoscimus, agendum non est: de illis enim, ut de adultis; de istis ut de infantibus philosophamur.

1389 *Post septimũ annum, nisi aliunde constet, pueros habere usum rationis semper præsumitur.*

Vt igitur hanc Ectheſin aut Corollarium probem, præmittam breviter Dianæ verba valdè docta, & valdè necessaria. Partis enim IV. Tract. III. Resol. LII. sic inquit, *Quando dubium est, An pueri rationis usum habeant, præsumendi sunt habere, si compleverint septennium, secus antea. Quia præsumptio desumenda est ex communiter contingentibus.* Quæ ratio est bona, & in Reg. VI. fundata. Imò, si rem benè examines, videtur non posse dari verum dubium, sed probabilitatem. Quia regulæ generales debent admitti, ubicumque non probetur contrarium, & ut existimo hæc consequentia, *Ferè omnes septennes pueri habent usum rationis: ergo etiam Petrus*, videtur probabilis, realiter, & moraliter indubitata; & hanc ob rem debere rationibus fortibus elidi. Imò, si nulla ratio contra eam militet, videtur moraliter certa.

His positis discurro sic. Cùm ambigitur, an puer septenni major habeat usum rationis, debet supponi illum habere. Cùm illum habere supponitur, supponitur posse absolutè absolvi: absolvendus est igitur sine conditione.

COROLLARIVM XLI.

1390 *De peccato, pœnitentia, impœnitẽtia, & publicitate dubiis.*

IN dubio, An Petrus innocens an peccator sit, censendus est innocens. Si sciatur esse peccatorem & de pœnitentia dubitetur, si tamen sit casus possibilis, censendus impœnitens. Si sciatur esse impœnitentem, & ambigatur, an secretè vel publicè, non est præsumendus publicus & scandalosus peccator, adeóque non debet arceri ab Eucharistiæ Sacramento.

Omnia semper deciduntur eodem modo, nam in omni dubio *beatus, qui possidet.* Petrus priùs fuit innocens, quàm nocens, ergo in dubio standum est pro possessione innocentiæ, contra dubiam limitationem. Cùm autem priùs fuerit peccator quàm pœnitens, si pœnitentia dubia sit, censendus est impœnitens: at non video, quando possit videri mihi proximi pœnitentia dubia. Nam, si ipse illam verbo vel facto insinuet, & ego nullam rationem contra habeam, omninò credendus est; si habeam convincentem, non jam dubia sed certa impœnitentia est; si fortem & merè probabilem, non jam illa dubia, sed probabilis; ideò consulrò, ut responderem posui, *si sit casus possibilis.* Et tandem cùm impœnitentia priùs sit

An detur pœnitentia dubia?

secreta quàm publica in publicitatis dubio censenda est secreta. Adeóque illi concedenda Eucharistia: Nam cùm neganda publico peccatori dicitur, distinguendum est inter peccatorem & peccantem: non enim publicus peccator, qui publicè peccat, sed qui publicè hæret in peccato; ille qui publicè ea facit, quæ cum pœnitentia stare non possunt. Cum pœnitentia benè stat Sacramentorum frequentatio, non staret officii peccaminosi professio, Consono Ochagaviæ *tract. 2. de Euch. quæst. 10. num. 4.* Rem exemplis opportunis dilucido. Vidisti Petrum ad meretricem accedere, publicè fuisse ebrium, non tamen eum vidisti ad pedes Confessarii provolvi, si ad Eucharistiam accedat, debes illi porrigere, eumdem jam fuisse confessum supponens. At, si Petrus officium habeat Vsurarii, aut Isabella in lupanari quæstum faciat, publici peccatores sunt; &, nisi ille officio defungatur, & hæc è lupanari discedat, ut publici sunt peccatores tractandi. Ergo, si secretò à te communionem postulent, debes illis negare.

Non est idem peccasse publicè, ac esse peccatorem publicum.

Sed iterum difficultatem urges, & petis, quid facturus esses, si publicus peccator vellet publicè communicare? Si esset inter alios, quando Eucharistiam distribueres? Responderem tibi legendam esse illam historiam Magdalenæ, quam Christus prædicandam commendat. Publica erat peccatrix, & Simoni Christi hospiti, & reliquis circumstantibus nota. Et tamen non erat notum omnibus illam cognosci à Christo, qui dicebant, *si esset Propheta cognosceret, quæ & qualis esset hæc mulier*; mirabantur, quòd illam Christus non cognosceret, non tamen quod ignotam admitteret. Fortè igitur, cùm publicus peccator omnibus notus, non omnibus notum, tibi illum notum, non omnibus notum te aut devotione absorptum, aut aliis studiis distractum illum nõ cognovisse, & ubique fieri possit, scandalum vitandum est: & puto majus oriri, si meretrici publicæ negaretur Eucharistia, quàm si daretur.

1391 *Aliud est Petrum esse publicum peccatorẽ, aliud & omninò diversum esse publicum me scire aut advertere illum esse publicum peccatorem.*

Prætereà. Vsurarii publici & communes peccatrices aliquando tanguntur à Deo, & resipiscunt; an omnibus debent dare rationem: & si non, temerè credentur impœnitentes, si ad Eucharisticam communionem accedant. Heri vidisti in lupanari Antoniam, hodie vides communicantem, an audebis jurare eam esse contumacem & impœnitentem: & si non, cur potiùs scandalizaberis, quàm gratias ages clementi & omnipotenti Deo, qui non solùm in Sanctis suis, sed in ipsis peccatoribus mirabilis est.

1392 *Potest esse pœnitentia publica, quæ mihi ignota.*

Me consule, magno consilio & examine utaris antequam publicè petenti Eucharistiam neges publicè, & quia in altari nec tempus examinandi suppetit, nec dantur quos consulere possis; & hanc ob rem ubicumque prævia resolutione antequam eò veneris, sanctè & coram Deo non statueris negare Eucharistiam tali personæ, si peteret, concedito; nam negare est res gravissima, quæ non debet fieri impetu extemporaneo. Ego quidem prima vice nemini mortali negarem, quem non scirem certò esse in omnium opinione non baptizatum, delirum, aut arbitrii impotem. Si certò scirem illam habitare in lupanari, istum in telonæo,

1393 *Sine magno consilio non est publicè Eucharistia neganda.*

& ex

& ex altari ad has domos iterum redituros & peccaturos & populum scandalizaturos (sed quando similia monstra actionum data?) audacter communionem negarem.

COROLLARIVM XLII.

De metu dubio.

IN dubio, an metus fuerit incussus, præsumendus non incussus: & si sciatur incussus, in dubio an fuerit magnus vel parvus, censendus parvus. Ita Sanchez, Bartholomæus de Vecchis, Suarez, Lessius, Gratianus, Sanctarellus, quibus subscribit Diana *part.4.tract.3.resol.55.*

1394 *De valore professionis dubio.*

Lego Aliquos authores, qui cum audiunt aliquam quæstionem de valore professionis moveri, illicò clausis oculis validam dextrorsum sinistrorsum statuunt, dicúntque in omni dubio esse pro Religione standum. Sic ipsi, & quod mirabile est, etiam religiosi; zelo & amore statûs religiosi præventi omnia habere volunt, non distinguentes inter pharmacum venenúmque, inter bonum & malum. Sanè, si pro Religione (ego putabam quòd pro ratione & veritate esset standum) adjudicanda illi supellectilia utilia, & nociva cavenda. Ergo adhuc illa assertione (fortè iniquâ) suppositâ, non debemus clausis oculis quæstionem decidere, quæ Religionem, & unius hominis vitam integram tangit. Vtrùm Paulus sit verè professus inquiritur: & postulo, an non tam benè possit hoc proponi dubium à Religione, quam illius tædeat; quàm ab ipso, quem tædeat Religionis? ergo, si pro Religione standum, & ipsa Paulum non esse verum Religiosum desideret, non stabit pro illa, qui definiat verum Religiosum. Præterea, ut Paulus scire desideret, & benignam responsionem expostulet; Paulus, inquam, vir probus & sanctus. Si Religioni favere desiderarem, & supremam authoritatem haberem, illum expungerem. Nocere posset, prodesse non volet. Ergo quomodocumque discurramus, sanctissimus vir invitus & involuntarius nunquam prodest; & sæpè vel indiscretione vel probabili subnixus sententiæ communitati nocet. Sit ergo Resolutio I. *In certitudine, veritas defendenda est, seu noceat seu prosit Religioni.* II. *In probabilitate juridicè neuter condemnari potest; & privatim alterutri alterutrum consulere possumus.* III. *In dubiis standum pro possessione quæ præcesserat dubium.* At quia hîc casus dubius proponitur, pro possessione omninò standum.

An in dubio standum pro Religione sit?

Quid sit pro Religione stare?

Primò, igitur, in dubio an metus fuerit incussus, cùm possessio stet pro libertate & non metu, censendus est vota emissurus caruisse metu, & qui incussisse dubiè asseritur, non incussisse.

Secundò, cùm incussor ille sit in suæ innocentiæ possessione, non est dicendus incussisse magnum metum, quousque convincenti ratione probetur; at incussisse metum magnum non convincitur, cùm parvum incussisse probatur.

COROLLARIVM XLIII.

1395 *De nocumento dubio.*

CVm dubitatur, an abstinentia carnium allatura sit notabile nocumentum agroto, non est necessaria dispensatio, sed peccabit ille si abstineat, peccabunt qui suadent, gravius qui cogunt. Nomine *nocumenti notabilis* illud intelligo, quod liberè & sine peccato admitti non potest; illud enim, quod propter mortificationem aut recreationem subire quis licitè potest, *notabile* dicendum non est. Casus carnes in morbo esse necessarias supponit, quod tamen excellentissimi Medici negant, quibus semper subscripsi, vel hinc me expediens à quæstione, quæ interrogat, An Carthusiani in morbo periculoso abstinere possint aut debeant à carnibus? nam, si hæ necessariæ non sunt, cessat quæstio. At hîc, ut casus iste resolvatur, esse necessarias supponamus.

An carnes sint ægris necessariæ?

Sententia, quæ asserit dispensationem in hoc casu requiri, est valdè communis, & mihi videtur clarè falsa. Multi eam Authores tuentur apud Dianam *part.1.tract.9.resol.15.* multi iterum apud eumdem *part.4. tract.3. resol.56.* contra quos, si non sufficiat Ioannes Sanchez *in selectis disp.51.num.9.* Bonacina *tract. de horis Canon. disp.1.quæst.6. punct.2.num.5.* Diana qui probabiliter subscribit *part.2.tract.12. resol.28.* Leander Bandtius *in Epistolis moralib.* & Ego *in Comment. Regulæ Benedictinæ n.1429.* Et posteà *in Scholio num.83.* sufficiet aliorum rationes recognoscere, & hallucinationem persuadere, assertionem solidè & robustè probare.

Arguunt sic. In omni dubio standum est pro possessione quæ erat ante dubium. Ergo, si dispensatio sit dubia, standum pro lege certa, quæ erat ante illam dubiam dispensationem. Atqui necessitas certa est dispensatio certa, ergo necessitas dubia est dispensatio dubia. Igitur cùm necessitas dubia est, standum pro lege quæ erat ante illam. Atqui ante morbum erat in possessione lex Ecclesiastica carnes tempore quadragesimali interdicens: ergo standum pro legis possessione, quando morbi gravitas dubia.

1396 *An standum pro possessione præcepti?*

Audisti, & te convictum profiteris. Sed relege me comite, & videbis (Authorum nomina non tango) hanc rationem esse verè improbabilem, patique evidentes exceptiones; illa enim improbabilis (aut si malis improbativa) quæ subjacet satisfactioni evidenti. Admitte igitur mecum primum entymema, in eo enim nostra resolutio fundatur. Et ad minorem subsumptam veniens, nega necessariam esse dispensationem. Et, si te benè negare ostendas, idolum dejecisti. Et, ut te benè negavisse demonstrem, sic discutio. Petrus vovet omnibus diebus exceptis Dominicis jejunare, & interrogo, an dies Dominica sit dispensatio suæ legis? Porrò negativè respondebis; quia dispensatio est in actu, quem tangebat lex; & diem illam Dominicam votum non tetigit: imò expresè excepit. Sic similiter sanxit Deus Decalogum; contra eum, nemini concessit authoritatem præcipiendi, & Superioribus (Pontifici, Regi, & reliquis) indulsit authoritatem præcipiendi, modò nihil contra Decalogum: & subditis imposuit necessitatem & obligationem obediendi in omnibus veris præceptis quæ Decalogo non essent opposita. Cùm jubet Rex dejici murum, latomus debet obedire; at, si transeat aliquis, qui occidi possit, debet cessare & detinere lapidem, non solùm qui certò illum sit occisurus, sed etiam illum de quo dubitat an occisurus sit, quia non obstante præcepto diruendi parietem, non potest dimittere lapi-

Satisfit objectioni.

dem, si dubitet an aliquem occisurus sit. Nemo autem dicet, pueri incautam sub muro diruendo præsentiam esse Regiæ legis dispensationem, ipse enim non jussit dejici lapides cum periculo hominum, sed cautè & provi-

An Ecclesia præcipiat mortem dubiam?

dè. Cùm Pontifex jubet servari abstinentiam, non jubet, nec jubere potest, quòd occidendo te, violes legem Dei, & contra quintum Decalogi præceptum procedas: non jubet nec jubere potest, quòd periculo mortis te exponas, hoc enim ipsum interdicit Deus. Si ex abstinentia sequeretur mors certa, hæc certitudo non diceretur Ecclesiasticæ legis dispensatio certa; nam dispensatio certa non est necessariò præceptiva, & hîc necessariò præcipitur non abstinentia: ergo nec mors dubia est dispensatio dubia.

1397 His positis meam Æthesin evidenter, ut opinor, ostendo. Deus præcepit ut te non occidas, nec exponas periculo te occidendi: atqui Ecclesia non potest præcipere contra Decalogum, ergo non datur præceptum Ecclesiæ quod jubeat aliquid fieri cum certa aut dubia vitæ humanæ jactura. Ergo non datur præceptum Ecclesiasticum, quo obstringatur æger ut carnibus abstineat cum amissione vitæ certa aut dubia: atqui ubi non datur præceptum non requiritur dispensatio: ergo. Imò cùm detur divina lex inhibens, peccaret si abstineret, & peccaret si dispensationem postularet. Peccaret quidem abstinendo, eo modo quo si sumeret venenum dubium, nam in tali casu abstinentia esse dubiè-mortifera supponitur. Peccarétque, si peteret dispensationem; quia illa petitio debet supponere dari præceptum carnes interdicens etiam cum jactura vitæ dubia; quod, quia esset contra Decalogum, sine injuria Pontificis supponi non posset.

Vbi non datur præceptiũ, non requiritur dispensatio.

Hæc doctrina meo judicio est certissima. Diana *part.4.tract.3.resol.56.in fin.* an sit probabilis aliis judicandum relinquit, at part.2. tract.12.resol.28. dicit, *Mihi placet opinio*, & sub finem, *est probabilis*, & ut spero ante annos paucos erit sola; ab eo enim tempore quo cœpit tradi, contrariæ probabilitas videtur paulatim excidere.

Cur debeat licentia peti à Medico?

Hæc omnia dicta sunt, considerando præceptum abstinentiæ quà tale: quia ex alio capite tenetur æger à Medico & à Prælato petere dispensationem. A Medico, ut à judice morbi; ægroti enim morbi statum non sciunt; & ita perturbantur in morbis, ut licèt Medicinæ studuerint, à Medicis aliis regantur. A

Cur à Prælato?

Prælato, quia ex officio tenetur scire, cur die veneris, exempli gratiâ, suus subditus vescatur carnibus: si enim unicuique etiam in morbo comedere carnes liceret sine sui Superioris aut conscientia aut consensu, multa inconvenientia orirentur, & præcipuè in Germania ubi hæretici se Catholicos frequenter simulant; & carnes, quas ex præscripto Lutheri comedunt, fingunt se propter morbum comedere. Quibus consideratis, licèt non potuerit Ecclesia præcipere, ne ægri comedant carnes; potuit (& consideratis omnibus inconvenientibus debuit) præcipere, ne illas comedant sine licentia: hoc enim non est illas ægrotis negare; sed ita concedere, ut non ægroti abstinere, velint nolint, cogantur.

Accedit (& hoc benè perpende) carnes (ut suprà dicebamus) necessarias non esse, adeóque casum propositum reddi impossibilem, & non habere locum in praxi. Ergo, si abstinentia à carnibus nunquam est grave nocumentum illatura, nunquam comedi poterunt sine licentia.

Carnes in morbis necessaria non sunt.

COROLLARIVM XLIV.

De consuetudine dubia.

CVm dubitatur, an consuetudo sit obligatoria, censenda est non esse. Si obligatoria supponatur, & dubitetur, mores ne an commoditatem obstringat, censenda merè pœnalis & mores non tangere. Ita Suarius *de legib.lib.7.cap.25.* Maëratius *in summ.D.Thomæ, tom.1.tract.de legib.disp.15.sect.2.num.3.* Diana *part.1. tr.10. resol.30. & part.4.tract.3.resol.58.*

Id demonstrat libertatis possessio consuetudine antiquior, adeóque non limitanda aut condemnanda antequam certum sit consuetudinem habere vim legis.

COROLLARIVM VL.

De reservatione voti dubia.

IN dubio an votum reservatum sit, censendum non esse reservatum, adeóque posse in eo dispensare inferiores Prælatos. Hoc est, In dubio, an Pontifici reservatum sit, procedendum ac si reservatum non esset, quia cum reservatio sit limitatio legis, non est præsumenda quousque certò noscatur.

Aliqui in tali casu ad Episcopum pro dis- 1398
pensatione confugiunt, sed non video rationem inferendi. Considera ipsorum discursum. *Dubium est an votum sit reservatum Pontifici: ergo præsumendum est Pontifici non esse reservatum: ergo præsumendum Episcopo reservatum: ergo Episcopus potest concedere dispensationem.* Ex antecedenti ad primam consequentiam, & ex tertia ad quartam; non autem benè ad tertiam à secunda transitur: benè enim posset quis dubitare an votum, quod irritari à patre aut ab Abbate potest, sit summo reservatum Pontifici.

COROLLARIVM XLVI.

De excommunicatione dubia.

QVi dubitat, An incurrerit excommunicationem, debet præsumere se non esse excommunicatum; adeóque audire Missas potest & omnia illa facere, quæ solent non-excommunicati. Ratio eadem, quæ hucusque. Quia cùm priùs fuerit non excommunicatus, non est ejiciendus à sua possessione antequam certò constet illum esse.

COROLLARIVM XLVII.

De absolutione excommunicationis dubia.

QVi dubitat, An fuerit egressus ex excommunicatione, debet præsumere se esse excommunicatum. Do rationem. Ipse erat certò excommunicatus, ergo erat in possessione excommunicatio certa, quæ non cedit absolutioni dubiæ.

Vtrumque casum (ultimum & penultimum) videtur confundere Cornejus *in* 1.2. *tract.8. quæst.19. disp.4.dub.4.* Sed quia consequentiam doctrinæ amat veritas, debuerunt necessariò distingui.

COROLLARIVM

COROLLARIVM XLVIII.

1399 *De Baptiſmo dubio.*

CVm *dubitatur, An puer ſit baptizatus ſi ſtaremus puræ rationi & juri rigido, non deberet ſepeliri in loco ſacro. At conſideratâ Eccleſiæ benignitate debet, adeóque ſemper debet.* Eſſe ſepeliendum in loco ſacro Homobonus, Bonacina, & Diana *part.4. tract.3. reſol.69.* affirmant cum ſumma latitudine; nimirum, ſeu dubium in conferente fuerit, ſeu in recipiente, ſeu in materia, ſeu in forma; eſſet in conferente, ſi de ejus recta intentione diſputaretur: in recipiente, ſi baptizatus fuiſſet ſecundina indutus, aut dubiâ vitâ præditus: in materia, ſi eſſet aquâ roſaceâ, eam enim carere partibus aquæ naturalis dubium eſt: in forma, ſi ipſa malè pronunciaretur. Cæterùm huic rationi neſcio an ipſi poſſint reſpondere. [In omni dubio ſtandum pro poſſeſſione, quæ erat ante dubium; atqui ante Baptiſmum dubium, erat peccati originalis poſſeſſio; ergo cenſendus eſt ille infans non baptizatus, cenſendus peccato originali infectus, cenſendus Eccleſiæ non incorporatus.] Hæc quidem de rigore juris. At Eccleſia neminem vult privare nequidem jure dubio niſi indirectè, hoc eſt, manutenendo alterius filii jus directum. Hic non agitur contra alterum Eccleſiæ filium: ergo propter jus dubium in loco ſacro ſepeliendus eſt. Confirmatur à ſimili. In materia civili proprietas dubia certæ cedit; at videmus multos permitti adire poſſeſſionem dubiam, cùm nemo reclamat, cùm certum eſt alios ne quidem dubiam habere. Sed quia hæc materia eſt noſtrâ miſeriâ valde frequens, volo curioſum caſum ſubjungere.

Multis modis poteſt accidere.

An, & quando Eccleſia velit aliquis privare jure dubio?

1400 *An dubio Baptiſmo tinctus in loco ſacro dubio humari debeat?*

In Civitate N. Dominus N. Paſtor de uno cœmeterii angulo cum quopiam cive jure agebat. Volebat illum Paſtor ad cœmeterium Eccleſiæ, civis illum ad hortum ſuum à multis annis pertinere. Interim cùm moreretur infans Baptiſmo dubio intinctus, Paſtor cenſuit, ut qui Baptiſmo dubio fuerat ablutus, deberet in loco ſacro dubio ſepeliri; adeóque hortum civis vel inviti adiit & curavit ibi in parte de qua litigabatur, illum infantem ſepeliri. Reſolutionem ſequutæ variæ hominum cenſuræ, ſed quia plerique riſu potiùs quàm verbis mentem ſuam expreſſerunt, volui meum judicium ſubjicere.

1401 *Arguitur duplicis erroris Pavothus.*

Sentio erraſſe, tametſi lepidè, Paſtorem; non enim unius privati hominis authoritas debet privare Patres pueri ſolamine, & puerum ipſum favore, quem Eccleſia tacitè vel expreſsè concedit. Reperio enim ibi duo dubia omninò diſparata & diverſa. Si haberent inter ſe talem connexionem qualem formæ ſacramentorum conditionatæ; quæ ita dubiæ ſunt, ut ſi reliqua ſint vera ſint veræ, aliàs non ſint; eſſet verè laudandus. Cùm dico *Ego te baptizo, &c. ſi vivis.* Sicut dubium erat an infans viveret, etiam eſt dubium an hæc forma ſit valida; non tamen accidere unquam poterit in ſenſu compoſito quòd & fuerit ille mortuus & hæc valida, aut ille vivus & hæc invalida. At in caſu illo Madritenſi totum aliter. Poterant in ſenſu compoſito ex his propoſitionibus, Non baptizatus ſepelitur in loco ſacro, Baptizatus ſepelitur in loco profano; alterutra eſſe vera.

COROLLARIVM XLIX.

De Clerico percuſſore dubio.

DVbius *percuſſor Clerici non debet vitari.* Ita Hurtadus, Suarez, & Diana *part.4. tractatu 3. reſol.71.* Rationem ſæpius dedi. Ille enim, qui dicitur percuſſor, erat in ſuæ innocentiæ poſſeſſione, à qua non debet excidere, quouſque certum ſit crimen percuſſionis.

COROLLARIVM L.

1402 *De fraterna correctione in dubio.*

QVi *dubitat, an proximus peccaverit; adeóque, an & ipſe teneatur adhibere correctionem fraternam, non ſolùm poteſt, ſed debet eam omittere.* Si de vero dubio loquamur, fortè nemo poteſt dubitare, an peccaverit proximus, quia cum ille in ſuæ innocentiæ poſſeſſione ſit, temerè cenſebitur reus ſine diſquiſitione ſufficiente. Si dentur graves rationes, ceſſat dubium, & datur probabilitas. Suppono tamen poſſe dari dubium in tali materia, (hypotheſis vera ſit, aut non ſit) & aſſero adhuc præſumendum non peccaſſe proximum, & correctionem omittendam. Omnis enim correptio pœna & medicina eſt, quam ſi adhiberet, ſe exponeret periculo imponendi pœnam innocenti, dandi medicinam viro ſano: quarum illæ, ſi injuſtæ, irritant & conſternunt; hæ humores turbant, utræque ſi imprudenter indulgeantur, nocent; juxta illud elegans & tam in phyſicis, quam in ethicis veriſſimum diſtichon:

Nocet ſæpè intempeſtiva correctio.

Temporibus medicina favet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

DISPVTATIO II.

De formulis verborum dubiis.

1403 *Quomodo leges & præcepta ſuperiorũ ſint interpretandæ?*

SVNT & dubia, quæ naſcuntur ex ſignificatione verborum, vbi non præceſſit poſſeſſio, pro qua poſſit ſtare. Nam ſi Prælatus tibi jubeat aliquid, & non bene capias verborum ſenſum, poteris dubitare; & debebis inſtrui, ne in ſimili difficultate oberres: & ne ad poſſeſſionem libertatis confugias, pone Deum creare hominem A, in ſtatu perfecto, & in creationis inſtanti imponere præceptum, circa cujus intelligentiam hæreat; ſanè ad poſſeſſionem libertatis & immunitatis non recurret, cum nulla, imò nullus fuerit antequam præceptum haberet. Vt igitur etiam in iſtis dubiis adjuveris, & ſecurè ducaris.

Duo ſenſus probabiles.

Dico primò. *Quando lex habet duos ſenſus probabiles, potes ſequi alterutrum, niſi ſit alia lex, quæ clarè determinet quiſnam ſit admittendus.* Cæterùm, ſi altera lege tollitur æquivocatio, jam lex, de qua diſſerebatur, non eſt æquivoca, non habet duos probabiles ſenſus, ſed unicum.

Duo dubii. Regula XV. XXX. LI. LVII.

Dico ſecundò. *Quando habet duos ſenſus dubios conſulendus eſt Legiſlator, ſi commodè poſſit: aliàs favores ſunt ampliandi, odia reſtringenda:*

Reo

Reo favendum, possidenti auxiliandum. Quæ omnia adfirmat Bonifacius VIII. in sexto, videlicet Regula LVII. dicens, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*

Hinc solventur multæ difficultates, quæ aliàs malè expenduntur, & implicant varias quæstiones.

1404 *De censura dubia.*

QVÆSTIO I. *In dubio, an censura sit lata, vel ferenda; qualis debet præsumi?* Ferenda. Aliàs enim odia ampliarentur, ac restringerentur favores.

QVÆSTIO II. *In dubio, an verba contineant censuram, quid præsumendum est?* Nullam censuram continere. Patet ex dictis quia ex duplici sensu dubio, debet benignior eligi.

De præcepto dubio.

QVÆSTIO III. *In dubio, an verba contineant vim præcepti paterni an religiosi?* hoc est, *An superior jubeat ut pater ex vi quarti præcepti Decalogi, an ut Prælatus religiosus ex vi voti emissi?* Tenendum id quod favorabilius, nimirum non jubere in virtute devotæ obedientiæ, aut juramenti præstiti, sed in virtute patriæ authoritatis; adeóque inobedientem, si materia sit gravis peccaturum moraliter, non tamen commissurum sacrilegium. Videtur in Monasteriis non habere locum hoc dubium, nisi enim dicat Prælatus, *Ego præcipio in virtute sanctæ obedientiæ.* Semper creditur jubere ut pater, non ut Abbas: hoc est, nolle obligare ex vi voti obedientiæ.

QVÆSTIO IV. *In dubio, an sit præceptum morale vel pœnale?* Dicendum est esse pœnale. Benigniores enim leges sunt quæ pœnas imponunt, illis quæ conscientias obstringunt.

QVÆSTIO V. *In dubio, an debeas obedire statim, an post aliquod tempus?* Hoc ultimum dicendum est.

De voto abstinentiæ dubio.

QVÆSTIO VI. *An qui vovit jejunare in Quadragesima & dubitat, voluerítne vovere abstinentiam à lacticiniis, teneatur ab illis abstinere?* Respondeo negativè cum Angles, *part.1.de jejunio, quæst.9. de abstinentia à cibo art.1.dub.2.* Ioanne Salas *in 1.2.tom.2.tract.8. disp.unic.sect.25.num.250.* Diana *part.4. tr.3. resol.20.* contra Turrianum *in opusc. Theologicis.tom.1.opusc.10. disp.1. dub.1.* ubi docet tutiorem partem eligendam, ac si non sufficeret eligere tutam. Tutior enim, ut jam suprà expositi, consulitur, tuta præcipitur.

1405 *An possit concedi in dubio dispensatio?*

QVÆSTIO VII. *An in dubio, utrum causa sit justa, possit superior dispensare?* Qui evidentem in dispensatione requirunt, illam tollunt. Cùm enim causa est moraliter certa, nulla dispensatio requiritur. De dispensatione uberiùs in Commentario meo & Scholio, nunc breviter: si sit evidens, quòd lectio officii divini, verbi gratia, grave nocumentum sit illatura ægroto, stando rei naturæ, dispensatione non est opus. Nec opus est, si sit probabile. Sufficit si sit dubium; sive illud dubium ex verborum obscuritate nascatur, sive ex causæ non benè exploratæ virtute. Consultò illud, *stando rei naturæ*, posui; nam ex alio capite Prælati conscientia & consensus requiritur, nisi enim hæc licentia peteretur vix posset superior cæteros gubernare: Pontifex enim, qui non jubet ne æger horarum lectionem omittat, benè potest, aut debet jubere, ne omittat sine sui Prælati tacita aut expressa licentia. Vide quæ diximus superiùs disp.1. coroll.43. Hæc autem dispensandi in dubiis authoritas residet in Prælatis, & non innititur illi principio, *In dubiis standum est pro possessione*, sed authoritati ordinariæ & delegatæ. Ordinariæ, quia Prælatus in propria lege potest dispensare sine causa. Delegatæ, quia potest dispensare cum ægrotis in lectione horarum, jejunio, abstinentia, ex favore Pontificis, hanc authoritatem superioribus ad solamen religiosorum concedentis. Videatur Diana *part.4.tract.3.resol.44.* Vbi iterum moneo, debere hominem, si posset, veram semper verborum intelligentiam adquirere; si id non possit, posse benigniorem amplecti.

Cur Prælati possint in dubio dispensare?

DISPVTATIO III.

De casibus, quos alii Doctores dubios, Author dubii incapaces judicat.

1406 *Dubium cum probabilitate aut certitudine componi non potest.*

MVLTA quidem in dubium Scriptores vertere conantur quotidie, quæ extra dubii aleam posita, aut ad certitudinem, aut ad probabilitatem spectant. Dubitat (centies dixi) qui habet rationem levem, nullámve; probabiliter judicat, qui gravem; & judicat certò, qui certam. Ergo Dubium, Probabilitas, & Certitudo, non possunt coincidere. Si rem benè consideres, multi hîc ab Authoribus, & valde miserè confusa sunt. Sit itaque securissima Quæstionum resolvendarum

BASIS.

Superior præsumendus est prudens.

IMpossibile est dari dubium, timorem, aut scrupulum, ubi succurrit probabilitas, aut certitudo, ex his semper succurrit altera, ubi intervenit prudentis Superioris mandatum. Prudentem, omnem toleratum existimo, non enim video stultos ad officia promoveri, aut semel promotos tolerari; aliud enim est superiorem esse minus prudentem, aliud & omninò diversum, eum esse imprudentem, hoc est talem, cujus mandata debeant necessariò iniqua & inconsiderata præsumi. Exposito igitur Resolutionis sensu, impossibilitatem sic demonstro. Et primò non posse in tali casu dari dubium negativum; id enim subrepit ubi pro neutra parte est vel levis ratio; atqui in præsenti est pro præcepto gravis præcipientis authoritas, unde desumitur gravis ratio quæ potest æquitatem rei præceptæ graviter suadere: ergo dubium negativum in casu hujusmodi dari non potest. Sed neque positivum; ubi enim relucet gravis ratio aut authoritas, id consistere nequit. Ergo nec scrupulus nec timor; quia scrupulus idem est ac dubium positivum; timórque est alterius dubii (positivi aut negativi) pedisequus. Quæ omnia breviter resumens sic discurro. Impossibile est dari dubium negativum, timorem, aut scrupulum seu dubium positivum, ubi gravis ratio aut gravis authoritas stat pro una contradictionis

Demonstratur nostra Resolutio

parte.

parte. Atqui prudentis Superioris authoritas & reſolutio gravis eſt : ergo eſt impoſſibile dari dubium, timorem, aut ſcrupulum, ubi intervenit mandatum prudentis Superioris.

Hanc evidentiſſimam doctrinam poſui ut baſin, quæſtiones plurimas, quæ hucuſque viſæ difficiles, reſoluturus.

QVÆSTIO I.

1407 *De milite, qui de juſtitia belli dubitat.*

AN miles dubitans de juſtitia belli, poſſit bellare? Vidi tres Authorum ſententias. PRIMA aſſerit, & abſolutè defenditur à Petro Navarra, quem citat & ſequitur Ioannes Salas 1.2. *D. Thoma, quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 272. Viguerius 2.2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 50. & Suarius illam docuit Romæ aſſerente Tannero 2.2. *diſput.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 4. *num.* 49. SECVNDA negat, & defenditur à noſtro Lorca 2.2. *ſect.* 3. *diſp.* 53. *num.* 7. & Vaſquez 1.2. *diſp.* 66. *cap.* 9 *num.* 53. TERTIA diſtinguit, & ſubdito militi concedit, negat non-ſubdito talem militandi licentiam. Et illam tenet Adamus Tannerus, Thomas Sanchez, Sylvius, Valentia, Bannez, Iacobus Granado, apud Dianam, *part.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 7. qui tametſi omnes tres probabiles judicet, ultimam exiſtimat probabiliorem.

1408 *An caſus poſſibilis ſit?*

At ego, nego caſum eſſe poſſibilem : quia totius Reipublicæ & Conſilii ſupremi authoritas gravis eſt ; quâcum, ut vidimus, nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus, componi poſſunt. Imò & addo hoc ipſum authores univerſos ſentire, tametſi videantur verbis laborare. Nam Diana *pro prima ſententia* hanc rationem adducit ; [Dum de juſtitia belli clarè non conſtat, ſemper eſt præſumendum quod Princeps bellum indicens juſtè procedat.] Infero. Ergo hæc præſumptio gravis eſt Quia ut regula morum proponitur, & iſti gravi regulâ, non verò levi aut nugatoriâ, regulantur ; militare enim res graviſſima eſt, in qua agitur de hominum vita, honore, bonis, regnis, imò nonnumquam animabus : Et quia graviſſima, ex cauſa levi geri non poteſt. Ergo Authores primæ ſententiæ, cùm reſolvunt, tollunt caſum, & nobis apertè ſubſcribunt. *Pro ſecunda ſententia* hæc ratio proponitur ab eodem Diana: [In dubio, an res præcepta ſit licita, non poteſt ſubditus obedire, niſi ſaltem per extrinſeca principia dubium deponat, formans judicium determinatum quo rem illam licitam eſſe judicet.] Et ſubſumo. Atqui non poteſt dubium non deponere : ergo non poteſt illud habere. Probatur minor. Quia non poteſt ignorare illud bellum geri à Republica, nec poteſt ignorare reſolutiones unius Reipublicæ eſſe gravis authoritatis. Ergo non poteſt eſſe in tali caſu dubitatio.

An nobis Authores primæ ſententiæ ſubſcribant?

An & ſecundæ ſententiæ Authores?

Dices. Videmus etiam optimas Reſpublicas errare in materia fidei : ergo etiam errant in materia juſtitiæ : ergo bellum ab ipſis illatum erit injuſtum. Præcipuè ſi ſit propter fidem.

1409 *A particularibus nihil ſequitur.*

Et reſpondeo hanc tuam conſequentiam vel eſſe fortem, vel debilem. Si fortis, adhuc ſtat mea reſolutio ; quia ubi ratio fortis eſt, dubium, timor & ſcrupulus exulant. Si levis, me non urget. Cæterùm levem eſſe demonſtro. Quia à particulari nil omninò concluditur. Hæc conſequentia eſt bona, *Petrus errat in omnibus : ergo etiam in hoc.* Hæc mala, *Petrus errat in illo : ergo & in hoc.* Benè enim poteſt ſtare, quòd erret in uno & non in altero. Hinc eſt, quod error in fide non inferat neceſſariò alios errores, tametſi probabiliter inferre poſſit ; ſed ubi eſt probabilitas, dubium non eſt. Eſt enim diverſa quæſtio, quæ examinat, *An miles poſſit bellare, cùm juſtitia eſt probabilis?* ab illa quæ poſtulat, *An militare poſſit, cùm eſt dubia?*

1410 *Quid ſit dicendum ex hypotheſi, quòd dubium poſſibile ſit*

Sed inquiris, An ex hypotheſi, quòd dubium eſſet poſſibile, ſtandum eſſet primæ, ſecundæ, an tertiæ ſententiæ? ſanè vix admittenda eſſet hypotheſis, nam ſi ſupponeretur bellum geri à Principe prudenti, jam pro belli juſtitia eſt gravis authoritas ; ſi ab imprudenti eſſet videndum, quid conſilium, quid Reſpublica de bello diceret aut ſentiret, ſi enim hæc ipſa adquieſceret, aut ſaltem non reclamaret, etiam gravi illud authoritate approbare cenſenda eſſet : ſi reclamaret, gravi illud authoritate reprobare. Sed ponatur dubium, ut volunt, ergo ſtandum eſt pro poſſeſſione, quæ erat ante dubium. Atqui erat in poſſeſſione penes Principem præcipiendi authoritas, & in ſubdito obediendi obligatio, ergo miles ſubditus in tali caſu non ſolùm poteſt, ſed & tenetur militare. Nomine ſubditi Sanchez, quem citat & ſequitur Diana *ubi ſuprà*, intelligi debere exiſtimat, primò vaſallum etſi non conſcriptum, indigenam qui tametſi alibi nati vaſallorum conditionem titulo bonorum aut habitationis perſentiſcit. Alienigenam jam anteà mercede conductum. De alienigena, qui nomen vult dare militiæ, ſic diſcurro. Standum eſt pro poſſeſſione, quæ erat ante dubium, & à dubio omninò præſcindendum, ut ſuperiùs ſtatui. Atqui ille alienigena antequam illud dubium ſubriperet, potuit dare nomen hujuſmodi Principis militiæ : ergo cùm dubia nihil mutent, etiam nunc poterit. Ergo admiſsâ hypotheſi aliàs impoſſibili, tenenda eſſet omninò prima ſententia.

Quid intelligatur nomine ſubditi?

1411 *An Advocatus in re dubia poſſit patrocinari?*

Sed obiter notabo aliquid quod oculis, dum hæc ſcriberem, occurrit. Lego enim in Diana. [*Tannerus aſſerit Romæ Patrem Suarez primam ſententiam docuiſſe, quia advocatus etiam in dubia cauſa vtrivis parti patrocinari poteſt.*] Noto illud *quia*, & ſive Tanneri, ſive Dianæ illud ſit, ſi tam affirmativè quàm negativè ſumatur, mihi non placet ; nam diſpar eſt utriuſque ratio, clientis enim non eſt gravis authoritas, cùm ſæpè ignorantes ſint, cùm tamen Superioris authoritas, ſit gravis & magna ; ille enim locus viros magnos & prudentes ex natura ſua poſtulat. Vnde tametſi quis negaret advocatum poſſe in cauſa dubia patrocinari, non teneretur negare conſequenter militem in juſtitiæ dubio bellare poſſe. Illud igitur *quia* non videtur omninò dialecticis principiis reſpondere, ſiquidem conjungi poteſt antecedentis falſitas, cum veritate conſequentis. Puto nihilominus argumentum, ſi affirmativè ponatur (& de facto ſic ponitur) benè concludere : nam licèt hæc ſit mala conſequentia, *Advocatus non poteſt, ergo nec miles*; nihilominus hæc erit bona. *Advocatus poteſt, ergo & miles :* ſumitur n. à fortiori.

An ex Advocato ad militem valeat conſequentia?

QVÆSTIO II.

1412 *Gregarius miles non potest certò scire an causa belli sit iusta?*

AN miles certò sciens causam belli esse injustam, possit militare? Respondeo casum esse impossibilem. Bella enim arcano consilio & fine geruntur, nec causa cognoscitur à milite gregario. Supponendum est enim multa arcana militibus celari, pauca exponi. Ovvenus nomine Scholastici,

Scire tuum nihil est, nisi scire tuum sciat alter,

ait; & nomine Politici subsumit,

Si sciat hoc alter, scire tuum nihil est.

Quomodo Princeps erga suum Legatū debeat procedere?

sæpè enim expedit rem ipsam fieri, causas & motiva ignorari. Si dubites, legas libros Politicos. Francisco Guicciardino Hypomnesis I. *Princeps, Legati sui operâ alium circumventurus, primò omnium Legatum ipsum decipiat, oportet.* Ergo cum in rerum politicarum Mysteriis sit recondita veritas, & color solus extrinsecus oculis proponatur: impossibile est, alium præter Principem (aut fortè etiam intimos Consiliarios ipsius, sed & hi solent decipi) cognoscere certò veram armorum causam.

An credendū sit Principum literis, quas vocant Manifestationes?

Dices etiam illam posse evidenter inferri; nam Principes Manifestationes & Iustificationes suas curant edi, ne iniqui à populo credantur: ergo, si causæ, quæ publicantur, tales sunt, ut bellum evidenter injustum credendum sit, necessariò tenendum omissas esse debiliores: quia aliàs imprudenter omissæ; deberent enim poni, ut clarior esset causæ justificatio.

1413 *Cur illa edātur?*

Sed nego manifestationes edi, ne Principes iniqui credantur; id enim non semper omnes curant; nam eduntur, ut potentiùs adversarios impugnent. Si Græci haberent contra Albanos justas bellandi causas, secretas tamen, & nihilominus sibi ab aliorum fortitudine & numerositate timerent: possent illis declarare bellum, quòd Tarquini filium à Romanis profugum amicè receperint. Sanè hæc causa non esset sufficiens, ut bellum diceretur justum, & tamen aliàs esse justum supponitur, & hunc colorem quæsitum ut provocarentur Romani Albanos invadere, & Græcos Romanam authoritatem propugnantes juvare.

QVÆSTIO III.

1414 *An restitui bona aliena debeant, quæ sine peccato consumpta?*

AN miles, qui se putabat sub labaro justo militare, si postea evidenter sciat sese gessisse bellum injustum, teneatur licentiâ militari sublatâ, restituere? Asserit Sylvester *verb. Bellum 1. quæst. 9. concl. 3.* negat Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. Coroll. 22. num. 334.* dicens non teneri consumpta reponere, sed illa solummodò quæ extant, & illa quorum communione aut venditione factus est locupletior. Et ratio Merollæ est; quia cùm non peccaverit in accipiendo, non est obligandus ad restitutionem. Sed hæc ratio sufficiens non est, nam si non peccavisse sit ratio ob quam non tenetur consumpta restituere, nec tenebitur restituere non consumpta, quia etiam hæc subtulit sine peccato. Et, si utrumque, aut alterutrum verum, etiam erit verum eum qui consumpserit pecuniam alienam putans esse suam, non teneri ad restitutionem, quia & iste in illa consumptione non peccavit. At ego nego casum esse moraliter loquendo possibilem: quia, ut vidimus, nunquam panduntur arcana rerum publicarum.

1415 *De Quinqueviro.*

At casus, ut urgeat sub his terminis deberet proponi. In Republica N. ubi regimen est Aristocraticum, quinque penes quos erat imperii clavum, declararunt bellum tali Regi. Petrus militiæ dux fortiter bellum illud gessit, multos occidit, multos expoliavit, dives effectus est, & uni Quinqueviro defuncto ad Quinqueviratum adsumptus, causas belli clarissimè cognovit (antea enim & aliàs non poterat) insufficientes omninò & improbabiles judicans, quid sit ipse facturus, me consulit. Primò, *an teneatur bello parta restituere?* Secundò, *an debeat adniti ut bello finis imponatur?*

1416 *Potest contingere, ut nō omnia uni Consiliario in Senatu pandantur.*

Respondeo debere eum primò apud alios Quinqueviros rationes suas proponere, & judicium proferre: quæ vel luce meridiana clariores & evidentiores, aut aliquam habent connexam dubitandi occasionem vel causam. Si tam evidentes ipsæ, ut sine contrariæ partis formidine eas illegitimas firmare juramento possit, videndum, an sit æquè evidens non dari alias rationes, nam in Senatu etiam contingit aliqua junioribus celari & solummodò tractari à senioribus. Si igitur evidenter sciat causam esse illegitimam, evidenter sciet bellum esse injustum, & tenebitur primò pacem procurare, secundò ut Respublica injustè militans innocentibus afflictis & expoliatis satisfaciat. Cæterùm cùm Respublica solvendo sit, non video cur simplex miles teneatur ad restitutionem: publico enim usurario & publico latroni possum alimenta vendere, & tamen illam pecuniam non teneor illis restituere, à quibus sustulit: ergo & miles potest suum laborem à fortiori etiam vendere, & recipere stipendium à Principe, quem non putat latronem & usurarium, sed justum; & si posteà cognoscat bellum non fuisse justum, non tenebitur ad restitutionem, etsi stipendium penes ipsum in specie sit, sed poterit illud tutâ conscientiâ retinere. Si spoliavit hostes contra Superioris sui voluntatem, etiamsi bellum justum sit, ad restitutionem tenetur; sed si illis jubentibus aut adnuentibus, illa spolia in stipendium convertuntur; nec debet illa restituere, quia ipse non abstulit, nec ab hostibus recepit, sed Respublica est quæ abstulit, & à qua ipse recepit. Hoc ut clariùs reluceat ipsummet spoliatorem contemplator. Hostis divitias diripit: sed quo nomine? qua authoritate? privata an publica? verè publica: ergo, si Reipublicæ nomine, ipsa est quæ hostem spoliat *ut quod*, miles *ut quo*. Sed quia miles spolia sibi retinet, etiam inquiro, qua illa authoritate retineat? verè publica: ergo Respublica illis ista dat; ergo illa, non ab hoste, sed à Republica recipit. Respublica igitur tenebitur restituere, si hostis injustè spoliatus sit, non miles singularis.

Stipendia miles, qui bona fide in bello injusto militavit, non tenetur restituere.

Respublica hostes spoliat ut quod, miles ut quo.

Cæterùm, si suspicetur junioribus aliqua celari 1417

Facilius eſt unum, quam plures decipi.

celari in Senatu; at cauſa non ſit tam evidens, ut lucem meridianam excedat, videns alios quatuor in priori opinione perſiſtere, poteſt prudenter credere faciliùs poſſe unum experientiâ & praxi deſtitutum falli, quàm quatuor longâ experientiâ doctos, & in negotiis jam à multis annis verſatos, adeóque non ſolùm tutâ conſcientiâ poteſt illis adquieſcere, ſed prudentiùs adquieſcet, eſt enim indecens, quòd ad Senatum promotus ſtatim ſeniores de ignorantia & injuſtitia arguat & velit ſolus æquus & peritus videri.

QVÆSTIO IV.

1418 *Miniſtri poſſunt,*

AN Miniſtri Principum, ſi dubitent de juſtitia ſententiæ, poſſint aut teneantur eam exequi? Poſſe ſentit Martinez 1. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 9. *art.* 6. *dub.* 1. *concl.* 2. Sed ego præmiſſis principiis inſiſtens nego caſus poſſibilitatem: ubi enim eſt Principis authoritas, ibi gravis ratio ſaltem ab extrinſeco reperitur; & ubi ratio aut authoritas gravis, ibi nec dubium, nec timor, nec ſcrupulus. Dicendum igitur eſt, ut minimum, probabile eſſe ſententiam latam eſſe juſtam: ergo & poſſe à Miniſtris exequutioni mandari.

imò tenentur obedire.

Sed major eſt difficultas, ſi, an teneantur, inquiras. Et reſpondeo cum Martinez, cui videtur Diana conſentire, teneri: quia Miniſtri non eſt diſputare cum domino, ſed obedire: aliàs enim Reſpublicæ eſſent miſeræ, ſi Miniſtris eſſe inobedientes liceret.

QVÆSTIO V.

1419 *An detur Prælatus dubius?*

AN ſubditus, dubius de legitima Prælati poteſtate, poſſit non obedire? Reſpondeo negando caſum eſſe poſſibilem; quia, ſi ille eſt in poſſeſſione, & toleratur, habet pro ſua authoritate & juriſdictione gravem & probabiliſſimum titulum, qui omne dubium excludat.

An probabilius? An illi obedire debeat ſubditus?

Sed, quia in tali caſu adhuc maneret probabilis Superioris authoritas, inquiris, *An ſubditus obedire teneatur?* Affirmat Thomas Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 29. negat Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp* 62. *c.* 6. *ſub fin.* Et Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.* 8. *num.* 78. Vtramque æquè probabilem cenſet Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 8. Et ego ſi rationes ſolas conſiderem, hanc ultimam tenendam exiſtimo, prior enim præter authoritatem & nomen Thomæ Sanchez nihil habet. Noſtra aſſertio probatur. Quia ſi eſſet certum quod Superior non haberet authoritatem, eſſet certum quod non tenereris obedire: ergo ſi eſt probabile quod non habeat authoritatem, erit etiam probabile quod non tenearis obedire: non eris ergo imprudens nec temerarius ſi ei obedientiam neges; non enim temerarius aut imprudens, qui ſequitur opinionem probabilem.

1420 *De poſſeſſione probabili.*

Dices. Nemo poteſt expoliari poſſeſſione propter meram opinionem probabilem: ergo quamdiu non ſcis certò ſuperiorem non habere authoritatem legitimam, debes ei obedire.

Reſpondeo poſſe dari duplicem rerum ſtatum; alterum, in quo homines nihil decernant de poſſeſſione probabili; alterum, in quo ſtatuant neminem privandum poſſeſſione ſine cauſa certa & evidenti. In hoc ſecundo verum eſt antecedens, falſum in primo. Adeóque & eodem modo diſtinguendum eſt conſequens. Stando rei naturæ falſa eſt conſequentia; at ſi daretur Religio, in qua eſſet lex obediendi Superiori probabili, ingreſſus talem Religionem, cenſendus eſſet ceſſiſſe proprio jure, adeóque etiam probabili Superiori obedientiam debere. Sed hîc obiter noto Superioris probabiliter intruſi debere ei obedire, quod clariſſimè probo *Tom.* 1.

QVÆSTIO VI.

1421 *Dubitans an res præcepta liceat?*

VTrùm ſubditus, ſi dubitet, an res præcepta ſit licita, teneatur obedire. Stando meis principiis nego caſum eſſe poſſibilem; non enim dubium, timor, aut ſcrupulus eſt, ubi adeſt Superioris authoritas, quæ ni aliunde evidentiâ aut revelatione elidatur, debet gravis cenſeri.

An teneatur obedire?

Ex hypotheſi quòd caſus ſit poſſibilis, negativam ſententiam tenet Vaſquez, affirmativam Sanchez, Azorius, Valentia, Suarez, Molina apud Dianam *Partis IV. Tract. III. Reſol. IX.* qui Vaſquezii ſententiam amplectitur in caſu, quo obediendo ſibi aut proximo grave damnum illaturus ſit, & addit pro hac ſententia Aragonium, Medinam, Henriquez, Leſſium, & alios. Sed, ut video, hi Authores dubium cum probabilitate confundunt, & jam ſcimus ex probabilitatis natura procedere, quòd operaturus poſſit ſequi alterutram partem.

1422 *Quomodo diſcurrendum eſt in materia probabili?*

Sed inquit. Favendum eſt reo: ergo ſi interrogeris à Superiori & dubites, an legitimè te interroget, debes tacere. Quia reus eſt in extrema neceſſitate. Et reſpondeo illud antecedens, ſi agatur de probabilibus, diſtinguendum; nam ſi detur lex, quæ jubeat ſtare pro reo in omni probabilitate, qui acceptarunt hujuſcemodi legem, tenebuntur illud antecedens concedere: ſecus ſi lex talis non detur, tunc enim regnat probabilitatis libertas. Si agatur de dubiis, etiam dubium eſt utri potiùs debeas, Reipublicæ an reo favere, præcipuè ſi non ſit cauſa ſanguinis; in dubiis enim potioris pars potior eſt, & Reſpublica potior eſt reo. Subſumitur reum eſſe in extrema neceſſitate, & non urget, quia etiam eſt in gravi neceſſitate Reſpublica, cui ſuccurritur ſceleſtorum hominum condemnatione. Adeóque ſi dentur leges, quæ decernant non poſſe in cauſa probabili aut dubia reum condemnari, ſtandum illis omninò eſt, aliàs benè videndum cur probabiliter-iniquus debeat præponi Reipublicæ certò-innocenti. Sæpè quæſtiones ſimiles exilium & proſcriptio decîdit. Si dubium ſit, an Petrus Reipublicæ noceat; injuſtè excidio condemnabitur, juſtè exilio. Eo enim in exilium miſſo Reſpublica tuta ſervatur.

An ſtando juri naturæ probabiliter reus damnari poterit?

QVÆSTIO VII.

1423 *Quid ſi Prælatus dubitat?*

AN teneatur obedire ſubditus, cùm ipſemet Superior dubitat? Ita Caſtrus Palaus *tomo* 1. *diſput.* 3. *punct.* 13. *num.* 13. Diana *part.* 4. *tract.* 3.

tract.3.resol.9. contra Henriquez, Cordubam, utrumque Ledesmam, Lopezium, alióque. At nos chordæ eidem insistentes quæstioni respondemus, dicendo. *Primò*, repugnare ipsummet Superiorem, si toleretur, de sua jurisdictione dubitare. Quia & possessio & toleratio sunt graves tituli, qui possunt constituere probabilitatem, quamdiu nec in evidentiam nec in fidem impingant. *Secundo*, si ipse Superior dubitet de æquitate materiæ, aut de jurisdictione sua circa talem materiam, & aliæ rationes non suppetant, poterit legitimè illam præcipere, ipse enim est in possessione jubendi, nec debet ab illa ante certam limitationem excidere. Sed & subditus est in suæ libertatis possessione, quâ non nisi certâ potest obligatione privari.

An Religiosus in omni re obedientiæ promiserit?

Sed dices hoc dissidium ex utraque parte justum, in religioso non posse reperiri; quia cùm votum obedientiæ emiserit, est in possessione obediendi obligatio. *Respondeo* nullum esse, qui obedientiam omnimodam promiserit; ergo nemo, qui non sit in possessione suæ libertatis circa illa quæ non promisit.

QVÆSTIO VIII.

1424 *De matrimonio dubio.*

AN qui bonâ fide matrimonium contraxit, & postea dubitat de contractus valore, possit reddere & petere debitum? Teneri reddere debitum, non tamen posse petere, asseruêre apûd Dianam *part.4.tract.3.resol.15.* Basilius Pontius, Montesinus, Vasquez, Hurtadus, Rebellius, Turrianus, Pesantius, quorum resolutionem probabilem putat Diana & multi alii; qui contrariam opinionem sequuntur, & dicunt ante diligentiam adhibitam ad adsequendam veritatem teneri conjugem dubitantem reddere debitum, non tamen posse petere. At sufficienti diligentiâ adhibitâ, si adhuc dubium maneat, posse reddere & petere. Istis subscribunt præter citatum Dianam Sanchez, Suarez, Henriquez, Emanuel Sà, Sotus, Bannez, Coninck, Ioannes VVigers, & Petrus de Lorca. At nos plus rationi, quàm authoritati deferendo, stamus nostris principiis, & casus possibilitatem negamus.

1425 *An illud possibile sit?*

Ille dubitat negativè, inquam, qui nullam habet rationem asserendi, nullam negandi; ille positivè, qui habet aliquam, levem tamen. Atqui conjux, qui contraxit bona fide, habet rationem gravem asserendi matrimonium esse validum: igitur nec positivè ne negativè poterit dubitare: Quamdiu igitur non constet evidenter matrimonium fuisse invalidum, prudenter credet validum, & invalidum diceret imprudenter. Cùm igitur sciat se bonâ fide processisse, censendus est esse in possessione legitima, & posse uti suo jure (nempe, petendi & reddendi debitum) quousque constet evidenter contrarium. Si contra quietam possessionem rationes leves occurrant, ut scrupuli rejiciendæ sunt, nam inquisitio in materia gravi res gravis est, nec ex levi causa instituenda. Si occurrant graves, non derogabunt juri adquisito bonâ fide, sed inducent obligationem inquirendi veritatem, si invenibilis certò credatur. Nam si res obscura sit, nec major claritas haberi possit, nihil inquirendum est; nam, qui luce caret, quamdiu scit se esse in altis tenebris constitutum, & videre non posse, non tenetur oculos aperire. Si adsit certa inveniendæ veritatis spes, tenebitur disquisitionem facere, prudenter tamen; nam posset nocere sibi & alteri conjugi, si procederet incautè & imprudenter. Dum rem examinat, potest quietè & pacificè uti corpore conjugis tam petendo quàm reddendo debitum. Et ratio est, quia nemo debet à pacifica possessione dejici sine evidenti causa: ergo quousque evidens detur, standum pro possessione est. Ergo, si pro possessione, pro usu. Nam quamdiu est verum dicere, *Petrus est legitimus maritus Antoniæ*, est etiam verum, *Petrus potest petere & reddere debitum, ni voto obstrictus sit.* Et post matrimonium contractum bonâ fide, si objiciatur ratio evidenter invaliditatem demonstrans, illa prior propositio [*Petrus est legitimus maritus Antoniæ*] erit falsa, & cessabit quæstio. Si ratio probabilis, erit probabilis illa propositio; & in purè probabilibus nemo condemnat possessorem. Si ratio levis objiciatur, ita erit circa illa propositio, ut contraria debeat dici improbabilis.

In illo pos quis licite petere & r dere debita

De matrimonio probabili.

1426 *De possessione vestis dubiæ.*

Confirmatur. Habens pretiosam vestem à multis annis aut diebus putans sincerè esse suam, tametsi postea occurrant rationes, quibus videatur probari illam ad alium spectare, non tenebitur illam alteri tradere antequam evidenter sciat esse illius. Nec alter poterit impedire usum illius vestis, quousque suam esse clarè & evidenter demonstret. Ergo similiter, si habet à multis annis diebúsve uxorem putans sincerè esse suam, tametsi posteà occurrant rationes, quibus videatur probari illam ad alium virum spectare, non tenebitur illam illi tradere, antequam evidenter sciat esse illius; nec alter poterit impedire, ne primus possessor illa utatur, antequam non esse illius demonstret.

Nec rationes apud Authores repertæ aliquid probant contra propositam resolutionem, nam Hurtado facili negotio respondebimus.

1427 *Argumentū Hurtadi.*

In dubiis tutior pars est eligenda, inquit; & subsumit, sed conjugi dubio (sive bona sive mala fide contraxerit, sive sit dubius ante sufficientem diligentiam, sive etiam post) tutius est non petere debitum, quia petendo se exponit periculo peccandi contra castitatem; & eidem conjugi tutiùs est reddere debitum, quia non reddendo se exponit periculo injustitiæ, ex justitia enim tenetur illud reddere, & reddendo se exponit periculo fornicationis quæ est contra castitatem, & fornicatione injustitia gravius peccatum est. Ergo conjux in tali dubio constitutus petere non potest, tenetur tamen reddere.

1428 *An pars tutior sit eligenda.*

Sed, ut verum fatear, vix est verbum in toto illo discursu, quod placeat. Si concedam in dubiis tutiorem partem eligendam esse, non urgebor, negabo enim posse dari conjugem dubium; nam cùm ratio quæ à pacifica possessione & bona fide desumitur gravis sit, qui illam habet non est dicendus carere ratione gravi; & qui gravi, non caret, non est dubius; dubium enim cum gravi ratione non compatitur. Sed neque necessariò concedendum

ſit ...e tutâ?

dum in dubiis eſſe eligendam tutiorem partem, ſufficit enim eligere tutam; nemo enim tenetur facere meliora: cuicumque enim Chriſtiano ſufficit à malis abſtinere, & bona facere; unde tametſi meliora conſulantur, bona ſolùm, nempe illa, quæ ſine culpa omitti non poſſunt, præcipiuntur. Sed eſto teneamur tutiora facere; an præcepta rem ipſam phyſicam, an moralitatem reſpicient? moralia ipſa, & procul dubio reſpectura ſunt moralitatem. Non ergo eligeret minùs tutam, qui ſe exponens periculo peccandi materialiter, cavet ſibi peccatum formale & morale; nec tutiorem eligeret, qui cavens ſibi peccatum materiale, ſe exponit periculo peccandi formaliter & moraliter. Doctrinam explico, & caſum propono. Paulus, ne uteretur & ad alienas fœminas accederet, duxit uxorem bonâ fide: cognoſcit fragilitatem ſuam, & moraliter certus aſſerit ſe uſurum fuiſſe alienis, ſi careret ſuâ; ergo conſtitutus in dubio circa valorem matrimonii, ſi non petat debitum & abſtineat à ſua uxore, reddit ſe ſecurum ne committat fornicationem materialem (materialiter enim fornicaretur, ſi ad non-ſuam accederet, antequam evidenter ſciret non eſſe ſuam) & tamen ſe exponit periculo formali & morali fornicandi, aut adulterium committendi cum alia. Ergo ſi pars moraliter & formaliter tutior eſſet eligenda, deberet Paulus petere debitum, hoc enim moraliter conſideratâ ſuâ fragilitate tutius eſt.

Non petere debitum non ſemper eſt tutius.

1429 *An ſit bona conſequētia, Poteſt reddere, ergo poteſt petere? An etiam hæc, Non poteſt petere, ergo non poteſt reddere?*

Præterea illa diſtinctio inter petitionem & redditionem, non videtur tutè poni: ratio enim quæ probat non poſſe peti debitum, probat non poſſe reddi; & quæ poſſe reddi, etiam poſſe peti perſuadet: vel ſi dubites ſingulas examinemus.

Si enim Paulus non poteſt petere, ideò erit, quod poſitis illis circumſtantiis debet ſupponere non eſſe veram hanc poſitionem, *Antonia eſt mea uxor*, nam ſi poſſet prudenter ſupponere hanc poſitionem eſſe veram, poſſet procul dubio etiam petere: nemo enim tenetur non petere ab uxore ſua, ni voto aut juramento impediatur. Atqui ſi ſupponat hanc poſitionem non eſſe veram, non poteſt reddere, quia quamdiu illa poſitio non eſt vera, non licet debitum reddere: ergo.

Similiter urgeri poteſt è contrario. Quia ſi poteſt reddere, poteſt etiam judicare Antoniam eſſe ſuam, & ſtante hoc judicio etiam poteſt petere. Vnde infero malè inter redditionem & petitionem ab Hurtado & aſſeclis ejus diſtingui.

De conjuge qui caſtitatē vovit.

Dices. Poteſt dari caſus in quo maritus poſſit reddere, non tamen petere: non ergo malè ab Hurtado redditio à petitione diſtinguitur. Probas antecedens: Nam conjux, qui vovit caſtitatem tenetur non petere, & ſimul tenetur reddere.

1430 *An illam potuerit adæquatè vovere?*

Reſpondeo nullum conjugem poſſe vovere adæquatè caſtitatem, adeóque qui voveret aut juraret non redditurum eſſe, peccaret mortaliter vovendo aut jurando; & non obſtringeretur juramento; eſſet enim votum contra juſtitiam. An poſſit vovere aut jurare ſe non petiturum, non examinabo; facilius eſt enim condonare, quàm reſolvere; & nemo ignorat ſtando communibus moribus patriæ non eſſe laudabile virum nunquam condormire ſuæ uxori, & non laudabilia non poſſunt juramento firmari: unde ſi condormire ſemper aut aliquoties debeat, idem erit jurare ſe non eſſe petiturum, ac jurare ſe velle eſſe in proximo peccandi periculo; vel ſi hoc non eſt verum, erramus univerſi aſſerendo nimiam familiaritatem fœminarum eſſe periculoſam, nam ſi in condormitione nullum reperitur periculum, nullum in cohabitatione ſolius cum ſola reperietur.

An, qui caſtitatem vovit, poſſit cū ſua uxore habitare aut dormire?

Addo ex ſuppoſitione, quòd quis conjux validè voverit caſtitatem, (voverit validè, ſi ita omnes circumſtantias diſpoſuerit, ut de meliori bono votum ſit) eſſe rationem diſparem, quia tunc illa impotentia petendi debitum non naſceretur ex ipſamet ſubſtantia matrimonii, ſed ex aliqua ratione extrinſeca, nempe ex voto aut juramento, petitionem non verò redditionem reſpiciente. *His igitur* ſic examinatis ponamus aliquot Concluſiones, quæ materiam valdè neceſſariam dilucident. 1431

Prima ſit. *Qui contraxit matrimonium bonâ fide, ſi nullæ novæ rationes occurrant, non poterit dubitare de valore matrimonii ſine nota temeritatis.* 1432

An quis poſſit de matrimonii contracti valore dubitare?

Secunda. *Si occurrant leves, non poterit dubitare, quin temerarius cenſeatur.* Patet utraque, quia in utroque caſu ſtandum eſt pro poſſeſſione, ex qua poteſt deſumi ratio gravis, quæ contra omnem levem, debet certitudinem parere.

Tertia. *Si occurrat ratio fortis, non tamen evidens, tunc erit probabile matrimonium; & quia probabilitas neminem neceſſitat, poterit ſequi alterutram partem, ſtando foro merè interno, & abſtrahendo ab omni lege humana.* Conſultò humanæ legis memini; quia in Republica, ubi datur lex, ut nemo antequam convincatur per ſententiam judicis à poſſeſſione detrudi poſſit, qui in tali Republica habitant, videntur compromittere & legem acceptare; adeóque in tali caſu conjux non poterit conjugem à domo dimittere ob meram probabilitatem: & videtur talis lex reperiri in omnibus Rebuſpublicis benè gubernatis. An humanæ etiam leges eum obſtringant, ut in probabilitate teneatur reddere debitum; difficile eſt. Nam ſi darentur, & acceptarentur, procul dubio obſtringerent: unde examinandum eſſet quale jus conjux habeat in corpus alterius; nimirum, an jus in re, an verò in rem. Si primum dicatur, legibus, in poſſeſſione defendetur; ſi ſecundum, alter defendi poterit in libertate. Cæterum conjugatum habere jus in re, & habere actualem poſſeſſionem certum eſt.

De matrimonio probabili.

An dentur leges de matrimonio probabili?

An in re, an in rem conjugatus jus habeat?

Quarta. *Si occurrat ratio evidens nullitatem matrimonii perſuadens, nec petere, nec reddere poterit.* Eſt clara: non enim aut reddere aut petere poteſt quis licitè, cùm ſcit ſe non eſſe conjugatum.

De matrimonio evidenter invalido.

Quinta. *Qui contrahit malâ fide, modo incerto & dubio* (diſtinguo dubium à probabili: ſunt enim res toto cælo diverſæ) *ſi conjux & alii, qui adſtiterunt contractui, ſint prudentes, & tamen judicaverint eſſe validum, eorum ſententiæ ſubſcribens poterit formare judicium probabile. Si autem tales ſint, de quorum prudentia* 1433

diffidamus, aut ſi prudentes, ipſi etiam dubitent, ſupponendum aſt matrimonium eſſe nullum, adeóque nec poterit debitum reddi nec peti, quouſque re melius examinatâ credatur illud fuiſſe aut certum aut probabile. Patet : Quia ante matrimonium illud, erat in poſſeſſione lex ſexta Decalogi acceſſum ad illam fœminam interdicens : ergo ſtandum in omni dubio pro iſta poſſeſſione : matrimonium enim eſt quaſi hujus legis diſpenſatio, & ſcimus non poſſe hominem operari contra legem certam intuitu diſpenſationis dubiæ.

Quid ſi de ipſamet poſſeſſione dubitetur ? Quid ſi ſtando noſtris principiis matrimonium dubium non ſit regula morum, & ita ſe habeat, ac ſi non ſit : Pondus totum oppoſitæ parti immineret, reſolutio eſſet omninò alia : & dicendum vi hujus dubii incurrere examinandi obligationem, & facto examine ſtandum pro certitudine vel probabilitate.

QVÆSTIO IX.

1434 *De horologiorum certitudine.*

SI ſint duo aut plura horologia, in quorum uno inſonuerit duodecima noctis, at in altero nondum; Inquiritur, An qui dubitat, utrum melius regulatum ſit, poſſit comedere adhuc carnes die Iovis, aut incipere comedere carnes die Sabbati : & ſi in horarum interſtitio comedat aut bibat, poſſit non obſtante hoc dubio, die ſequenti celebrare aut ſacram Euchariſtiam recipere?

An ſit dubia, an probabilis?

Sentio caſum eſſe impoſſibilem, ſi de horologiis benè gubernatis agatur ; quia talia inducunt horam probabiliter, & quia graves cauſæ, illis reguntur, creduntur habere gravem authoritatem ; & ubi authoritas aut ratio gravis exiſtit, dubium exulat. Adeóque exiſtimo in tali caſu proſcripto omni dubio, dari dictamen probabile ex vi cujus, omnia poſſent fieri, quæ rogantur. Sanè omnia eſſe licita, tametſi ex aliis fundamentis ſenſit ante me uterque Sanchez ; Thomas quidem *de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 41. num. 40.* Ioannes autem *in ſelect. diſp. 53. num. 3.* Subſcribunt illis Fagundez, Pharaonius, Vega, Villalobos, Merola, & Salas, quos ſequitur Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 19.* Conſultò egi de horologiis benè regulatis, hæc enim vicem gerunt probabilium opinionum, non tamen gererent ſi eſſent malè regulata, ut optimè notavit Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 1. difficultate 21. num. 7.*

1435 *An benè exponat Merolla illud Principium, Melior eſt conditio poſſidentis?*

Dabo tamen verba Merollæ *tom. 1. diſput. 3. cap. 3. Corollario 2. num. 139.* ut candidus Lector videat, non eſſe idem habere bona fundamenta, & benè diſcurrere. Certiſſima principia ſupponit Merolla, & ex illis diſcurrit contra Ethicæ principia certiſſima, ac ſi veritas contrarietur veritati : inquit ſic : [*Falſum eſt, id quod ſubdunt aliqui* (dicat ferè *omnes*, aut omnes docti nullo excepto) *quod ſcilicet ſi diverſa ſint horologia, & unum ſonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, poteſt qui tunc ſolvit jejunium naturale, communicare ſequenti die, quia eſt veluti ſi eſſent duæ rationes aut opiniones probabiles : liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc, inquam, falſum eſt, quia in pari cauſa melior eſt conditio præcepti poſſidentis, & opiniones probabiles ſunt tantùm ſpeculativæ, & ideò homo tunc debet ſe gerere ac quando factum eſt dubium.*] & ex his concludit ſtandum negativæ parti.

Ego autem præmiſsâ debitâ admiratione, horum terminorum connexionem non capio, & tamen condoleo dari virum, qui ſuæ animæ & ingenii liberratem velit malleo unius campanæ ſubdere etiam malo regulato. Conſultò illud *etiam* pono, quia Merolla inter horologia benè & malè regulata non diſtinguit : nos verò ſic putamus neceſſariò debere controverſiam reſolvi. Dicimus enim 1436

1437 *De horologiis malè gubernatis.*

Primò, *Horologia, quæ malè regulata dicuntur, non habere authoritatem opinionis probabilis :* unde inferimus non poſſe probabiliter dici eſſe mediam noctem, quando in ipſis hora duodecima pulſatur ; adeóque ni alia teſtimonia urgeant, ſupponendum non eſſe in rerum natura hæc horologia. Aut dicat mihi Merolla, cur potiùs debeam credere horologio malè regulato, quàm pſittaco mihi mediam eſſe noctem dicenti ? an mea conſcientia, quæ benè gubernari debet, pendebit à cauſis malè gubernatis.

1438 *De benè gubernatu.*

Secundò, *Horologia, quæ benè gubernata dicuntur, habere vim opinionis probabilis.* Aut dicat mihi Merolla quid ego facturus eſſem die Iovis, ſi cum muſæo egrederer, audirem unum famulum dicentem eſſe horam noctis primam, alterum eſſe undecimam ? Deberémne cauſam ab extrinſeco decidere ? Sanè non poſſem : quia ſæpè de quatuor aut pluribus horis dubito chartis meis impalleſcens : ſæpè admoneor, & ſcio eſſe duodecimam quia admoneor, aliàs affirmaturus eſſe nonam, aut fortaſſis octavam. Hæc eſt miſeria mea : fortè campanarum malleos alii meliùs agnoſcunt : ad rem venio. Diſcere vellem à Merolla utri famulo crediturus eſſem, an illi qui undecimam, an illi qui primam aſſereret? & ſi alicui, cur potiùs uni quàm alteri : uterque fidelis & diligens eſt imò quia meâ ſententiâ æquales, non eſt ratio ob quam uni negem aſſenſum, tribuam alteri. Vtrique igitur probabiliter debeo aſſentiri : credere eos ſic putare, errare tamen poſſe, quia homines. Igitur, ſi duo homines ſine inſtrumentis habent vim probabilium opinionum, nobis deberet oſtendere Merolla cur ipſi homines ſi utantur inſtrumentis, aut inſtrumenta (horologia inſtrumenta ſunt) ſi ab ipſis benè dirigantur, non habebunt probabilium ſententiarum virtutem.

Vtri debeam credere, cùm duo famuli eſſe diverſam horam dicùt?

1439 *An probabilitas ab horologiis nata ſit practica?*

Tertiò, *Probabilitatem natam ab horologiis eſſe practicam :* & hoc ſtatuo contra ultima Merollæ verba ; oppreſſus enim rationis præcedentis pondere probabilitatem negare non audet, ſed ait merè ſpeculativam eſſe : & ego monſtrabo evidenter eſſe practicam, & arguo ſic. Evidentia moralis ſeu certitudo nata ex horologiis eſt practica : ergo etiam probabilitas. Probo præmiſſam ; quia in horologiis benè regulatis certum eſt quod non devient per duas horas : ex hac certitudine naſcuntur hæ poſitiones practicæ & veræ, *Quando die Iovis auditur noctis decima poſſunt carnes comedi. Quando auditur ſecunda poſt mediam noctem diei Sabbati poſſunt etiam.* Ergo. Merolla admittet conſequentiam, aut dabit evidentiſſimam diſparitatem. His poſitis arguo breviter

viter ſic. Certa horæ notitia eſt ſemper certa practicè, ergo probabilis, eſt probabilis practicè. Quid ad iſta Merolla? ipſe viderit.

1440 *An in probabilibus ſemper conditio poſſidentis ſit melior?*

Quartò, *Hæc poſitio, in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, vera eſt*: addo tamen, Hæc poſitio, *In probabilibus ſtandum neceſſariò pro poſſeſſione, falſa eſt.* Ratio eſt, quia non tenemur facere meliora, ſed bona; & tametſi etiam in probabilibus melior ſit conditio poſſidentis, poſſumus, ni lege obligatoria impediamur, ſtare pro non poſſidente; cujus conditio tametſi non ſit melior, eſt tamen bona. In hoc enim præter alia dubium à probabilitate diſtinguas, quòd in dubiis conditio poſſidentis non ſit dicenda melior, ſed ſimpliciter bona, conditio enim non poſſidentis mala eſt: adeóque in dubiis abſolutè docemus pro poſſeſſione omninò ſtandum.

1441 *An ſemper pro poſſeſſione ſtandum? Quid ſi ſteturi?*

Quintò, *Etſi in probabilibus ſtandum eſſet pro poſſeſſione, dicendum eſſet errare Merollam.* Et hoc etiam videtur mihi clariſſimè monſtrari: nam poſſeſſio ſtat pro die priori, nec quis tenetur credere eſſe craſtinam, ni clariſſimè conſtet, & tam clarè, ut poſſit juramento firmare, illa enim aſſerta, quæ non poſſunt juramento firmari, certa non ſunt; & dies prior non debet veram perdere poſſeſſionem ante principium certum dici ſequētis. *Poſſeſſio ſtat pro die Iovis: & etiam ſtat pro non-præcepto.* Et etiam poſſeſſio ſtat pro non-præcepto: die enim Iovis non eſt præceptum carnes interdicens, imò eſt permiſſio comedendi carnes; ergo hæc ipſa eſt in poſſeſſione, ergo manuteneri poterit, quouſque ſit evidens incepiſſe obligare præceptum, hoc eſt, quouſque ſit evidens eſſe aliam diem.

Contra Merollam. Sextò, *Etſi in dato caſu deberet ſe homo gerere ac in dubio, non eſſet audiendus Merolla.* Quia cùm in dubio ſtandum ſit pro poſſeſſione, & in poſſeſſione ſit dies Iovis, & permiſſio comedendi carnes, dicendum eſſet, eſſe diem Iovis tunc, & carnes adhuc poſſe comedi.

1442 *Iterum contra eumdem.* *An primo ſit ſtandum horologio?*

Prætereà ſiquidem non habemus duos Deos, eodem modo, quo de odioſis, ſic de favorabilibus philoſophabimur, imò de iſtis deberemus benigniùs: ergo teſte Merolla, ſi ſtandum primo horologio eſt, poſſemus die Sabbathi carnes comedere cùm placeret ſtulto alicui cuſtodi, qui horologium civicum præcipitaret: vel ſaltem poſſemus cùm primùm audiretur, vel dicendum ad mentem Merollæ favores reſtringendos, odia amplianda.

Hæc dicta ſint, ut videamus qualiter adhuc poſitis bonis principiis ſolent exorbitare, qui volunt videri ſeveri, cùm potiùs deberent veritatem inquirere, ſive laxi ſive ſtricti dicantur.

1443 *De terminis probabilitatis.* Septimò, *Non credo probabilitatis terminos primo & ultimo horologio determinari*, non enim auderet, quis jurare ante primum non fuiſſe mediam noctem; aut non fuiſſe poſt ultimum. At oſtendas, cur fieri non poſſit, ut omnia poſt mediam noctem hodie, & ante mediam noctem omnia cras horologia horam duodecimam inſinuent? Huc reſpiciebam in Commentario in Regulam D. Benedicti, cùm num. 1328. egi de horologiis, ubi expenduntur hæc aſſerta.

Primvm, *Nullum horologium eſt infallibile, ideóque nulli neceſſariò eſt ſtandum.*

Secvndvm, *Omnia horologia habent vim opinionis probabilis, niſi ita exorbitent, ut eorum error clarè & evidenter cognoſcatur.*

Tertivm, *Horologia accurata interdum horæ quadrante à veritate deviant.* Intuli in pago, ubi non eſſet niſi unum horologium, poſſe, ſi benè regulatum illud ſit, conſtitui terminos mediæ noctis probabiles à quadrante antequam audiatur duodecima, in ſequentem quadrantem. Et quidem matheſin profiteor, & tamen non auderem majorem mihi ab horologiis civicis promittere ſecuritatem. Lege Tychonem, Keplerum, VVendelinum, & videbis nonnumquam optima horologia à Viris in Aſtronimia verſatiſſimis directa, mediâ horâ integrâ ab ipſo cælo exorbitare: multas periodos quas in adverſaria conjeceram, non adjungo, hæc enim ſcribens illis careo: Lege etiam quæ in Commentario illo meo ſubjungo, quæ etiam Theologiæ Fundamentalis *tom. 1. num. 341.* affirmans præcepta Eccleſiæ eſſe moralia, ageréque de horis moralibus non de mathematicis, quæ in ſumma præciſione conſiſtunt: nihilominus conſuetudinem, quæ eſt optima Legum interpres, obtinuiſſe, ut ubi unicum tantum horologium ſit, illo regamur. Ita ibi *num. 396.*

QVÆSTIO X.

1444 *De poſſeſſore dubio.*

VTrum factâ ſufficienti diligentiâ, *an res ſit ſua, poſſit poſſeſſor bonæ fidei adhuc dubius illam retinere & alienare?* Sub his terminis proponitur à Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 25.* & citat Authores pro utraque contradictionis parte; at ego demonſtrabo caſum eſſe impoſſibilem, ſi de vero dubio agatur: ratio enim, quæ à poſſeſſione & bona fide ſumitur gravis eſt, & gravis ratio nequit cum dubio (negativum aut poſitivum ſit) componi: & ideò in hac materia ſic diſcurro.

1445 *An, & quàdiu poſſeſſor bonæ fidei debeat manuteneri?* Primò. *Poſſeſſor bonæ fidei, non debet ob quemcumque levem ſcrupulum turbari & inquiſitionem inſtituere:* & perſuadeo. Charitas incipit à ſe ipſa, ergo quia proximus ipſemet tibi, non teneberis inquiſitionem contra te inſtituere in caſu in quo non teneretur tuus Superior: atqui debent dari rationes graves antequam Superior teneatur inquiſitionem contra ſubditum facere: ergo.

An alienare poſſit rem de qua dubitat? Secundò. *Poſſeſſor bonæ fidei, ſi occurrant motiva gravia, debet examinare an fortè res illa ad alium pertineat, ſi putet ſe poſſe veritatem adſequi. Et quamdiu examinat, non poterit illam alienare:* quia probabilitas ſua certitudine futura creditur elidenda. Ita Villalobos in *Summ. tom. 1. diff. 20. num. 4.* Et alii. Si tempore quo examinare poterat, omiſit examen, peccavit mortaliter: & ſi tranſiverit ad tempus, in quo veritas ſciri non poteſt, nemini tenetur reſtituere, ſed poteſt ſtare pro ſua poſſeſſione aſſerente Bonacina *de contract. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 8.* cui probabiliter adhærent Caſtrus Palaus *tom. 1. diſp. 3. punct. 2. n. 9.* & alii.

1446 *An, qui probabiliter judicat?* Tertiò. *Adhibitâ omni diligentiâ, ſi rationes illæ graves contra poſſeſſionem repertæ in ſuo vigore maneant, cùm evidentes non ſint, dicendæ erunt probabiles: ergo & poſſeſſio erit etiam legitima*

tima probabiliter. Ergo poterit jam rem retinere, & alienare. Ita tenent Villalobos, Coninck, Azorius, Vasquez, Salas, uterque Sanchez, Molina, Valentia, Salonius, Bannez, Merolla, Diana, qui ubi suprà asserit esse communem Doctorum opinionem. Probatio ex natura probabilitatis desumitur, quia stari potest pro possessore in omni probabilitate. Quod etiam potest confirmari. Nam conscientiâ tutâ & securâ potest quis retinere quidquid lege & in foro exteriori permittitur: atqui in foro externo possessor probabilis non spoliatur: ergo nec in interno. Probatur major, quia forum internum externo debet confirmari, ubi externum falsæ præsumptioni non innititur, asserente Merolla, utroque Sanchezio, Salas, Suario apud citatum Dianam.

An retinere tutâ conscientiâ possis, quæ leges permittunt?

Respondetur, quòd non.

Oculos ad probationem & confirmationem converto: utramque recognosco: illam puto securam & certam: at confirmationis major cespitat, multa enim lege permittuntur, quæ non sunt licita. Exigere & retinere usuras Lombardo (sic vocant, cujuscumque nationis ille sit) leges sæpè permittunt: Iudæis & hæreticis esse infidelibus; mulierculis meretricari: &c. quæ tamen omnia sunt illicita, ut omnes Orthodoxi fatemur.

1447
Res qualibet vero domino debet restitui.

Quartò. *Si adhibitâ sufficienti diligentiâ verus & certus dominus compareat, debet res ipsi restitui.* Ita omnes. Tunc dicitur verus & certus dominus comparere, cùm tam clarum est eum esse verum & legitimum dominum, ut probabiliter negari non possit: nam, si possit, iterum manet probabilitas, & in probabilitate nemo est necessariò expoliandus. Volunt aliqui, ut concordet cum domino probabili probabilis possessor: & ego non semper suaderem, nam vel affulget spes, quòd olim certus dominus cognoscetur, vel non. Si non; non est cur possessor concordare desideret, concordia enim prodesse non potest, nec defectus concordiæ nocere. Si affulgeat talis spes, poterit jure cogi ne rem alienet, & tunc erit utilis talis partium concordia.

An in probabilitate dominii debeât partes inter se concordare?

1448
Quid, si res fuerit bonâ fide consumpta?

Quintò. *Si adhibitâ sufficienti diligentiâ verus dominus non comparuit, & bonæ fidei possessor rem consumpsit, aut vendidit, aut dedit, ita ut nec ipsa nec ipsius pretium apud hujusmodi bonæ fidei possessorem remaneat, nihil tenebitur vero domino, si postea tandem compareat, restituere; at si factus fuerit venditione aut commutatione locupletior, tantùm dare tenebitur quatenus est factus locupletior.* Ita Leffius, Vasquez, Rebellius, Thomas Sanchez, Merolla, apud Dianam, & alii apud ipsos, contra Aragonium, Salonium, Bannez, Salas, & alios opinantes teneri restituere totum pretium rei venditæ. *Ratio est*, quia non debet esse pejoris conditionis, qui bene procedit, quàm qui omittit & nec benè nec malè operatur (ago de omissione externa, internam enim, quam puram vocant, vix admitto) atqui ille bonæ fidei possessor, si rem dedit pauperibus sanctè est operatus: ergo non debet esse pejoris conditionis illo, qui non fecit hoc opus bonum. At, si non feciſſet, sufficeret catere re illâ, & dare legitimo domino, & non deberet reddi pauperior: ergo nec modò debet pauperior reddi: & quidem pauperior redderetur, si præter rei carentiam etiam tantumdem, quantum valeret ipsa, deberet domino vero consignare. *Confirmatur.* Quando res inculpabiliter perit, non teneris illam restituere vero domino, qui non fuisti in causa ut periret; neque necessariò illam consumpsisti, putà si delirus, aut constitutus in extrema necessitate, nisi fortè alicubi lege civili contrarium decernatur; neque qui inculpabiliter & sanctè consumpsisti: nam cùm restituendi onus pœna sit, nemo tenetur obligatione personali, ubi peccatum non præcessit (consultò illud *personali* posui; si enim ipsa res, aut pars, aut pretium ejus, aut pretii pars extet penes illum, qui locupletior factus, tunc est obligatio realis, nam hæc in se vel in pretio remanens, debet ad dominum verum reverti) at qui rem, quam pacificè & bonâ fide possidebat, dedit pauperibus amicisve, aut ita consumpsit ut locupletior factus non fuerit, non peccavit in consumptione: ergo non tenetur obligatione personali. Examinanda igitur est realis obligatio; hoc est, an rei aliquid formaliter aut virtualiter (hoc est in se, aut in pretio) remaneat; & si maneat, hoc vero possessori detur: nihil aliàs.

Non tenebitur: & probatur.

An, quæ bona fide sunt pauperibus erogata, debeant restitui?

An, quæ inculpabiliter pereunt?

De obligatione reali & personali.

1449
Quomodo res dubiè aut probabiliter possessa possit vendi?

Quomodo caveatur emptori?

Sextò. *Si eo tempore, quo diligentiæ debent fieri ad examinandam veritatem, voluerit bonæ fidei possessor rem vendere, poterit modò hæ circumstantiæ in contractu serventur. Prima, si nullum damnum inferatur emptori; secunda, si nullum vero domino.* Cavetur emptori omne damnum omne periculum, si rationes aut dubitandi aut opinandi illi sincerè exponuntur, & ipsi res venditur sub onere quod illam restituat vero domino si contingat comparere, adeóque & multò minori pretio debet vendi: cavetur iterum emptori, si venditor bona sua obliget, ut in casu quo legitimus dominus compareat, debeat pecunias receptas emptori restituere; & tunc poterit res vendi justo pretio: cavetur vero domino, si venditur personæ securæ, quæ nullam fraudem commissura credatur. Si ex factis diligentiis constat nullam esse spem, ut alter præter possessorem, dominus aliquando compariturus sit, poterit possessor rem vendere, nec tenebitur emptori exponere rationes quas habuit dubitandi aut opinandi. Ita Ioannes Sancius in *Selectis disp. 43. num. 12.* Bannez *2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 5.* Castrus Palaus *tom. 1. disput. 3. punct. 2. num. 13.*

Quomodo dominus?

1450
De translatione dominii probabilis.

Septimò. *In bonis, quæ alienari non possunt, possessor probabilis, ni lege impediatur, standum juri naturæ & Decalogo potest illa bona dare alteri similiter probabili domino.* Patet; quia probabilitas neminem cogit ut sequatur unam determinatam partem: adeóque probabilis possessor poterit illa bona, quia probabiliter sua sunt, retinere; & quia probabiliter aliena, etiam restituere, si velit. Consultò illud, *ni lege impediatur*, adjunxi, quia possunt dari leges ne talia bona alienentur, nisi certò sciatur ad alium pertinere, & tunc qui in tali Republica degent, & hujusmodi legem acceptassent, deberent secundùm illam vivere, adeóque nec probabilis possessor posset talia bona probabili domino restituere; nec hic data acceptare.

Octavò.

1451 *Sufficit dominium minùs probabile.*

Octavò. *Si probabilius ſit rem eſſe alienam, adhuc ſtari poteſt pro poſſeſſore probabili.* Caſum hunc proponit Diana *part.4. tract.3. reſolut.26.* his verbis, [An ſi præmiſsâ debitâ diligentiâ adhuc dubium ſit (videtur dubii nomine intelligere non-certitudinem, adeóque comprehendere probabilitatem) propendeas tamen magis rem eſſe alienam, teneatis illam reſtituere, vel dividere?] Ponit primam ſententiam Ledeſmæ, Bannez, Salonii, Sanchezii, Coninck, Valentiæ, aſſerentium rem dividendam eſſe pro ratione probabilitatis: (dubii ergo nomine non improbabilitatem intelligit) At ipſe ſecundæ adhæret opinioni, nimirum Vaſquezii, Bonacinæ, Salas, Merollæ, Caſtri Palai, Laymani, Filliucii, quam etiam retractando priorem ſequutus eſt Sanchez, aſſerítque non teneri quidpiam reſtituere, & hoc doctè ut ſemper: ſed cùm probat, videtur caſus poſſibilitatem negare. Ideò docet poſſeſſorem minùs probabilem non teneri reſtituere domino probabiliori, quia poſſeſſio præponderat omnibus rationibus non convincentibus. Hic ego. Si poſſeſſio præponderat omnibus rationibus quæ demonſtrativæ aut convincentes non ſunt, impoſſibile eſt, quòd poſſeſſor bonæ fidei antequam convincatur, magis propendeat in ſententiam quæ aſſerit rem eſſe alienam. Poſſeſſionem præponderare omnibus rationibus non convincentibus ſupponit Diana, nec probat, eſt enim communis in omni tribunali; nullibi enim bonæ fidei poſſeſſor excluditur, antequam convincatur: manet igitur primò caſum eſſe impoſſibilem: ſecundò non teneri bonæ fidei poſſeſſorem aliquid reſtituere antequam tam claræ ſint rationes ut ad probabilem controverſiam reduci non poſſint.

An detur poſſeſſor minus probabilis.

QVÆSTIO XI.

1452 *An detur dubiæ fidei poſſeſſio?*

AN poſſeſſor dubiæ fidei, teneatur reſtituere, antequam certò ſciat rem eſſe alienam? Reſpondeo non poſſe dari talem hominem.

Non eſt enim poſſeſſor dubiæ fidei, qui incepit bona fide poſſidere, & poſtea reperit contra ſe rationes leves; ipſæ enim ſcrupuli ſunt, & omninò rejiciendi. Nec erit dubiæ fidei poſſeſſor, ſi reperiat graves, quia nulla gravior poſſeſſione, adeóque erit poſſeſſor fidei probabilioris. Qui à poſſeſſore bonæ fidei aliquid emit, aut gratis accipit, in jus venditoris vel donatoris tranſiens, poſſeſſor bonæ fidei dicendus eſt: non enim novam ipſe poſſeſſionem inchoat, ſed antiquam continuat: unde non obſtantibus quibuſcumque rationibus, modò convincentes non ſint, poſſeſſor bonæ fidei dicendus eſt. An dubiæ fidei poſſeſſor diceretur ille, qui emeret aut quomodocumque reciperet à malæ fidei poſſeſſore, ſi tamen de ejus fide dubitaret; ſicut malæ fidei poſſeſſor qui emit aut gratis recipit ab eo, quem ſcit malæ fidei

1453 poſſeſſorem?

Reſpondeo, caſum eſſe impoſſibilem, & clariſſimè probo non poſſe dari emptorem aut donatarium dubiæ fidei: quia vel nullæ rationes dantur, ob quas inclinet in eam partem, quæ aſſerit venditorem aut donatorem eſſe poſſeſſorem iniquum; vel dantur leves; vel dantur purè probabiles; vel convincentes: nihil utiliter aſſeri poterit: ergo. Minorem probo. Quia, ſi nullæ dentur, aut leves, non erit emptor aut donatarius dubiæ fidei, ſed erit judex temerarius, & venditori aut donatori injurius: omnis enim poſſeſſor legitimus præſumendus, quamdiu non probetur contrarium. *l. Merito ff. pro ſocio.* Si dentur probabiles (putà ſi ex modo vendendi, aut cautelâ adhibitâ in commutatione rem eſſe furtivam colligatur) non jam dubiæ, ſed probabilis fidei emptor aut donatarius nominandus. Si convincentes, jam erit poſſeſſor malæ fidei.

Debet emptor aut donatarius ſupponere venditorẽ aut donatorẽ eſſe poſſeſſorẽ legitimum, quamdiu nõ ſuggerantur in oppoſitum rationes graves.

Negatâ caſus poſſibilitate ceſſant velitationes illæ Authorum, quorum meminit Diana *part.4. tract. 3. reſol. 27.* inter quos diſplicet primò Caſtrus Palaus, qui videtur noſtræ ſententiæ lucem aliquam vidiſſe, quam tamen non potuerit adſequi. Ipſe enim *tom.1. diſp.3. punct.3. num.2.* ſic inquit. [Si dubitas, an res ſit furtiva, & titulo emptionis aut venditionis poſſediſti, teneris facta diligentiâ & dubio perſiſtente rem dividere inter te & eos de quibus dubitas, quia tunc pro nullo ſtat præſumptio, ac proinde omnes æquale jus habent: practicum autem à te datum in cauſa eſſe non poteſt, quo minus debeas aliis, qui non acceperunt, & de quibus dubitas, an eorum ſit res, ſatisfacere. Sicut ſi compareret verus dominus, tenereris illi integram rem reſtituere, etiamſi pretium dediſſes, quia malà fide dediſti. Limita ſuprà dictam doctrinam, ſi à poſſeſſore bonæ fidei acceperis, tunc enim etſi dubius acceperis, at non comparente domino poſt factam diligentiam poteris retinere rem & illa uti, quia ſuccedis loco poſſidentis, à quo accepiſti titulo emptionis vel donationis. Qua ratione emens mancipia ab aſportantibus, etſi dubius emeris, an fuerint furtiva, ac factâ diligentiâ pro inveſtigando verum dominum, illóque non comparente potes illa retinere, quia tunc non eſt poſſeſſio pro libertate mancipii, ſed pro poſſeſſore bonæ fidei, qui illud vendidit & cujus loco ſucceſſiſti.] & Diana citatus ejus mentem ſic interpretatur. [Verùm Caſtrus Palaus *tom.1. diſp.3. punct.3. num.5.* hoc intelligit, quando rationes efficaces ſeu moraliter convincentes adeſſent venditorem vendere rem furtivam: non quando dubiæ ſunt & probabiles, tunc enim deponendum eſt dubium & intelligere alium ritè vendere, quia nemo præſumitur malus, niſi probetur; neque in dubiis delictum commiſiſſe (præſumitur) ex *l. Marito, ff. pro ſocio.*] Sed hæc omnia nec ſibi, nec veritati conſonant aut cohærent: ſingula uberioris doctrinæ gratiâ examinemus.

1454 *Caſtri Palai opinio.*

Quomodò exponatur à Diana?

Ait primò, *Si dubitas, an res ſit furtiva;* & eſſe impoſſibile hujuſcemodi dubium jam oſtendi.

Dubium in hac materia eſt impoſſibile.

Addit, *Teneris dividere:* & non ſolùm etiam admiſſo caſu obligationem negarem, ſed ne quidem talem diviſionem conſulerem. Multa licent Reipublicæ, quæ privatâ authoritate fieri non poſſunt. In pluribus Provinciis bona dubia aut etiam probabilia, ſi neuter in poſſeſſione ſit, publicâ authoritate dividuntur, & tranſeunt in rem judicatam;

1455 *An admittenda ſit diviſio in caſu?*

unde poſt diviſionem jutidicè inſtitutam & exequutioni mandatam, fruſtra novi tituli examinarentur: at hoc, quando aliquis eſt in poſſeſſione, fieri non debet, poſſeſſio enim ſemper præſumitur legitima, quamdiu contrarium non probatur. Si res eſſet in manibus tuis & dubitaret Petrus aut Paulus ad utrum pertineret, ſi privatâ authoritate divideres, & craſtinâ die Paulus rationibus convincentibus ſe ſolùm eſſe verum hæredem perſuaderet, totam deberet habere, & quo jure deberet eſſe mediâ parte heri ſibi datâ contentus, non video. Si ad compromiſſionem confugias, benè confugis, ſed potuit ille non compromittere; nec ad compromiſſionem cogi poteſt; à nemine enim condemnaretur ſi diceret, Volo totam habere ſi mea ſit; ſi non ſit, nequidem mediam. Ergo, ſi eras depoſitarius, à te exigeret. Si Petro dubio domino eſſet tradita non titulo poſſeſſionis, ſed depoſiti, poſſet ſic diſcurrere. Si cras reperiam hanc rem eſſe Pauli, totam illi tradam, ſi hodie illi mediam partem dedero & cras reperero totam ad me pertinere, vix aut ne vix quidem hanc mediam partem recuperabo. Item, Si hodie dedero Paulo mediam partem, & perindie reperiam Antonium eſſe verum dominum illi non potero ſatisfacere. Ergo ſervabo illam apud me tanquam in depoſito, quia quæ hodie non dedero, potero dare cras; quam hodie malè dedero, non potero cras recuperare.

Multa fiunt authoritate publicâ, quæ non poſſunt privatâ.

An aliquis ad compromiſſionem cogi poſſit?

Interdum actiones debêt neceſſariò differri.

1456 *Conſequentia aliqua examinantur.*

Subjungit. *Pro nullo ſtat præſumptio, ac proinde omnes æquale jus habent:* non video rationem inferendi. Si diceret: *Tunc pro omnibus æquè ſtat præſumptio, ac proinde omnes æquale jus habet:* aut fortè, *Pro nullo ſtat præſumptio, ac proinde nullus jus habet*, quidquid eſſet de veritate antecedentis, conſequentia videretur legitima. Sed ſi antecedens examines præſumptio debet eſſe pro poſſeſſore, quamdiu non convincatur contrarium.

1457 *Qui emit à fure, non tenetur vero domino reſtituere: ſed ſatisfacit, ſi reddat venditori, & ſuas pecunias recuperet.*

Et inferiùs. *Si compareret verus dominus, teneteris illi integram reſtituere, etiamſi pretium dediſſes, quia malâ fide dediſti.* Si malâ fide dediſſe pretium ſupponatur, non jam dubius, ſed injuſtus poſſeſſor eſt: ut enim eſſet poſſeſſor dubius, deberet eſſe dubiæ fidei. Præterea, quòd poſſeſſor malæ fidei teneatur integram reſtituere vero domino, ſi compareat, ſuas patitur limitationes. Sufficeret enim ponere in manibus illius à quo emerat, ſi inde poſſet pretium quod dederat, recipere: & ſi res in manibus furis fuiſſet peritura, & tamen ipſe conſervavit, profuit vero domino eam emendo, & debet aliquid habere, nemo enim tenetur aliis ſervire gratis. Sed de his iterum agemus inferiùs.

1458 *Nota id benè*

Admittit poſtmodum poſſe quempiam eſſe dubium emptorem erga venditorem bonæ fidei, quod abſolutè falſum eſt: quia ſi caret rationibus gravibus judex temerarius eſt, ſi dubitet: ſi habet graves aut convincentes, non jam habebit dubium ſed probabilitatem certitudinémve.

Quæſtiones circa ſervorum venditionem.

In ſervorum venditione duo dubia movere quis poſſet; nimirum, an eſſent liberi? &, an eſſent furtivi, & ad alium quam ad venditorem pertineant? nam ſæpè Mercatores & Excurſores militares homines liberos intercipiunt & vendunt: ſæpè ſervos furantur: & ideò utrumque poterit prudenter in conſiderationem venire: cæterùm in neutra quæſtioni dubio (niſi vocibus ludamus) eſt locus. Primò enim venditio publica ſemper præſumitur legitima, & gubernatores non permiſſuri vendi liberos nomine mancipiorum. Secundò non videtur verioſimile, quòd ſervus unius velit vendi ab altero, niſi fortè dicatur eſſe tam parvus ut nequidem arbitrii libertatem habeat: & tunc etiam venditor præſumendus veniret bonus, quouſque probaretur malus.

1459 *Diana ita Caſtrum exponit, ut Dubii nomine Certitudinẽ intellexiſſe dicatur.*

Sed apud Dianam dicitur Caſtrus Palaus (verba formalia legiſtis, modò attendite) agere de illo dubio quod eſſet, quando rationes efficaces ſeu moraliter convincentes adeſſent: non verò quando dubiæ ſunt & probabiles: & ego tale dubium non intelligo: rationes enim efficaces & moraliter convincentes non jam dubium ſed certitudinem generant: adeóque qui haberet rationes moraliter convincentes, quibus crederet venditorem rem furtivam vendere, non eſſet emptor dubiæ fidei, ſed malæ.

1460 *Vbi rationes dubiæ non ſunt, dubium non eſt.*

Prætereà illud *Non quando dubiæ ſunt & probabiles*, eſt verè lepidum. Nam ſi Palaus non agat de dubio quod eſt quando rationes ſunt dubiæ, agit de dubio quod eſt, quando nullum eſt dubium: ubi enim rationes dubiæ non ſunt, dubium poſitivum non eſt; & ipſe non agit de negativo, agit enim de dubio quod non ſolùm in ratione qualicumque, ſed in convincente fundatur.

1461 *Palaus loquitur malè.*

Ergo vides, quòd Caſtrus Palaus, cùm rationes moraliter convincentes requirat, dubias proſcribat, malè loquatur, certitudinem cum dubio confundendo, & tamen neque admiſſo barbariſmo poſſe ejus ſententiam ſtare: nam ubi dantur rationes moraliter convincentes, non media pars, ſed res integra reſtitui debet: vel doceat nos, an in moralibus ſit aliud habere certitudinem, quàm habere rationes moraliter convincentes? Qui his non obſtantibus adhuc rem aut recipit aut retinet, poſſeſſor malæ fidei omninò eſt, & quid facere debeat, ſubjungam.

& malè diſcurrit.

Ad quid teneatur malæ fidei poſſeſſor?

1462 *Primarius?*

Dico primò. *Poſſeſſorem malæ fidei primarium* (hoc nomine intelligitur, qui injuſtè rem accepit à juſto legitimóque poſſeſſore) *debere rem reſtituere legitimo domino:* & hoc cum omnibus Doctoribus; eſt enim juris Regula IV. non remitti peccatum, ni reddatur ablatum, ſi poſſit.

Secundarius.

Dico ſecundò. *Poſſeſſorem malæ fidei ſecundarium* (hoc nomine intelligitur, qui quomodocumque recepit ab eo quem ſciebat certò eſſe malæ fidei poſſeſſorem) *non poteſt rem retinere; non tamen ſemper tenetur illam reddere legitimo domino, ſed plerumque ſatisfaciet illam reponendo in manibus alterius, à quo acceperat.* Et oſtenditur. Nam, ſi pretio illam habuit, poteſt venditori illam reddere & ſuam pecuniam redimere; &, ſi hoc faciat non erit injurius legitimo domino, cujus rem relinquit in eodem ſtatu in quo erat anteà. Si accepit gratis, aliquid debebit etiam gratis reddere (gratiæ ipſæ non dantur, ſed pro gratiis venduntur; unde ingratus dicitur, qui recipit & non rependit) ergo ſi reſtituat legitimo

Gratia inter homines non fiunt gratis.

Quando rei furtivæ Emptor legitimo domino reſtituere teneatur?

gitimo domino, non ſervabitur indemnis, ſed debebit aliquid etiam dare donatori: tunc tamen teneretur legitimo domino reſtituere, quando ipſe vellet eum ſervare indemnem; ſervaret, ſi vel daret emptionis pretium, aut valorem gratiæ, quam ſecundarius poſſeſſor primario repoſiturus eſt. Sanè quòd poſſit ſecundarius iſte malæ fidei poſſeſſor rem in manus primarii, à quo illam acceperat, conſignare, clariſſimè oſtendo; quia reddendo non facit novum contractum, ſed priorem utpote invalidum & ſolâ privatâ authoritate contra legum tenorem violenter ſubſiſtentem reſcindit; adeóque non malè neque malum facit, ſed ceſſat à malo quod faciebat; & violentiæ, quam legibus inferebat ratificando invalidum contractum, finem imponit.

Quando poſſit venditori, aut donatori reddere?

Quando emere à fure liceat?

Dico tertiò. *A poſſeſſore malæ, aut dubiæ fidei, ſi hic daretur, potes rem furtivam ſi vili pretio vendat, emere, ut reſtituas ſuo domino, recepturus ab ipſo illud pretium.* Eſt communis Doctorum ſententia: & ratio aſſerendi eſt quia emendo ſic, prodes proximo ſpoliato, qui ſupponitur non poſſe aliter nec minoribus expenſis rem perditam recuperare.

Monitum Politicum.

Cæterùm ſuaderem, ut tali modo emptutus benè ſuo honori & pecuniæ proſpiceret, & erga amicos fide dignos mentem ſuam explicaret, ne pati malevolorum obloquia contingeret: ipſe enim dominus jus habet reſumendi rem ſuam ubicumque reperiat; & poſſet contingere, quòd talis eſſet, ut emptorem tametſi pium de furto argueret, ne teneretur pretium aut expenſas refundere.

QVÆSTIO XII.

1463 *De dubia efficacia conſilii. An ſit poſſibilis?*

AN *conſulens homicidium, furtum, aut quidpiam ſimile; dubitans tamen an ex tali conſilio motus alter fuerit ad faciendum, teneatur ad reſtitutionem?* Et reſpondeo nos agere de vero dubio, adeóque negare caſus poſſibilitatem: in tali enim caſu dubio negativo non eſt locus; quia datur ratio præſumendi affirmativam partem, & dubium negativum omnem rationem excludit. Et poſitivum non poterit admitti, quia id naſcitur ex motivo levi, & conſilium eſt res gravis, & graviter ſolet influere in humanas actiones: ſupereſt ergo quod detur probabilitas aut certitudo moralis. Poſitâ certitudine teneri ad reſtitutionem affirmant univerſi Doctores. Sed inquiritur quid faciendum poſitâ probabilitate? Reſpondeo

De dubio poſitivo & negativo.

1464 *Conſilium certò efficax, quando?*

Primò. *Si Petrus non volebat Paulum occidere, & tamen te conſulente occidit, moraliter certum eſt conſilium tuum illum prædeterminaſſe.* Ergo, quia tu cooperatus es in illud homicidium, aut fortè fuiſti primum mobile, teneris ad reſtitutionem.

Probabiliter efficax, quando?

Secundò. *Si Petrus volebat Paulum occidere, & tamen illum animaſti, ni adſint novæ rationes in contrarium, certum eſt illud conſilium in homicidium influxiſſe.* Hæc certitudo, non fundat dubium, quia in ratione forti fundatur. Nam ſæpè voluntas remiſſa mutatur ubi intenſa non ſolet; ergo probabile eſt quod illa voluntas tametſi eſſet mutanda, animata hoc conſilio confirmaretur, & homicidium perpetraret. Et quidem ſic diſcurrimus, nam ex Iuris Regula VI. debemus inſpicere in obſcuris, quod eſt veroſimilius, & monemur eſſe veroſimilius quod pluries evenire ſolet. Præterea, etſi certò ſciretur mutandam non fuiſſe, adhuc poſſet ſtare reſolutio, poſſunt enim dari duo motiva totalia, ut clarè conſpicitur in vitæ tutela; illam enim propter Deum & propter nos defendimus; eámque defenderemus, tametſi ſolus ipſe præciperet, eamdem propter nos defenſuri etiam ſi homicidia eſſent actus indifferentes. Poſito ergo conſilio, neceſſariò influxus debet concedi, ni impedimentum probetur. Si hoc probetur leviter, erit certum conſilium in homicidium influxiſſe; ſi hoc (nempe impedimentum) probetur rationibus gravibus, non verò moraliter convincentibus, erit ille influxus probabilis: ſi hoc probetur moraliter convincentibus, erit ille improbabilis: dubius nunquam.

An dentur cauſæ aut motiva totalia?

Quomodo ſciri poterit, an conſilium fuerit inefficax?

Tertiò. *Quotieſcumque non eſt evidens aut certum moraliter, quòd conſilium in homicidium influxerit, excuſabitur conſulens à reſtitutione.* Suadetur. Quia nemo tenetur reſtituere antequam certò ſciat ſe debere.

Quando dans conſilium malum teneatur ad reſtitutionem?

QVÆSTIO XIII.

1465 *An poſſibilis ſit dubia ſolutio?*

AN *debitor, ſi certus ſit de debito, & dubius de ſolutione, teneatur ſolvere creditori petenti?* Reſpondeo caſum eſſe impoſſibilem. Videatur Corollarium XXX.

QVÆSTIO XIV.

Conſulitur eſt non ingredi in Religionem, quàm ingredi cum animo non perſeverandi.

AN *qui dubitat, an ſolùm promiſerit ingredi Religionem, an etiam profiteri, teneatur profiteri, an ſufficiat ſolummodò ingredi?* Mihi caſus eſt omninò impoſſibilis; nam Commentarii mei in Regulam Benedictinam *numero* 460. aſſerui melius eſſe non ingredi Religionem, quàm ingredi cum egrediendi animo: nemo enim vir prudens alicui honeſtæ converſationis juveni conſuleret, ut ſollicitaret habitum apud Ciſtercienſes, verbi gratiâ, & adeptum poſt hebdomadam aut menſem dimitteret. Nam ſi jacturas authoritatis parvi pendas (ſæpè honoris cura conſcientias obligat) dicas an cum animo egrediendi auderes ſollicitare habitum alicujus Religionis quin te multis mendaciis neceſſariò implicares: & ego non credam te poſſe voto obſtringi ad actum, in quo neceſſariò mentiturus es.

Nemo ex vi voti tenetur ad id quod non promiſit.

Si caſus ſit poſſibilis, adhuc ſtandum eſſet pro libertate, dicendúmque ex vi voti ad ſolum ingreſſum, non verò ad ſtabilitatem teneri. Ita Diana *part. 4. tractat. 3. reſolut. 36.* & Sanchez apud ipſum, ex quorum doctrina hanc univerſalem poſitionem collige in omni dubio ſtandum eſſe pro poſſeſſione, quæ erat ante illud; adeóque ſi quis hæreat & ambigat, an ſe obligarit ad unam vel ad duas res, cenſendum eſſe ad unum tantùm obligatum.

Generalis doctrina.

Probatur impossibilitas casus.

Porrò casum esse impossibilem dixi, nunc probo: nam, qui vovit, vel vovit ex devotione, vel ex causa politica: si primum, ergo voluit Deo placere per votum: ergo emittere votum de meliori bono: ergo vovit ingressum cum perseverantia, quia ingressus sine perseverantia, non solùm minùs bonus, sed malus est. Ergo in tali casu promisisse illum perseverantiam certum est. Si vovit ob rationes politicas, si illis satisfiat per solum ingressum, hunc tantùm vovisse etiam est certum: at non puto posse dari aliquas, quæ solo sint ingressu contentæ, & perseverantiam non postulent.

QVÆSTIO XV.

1466 *An dubium circa justitiã tributorum possint succurrere?*

AN subditus dubitans de justitia tributi, teneatur illud solvere? Affirmant Lessius & Malderus; negant Villalobos, Castrus, Aragon, Ludovicus Carbo, Molina, Cajetanus, Angelus, Sylvester, Gabriel, Medina, Filliucius, Ioannes de la Cruz, & multi alii. At ego stando meis principiis non admitto casum esse possibilem: & impossibilitatem ostendo; quia tributa, seu nova seu antiqua sint, non imponuntur leviter, sed cum consideratione & magna deliberatione. Primò, in pluribus regnis non possunt illa poni extra generalia Comitia; imò in Bohemia, Austria, & aliquibus Hispaniæ regnis non ponuntur à Rege, sed ab ipsis Comitiis; ergo, si Populus legem fert, & acceptat, cui fit injuria? Stat igitur tributa, sic imposita esse certò justa. Ergo in hoc casu; dubium est impossibile. Vbi tributa ponit Princeps, non procedit sine illustrium virorum consilio. In Senatu sunt semper aut aliqui aut omnes Viri probi & docti: hi utuntur doctis Confessariis, & ubi ratio & negotii gravitas postulat, etiam Theologos & Canonistas consulunt, & consideratâ necessitate publicâ, secundùm Deum, ut populus gravetur consentiunt. Si qui Deum non curare dicantur (sed qui erunt illi?) turbationem populi timere debent: &, ne detur rebellioni occasio, in augendis tributis pede tardo procedere. Tributa igitur etiam tunc, si populus tacet, est saltem probabile, ne dicam probabilius esse justa: ergo nulli dubio locus, illud enim cum probabilitate non consistit. Positâ igitur tributorum justitiâ moraliter certò, opus est tributa solvere; at positâ probabiliter, non est opus, quia probabilia neminem cogunt involuntarium, nisi fortè lege acceptâ teneantur in tali Republica obedire Senatui etiam in materia probabili.

An tributa ponantur à Principe, an à populo?

Tributa certò justa.

Probabiliter justa.

An ad tributorum solutionem populus teneatur in conscientia?

Positâ lege certò justa de solvendis tributis, non statim dicendum est illam obligare conscientias: nam licet Principes in hac materia leges morales possint ferre, interdum merè pœnales ferunt, & interdum, quidquid sit de Principis mente, populus legem latam quà moralem rejicit, quà pœnalem acceptat, & lex non acceptata non obligat. Omnia hæc debent à Theologo considerari, antequam ad solutionem tributorum aliquem in foro conscientiæ condemnet.

QVÆSTIO XVI.

1467 *An sit possibilis lis dubia?*

QVid judex debeat aut possit facere in lite civili dubia? Respondeo casum esse impossibilem, si detur bonæ fidei possessor; nam in tali casu gravis authoritas stat pro possidente: debet igitur hunc in sua possessione conservare. At si neuter possideat, & certum sit ad alterum rem pertinere, & nequeat sciri ad utrum de facto pertineat, suadet æquitas & usus, ut pro qualitate dubii dividatur, si res divisibilis sit; & forte conferatur, si sit indivisibilis: sic Ledesma, Sanchez, & alii: sed videre desidero casum in quo certum sit equum, verbi gratia, vel domum ad unum è duobus pertinere, & dubium ad utrum pertineat: nam ut puto ex prima certitudine rationes aliquæ graves deduci poterunt, quæ ad probabilitatem perveniant. Si non jam dubium, sed æqualis probabilitas sit, potest judex rem adjudicare cui mavult. Et sic intelligendus videtur Ledesma *de matrimonio quæst.45. art.1. dub.2. ad 3. prim.sent.* cùm dicit quod ex duobus æquè dignis petentibus beneficium potest Episcopus (putà, si probabile dictamen formaverit) eligere, quem velit: & si sic exponatur, non est cur à Sanchez & Salas impugnetur. In casu inæqualis probabilitatis stando juri naturæ, nec officia debent dari iis qui probabiliùs sint digni, neque dignioribus; at positivæ hominum leges possunt de his omnibus pro prudentia disponere, & si ferantur acceptentúrque, debebunt absolutè observari.

Quando res debant dividi?

Quid possit Iudex, quid Episcopus in materia probabili?

QVÆSTIO XVII.

1468 *An detur dispensatio dubia?*

AN dubitans, utrum dispensatio obtenta, sit valida, possit ea uti? Nego casum, si illa nec subreptitia sit, nec per dubia verba concessa. Si verba ambigua sint, commodè, benignè tamen, interpretanda, & quæcumque expositio, quæ probabiliter asseri possit; si benigna, admittetur. Si subreptitia, subjacebit severiori examini; nam error aut fraus in circumstantia accidentali valorem dispensationis non immutat. Sed posset quis ambigere, an talis circumstantia essentialis dicenda sit aut accidentalis: & tunc etiam benignè procedendum assererem cum Sanctarello *Variar.resol.tom.1. quæst.59. num.5.* Diana *part.4. tract.3.resol.45.* Tota igitur difficultas est, An ille qui bonâ fide causas ob quas petebat dispensationem expandit, illámque obtinuit, possit de ipsamet dispensatione dubitare. Respondeo petitionem ipsam bonâ fide subnixam, concessionem ipsam à viro prudenti emanantem, esse motiva gravia ad hoc, ut quis prudenter in partem faventem inclinet: ubi ergo ratio gravis supponitur, dubium non datur.

Si fraus in circumstantia essentiali commissa dispensatio est invalida.

QVÆSTIO XVIII.

1469 *Quando lex aut impedimentum eſt dubium, non indigere diſpenſatione certum eſt.*

AN quando dubitatur, utrùm caſus indigeat diſpenſatione, poſſit Epiſcopus in lege Pontificis, judex inferior in Superioris lege diſpenſare? Reſpondeo negando caſum. Quia diſpenſatio peteretur, aut propter inhibitionem, aut impedimentum dubium. Atqui quando dubium eſt an detur lex inhibens hunc actum, vel aliquod impedimentum apponens, non dubitatur an caſus indigeat diſpenſatione: ergo caſus, qui præponitur, eſt impoſſibilis. Minorem probo. Quia in tali caſu certum eſt diſpenſationem non requiri: non igitur eſt dubium an illa requiratur. Probatur antecedens. Quia certum eſt in omni dubio ſtandum pro poſſeſſione, quæ erat ante illud: ergo cùm actus & operans ſint in ſuæ libertatis poſſeſſione, nec ille eſt credendus inhibitus, nec iſte lege obſtrictus quamdiu clariſſimè non conſtet. Diana *parte* 4. *tract.* 3. *reſol.* 46. Caſtrus Palaus, Layman, Emmanuël Sà; Barboſa, & alii tametſi poſſibilitatem dubii admittant, diſpenſationem non eſſe neceſſariam exiſtimant. Idem ego ſenſi, ſed ut puto veriùs & faciliùs.

N. B.

QVÆSTIO XIX.

1470 *An in litibus ſit materia dubia?*

AN Advocatus poſſit patrocinari contra reum, ſi cauſa ſit dubia? Aliqui diſtinguunt inter materiam criminalem, civilémque: alii negant, alii affirmant: & ego re benè conſideratâ propoſitum caſum non admitto. Actor, qui dignus audiri gravis authoritatis eſt, & dubium tollit, probabilitatem inducit. Et reus, cauſa ſit criminalis civilis, eſt in ſuæ innocentiæ, & ſuorum bonorum poſſeſſione, quæ omni probabilitate potentior. Ergo ex utraque parte, antequam rationes producantur & teſtes examinentur, ſunt fundamenta probabilia, quæ debent rationibus, teſtibus, & inſtrumentis elidi.

Quando Advocatus poſſit cauſa incertæ patrocinium ſuſcipere?

Sed eſto caſus ſit poſſibilis; & in hoc caſu ſic diſcurro. *Primò*, Si Advocatus videt rem non poſſe convinci, poſſe tamen probari ſemiplenè, poteſt actoris patrocinium ſumere: utiliter enim in Republica expediuntur cauſæ ſemiplenè probatæ.

Secundò, Si videat non adeſſe materiam ne quidem ſemiplenæ probationi ſufficientem, & vigeat in illa Republica Talionis pœna, injuſtè actionem conſulet, inceptæ tamen poterit patrocinari.

Tertiò, Si actor, velit nolit Advocatus, accuſare vult, vel jam de facto accuſavit, tametſi nullum jus videatur habere, poteſt illi Advocatus patrocinari; nimirùm, quantùm per Leges liceat: examinando benè teſtes, eorum reſponſa conferendo & notando. Sæpè enim contingit cauſas benè fundatas malè cadere, & ſæpè malè fundatas benè ſuccedere: ingenia hominum varia, dies craſtina doctior hodiernâ, & modò nihil contra jura fiat, aut in terminorum prolongatione, aut in teſtium examine, aut in expenſarum conſignatione, non apparet quare debeat Advocatus prudens accuſatorem temeratium deſerere, cur non poſſit illi favere quantum per leges liceat: in tali tamen caſu actor ad expenſas eſt damnandus, ſi cadat.

N. B. *Sæpè cauſa benè incepta, malè cadunt, & malè inceptæ, benè: & cur?*

QVÆSTIO XX.

1471 *Poſſitne darè profeſſionis dubia ratificatio?*

AN dubitans, utrùm ante quinquennium ratificaverit profeſſionem invalidè emiſſam, maneat obligatus. Reſpondeo caſum eſſe ab omni poſſibilitate alienum. Ratificatio enim ſolennis ante quinquennium fieri non poteſt. Matrimonio comparatur profeſſio, & quia eſt contractus non poteſt ab una parte fieri, alterâ nolente, aut non volente: nam ut utraque poſitivè velit requiritur. Ergo cùm alter certò ſcit matrimonium fuiſſe invalidum, ceſſante impedimento ſolus non poterit inire matrimonii contractum. Ergo communitas, ſi certò ſciat profeſſionem Franciſci fuiſſe invalidam, ceſſante impedimento ipſa ſola non poterit inire validæ profeſſionis contractum. Ergo & Franciſcus, ſi ſolus ſciat ſuam profeſſionem fuiſſe invalidam, ceſſante impedimento, ipſe ſolus non poterit inire profeſſionis contractum. Matrimonialis igitur contractus non debet fieri ab altero, ſed ab utroque: ergo & profeſſio ſolennis ſimiliter ab altero fieri non poteſt.

Profeſſio eſt matrimonium virtuale.

Ab uno non initur contractus, ſed à duobus.

Quando conſenſus dicatur virtualiter perſeverare?

Sanè naſcerentur graviſſimæ difficultates, niſi hanc viam inirent Doctores, quæ ſuadet, partem impedimenti neſciam in conſenſu priori virtualiter perſeverare, adeòque addito conſenſu alterius partis convalidari contractum (matrimonium, Profeſſionem) quia tunc datur mutuus conſenſus. Ita P. Acacius March. de Velaſco. *verb.* Matrimonio, *reſolutione* 218. *num.* 5. ubi citat Navarrum, Sylveſtrum, Sanchez, Henriquez, Villalobos, & alios. Nota præcipuè hæc verba: *Tambien ſe á de advertir, que no es neceſſario declarar á la otra parte, que no valió el matrimonio; porque baſta quel conſienta interiormente el que conſintió fingidamente, aunque paſſe mucho tiempo, porque ſiempre el conſentimunto del otro queda virtualmente.* Ergo & Communitas in conſenſu priori virtualiter perſeverat, ergo ſi Franciſcus conſenſum, ſi priùs legitimè non poſuit, expreſsè adhibeat, manebit legitimè profeſſus. Sed ſi non adhibeat expreſsè, ſed tantummodò in communitate permaneat, non cenſebitur ante quinquennium eſſe verè profeſſus.

Adluxit Merollæ hæc veritas, & illam expoſuit ex parte *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 3. *num.* 28; multa pulchra ibi; ſed, quia etiam aliqua doctè ex aliis fundamentis ſupponit, non tam præmitto, quàm interlego.

Profeſſio eſt ſolemnis contractus. Quæ requiruntur ut ſit validâ?

Dico *primò*, profeſſionem eſſe contractum ſolennem & requirere ſuas ſolennitates; quas, ſi ſuſtuleris, illam tolles. Poſt annos ſedecim completos, poſt probationis annum, alicubi poſt binos, nonnullibi poſt informationes & examen morum & etiam honeſtatis & nobilitatis. Apud Hiſpanos Ciſtercienſes ipſæmet informationes creditæ neceſſariæ. Requiritur etiam libera profitentis voluntas, phyſica aut moralis Abbatis præſentia, Communitatis conſenſus, & ſimilia. Vt igitur rem

clarè videamus, producamus unum Religiosum anno decimo-quinto ætatis profitentem; omnia enim impedimenta sunt analoga, & analogicè philosophabimur. Tunc quidem profitetur invalidè: ratam habet sæpè illo anno professionem, & tamen non reddet illam validam, quia ætatis impedimentum perseverat. Sexto-decimo anno ætatis completo cessat hoc inconveniens, at neque tunc reddet validam suam professionem, tametsi in Monasterio permaneat, nisi illam expressè ratificet. Si hoc faciat, nam Communitas in priori consensu virtualiter perseverat, erit mutuus consensus, & professio erit valida. Si tamen nec consensum nec dissensum novum exhibeat, posset dici in priori consensu virtualiter perseverare, at hunc virtualem consensum Ecclesia acceptare non vult ante finem quinquennii à Concilio ad ratificationem concessi, nam ut benè notavit Merolla *ante quinquennii finem non præsumit Ius Canonicum* (hoc est Ecclesia) *ratificationem professionis*, Consonat Antonius Cotonius in Dianæ Summa verb. Professio. num. 3. qui sic inquit: *In dubio autem, an Religiosus suam professionem ratificaverit, infra quinquennium præsumitur non ratificasse, post quinquennium ratificasse: quia Tridentinum* cap. 19. *infra quinquennium permittit talem audiri, & non post.* Quam ob rem, si ratihabitionem Ecclesia non præsumit, non acceptat; & si non acceptat, non reddit solenniter validam. Si elabi quinquennium permittat & non reclamet, ipsum non reclamare est ratam habere priorem professionem, & Ius ratihabitionem acceptando solennem reddit, ni perseveret aliud impedimentum essentiale; putà si ipse positivè velit non profiteri, aut informationes essentialiter necessariæ sint, & nedum factæ. Reclamare in foro exteriori non permittitur quinquennio elapso, ni probet habuisse non reclamandi causas.

De ratificatione Professionis invalidæ.

1472 *An religiosus, qui professionem suæ esse invalidæ probare incepit, esse possit utilis communitati?*

A paucis annis consultus de professione in judicis sententia dubia, resolvi pro Religiosi libertate standum. Erat timoratæ aut potiùs timidæ conscientiæ judex ille; & quia timebat, ne injuriam Communitati faceret illum liberum declarando, subjunxi, talium Religiosorum discessum esse Monasteriis utilissimum, nocivam stabilitatem. Bonus sit, sanctus sit; voluit discedere, voluit deficere; hoc sufficit ut omnes illum torvo vultu respiciant, ut ipse convivat aliis ægro animo. Quæ ab invitis fiunt, nunquam benè; nec ideò infœlix Communitas, quod invitis careat. Dixi & animum sedavi hominis pii, & involuntarium liberando, profui, ut opinor, illi & Communitati.

QVÆSTIO XXI.

1473 *An Ecclesia præcepta pueros obligent ante septimũ annum?*

AN in dubio accelerationis usus rationis, præsumendum sit puerum peccavisse mortaliter, si ante septimum ætatis annum, aut Missam omiserit die festo, aut die Veneris comederit carnes. At non admitto casum, quia supponit falsum, nimirum præcepta positiva Ecclesiæ omnes pueros doli capaces obligare. Placet ingenium Ioannis Sanchez & præcipuè *in Select. disp. 51. num. 31.* ubi sic. *Quamvis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positivo obligari reor, cùm leges positivi juris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare, & per accidens in uno vel alio puero rationis usum accelerari in quo* [nota hoc benè] *absque discordia puto consentire Doctores, nam ad ea, quæ frequenter accidunt, leges aptantur.* sumpsit Resolutionem hanc Sanchez ex Regula VL. Adjungerem Castrum Palaum & alios, sed cur concordi Doctorum sententiæ? Hic ego. Quando certò scitur puerum sexennem habere usum rationis, etiam tunc asseritur eum non teneri jure positivo Ecclesiastico, adeóque nec debere audire Missam nec abstinere à carnibus, cùm Ecclesia has prohibet, illam indicit: ergo à fortiori etiam in dubio. Hinc inferas adolescentes ante vigesimum-primum ætatis annum, senes post sexagesimum Ecclesiasticis jejuniis non obstringi, tametsi fortes & robusti videantur, & hoc ob eamdem causam; quia Ecclesiasticæ leges sese communi rerum ordini accommodant, tametsi causæ in uno vel altero per accidens deesse contingat.

Jejunandi obligatio, quo anno incipiat, quo desinat?

QVÆSTIO XXII.

1474 *AN dubitans, utrùm Pater sit in gravi necessitate, ingredi in Religionem possit?* Non video casus possibilitatem. Nam ipse in domo paterna educatus vidit propriis oculis substantiæ quantitatem, & formavit judicium, quod manere debet, si novæ instructiones non accidant: ergo dubio negativo non est locus. Sed neque positivo, quia dictamen illud certum quod est in possessione verbis levibus & nullius authoritatis proscribi non potest; & ubi prudentia operatur, dubia exulant. Igitur, ut filius inquirere debeat & sollicitus sit, debet ut minimum habere rationes probabiles & spem certam sciendi veritatem. Igitur me duce sic resolve.

Primò. *Quando quis certò scit Patrem suum esse in gravi necessitate, debet illi succurrere, nec potest Religionem ingrediendo se illi negare.* Consultò *in gravi* dico; non enim filius tenetur solùm in extrema, sed etiam in gravi; nam in extrema quicumque Ethnicus & Mahometanus teneretur.

In extrema necessitate omnes tenentur, in gravi filius patri.

Secundò. *Quando probabiliter scit, debet inquirere, & si post examen non affulgeat spes sciendi veritatem* (etiam hic casus erit impossibilis, quomodo enim patebit aditus inferendis suppetiis, si non datur epistolis?) *poterit uti sua libertate & facere quod velit.* Ita Diana *part. 4. tract. 3. resol. 57.* ubi Bartholomæum à Vecchis & Sanchezium allegat.

Quid fieri debeat in necessitate probabili.

Et nota hìc obiter, discolos Religiosos, ut liberè extra Monasterium vivant, necessitatem & egestatem suorum parentum proponere, & licentiam urgere aut extorquere. Sed cur hæc concedenda? An non vel minimum Monasterium multos pauperes alit? cur non etiam inter illos alicujus Religiosi patrem? Hanc viam semper inivi, quamdiu fui Abbas.

An debeat permitti, ut Professus egrediatur ex Monasterio, ut alat patrem?

QVÆSTIO XXIII.

1475 *Homo præſumitur bonus, niſi probetur eſſe malus.*

AN Pharmacopola, cùm dubitat, an emptor abuſurus ſit, poſſit venena vendere? Reſpondeo non eſſe poſſibilem caſum, qui ponitur. Nam vel dantur rationes dubitandi, vel non; & ſi dantur, leves vel graves. Quicumque ſine ratione aut ſine gravi ſuſpicatur contra proximi innocentiam, temerarius eſt judex: emptor autem innocens erat, & debet præſumi innocens & in ſua innocentia manuteneri, quouſque probetur reus. Si dentur graves rationes, non tamen convincentes, erit probabilitas, & ſtando juri naturæ non ſcio cur non poſſet in tali caſu ſua venena vendere aut non vendere; probabilia enim electioni liberæ relinquuntur: at ſtando juri humano omnes Reſpublicæ benè gubernatæ cavent tales venditiones emptionéſque, & quando ſervus veneno ſuum dominum abſtulit, ſtatim unde habuerit, inquiritur; unde illa ipſa, quibus contra mures & ſordidas alias beſtiolas utimur, ſemper Pharmacopæi cautè & providè vendunt, nec dabunt perſonæ non notæ. Hinc patet, quî debeas de aliis rebus minùs periculoſis philoſophari.

Iubent leges, ut Pharmacopæi venena vendant cautè.

QVÆSTIO XXIV.

1476 *Nemo in dubio tenetur ad reſtitutionem.*

AN qui dubitat, utrùm ſuffragium ſuum concluſerit rem injuſtam, teneatur ad reſtitutionem. Caſum admittit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 63. & citans pro ſe Gordonum & Rebellium, reſpondet negativè: illum etiam admittit Navarra, & affirmativè reſpondet. Sanè, ſi caſum admitterem, putarem me errare, ſi à Dianæ opinione recederem: nam cùm ille ſit in poſſeſſione ſuarum pecuniarum, non debet reſtituere quouſque obligatio ſit clarior luce meridianâ. At mihi caſus ille impoſſibilis eſt. Non ſubmergit navim ultimum arenæ granum, non inebriat hominem hauſtus ultimus, non terit vires cura extrema, ſed omnes ſimul. Si quis condemnatur, non eum ille condemnat, qui ultimum ſuffragium tulit, ſed omnes ſimul, qui tulerunt: accidit enim iniquitati quod ſuffragium ſit primum vel ultimum: adeóque in hac materia ſic diſcurro.

Omnia ſuffragia ſimul rem concludunt.

Compromiſſio in pluriùs ſuffragia.

Primò. *Omnes judices ſimul compromittunt in plurimum ſuffragia.* Hinc eſt, quod omnes abſolvant, omnes condemnent eum, quem plures abſolvendum aut condemnandum declarant. Videar in Commentar. in Regulam Benedict. *num.* 493.

Secundò. *Qui ſuffragium non dedit contra innocentem, ab omni reſtitutione liber eſt.* Patet, quia ipſe non videtur cooperatus: nam illa compromiſſio nec caſum iſtum tangit, nec fit nomine ipſorum proprio, ſed Reipublicæ.

Ad quid teneatur, qui condemnavit innocentem?

Tertiò. *Qui dedit contra innocentem putans ſincerè coram Deo ſe benè facere, non tenetur ad reſtitutionem.* Patet, quia illa actio eſt bona, laudabilis & præmio digna; & reſtitutio non præmium, ſed pœna eſt.

Quartò. *Qui ex malevolentia vocem ſuam contra innocentem dedit, qui ex plurium vocibus, libertate donatus eſt, non tenetur ad reſtitutionem:* quia tametſi nocere voluerit, non nocuit; & qui occidere aut furari voluit, ad reſtitutionem non cogitur.

Quintò. *Qui ex malevolentia vocem ſuam contra innocentem dedit, qui condemnatus eſt, tenetur ad reſtitutionem, ſive ſua vox fuerit publica ſive ſecreta, prima ſive ultima, ſubſtantialis ſive accidentalis.* Ratio eſt, quia omnes ſimul illum condemnaverunt; omnes ſimul occiderunt, aut omnes ſimul expoliarunt.

QVÆSTIO XXV.

1477 *De ætate dubia.*

AN contractus factus ab eo, quem minorem eſſe dubitamus, ſit validus?

Inter Areſta Toloſana quæ Gerardus Maynardus congeſſit, pertinent ad hanc difficultatem Deciſiones XLV. & XLVI. libr. 3. in illa minor, quia ætatem in dubium vocaverat, obtinuit 26. Ianuarii 1575. ut quantitas debita conſignari deberet. In hoc reſolutum quod pendente causâ reſtitutionis in integrum, omnia in ſuo ſtatu permanere deberent, ibidémque Rebuffus, quod contrarium videretur aſſerere, deceptus dicitur. Sanè quæſtionis reſolutio ex noſtris principiis clara & facilis. Contractus publicus magnæ authoritatis argumentum eſt, adeóque puto primò, ſi ante contractum dubitetur de ætate minoris, ſtandum potiùs pro minori, quàm pro majori ætate; quia cùm priùs fuerit minor quàm major, non eſt aſſerendus ætatem minorem exceſſiſſe, quamdiu non conſtet, ſtat enim in poſſeſſione ætas minor. Puto ſecundò poſt initum contractum bonâ fide, ſi is, ut validus ſit ætatem majorem requirat, non eſſe locum vero dubio, datur enim motivum fortè (nimirum ipſe contractus, ex quo oriri poteſt probabilitas vel fortè certitudo moralis, ſi contra illud motivum nullæ rationes fortes ſuppetant. Quam ob rem, qui contra valorem contractus ætatem debitâ minorem objiciat, hoc debebit probare.

Dubium poteſt moveri ante vel poſt contractum.

IGITVR

1478 *Concluſio.*

STat primaria reſolutio, nempe multos caſus ab Authoribus vocari dubios, in quibus dubium reperiri repugnat, ut plurimum enim aut probabiles aut certi ſunt. Præcipuos eligentes & explicantes viam aperuimus, ut multis dubiis adulterinis imò nugis ſemotis, verum de ſingulis hypotheſibus & caſibus judicium formaremus, præiremúſque ſolidæ veritatis ſtudioſis, ne cum morum detrimento & jactura dubium negativum cum poſitivo, néve alterutrum cum probabilitate confundant.

NOTA I.

1479 *Cur Diſputatio de peccatis dubiis omiſſa ſit?*

SEquebatur hîc in Editione Lovanienſi DISPVTATIO IV. *An peccata dubia, ſint in ſacramentali Confeſſione explicanda?* Eam multùm auximus; & quia erat valdè neceſſaria ad ſedandos ſcrupulos, in Theologia Fundamentali

Fundamentali repoſuimus. Vide *Tomum II. num.* 1322. in Editione Francofurtenſi, & *num.* 1883. in Editione Romana. Ergo, ne bis eadem recudatur, poterit hîc omitti.

NOTA II.

1480 *Cur non uberiùs de Conſcientia Probabili differatur?*

DEberem hîc etiam de probabili conſcientia diſputare: & cur non fecero? Primò, quia dicta in Theologia Fundamentali à numero 435. & in hac Intentionali à num. 1320. videntur omninò ſufficere. Secundò, quia turbavit Scholam Merenda viam ſingularem iniens: contra quem, ut invaſam tutarer Theologiam integrum librum ſcripſi, quem citò habebis, cum prodierit Fundamentalis Theologiæ Decima pars. Nam in prima ago de Fundamentis ſpeculativis & practicis, in ſecunda de Decalogo & Sacramentis, in cæteris Antagoniſtis ſatisfacio: quam ob rem in Tertia Theologiam Intentionalem: in Quarta Præterintentionalem: in Quinta & Sexta Regularem trado: in Septima de Sacramentis phyſicè & moraliter diſſero: in Octava cum Illuſtriſſimo & excellentiſſimo D. Criſpino Borgia de Dialectica diſputo: in Nona Illuſtriſſimum D. Iacobum Boonen Ianſenianæ Hæreſeos acerrimum Propugnatorem impugno, & libros ab ipſo interdictos ratione & Pontificia S. Inquiſitionis Romanæ authoritate defendo: in Decima cum P. Franciſco Bonæ-Spei: cum D. Ianuario & aliis: cum D. Merenda diſſero; eſt enim morum Fundamentum certiſſimum, quod ipſe arietare conatur: debuíque ei reſpondere, ne fortè alicui ſuam ille opinationem, ſi non impugnetur, perſuadeat.

1481 *Quid tractet Author in ſingulis Theologiæ Fundamentalis partibus?*

LIBER

LIBER IV.

DE TABVLIS IPSIS LAPIDEIS,

SEV

DE TEXTV DECALOGI.

1482 *Quid apud Græcos* Λόγος *ſit, & unde* Δεκάλογος *dicatur? Cur Dei naturalia præcepta* Λόγοι *dicantur?*

APVD Græcos, Λόγος eſt *ratio*; unde meritò decem Legis præcepta decem rationes, ſeu Decalogon Scotiſta ſeu Thomiſta dixerit, omnia enim & ſingula ſunt conſona rationi naturali & humano dictamini. Cùm enim apud Thomiſtas Ratio divina ſit legiſlatrix Decalogi, meritò ipſæmet Leges *Rationes* nominari poterunt: & cùm apud Scotiſtas legiſlatrix ſit Divina voluntas, quæ non irrationalis eſt, ſed ſummâ ratione dirigitur, iterum meritò hæ Leges *Rationes* dicuntur, quæ ante præceptum homines philoſophicè poſſint dirigere, & poſt præceptum, ſeu voluntatem Divinam etiam Theologicè obligando ad peccatum conſcientias; videlicet mortale aut veniale ſecundùm gravitatem materiæ. Huc omnia, quæ in toto hoc Tomo diſputata collimant. In ejus Libro I. de Lege Reali diſſeruimus; ſine cujus notitia fruſtrà de Morali diſſeritur, *oportet enim ſicut de Realibus realiter, ſic etiam de moralibus moraliter philoſophari:* in ſecundo verò de Morali. Inter Morales Leges princeps eſt Divina, ſeu Decalogus: hanc ob rem de illa toto capite tertio Libri ſecundi diſſeruimus. An eſſet neceſſaria, an libera? curioſè & ſtudioſè examinantes. Hoc ultimum ſtatuere debuimus, nolumus enim Deum ſubjicere Fato, aut Neceſſitati. Hæc Lex Divina Tabulis inſcribi debuit, ut ad omnium notitiam perveniret; & hanc ob rem addere debuimus Librum tertium, qui eſt de Conſcientia, aut humano Dictamine, illam enim inſcripſit Deus in hominum ſingulorum pectoribus. Sed quia hi interiores characteres non ubique hodie videntur æquè clari, ut ad omnium pervenirent evidentem notitiam, Tabulis lapideis eos inſculpſit (*Exod.* 20. 4.) & ideò nos hoc quarto Libro Textum ipſum Hebraïcum & Verſiones Græcam Latinámque conſiderabimus. Et ipsâ materiâ poſtulante hunc ipſum quartum Librum in tres Sectiones, ſeu Partes dividemus: in prima ipſammet literam Hebraïcam meditabimur: in ſecunda verſionem illam Græcam, quam à ſenioribus LXX. recepiſſe videmur: tandem in tertia Editionem vulgatam. Multa alii fusè, multa diffusè aliqui, multa confusè, dixerint aut ſcripſerint; nos ſingula breviùs & clariùs: Divinam enim Legem expoſituri, non tam ad Thologorum placita, quàm ad ſupernaturales Revelationes, & naturales Rationes recurremus.

Cur priùs de Lege Reali & poſteà de Morali diſſeritur?

Legum Princeps.

An Decalogus ſit lex libera? An Deus obediat Fato? Legis Divinæ Tabulæ interna,

externa.

De Textu Hebraïco.

De verſionibus Græca & Latina.

Methodus procedendi.

PARS I.

Textum Hebræum expendens.

1483 *Hebræorum ante captivitatem lingua. Poſt captivitatem,*

LINGVA, quæ apud Iſraëlitas in uſu, Hebræa olim ante captivitatem fuit; nam poſt Babylonicam tranſmigrationem, dum Hebræam malè retinent, & Chaldæam malè adquirunt, conformaverunt Syram, utrique ſimilem, ab utraque diverſam. Hac Syrâ linguâ loquutus eſt Deiparæ Archangelus: hac Elizabetha, hac etiam Simeon ſua Panegyrica ſunt modulati: hac uſus fuit noſter Redemptor, hac Apoſtoli,

Lingua Syriaca, quæ?

Apoſtoli, hac primi in Eccleſia Chriſtiani: quæ, quia Hebræorum erat, interdum vocatur *Hebraïca*. Lingua igitur, non Syra, ſed Hebræa illa erat, quam hodie *Sanctam* dicimus, qua olim Iſraëlitæ ante captivitatem utebantur. Ad hanc Decalogi præcepta pertinent, quæ Deus Omnipotentiæ digito inſcripſit Tabulis marmoreis, ut in Exodi cap. 20. exponitur. Ponatur igitur, & exponatur.

Cur vocetur Hebraïca? Lingua Sancta, quæ?

In quanam lingua Deus Decalogi legem ſcripſerit?

TEXTVS SACER.

Exodi 20. 1.

1484 ודבר אלהים כל הדברים האלה לאמר.

XANTES PAGNINVS. Et loquutus eſt Deus omnia verba iſta, dicendo.

S. HIERONYMVS. *Loquutúſque eſt Deus cunctos ſermones hos.*

CHALDÆVS. Loquutúſque eſt Deus cunctos ſermones hos, dicens.

Græcorum articulus Latinè explicari non poteſt: poteſt Hiſpanicè.

SEPTVAGINTA. Καὶ ἐλάλησε πάντας τοὺς λόγους, λέγων. *Et loquutus eſt omnes ſermones hos dicens.* Illud *hos* non ita reperitur in Græco: nam τοὺς non eſt pronomen, ſed articulus. Hiſpanicè, *Y pronunció todas las palabras o leyes diziendo.*

Hinc patet nō Naturam aliquam à Deo diſtinctam & Deo leges imponens, ſed Deum ipſum eſſe Decalogi Legiſlatorem, quod ſuperiùs perſuaſimus libro 2. cap. 3.

PROLOGVS.

Exodi 20. 2.

1485 אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים.

An habeat Decalogus Prologum?

XANTES PAGNINVS. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervorum.

S. HIERONYMVS. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.*

CHALDÆVS. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.

Iterum de articulo.

SEPTVAGINTA. Ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, ὅστις ἐξηγαγόντε ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ἐξ οἴκου δουλείας. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxite de terra Ægypti, de domo ſervitutis.* Articulum illum ὁ non exprimit nec exprimere poteſt Latina tranſlatio: dicamus igitur Hiſpanicè. *Yo ſoy el Señor: yo ſoy el Dios que te ſacó de la region de Egypto; el que te ſacó de la mazmorra:* nam *domus ſervitutis*, ut Hebræi loquuntur, *carcer eſt:* & mancipiorum aut ſervorum carceres *mazmorras* dicimus.

De Legum Prologarcen. ſupra Seneca.

VIdit Seneca aliquos Legiſlatores ſuis Legibus Prologum præſcripſiſſe, in quo cauſas rationéſque jubendi exponerent. Hos ille puſillanimitatis criminatur, quod ſuſpicentur leges hoc ipſo quo ferantur, non debere à ſingulis dilaudari & admitti. Interim experientia docet, Prologo Leges indigere, nam & juſtiſſimæ apud indocile vulgus ſunt reæ. Voluit ſe Deus noſtræ fragilitati attemperare, & ideò ſuis Tabulis Prologum præſcribere voluit, quem ad paraphraſim ſequentem transfero.

An illa illo indigeant?

Tria poteſt quærere contumacia Populi libertini: videlicet, An detur in Legiſlatore poteſtas? an legem ferendi cauſa? & an in ſubditis legem acceptandi neceſſitas? ſi quæras, an tibi leges indicere poſſim? uno verbo reſpondeo, Ego ſum Dominus, ego ſum Deus. *Si ſcire vis, cur has leges & non alias indicam? etiam tibi ſatisfacio uno verbo,* Has leges, *inquam,* indico, quia volo, quia ſum Dominus, quia ſum Deus, & poſſum velle & præcipere tibi, quod voluero. *Si utrùm illas debeas acceptare deliberes, te præoccupo dicens,* Leges Domini & Creatoris à voluntate ſervorum & creaturarum non pendere, adeóque neque meas, Quia ego ſum Dominus tuus, Deus tuus, & Creator tuus: *& hoc eſſe verum ignorare non potes, nam hoc ipſum demonſtrant miracula & prodigia ſtupenda, quæ feci,* cùm te de Ægypti terra eduxi, & de ſervitute liberavi.

Decalogi Prologus uberioribus verbis expenſus.

PRÆCEPTVM I.

TEXTVS SACER. Exod. 20. 2.

לא יהיה לך אלהים אחרים על פני: לא תעשה-לך פסל וכל-תמונה אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחת ואשר במים מתחת לארץ: לא תשתחוה להם ולא תעבדם כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא פקד עון אבת על שלשים ועל רבעים לשנאי: ועשה חסד לאלפים לאהבי ולשמרי מצותי.

XANTES PAGNINVS. Non *erunt* (erit) tibi Dii alii *coram me* (ſuper facies meas.) Non facies tibi ſculptile & omnem ſimilitudinem, quæ *eſt* (*) in cælis *ſurſum*, (deſuper) & quæ *eſt* (*) in terra *deorſum* (de-ſubter,) & quæ in aquis *ſubter* (de-ſub) terram. Non incurvabis te eis, neque *coles ea* (ſervies eis.) Quia ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios ſuper tertios & ſuper quartos odientibus me: & faciens miſericordiam millibus diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

S. HIERONYMVS. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me & cuſtodiunt mandata mea.*

CHALDÆVS. Non erit tibi Deus alius præter me. Non facies tibi imaginem, neque omnem ſimilitudinem eorum quæ in cælo ſunt deſuper, neque eorum quæ in terra ſunt deorſum:

deorsum ; neque eorum , quæ in aquis sunt sub terra. Non adorabis ea , neque servies ei ; quoniam Ego Dominus Deus tuus , Deus zelotes , visitans peccata patrum super filios transgressores in tertiam & quartam generationem , his qui oderunt me , quando filii sequuntur peccata patrum : & faciens misericordiam in mille generationes diligentibus me & custodientibus mandata mea.

SEPTVAGINTA. οὐκ ἔσονταί σοι Θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Οὐ ποιήσεις ἑαυτῷ ἔδωλον , οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω , καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασι ὑπὸ κάτω τῆς γῆς. Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς. οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου , Θεὸς ζηλωτὴς, ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτων καὶ τεταρτων γενεὰν τοῖς μισοῦσί με. καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με. καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου. *Non erūt tibi Dii alii præter me. Non facies tibi idolum , neque ullius simulachrum, quæcumque in cælo sursum, & quæcumque in terra deorsum , & quæcumque in aquis sub terra. Non adorabis eos , neque servies eis : Ego enim sum Dominus Deus tuus , Deus zelotes , reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem odio habentibus me. Et faciens misericordiam in milliaria diligentibus me , & servantibus præcepta mea.*

1486 *Vox* יחיה *significat* erit *& non* erunt.

MIrabilis est illa phrasis , *Non erunt tibi Dii alii coram me.* Pluralitatem Deorum destruit ipse modus dicendi : personæ enim quæ non sunt unum , non sunt Divinæ: & quid est aliud à Deo , qui Decalogum tulit , non est Deus.

פנים *Facies* in forma triali : à radice פנה *aspicere.* Hinc oritur vox Latina *penes.* ita ut sit *coram me* , idem ac *penes me.* In hac voce videtur claudi Trinitatis Mysterium : nam sicut אלהים in numero trium cum verbo singulari conjunctum , significat tres personas Divinas per modum unius simplicissimæ causæ effectus externos producere , sic פנים Trinitatem Personarum insinuat.

Quid sit facere Deos? לא תעשה *Non facies.* An-ne Pictoriam , cælatoriam , & statuariam , artes nobilissimas interdicit ? minimè. Quid ergo imaginum & statuarum λατείαν ; nam ut benè Martialis cecinit,

Qui finxit sacros Pario de marmore vultus,
Non facit ille Deos ; qui colit , ille facit.

יהוה *Vnde veniat ?* De nomine יהוה multa alibi; hîc adnotabo breviter illud *Iod* esse nominis proprii characterem, nec aliud significare, quàm illam vocē quā afficit, esse alicujus substantiæ intellectualis nomen proprium. Radix est הוה *Esse;* unde apud Græcos ἀεὶ , ἐω , εἰμὶ ; &, ut aliquibus placet , etiam φύω. *Quomodo proferatur?* Sed quomodo nomen יהוה proferetur ? Aliqui putant esse omninò ineffabile ; scribi posse , legi verò non posse. Sed , si scribitur , cur non etiam legetur ? Arias Montanus asserit legi debere *Ieheveh,* ad formam *Ehejeh :* alii legunt *Iahvoh* , alii *Ihveh :* at communis opinio profert *Ieova ;* ubi nota omnes in hoc nomine Latinas vocales , & nullam consonam inveniri , quod non carere Mysterio alibi ostendo. Apud Græcos reperiuntur voces hinc deductæ : videlicet , ἰάω, ἰαὼ, ἰαὺ ; apud Epiphanium ἰαεὶ, apud Theodoretum ἰασβᾶ, & apud alios ἰωβᾶ. Hinc obliqui illi *Iovis* , *Iovi* , *Iovem, à Iove,* qui Latinis in usu. Sed quid nomen יהוה significat ? Alii illud sumunt substantivè , ut sit ὢν, *Ens, Existens :* alii activè, ut sit αὐτοὼν, *Essentiator* , *Existentiator* , quibus subscripsi in Grammatica Audace , verbo *sum* præter substantivam vocem , activam & passivam attribuens : nam substantivè sumitur , cùm dico , *Deus est bonus :* activè, cùm dico , *Deus est mundum :* passivè , cùm hanc eamdem orationem ex activa ad passivam converto dicens, *Mundus est à Deo.* Quæ tametsi nullius aut parvi momenti videri possint , sunt valdè utilia.

An verbum sum *habeat activam & passivam?*

NOTA.

An in Decalogo Theologica Virtutes præcipiantur? AD primum Decalogi Articulum pertinent Fidei , Spei , & Charitatis præcepta : nam jubemur credere, sperare, & amare.

An credere Deum, credere Deo , & credere in Deum differant? At interrogas , Quomodo hæ phrases, *Credo Deo , Credo Deum* , & *Credo in Deum* distinguantur ? Respondeo illas apud Latinos toto cælo differre ; & à nobis singularum proprietatem & differentiam *num.* 1738. 1755. & 1778. exponi : at apud Hebræos illas non distingui , ut doctè notavit Ribera *in cap. 3. Ionæ. num. 29.* ubi hoc argumentum diligenter pertractat , & inter alia dicit , *Sciamus autem in Scriptura eadem significatione dici , Credo Petro , & in Petro , & in Petrum.* Consonant Pererius *in cap. 15. Genes. num. 30.* Coninck *de Fide disp. 14. dub. 12. n. 234. 235. 236.* & alii.

Hinc patet injustè traduci Ioannem Baptistam Ionam , ex Rabbino Christianum , Virum doctum & pium, & de Romana Ecclesia benemeritum ; quòd in Doctrinæ Christianæ Hebraïca translatione dixerit , *Credo in Ecclesiam Catholicam :* &c.

Coïncidunt in lingua Hebraica? Illum defendo *Primò* sic. In lingua Hebræa hæ positiones , *Credo Ecclesiæ , Credo Ecclesiam , Credo in Ecclesiam :* æquipollentes sunt. At Ioannes Baptista Hebraïcè scripsit. Ergo uti una aut altera liberè potuit. Major probatur : quia in sacra Pagina dicuntur homines non solùm credere hominibus , sed in homines. Exodi 14. 31. *Credidit populus* , ביהוה ובמשא , *in Dominum , & in Moysen :* & hîc Vulgatus transfert , *Credidit populus Domino & Moysi.* Et in libr. 2. Paralip. 20. 20. *Audite Viri Iudæ. Credite* ביהוה אלהיכם *in Dominum Deum vestrum , & securi eritis : credite* בנביאיו , *in Prophetas ejus* , &c. Vulgatus in versione sua magis curavit sensum quàm literam ; phrases enim quando transferuntur ad literam aut exuunt aut alterant sensum, ut videre est in his duabus & notiorum Idiomatum *Cæsar Romam petiit* , & *Cæsar pidió à Roma.* quarum prima Cæsarem venisse Romam, secunda postulasse Romam significatur. Vulgatus igitur , ut sensum verè exprimeret, neglecto illo *Beth* , transtulit , *Credite Prophetis* , &c.

An in hominem possimus credere?

An translatio ad literā exprimat sensum?

Omnes Orthodoxi Orientales credunt in Ecclesiam. Omnes nationes Orientales imitantur Hebræam , propter idiomatum affinitatem. Vnde Chaldæi Maronitæ, Syri, Arabes, & cæteri Catholici in Symbolo Apostolorum expressè ponunt *Beth* dicentes , *In sanctam Ecclesiam Catholicam , in Sanctorum communionem, in remissionem peccatorum , in vitam æternam.*

Vide Catechiſmos, qui Romæ prodierunt.

An etiam Græci? Inſuper ipſi Græci in Symbolo Nicæno recitant, Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν, *In unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Vide Concil. Conſtantinopolitanum I. *can.* 7. & Florent. ſub Eugenio IV. *ſeſſ.* 5. Habetur *tom.* 1. *Concilior. pag.* 102. *Editionis Romanæ.* Vide etiam Breviarium Chronologicum Coriolani *in Damaſo ann.* 381. Et quidem, aut fallor, aut eodem prorſus modo loquimur Latini; nam in Symbolo dicimus, *Credo in Spiritum-Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam,* &c. ſi enim vellemus differentiam notare, diceremus, *Credo in Spiritum-Sanctum, credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, &c. Ergo in Latino ſymbolo ille accuſativus *Eccleſiam*, ſicut ille *Spiritum-Sanctum* à præpoſitione *in* regitur. Vt id clarè perſpicias, hanc brevem periodum tuæ criticæ ponderationi ſubjicio. *Ibant Pœni circa Bononiam, Romámque :* & interrogo, An ille accuſativus *Romam* à præpoſitione *circa*, an à verbo *ibant* regatur? Nemo hoc ſecundum dicet : non enim illa verba ſignificant, quod Pœni Romam ibant, ſed quod circa Romam ibant. Ergo de altero accuſativo pariformiter philoſophator : ſic debere intelligi literam Latinam Symboli fatetur Eraſmus (& ipſe optimus Grammaticus fuit) nam apud Gravinam *Catholic. Præſcript. tom.* 3. *parte* 2. *lib.* 4. ſic arguit : *Eccleſia conſtat ex hominibus, qui falli & fallere poſſunt.* ſubſumit tacitè. *At tantummodò in eum credere debemus, qui nec falli, nec fallere poteſt.* Et infert expreſsè : *Ergo incongruè dicitur, Credo in ſanctam Eccleſiam.* Sed non urget Eraſmus, quidquid contra Ioannem Baptiſtam Ionam ejus æmuli objiciant : nam Eccleſia duobus modis poteſt conſiderari ; aut, ut multitudo quædam hominum, & ens quoddam per accidens ; aut, ut corpus quoddam myſticum, cujus caput eſt Chriſtus, cujus nomine & loco loquitur Summus Pontifex ut inſtrumentum Spiritus-Sancti : ſi ſumatur primo modo, non ingreditur ſymbolum Apoſtolorum ; & ideò ajo habere quatuor terminos ſyllogiſmum Eraſmi : nam Eccleſiæ nomen alio ſenſu in majori, & alio in concluſione uſurpat. Eccleſiam ſecundo ſenſu ſumptam nec fallere poſſe nec falli, conſtat ex Iſaiæ *cap.* 57. *ult.* & ex prima ad Timoth. *cap.* 3. 15. ubi dicitur *columna & firmamentum veritatis.* Vnde Chryſoſtomus illud Exod. 14. 31. *Credidit populus in Dominum & in Moyſen.* accuratè perpendens, ne aliquem illud *in*, ne aliquem illa Dei & Moyſeos conjunctio decipiat, ait, *Conjunctus eſt Moyſes Deo, non ut honore par Deo, ſed ut Miniſter Dei.* Et quidem meritò credidit olim populus Iudaïcus in Moyſen, & hodie Chriſtianus credit in Eccleſiam Catholicam, credit in Romanum Pontificem, ſicut enim non potuit errare Moyſes, quando per illum Deus, ſic nec hodie Pontifex, quando per illum loquitur Spiritus-Sanctus. De authoritate Miniſtri vide *numer.* 1588.

An & Latini?

Eraſmus Grammaticus. Contra ſymbolum arguitatur.

Eccleſia bifariam debet conſiderari.

Cùm credimus in Eccleſiam, formaliter credimus in Deum.

PRÆCEPTVM II.

SACER TEXTVS. Exodi 20. 7.

1488 לא תשא את-שם-יהוה אלהיך לשוא כי לא ינקה יהוה את אשר ישא את שמו לשוא.

XANTES PAGNINVS. Non *aſſumes* (feres) nomen Domini Dei tui in vanum ; quia non *innocentem judicabit* (mundificabit) Dominus eum, qui *aſſumpſerit* (tulerit) nomen ejus in vanum.

S. HIERONYMVS. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum ; nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.*

CHALDÆVS. Non jurabis in nomine Dei tui fruſtrà : quia non juſtificabit Dominus illum, qui juraverit in nomine ſuo in vanum.

SEPTVAGINTA. Οὐ λήμψῃ τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ· οὐ γὰρ μὴ καθαρίσει Κύριος τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ ματαίῳ. *Non accipies nomen Domini Dei tui in vano ; non enim mundabit Dominus accipientem nomen ejus in vano.*

1489 NOta vox eſt, שוא, *mendacium :* unde, ſi verbum deducatur, erit ſenſus, *Non mentieris* (vel in Hiphil, *non reddes mendax nomen* (*numen*) *Domini Dei tui in vanum.* Hinc patet, quid pejerare ſit : ille enim pejerat, qui Deum ut teſtem mendacii producit.

Pejerare quid ſit?

נקה *mundum eſſe* ſignificat, unde in Hiphil, *non mundificabit*, hoc eſt, *non judicabit aut reputabit mundum & innocentem eſſe eum, qui pejeraverit.* Hinc patet ſignificationem vocis Hiphil (ad hanc debet pertinere illud verbum ינקה ; tametſi non benè aliquando pungatur) non eſſe ſemper *facere ut faciat*, aut *facere ut fiat :* ſed aliquando *judicare rem eſſe talem :* ſic à radice לבן : poſſumus dicere in Cal LABAN, *albus fuit :* in Pihel LIBBEN, *dealbavit :* in Hiphil verò HILBIN, *fecit dealbare, fecit dealbari, judicavit eſſe album.* Multa verba Hebræa, ſi conjugationem mutant, in oppoſitam ſignificationem tranſeunt : ſic ברך *barak*, in Cal *benedicere :* at verò *berek*, in Pihel *maledicere :* multa etiam cum ad Latinam linguam veniunt, nam à voce נקה, quæ innocentiam & puritatem ſonat, habet Latinus nomina *Nequam, Nocens, Nocuus*, & verba *Neco, Noceo.*

Significatio vocis Hiphil.

An & quomodo verba Hebræa mutent ſignificationem.

PRÆCEPTVM III.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 8.

1490 זכור את יום השבת לקדשו : ששת ימים תעבד
ועשית כל מלאכתך ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך
לא תעשה כל מלאכה אתה ובתך עבדך ואמתך
ובהמתך וגרך אשר בשעריך : כי ששת ימים עשה
יהוה את השמים ואת הארץ את הים ואת כל
אשר-בם וינח ביום השביעי על-כן ברך יהוה את
יום השבת ויקדשהו׳

XANTES PAGNINVS. Recordare die Sabbathi ad sanctificandum eum. Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum. Et die septimo sabbathum *est* (*) Domino Deo tuo. Non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua, & animal tuum, & peregrinus tuus, qui *est* (*) in portis tuis: Quia sex diebus fecit Dominus cælos & terram, & mare, & omnia quæ *sunt* (*) in eis; & requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei *sabbathi* (quietis) & sanctificavit eum.

S. HIERONYMVS. *Memento ut diem sabbathi sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua; servus tuus, & ancilla tua; jumentum tuum; & advena, qui est intra portas tuas: sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt; & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbathi & sanctificavit eum.* Consonat Exod. 31. c. & Ezechiel. 20. b.

CHALDÆVS. Memento diei sabbathi, ut sanctifices eum. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Die autem septimo sabbathum est coram Domino Deo tuo, non facies in ea omne opus, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & peregrinus qui est in urbe tua. Quia sex diebus fecit Dominus cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificavit eum.

SEPTVAGINTA. Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτήν. ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου. τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου. οὐ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον σύ, καὶ ὁ υἱός σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, ὁ παῖς σου καὶ ἡ παιδίσκη σου. ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου. καὶ πᾶν πτηνόν σου. καὶ ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοί. ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησε Κύριος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, καὶ κατέπαυσεν τῇ ἑβδόμῃ. διὰ τοῦτο ηὐλόγησε Κύριος τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην, καὶ ἡγίασεν αὐτήν. *Memento diem sabbatorum sanctificare eum. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. At die septima sabbata Domino Deo tuo: non facies in ea omne opus; tu, & filius tuus, & filia tua; servus tuus & serva tua; bos tuus, & subjugale tuum, & advena habitans in te. In enim sex diebus fecit Dominus cælum & terram & mare & omnia quæ in eis, & requievit die septima: Propter hoc benedixit Dominus diem septimam, & sanctificavit eam.*

Dies septimus colendus est: & quidem septimum quemque Christiani colimus; septimum Iudæi; septimum Mahometani. At nos, inquies, Dominicum, Iudæi sabbathum, & Veneris diem Saraceni: esto, septimum tamen. Dies à media nocte in mediam noctem computatur. Pone Iudæum die sabbathi Româ exire, in Hispaniam tendere; inde in Brasiliam, & superato Magellanico freto transire ad Sinas; inde per Asiam Constantinopolim invisere; & tandem iterum Romam redire. Ipse redux, nisi erret in computu, celebrabit suum sabbathum die Veneris. Quòd si iterum recurrat suum iter, & in orientem pergens totum orbem peragret, reversus Romam celebrabit suum sabbathum die Dominico. Ergo mutatio sabbathi in diem Dominicum bifariam potuit accidisse: formaliter & materialiter. Formaliter quidem, si authoritate Pontificia hæc mutatio fuisse facta dicatur: materialiter verò, si Apostoli non immediatè ex Palæstina in Italiam, sed per Indiam & per Americam in Europam pervenerint, tunc enim, ille ipsissimus dies, qui illis sabbatinus, nobis esset Dominicus, & ab ipsis cum Evangelio recepissemus etiam septimi diei solennitatem. Sed hic Apostolorum per Indiam & Americam in Italiam adventus, non videtur authenticâ historiâ fundari. Porrò de hoc argumento uberiùs parte hujus tertii libri tertiâ disseremus, quando hoc Præceptum juxta Græcam versionem exponemus.

1491 *Septimum diem Christiani, Iudæi & Mahometani colunt?*

Quomodo sabbathum in diem Veneris transire possit?

Quomodo in diem Dominicum?

Quâ ex Palæstina Apostoli venerint in Italiam?

NOTA.

IN sexto Decalogi præcepto omnes interdicuntur sordes, & tamen solùm Adulterium fuit in lapide expressum: an-ne hoc tertio præcepto plura intelligi debent, quàm scribuntur?

1492 *An omnia expressè ponantur in scripto Decalogo?*

Porrò *in primo* præcepto agitur de Dei substantia, & ideò unus Deus amandus proponitur, & Atheismus & Idololatria interdicuntur. *In secundo* agitur de attributis, & in lapidis characteribus exprimitur Divina veracitas, quæ non debet in testem falsæ positionis adduci. Iubemur Deo credere, & concomitanter ibi omnes hæreses interdicuntur: omnes enim contra Divinam militant Veracitatem. Fidei simillima est Fidelitas; & sicut effectivè proximum decipit, qui promissa non servat, sic etiam affectivè Deum, qui vota violat: ergo huc omnia vota facta Deo reducuntur. Sed blasphemiæ? si hæreticales sint, etiam ad secundum spectant: & quia ferè sunt expressè aut implicitè tales, ferè omnes ad hoc secundum præceptum pertinere dicuntur. Si contumeliosæ tantummodò ad primum. Amor enim latriæ, est venerabundus, & blasphemiæ in Amorem & latriæ Venerationem impingunt. *In tertio* agi-

De præcepto primo.

De secundo.

De tertio.

tur de cultu extrinſeco. Et colitur extrinſecè Deus, cùm illi tempora & loca conſecrantur. Velle Deum coli in aliquibus locis determinatis conſtat primò ex Gen.4. cùm enim Caïn & Abel obtuliſſent Sacrificium Deo, gratum hic, ille ingratum, dixit Caïn Abeli, *Egrediamur foras.* Erant igitur intus. In loco igitur determinato & muris cincto ſacrificaverunt. Conſtat ſecundò ex Geneſ.28. ibi enim lego: *Cùm evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam. Pavénſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cæli.* Conſtat tertiò ex Exod.3. nam, ut vidit Moyſes rubum, qui ardebat & non comburebatur, dixit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Sed pergenti, de medio rubi Dominus: *Ne appropies huc. Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Conſtat quartò ex tabernaculo teſtimonii, quod nîl aliud erat, quàm templum quoddam portatile, ne in peregrinatione per deſertum Eccleſiâ Iſraëlitæ carerent. Conſtat quintò ex templo juſſu Dei à Salomone Hieroſolymis ædificato. Ad cultum ergo Dei loca & tempora pertinent, & licèt loci in præcepto ſcripto nulla mentio, ſubintelligi debet, ut ex novo Teſtamento & praxi Eccleſiæ orthodoxæ colligitur. Loca olim oratione & ſacrificiis cruentis colebantur; nunc etiam oratione *(Domus mea, Domus orationis vocabitur.* Iſaiæ 56.7. & 1. Mac.7. 37. Matth. 21. 13. Marc. 11. 17. Luc. 19. 46. unde Ethicum Hiſpanorum Axioma, *Es la Igleſia para orar, y con ſolo Dios hablar)* & ſacrificio incruento coluntur. Tempora alia erant (& etiamnum ſunt) feſtiva, alia pœnitentialia: illa ceſſatione ab operibus ſervilibus, ſacrificio, & oratione: hæc abſtinentia & jejunio ſanctificabantur (& etiamnum ſanctificantur.) Quam ob rem hoc tertium præceptum ſecundum totam ſuam latitudinem ſumptum poſſet exprimi his verbis, *Memento, ut loco & tempore congruo Deo extrinſecum cultum exhibeas.* Hoc eſt præceptum Divinum: quo autem tempore, & quo loco & qualis eſſet cultus exhibendus, Deus in Veteri Teſtamento ſpecialibus legibus determinavit; & in Novo, ut hæc determinarent, ſuis Vicariis, Epiſcopis Romanis commiſit.

Quàm antiquæ ſint templa?

De locorum cultu.

Templa ſunt ad orandum.

De cultu temporum.

Dierum, & cultus illorũ diviſio.

NOTA.

Ioannes Baptiſta Ionas defenditur.

SVmerem iterum calamum, ut & hîc Ioannem Baptiſtam Ionam, contra ſuos inimicos defenderem: at hærere potero, quia doctiſſimè & fortiſſimè à R. P. D. Iulio Bartolucco Monacho Ciſtertienſi propugnatur. Interim, ne illum dicar negligere, quem omnes boni diligunt, aliqua ex ipſomet Bartolucco, quæ meis ideis elimabo, deſumam.

An nobis judaizare præcipiat?

Paginâ XXVIII. Doctrinæ Chriſtianæ, Annot. XV. habentur hæc, ſunt verba Ionæ. *Si che per oſſervanza di queſto commandamento: (cioé di ſantificare le feſte) è neceſſario doppo ſei giorni di poſarſi nel ſettimo, quale noi tenemo ſia la Domenica.* Ex his verbis deducit Cenſor nos induci ad judaïzandum: nam cùm ſeptimam diem colant Iudæi; ſi nos pro obſervatione hujus præcepti, eamdem colere debeamus conveniemus cum Iudæis, & ſimul cum ipſis Iudaïzabimus. Hæc cavillatoria ratiocinatio oritur ex pravo intellectu hujus propoſitionis: *Dies Dominica, eſt ſeptima dies pro quiete Chriſtiana deputata.* Quæ, etſi veriſſima ſit, tamen quia ſuſpicatur Cenſor per hujuſmodi locutionem nos induci ad Iudaïſmum: ſuſpicor ego, (& quidem rationabiliter) quod ipſe nullatenus intelligat doctrinam, quam de hac re nobis tradiderunt ſacri Canones, ſummi Pontifices, & ipſa Eccleſia Vniverſalis.

An Chriſtiani ſeptimam diem colamus?

Alexander III. Summus Pontifex (uti habemus *in cap. Licet de feriis.*) deputat hanc diem ſeptimam pro quiete humana, ſeu veriùs docet, jam deputatam fuiſſe in Veteri & Novo Teſtamento. Ait enim: *Licet tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti pagina ſeptimam diem ad humanam quietem ſpecialiter deputaverit.* Ergo Novum Teſtamentum ſeptimam diem deputavit: At deputavit Dominicam: Ergo Dominica eſt dies ſeptima. Poſteà ſubjungit, *quod tam eum* (diem Dominicum) *quam alios dies Majeſtati altiſſimæ deputatos, nec non Natalitia ſanctorum Martyrum Eccleſia decreverit obſeruanda.* Summus Pontifex loquitur hic de obſervantia vera, & ad literam, vt ait Suarez *Tom.1. de Relig. lib.2. de diebus feſtis, cap.p. de ſabb. num.15.* Azorius *part.2. Inſtit.l.p.cap.p. in fin.* & alii multi, Non autem de allegorica aut ſpirituali. Ideò refellunt iſti Auctores expoſitionem Gloſſæ, quæ ad ſpiritualem ſenſum, verba Pontificis trahere videtur. Et benè quidem: nam quamvis ſeptima dies, prout ſpecialiter deputata fuerat in Veteri Lege in ſignum beneficii creationis mundi, ad cæremoniale præceptum ſpectaſſet, ut ait Divus Thomas 2.2. *quæſt.122. art.4. in corp. & ad primum.* Nihilominùs cum eadem ſeptima dies, ut dicit idem Suarez loco citato. *Si ſumatur quoad temporis determinationem prout ſingulis hebdomadis certum unius diei tempus deſignatum ſit, ita ut poſt ſex dies operibus humanis occupatos, ſeptima quietis ſequatur, & hoc licèt poſitivum ſit, non poſſit tamen dici cæremoniale Veteris legis, quia nihil habet proprium illius, poterat tamen talis determinatio ſine ſpeciali cæremonia vel ſignificatione ſolum propter moralem rationem & utilitatem fieri.* Ita Suarez, Vnde patet, quod hujuſmodi obſervantia diei ſeptimæ remanet in Eccleſia, non tamen ex vi præcepti Veteris Legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ ut teſtatur Divus Thomas *loc.cit.ad quartum.* Vbi Caietan. §. *Et quoniam.* dicit *renovatum fuiſſe hoc præceptum Veteris Legis, de ceſſatione ſeptimanaria ab opere ſervili.* Et probat *ex hoc cap. licet de feriis.* Et quidem ſapienter advertit hoc Cajetanus; quia ea, quæ legis mortifera non ſunt, ſed mortua, iterum præcipi & alia ratione renovari poſſunt ab Eccleſia: At ea quæ pertinent ad ſabbathinam quietem, non mortifera ſunt, quia non ſunt de futuro aliquo Myſterio, quod per adventum Chriſti eſſet complendum, ut probat Suarez *citato num.12.* Idcirco Eccleſia de facto renovavit ſeptimam diem pro quiete humana, quæ eſt Dominica, definita *ſub ſeptimæ diei nomine*, ut dicit Covarruvias *Tom.2 dib.4. variarum reſolut.cap.19. num.4.*

Alexandri III. declaratio.

An dies Dominica ſit ſeptima?

An Gloſſa à Canonibus admitti debeat?

Quidnam in obſervantia feſtorum ſit cæremoniale.

An ea, quæ Veteris ſunt Teſtamenti poſſint nunc præcipi & revocari?

An Dominica dies debeat vocari ſeptima?

num. 4. & quam vocare debemus *diem ſeptimam*, ut fusè etiam docet Abulenſis *quæſt.* 13. *in cap.* 20. *Exodi.* Imò ipſemet Suarez egregiè probat Dominicam diem eſſe ſeptimam, etiam nobiliori ratione, quàm fuerit ſabbatum Iudæorum. Vide *loco citato num.* 15. & hunc loquendi modum de ſeptimo die de Canone ſacro, & ſacris Theologis, ſervat Ionas dum dicit: *Per oſſervanza di queſto commandamento, è neceſſario doppo ſei giorni di poſarſi nel ſeptimo, quale noi tenemo* (putà ex inſtitutione Eccleſiæ modo ſuprà declarato) *ſia la Domenica.*

An judaizaret Eccleſia, ſi obſervaret nunc ſabbata?

Neque verba quæ ſequuntur, videlicet, *Mentre non ſi puó accertare qual fuſſe quello d'Iddio benedetto.* inducunt nos ad judaïzandum. Nam reſpondeat Cenſor. Quale Iudaïſmum ſervaret Eccleſia, ſi ex Canonica ſua inſtitutione obſervaret diem illam, & quieſceret in die, quo quievit Dominus ab omni opere quod patrarat? Nullam prorſus. Quia illum, ex vi Legis non obſervaret, ſed ex poſitiva ſua conſtitutione & renovatione.

An ſciamus, quænam dies ſit illa ſeptima, quæ à Iudæis erat obſervanda?

Ionas autem prudenter addit prædicta verba, quia illis reſpondet ad tacitam objectionem, quæ à Iudæo poſſet fieri de obſervantia legalis ſabbathi. Et oſtendit quod neque Iudæi ipſi legale ſabbathum obſervent, cum ſciri non poſſit, quænam ſit illa dies, in qua requievit Dominus. Et hoc modo ſecundum

1. Cor. 9. 22. documentum Apoſtoli dicere poterit Ionas. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.

Iona defenſio.

Quid igitur ait Cenſor? Ionam inducere nos ad Iudaïzandum? Ionas loquitur eo modo, quo loquuti ſunt ſacri Canones, ſummi Pontifices, ſacri Theologi, Eccleſia univerſa. Ergo quiſnam tam procaci conatu aſſerere audeat, eos omnes nos docere Iudaïſmum? Longè abeant à nobis iſta erronea commenta: ſed addet Cenſor. Dies Dominica communiter dicitur *prima dies*, à Ss. Canonibus, Ss. Patribus & ſacris Theologis: nam omnis diei ſabbathi cultus in Dominicum tranſlatus eſt diem. Eo ſiquidem die, primum lux orbi terrarum, illuxit, ſic Redemptoris noſtri Reſurrectione, qua eo die fuit, è tenebris ad lucem vita noſtra revocata eſt. Solemnem prætereà hunc diem eſſe in ſacris literis animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quod Spiritus-Sanctus diſcipulis datus ſit. Reſpondeo: quis unquam iſta negavit? Non ſolùm diem Dominicum primum diem appellatum, ſed etiam *octavum* vocatum, aliquando invenimus. Quid inde infertur? quod dies Dominicus non ſit ſeptimus? Negatur omninò, cum ſecundum diverſas rationes, & conſiderationes, diverſa etiam nomina ſortiatur.

An Dominica ſit prima dies?

An ſit octava?

An non ſit ſeptimus?

Annum circuli figurâ expreſſerunt Ægyptii, & pinxerunt ſerpentem, qui ſummis dentibus caudæ finem premeret, quoniam in eodem inſtanti eſt anni initium finiſque: & eodem ipſi modo potuerunt & debuerunt hebdomadem. Non omnes gentes incipiunt annum ab eadem die, unde ſi jubeat Deus obſervari diem anni ſeptimam, aliam obſervabunt Iudæi, aliam Arabes, aliam Chriſtiani, qui veterem ſtylum adhuc retinent; aliam qui novo diriguntur. Sic ſimiliter non omnes gentes incipiunt hebdomadem ab eadem die, unde ſi ſeptimam hebdomadis obſervari præcipiat Deus, ad Veneris diem Saracenus, ad ſabbathum Iudæus, & ad Dominicam convertet oculos Chriſtianus: quoniam denominatio diei ſeptimæ, non eſt abſoluta diem aliquam eſſentialiter proſequens, ſed eſt relativa, & à primæ deſignatione dependens: unde cum aliter apud Saracenos, aliter apud Hebræos aliter apud Chriſtianos incipiat hebdomadas, dies Solis, quàm meritò Dominicam dicimus Iudæis erit prima (& hunc computum in Kalendariis retinemus) Mahomethanis ſecunda, & ſeptima tandem Chriſtianis. Ionas autem Dominicum diem potiùs *ſeptimum* appellat, quàm *primum*, aut *octavum*, quia cum Iudæis illi eſt diſceptatio. Qui quidem libentiùs aures præbent veritati, ſi nos ſecundùm eorum morem & conſuetudinem loquamur. Et dum ſine erroris nota id facere poſſumus, facere tenemur; quia ſic ſequimur veſtigia ejuſdem Apoſtoli dicentis. Et factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer.

An eadem dies vocari poſſit prima, ſecunda, tertia, &c.?

Cur à Iona vocetur ſeptima?

Inſtas, non eſſe vera verba Ionæ, *Non ſi puó accertare qual fuſſe quello d'Iddio benedetto:* certum enim eſt Mundi fabricam die incepiſſe Dominica, & Deum ceſſaſſe die ſabbathi ab omni opere, quod patratat.

An certum ſit mundum incepiſſe die Dominica?

Reſpondeo Ionam non dubitare, an prima dies ætatis Mundi fuerit prima? &, an ſeptima ſeptima? ſed dubitare tantùm, an in hebdomadum periodo nulla ſubſit hallucinatio. Succurrunt rationes duæ: altera Hiſtorica, altera Aſtronomica. Expendo primam.

An in hebdomadalium dierum recurſu ſit error?

Menſis Ætatis Mundi primus ille eſt, in quo Mundus eſt conditus (quis de hoc dubitet?) ſed hoc aliter intelligit Ægyptius, cui ſumma dierum 365. vocatur annus: aliter Iudæus & Arabs, quorum menſes Luna metitur & diſtinguit; aliter Europæus, qui anno ſolari utitur: alii enim Martium, alii Septembrem primum Mundi menſem fuiſſe contendunt. Ergo ſtante hac varietate computandi annos & menſes (imò & hebdomades, ut paulò antè vidimus) unde erit evidens ante diluvium diem fuiſſe primam, quam nunc Solis dicimus; ſeptimam, quam nunc ſabbathum? Confirmat hoc hominum libertas & barbaries. Quid enim Iuliano Kalendario facilius? At poſt mortem Cæſaris Ethnici Sacerdotes, aut quia noluerunt, aut quia neſciverunt, regulis à Cæſare præſcriptis uti, ab alio inceperunt duodecim annos die, quàm deberent. Quid ergo vetat in hebdomadum computu aliquando errorem aut hallucinationem acciſſe? ſed hanc rationem non urgebo, non enim eſt demonſtrativa, aut topica; quia ſuſpicio non eſt evidentia; nec dubium eſt ratio probabilis. Ergo ſecundam rationem expendamus. Sic diſcurro.

Quo Mundus menſe fuerit conditus?

Diverſi populi diverſo utuntur anno.

Iulianum Calendarium facillimum, & tamen Sacerdotes Ethnici illo malè ſunt uſi poſt mortem Cæſaris.

Reſpice duos illos circulos cõcentricos, qui in Lamina Proœmiali ponuntur.

Nullum inſtans determinatum eſt, à quo incipiat dies ſeptimus. Ergo dies ſeptimus non dicit tempus determinatum individualiter, ſed relativè, & longitudinis terræ reſpectu. Ergo, qui diem ſeptimum obſervari præcepit, non præcepit obſervari diem aliquam individualiter determinatam, ſed illam, quæ ſecundùm eum, qui Dei nomine gubernat, ſit ſeptima.

An quando Senis eſt media nox, ſit ubique terrarum media nox?

Antecedens

Mahometi error.

Antecedens negavit in Alcorano ſuo Mahometus, terram planam eſſe ſupponens, & eodem reali inſtanti eſſe in omni Provincia aut loco mediam noctem. Quærenti enim, cur galli ſub medium noctis canerent? reſpondit, eſſe in cælo quemdam Angelum galliformem, cui cantanti omnes terreni reſponderent. Cantat ille in inſtanti A verbi gratiâ; reſpondent iſti in inſtanti A: Ergo in inſtanti A eſt ubique terrarum media nox opinione Mahometi. Qui error tam eſt evidens, ut Alcoranum non eſſe librum Angelicum aut Divinum manifeſtè demonſtret. Antecedens ergo, quod Mahometus negat, clariſſimè perſuaſurus ſum. Sic diſcurro. Hîc Senis dies ſabbathi incipit in ipſo noctis medio, & finitur in noctis medio. Initium vocetur inſtans A: & finis inſtans Z. Et ut hoc intelligas converte oculos ad Proœmialem laminam, & in ipſa tellurem NPRM. cum STVX orbitâ Solis compone. Sint igitur Senæ in meridiano P: Conſtantinopolis in O: & Toletum in Q.

De Angelo Galliformi.

An ſit ubique terrarum eadem hora?

Porrò in inſtanti A. ſit Sol in X. Ergo erat media nox in P (Senis) horâ ſextâ matutina in N. & ſextâ veſpertinâ in R. Horis 24. Sol peragat circulum XSTVX. Ergo inſtanti Z reſtituetur puncto X. & ſabbathi die peracto erit iterum in P. (Senis) media nox.

Vtor hîc Coſmographia D. VVendelini, à quo non multum abeſt Blævius in ſuo Atlante, qui primũ Terræ meridianum in Tenerifa, quæ una ex Canariis eſt, conſtituit.

Sanè in inſtanti A. quod eſt initium ipſum diei ſabbathini ſenis Sole videlicet conſtituto in X: tunc in N. (nempe Achemii in ſumatra) habent ſabbathi horam poſt mediam noctem ſextam: tunc in O (Conſtantinopoli) etiam ſabbathi horam 1. min. 21: tunc in Q Toleti erit adhuc dies Veneris, & numerabitur hora à meridie 10. min. 56. (nempe, in portu de Sardir in occidentali parte ſeptentrionalis Americæ ſub latitud. grad. 40.) & tunc in R erit etiam dies Veneris, nempe hora ſexta poſt meridiem.

Similiter in inſtanti Z. Sole reſtituto lineæ MX, erit initium diei Dominicæ Romæ: ergo tunc in N. habebunt Dominicæ horam ſextam matutinam: ergo tunc in O habebunt horam 1. min. 21. matutinam ejuſdem diei Dominicæ: ergo tunc in Q (Toleti) erit diei ſabbathi hora 10. min. 56. à meridie: ergo tunc in R erit diei ſabbathi hora ſexta veſpertina.

An ſit ubique terrarũ eadem dies?

Ergo quando eſt ſabbathum Senis, in alia regione eſt dies Veneris, in alia dies Solis, ſeu Dominica: juxta demonſtrationem præcedentem.

An in eodem loco poſſint diverſi homines diverſos computare dies: putà, ſi ſi unus agat Dominicam, alius diem Lunæ, alius diem Martis?

Hæc gentes & integras Provincias concernunt: addo in eodem loco poſſe contingere, ut cæteris computantibus ſabbathum, aliqui diem Veneris, & aliqui diem Dominicam numerent. Pono hunc caſum.

Romæ ſolvunt duæ naves; altera Caſtellana, altera Luſitana. E Tyberi in Mediterraneum allapſæ, per fretum Herculeum in Oceanum ingreſſæ, ſe ſeparant; nam Luſitani in Ortum, Caſtellani in Occaſum contendunt. Illi à P (Roma) peragunt periodum PNMRP: iſti à P (Roma) periodum PRMNP. Poſt aliquot menſes, aut annos, hæ duæ naves reverturtur ad Tyberim, & appelluntur Romam meridie, & vident computari à Romanis diem ſabbathi. Ajo tunc Caſtellanos numeraturos diem Veneris, Luſitanos diem Solis: alii enim perdunt, alii lucrantur in tota ſua navigatione unum diem. Et hoc ipſum evidenter oſtendo.

An, & quomodo poſſit aliquis habere perpetuũ meridiem?

Si Caſtellanus egreſſus ex P (Roma) horis 24. totum circulum TVXST conficeret, ubique ipſe eſſet, eſſet exactè media nox: nam ipſo exiſtente in P. Sol eſſet in X. & ipſo exiſtente in R, Sol eſſet in S. & ipſo exiſtente in M. Sol eſſet in T. & tandem ipſo redeunte ad P. Sol revertereretur ad X. Ergo dum Romani 24. horas numerarent ſucceſſivè in P. ille ſemper haberet eam horam, nempe duodecimam à meridie. Vel, ut clariùs hæc demonſtratio fluat, è media nocte ad meridiem tranſeamus, Solvatur navis Caſtellana in M. die Martis, Sole exiſtente in X. Ergo ipſomet meridie; ſi illa 24. horis circulum MNPRM conficiat, per 24. horas ſemper habebit Solem meridianum. Ergo quando habitantes in M. habent meridiem diei Mercurii, navis illa adhuc haberet meridiem diei Martis. Solvatur, & contrario motu navis Luſitanica propellatur in ortum, & periodum ſuam horis 24. abſolvat. Erit ergo die Martis hora duodecima meridiana in M. & Sol in X. Quando M numeret horam tertiam poſt meridiem, Sol erit in Y. & Luſitani in D. & neceſſariò numeraturi ſunt horam ſextam. Sole veniente ad S. navis veniet ad R: eritque media nox. Sole tenente T. navis erit in P nempe meridie. Ergo tempus, quod manentibus in uno loco fuit horarum 12. navigantibus quia & ipſi moventur fuit 24. Ergo ſi Sole percurrente ex T. ad X. navis propellatur ex P per N. in M. reperiet habitantes in M. agere meridiem feriæ IV. ſeu Mercurii, & tamen Luſitani in navi agent meridiem feriæ V. ſeu Iovis.

An, dum tu 12. horas cõputas, agere 24?

An, dum unam diem agis tu, poſſit quiſpiam duas agere?

Stat igitur, omnia quæ de tempore contra Ionam objecta, cogitata fuiſſe à puris Theologis qui Mathematicas Artes ignorant.

Purus Theologus, ut de tempore diſputet, ineptus eſt.

VErba R. Abrahami Eſræ, viri inter Hebræos celebris,

כי אשמרה שבת אל ישמרני.

Ki eſmera ſabbath, El jiſmereni.

Quia ego cuſtodio ſabbathum, Deus cuſtodit me,

An proſit ſolennitates obſervare?

quæ Ioannes Buxtorfius in Theſauri Grammatici paginâ 647. adducit, vera ſunt, & correſpondent Chriſti Monito, *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus: & cætera omnia adjicientur vobis.*

Quem modũ tenere debeamus in illarum obſervatione?

Sed, quo debemus modo Feſtivitates cuſtodire? Ceſſarunt jam cæremoniales Iſraëlitarum leges, & ex Eccleſiæ præſcripto Chriſtiani audire Miſſam, & ab operibus ſervilibus abſtinere debemus.

An קרבן *poni poſſit pro Miſſa?*

Miſſam Ioannes Baptiſta Ionas *Preces* קרבן *oblationis* appellat, & ne dubio relinquatur locus, has ipſas ait *Miſſam* vernaculâ linguâ vocari. Inſurgunt Æmuli, ſed immeritò, quia Euchariſtica oblatio omnium eſt perfectiſſima, & ideò per excellentiam intelligitur קרבן, *oblationis* vocabulo. Syri, Chaldæi, Arabes, & populi Orthodoxi in Oriente Miſſam קרבן *Qorban* appellant, ut Boderianus in Lexico Syro-Chaldaïco voce קרבן reſtatur.

teſtatur. Ægyptii etiam hoc vocabulo utuntur, nam Severus Alexandrinus Patriarcha, in Rituali ſuo Syro-Chaldæo Miſſam vocavit קורבנא *Qorbana.*

PRÆCEPTVM IV.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 12.

1493 כבד את אביך ואת אמך למען יארכון ימיך על האדמה אשר יהוה אלהיך נתן לך.

XANTES PAGNINVS. Honora Patrem tuum & Matrem tuam ut *prolongentur* (prolongent) dies *tui* (tuos) ſuper terram, quam Dominus Deus (tuus) *dat* (dans) tibi.

S. HIERONYMVS. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

CHALDÆVS. Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut prologentur dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

SEPTVAGINTA. Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, ἵνα σοὶ γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut benè tibi ſit, & ut longævus ſis ſuper terram bonam, quam Dominus Deus dat tibi.*

OBedientia virtus eſt nobiliſſima, cui præmium in terra & in cælo reſpondet. Iniquitas inobedientia eſt, & viri iniqui vix dimidiabunt dies ſuos: ergo viri pii prolongabunt. 1494 *Omne peccatum eſt inobedientia.*

ארך eſt *prolongare.* Ex diſpunctione communi videtur eſſe vox activa; ſed meliùs fluit ſenſus, ſi paſſivè ſumatur. *Quam terram promittat Deus?*

Terra, quam hic concedit Deus, videtur eſſe Palæſtina; nam Adamo, & poſteà Nohæ univerſam conceſſerat; ſed diviſione humanitùs inſtitutâ Palæſtinam promiſit & conceſſit Hebræis. Hanc terram *bonam* eſſe dixerunt Septuaginta, hoc autem verum eſt, at in textu Hebræo non reperitur.

Græcè dicitur Deus, Κύριος ὁ Θεὸς, Hiſpanus deberet transferre, *ſeñor el Dios:* nos autem non loquimur ſic, ſed dicimus, *El ſeñor Dios*, articulo non interpoſito, ſed præmiſſo.

PRÆCEPTVM V.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 13.

1495 לא תרצח.

XANTES PAGNINVS. Non occides.
S. HIERONYMVS. *Non occides.*
CHALDÆVS. Non occides נפש animam.
SEPTVAGINTA. Οὐ φονεύσεις. *Non occides.*

1496 FRuſtrà videtur Chaldæus poſuiſſe נפש, *animam*, non enim occidi poteſt corpus inanimum.

Tres culparum claſſes. Præceptum hoc exponit Chriſtus Matth. 5. dicens, *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri ſuo* raca, *reus erit conſilio: qui autem dixerit*, fatue, *reus erit gehennæ ignis.* Ergo tria genera culparum cognoſcit Chriſtus: videlicet Philoſophicam, quam Aſcetici nominant *imperfectionem:* Theologicam venialem, ſeu levem; & Theologicam lethalem, ſeu gravem. Quod benè libro de præcepto Melleus meus Bernardus exponit.

Hinc patet Antiquos vera peccata Theologica vix cognoviſſe; ipſi enim in eo malitiæ gradu ipſummet homicidium collocabant, in quo nos iram indeliberatam, & libertatem arbitrii prævenientem. *An illas antiqui benè noverint?*

PRÆCEPTVM VI.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 14.

לא תנאף.

1497 XANTES PAGNINVS. Non *committes adulterium* (adulterabis)
S. HIERONYMVS. *Non mœchaberis.*
CHALDÆVS. Non תגוף mœchaberis.
SEPTVAGINTA. Οὐ μοιχεύσεις. *Non mœchaberis.*

RAdix נאף ſonat plerumque *adulterium committere;* at aliquando etiam *fornicari:* ſed hoc ultimum DD. communiter negant. 1498 *Quid ſit* נאף.

Sed interrogas, ſiquidem hoc præcepto adulteria interdixit Deus, unde venit, quòd ſimplex fornicatio & bigamia hoc præcepto interdicta dicatur? Reſpondeo Principem, poſtquam legem tulit, non teneri ſtatim omnes ſimul ejuſdem legis articulos promulgare, ſed poſſe clementiæ inſiſtendo, & ſubditorum fragilitati conſulendo, aliquos articulos in *An ſolùm adulteria hoc præcepto inhibeantur?*

An promulgari poſſit altera Legis pars alterâ non promulgatâ?

tempus opportunius differre : ſic Deus præſtitit in Lege Decalogi. Eam tulit, cùm hominem creavit : at non omnia voluit publicare in Sinaï, ſed multa capita per ſpeculationem invenienda reliquit : ex quibus multa Evangelium & Paulus clariùs & liquidiùs expoſuit : multa demum dilucidarunt Generalia Concilia : & illa, de quibus hodie diſputant Scholaſtici à futuris aliquando Conciliis lucem opportunam habebunt.

PRÆCEPTVM VII.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 15.

לא תגנב.

1499 XANTES PAGNINVS. Non furaberis.
S. HIERONYMVS. *Non furtum facies.*
CHALDÆVS. Non תגנוב furaberis.
SEPTVAGINTA. Οὐ κλέψεις. *Non furaberis.*

1500 QVi malè agunt, odio habent lucem ; at inter cæteros, fures præcipuè tenebrarum ſilentio abutuntur; quam ob rem putant Critici, quòd voces κνέφας, & γνέφας, *tenebræ*, ex hoc verbo naſcantur.

An furtum ſecundum ſe ſit mortale ? An habeat ſpecies?

Omne furtum peccatum eſt, at ſecundum ſe nec eſt mortale vel veniale, habet enim levitatem aut gravitatem à quantitate materiæ.

Furtum quando ad furtum auri, argenti, pecudum, & aliarum rerum contrahitur, non contrahitur per differentias morales, ſed per reales & materiales, & ideò hæc diviſio non eſt generis in ſpecies, ſed accidentis in ſubjecta diverſa. Hæc doctrinâ eſt valde utilis, ut peccatorum ſpecies & multiplicatio cognoſcatur.

PRÆCEPTVM VIII.

SACER TEXTVS. Exodi 20. 16.

לא תענה ברעך עד שקר.

1501 XANTES PAGNINVS. Non *teſtificaberis in proximum tuum* (reſpondebis in ſocium tuum) *teſtimonium mendax.*
S. HIERONYMVS. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*
CHALDÆVS. Non teſtificaberis בחברך *contra proximum tuum* falſum teſtimonium.
SEPTVAGINTA. Οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ. *Non falsò teſtificaberis contra proximum tuum teſtimonium falſum.*

1502 VErbum ענה *reſpondere* ſignificat : unde patet in hac ſolenniſſima Legis promulgatione, ut ad Præceptum V. notavimus, non omnia expreſsè poni : nam mendacium eſt duplex, judiciale & privatum ; & utrumque ſubdividitur in pernicioſum, & officioſum : & ad hoc ultimum, quando eſt mendacium (ſæpè enim circumſtantiæ conſignificantes illud à mendaciorum cenſu excludunt) jocoſum pertinere debebit. Porrò omne mendacium (etiam illud, quod officioſum dicitur, & proximo prodeſt) interdixit Deus hoc præcepto : at non omnia genera mendaciorum hæc Tabula ſcripta expreſsè continere videtur, ſed nocivum judiciale tantummodò : nam judicium & tribunal innuit illa vox *reſpondebis*, & nocumentum illa *contra proximum.* Oportuit non omnia ſciri ſimul : ea, quæ implicitè tunc poſita, jam Chriſtus & Eccleſia expoſuit ; unde hodie eſſe non poteſt aliqua dubitatio.

An omnia expreſsè in contextu ponantur?

Mendacii diviſio.

1503 עני *unde ducatur?* A radice ענה, ut multi volunt, עני Aní *Pauper* dicitur, quaſi *Reſpondens.* Sed difficilis eſt ratio derivationis : meliùs alii ab ענן Anan *Nubes* : nam cælum nubilum paupertatis eſt ſymbolum ; unde Ovidius,

Nubes paupertatis eſt ſymbolum.

Si fueris fœlix, multos numerabis amicos :
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

hoc eſt : ſi fueris dives, habebis aſſentatores plurimos (non enim veri amici ſunt, qui in adverſitate ſe ſubtrahunt) nullos, ſi pauper.

Amici veri, qui?

עד *Ed quid ſignificet?* A verbo עור Avad, *Diripere.* עד Ed *Teſtis* & *Teſtimonium* derivatur : quod nomen tametſi etiam in bonam partem ſumi ſoleat, ſtando etymo & derivationis rigori, ſignificat ψευδομαρτύριον *teſtimonium nocivum* : interim, ne quis in bonam partem vocem caperet, additum fuit illud שקר quod *mendacium* ſonat.

PRÆCEPTVM IX.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 17.

לא תחמד בית רעך.

1504 XANTES PAGNINVS. Non concupiſces domum *proximi* (ſocii) tui.

S. HIERONYMVS. *Non concupiſces domum proximi tui.*

CHALDÆVS. Non תחמוד concupiſces domum proximi tui.

SEPTVAGINTA. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ

τῦ πλησίον σε. *Non concupiſces uxorem proximi tui.*

DEVTERON. 5. 21. לֹא תַחְמֹד Non concupiſces.

1505 *De punctis hujus præcepti.*

Videtur eſſe in Cal; *ſed puto Rabbinum, qui puncta addidit, aut ſenſum non intellexiſſe, aut exſcriptorum incuria irrepſiſſe errorem in punctis, adeóque conſiderans Chaldæum interpretem*, Exodi 20. 17. לֹא תַחְמֹד & Deut. 5. 21. לֹא תַחְמֹד *legiſſe in* Pahel, *quæ correſpondet Hebræa conjugationi* Pihel, *& ſignificat*, tranſitivè operari, *progrediar, & non jam* לֹא תַחְמֹד lo thâhmod, *ſed* לֹא חִמֶּד lo thâhmed *ſcribam in* Hiphil, *& transferam*: Non facies concupiſcere, Neminem ſcandalizabis, Neminem in peccatum induces.

Noni & Decimi Præcepti differentia.

Si ſemel hæc diſtinctio ponatur (ita videlicet, ut in præcepto nono illud, *Non concupiſces*, ſit Hiphil, & in decimo Cal) illa diſtinctio peccatoris in cordis, oris, & operis novam lucem accipiet: ſi enim peccatum eſt *factum, dictum, aut concupitum contra legem Divinam*, ut ſuperiùs Auguſtinus nos docuit: peccata facta octo præceptis inhibentur, dicta præcepto nono, & concupita decimo. Sanè mendacium eſt peccatum factum, quia ore fit. Scandalum eſt peccatum dictum, eſt enim ſcandali rhetorica efficax, & mala unius vita lingua eſt, quæ multos ſeducit, multis ut illam imitentur perſuadet. Peccata cogitationis & voluntatis, quæ purè interna ſunt, ultimo debuerunt loco poni, nam conſenſus eſt univerſalior, & poteſt tam ad peccata operis, quàm oris ſeu ſcandali, terminari: poteſt enim Petrus velle furari, aut etiam verbo aut facto ſuadere Franciſco, ut furetur.

Peccatum factum, dictū, aut concupitum.

An mendacium ſit peccatum dictū, an verò factum?

PRÆCEPTVM X.

TEXTVS SACER. Exodi 20. 17.

1506 לֹא תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ וְעַבְדּוֹ וַאֲמָתוֹ וְשׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃

XANTES PAGNINVS. Non concupiſces uxorem ſocii tui, & ſervum ejus, & ancillam ejus, & bovem ejus, & aſinum ejus, & omne quod *eſt* (*) ſocio tuo.

S. HIERONYMVS. *Nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

CHALDÆVS. Non תתמיד concupiſces uxorem proximi tui, neque ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem, neque aſinum ejus; neque omnia, quæ ſunt proximi tui.

SEPTVAGINTA. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίον σε, οὐ γὰρ ἀγρὸν αὐτοῦ, οὐδὲ τὴν παῖδα αὐτοῦ, οὐ γὰρ τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, ὅτε τὸν βοῦν αὐτοῦ, ὅτε τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ, ὅτε πάντας σκεύους αὐτοῦ, ὅτε ὅλα τῷ πλησίον σε ὅσα. *Non concupiſces domum proximi tui, neque agrum ejus, neque ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque ſubjugale ejus, neque omnem ſupellectilem ejus, neque quæcumque proximi tui ſunt.*

DEVTERON. 5. 21. וְלֹא תִתְאַוֶּה Non concupiſces, *ſumitur verbum in Hithpahel.* Chaldæus לָא תֵירוֹג Non deſiderabis.

Exponitur præceptum decimum.

QVando illa verba, *neque omne, quod eſt ſocio tuo*, legimus, Legiſlatoris mentem ignorare non poſſumus. Habet homo vitam, quam quintum præceptum tuetur: puritatem, quam ſextum: bona, quam ſeptimum: jus, ne decipiatur, quod octavum: jus ne ſcandalizetur, quod nonum. Ergo omnia hæc decimum præceptum complectitur, & eſt, *Non concupiſces*, Noli violare legem Dei. Da quæ ſunt proximi, proximo: & quæ Dei, Deo: & noli oppoſitum deſiderare.

NOTA.

SEd petet aliquis, *Vnde nam habeat Deus hominibus imponendi leges poteſtatem & authoritatem?* Numer. 105. reſpondi, ideò Deum nos poſſe præceptis obſtringere, quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Et nos ipſe fecit & condidit, quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Hanc rationalem propoſitionem doctiſſimè tranſtulit Ioannes Baptiſta Ionas, cujus ſuperiùs memini, dicens, *Deus eſt: cui nihil eſt poſſibilitatis*: quod Anti-Ionas reddidit, *Che non ci è nel poſſibile a lui ogni coſa.* & blaſphemiæ appellat, quaſi Ionas omnipotentiam Deo negaverit. At ſic incriminando pium & doctum Virum, ſe ignorare Theologiam, & linguam Hebraïcam Antagoniſta evidenter oſtendit. Sanè Deo in Prædicamento *Habere*, nihil eſt poſſibilitatis ſeu potentialitatis. Omnia, quæcumque in mundo ſunt, quæ ab ipſo diſtinguuntur, ſua ſunt: omnia verbo condidit, & imperio conſervat: ſed neque potentialitatem habet in Prædicamentis Vbicationis, ſitúſque; nam cùm ſit immenſus, ubique eſt, & nullus eſt locus unde abſit. Prætereà, ſi Actio & Paſſio dicantur à motu non diſtingui, neque in his prædicamentis habet illam Deus potentialitatem. Eſt immobilis localiter: non poteſt alium Deum producere, quia repugnant duo Dii: non poteſt ab alio Deo produci, quia eſt improducibilis & ingenerabilis. In Prædicamento *Quando* non habet potentialitatem, quia eſt æternus; & æternitas eſt duratio infinita & ſimultanea, prius & poſterius non admittens. Relationes in Deo infinitæ perfectionis ſunt: & nulla ipſi intrinſeca deeſt, quam adquirere de novo poſſit. Attributa, quæ vocant, ſunt quædam qualitates virtuales, ſeu quædam perfectiones formales, infinitè & realiter idemtificatæ; & nulla eſt poſſibilis aut intelligibilis, quæ quà perfectio deſit Deo. Immenſitas, eſt quædam infinita formalis aut virtualis Quantitas: & in hoc genere nihil deeſt Deo, qui eſſe major non poteſt,

An ſit hæc bona conſequētia, Creavit nos, ergo eſt noſter Dominus?

An aliquid ſit poſſibile Deo?

Omnia ſunt aut Deus, aut Dei.

Deus eſt ubique.

Eſt immobilis.

ingenerabilis.

æternus.

De Divinis relationibus.

An aliqua perfectione careat Deus?

Eſt immenſus.

& infinitè existens.

poteſt. Et tandem in genere ſubſtantiæ Deus nihil poſſibilitatis habet. Eſt ergo Deus Ens totale, quod eſt totaliter in actu, nihil potentialitatis includens. Et ideò omnia poteſt Deus, quia nulla ipſe perfectione caret: & & tandem, ideò, ut notavit Ionas, infinitam poteſtatem & activam potentiam habet Deus, quia nullam habet paſſivam potentialitatem. Ita D. Thomas 1. *part. quæſt.* 25. *art.* 1. *in corp.* Conſonant Theologi Hebræi, apud quos אפשר, Efſciat, *materialitatem*, & אפשרות, Efſciaruth, *potentialitatem*, non habet Deus: & his illi vocibus additâ negatione utuntur, ut ſignificent Divina attributa: ubi enim nos dicimus, I. *Deus eſt infinitus, perfectiſſimus*, II. *immutabilis*: III. *omnipotens*, &c. Divinas has perfectiones nominibus negativis exprimunt illi dicentes:

Cur habeat infinitam potentiam activam?

An ſit purus actus, & nihil potentialitatis habeat?

I. *Non eſt in poſſibilitate, potentialitate, defectu ei quidquam*: II. *non eſt illi quidquam immutabilitate.* III. *non eſt in privatione aut indigentia ipſi aliquid.*

Hinc ſtat argumentum, quod *diſput.* 3. *à num.* 105. expendimus: videlicet. [Deus nulla perfectione caret, Ergo eſt infinitus; Ergo omnipotens. Ergo fecit nos liberè: Ergo liberè nos conſervat: Ergo eſt noſter Dominus; Ergo nobis poteſt leges imponere: Ergo illius eſt præcipere, & nobis illi obediendi gloria relicta eſt.]

ET HÆ

circa Decalogi Textum Hebraïcum breviter adnotaſſe ſufficiat, ad literam Græcam conſiderandam & dilucidandam tranſeamus.

PARS II.

Ediſſerens Textum Arabicum.

1507 *Arabica lingua, qua? qualis? quotuplex?*

AB Hebræa profluxit lingua Arabica, quæ omnes hodie regiones Orientales pervadit, & in dialectos pluriformes dividitur; quarum præcipuæ ſunt Turcica, & Perſica.

De Catechiſmo Arabico. Fuit impreſſus munificentiâ Excellentiſſimi D. D. Franciſci Savary de Breves, Chriſtianiſſimi Regis apud Paulum V. Pontificem Maximum Oratoris.

Romæ anno M. DC. XIII. prodiit doctrina Chriſtiana, Arabico-Latinè ſcripta, pulcherrimis Typis expreſſa. Ibi Decalogus, multò clariùs & dilucidiùs, quàm in Hebræo, ponitur, & exponitur. Ergo ut Lectoris eruditæ curioſitati ſatisfaciam, Textum & Commentarium ſubſcribam. Textum voco Tabularum, quas in monte Sinaï digito ſuo inſcripſit Deus, verſionem ſecuriſſimam ex Evangelio & Paulo in locis obſcurioribus dilucidatam. Commentarius eſt etiam Arabicus, à Catholico quodam Theologo compoſitus, & ad Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini Catechiſmum à Victorio Scialac Accurenſi, & Gabriele Sionita Edenienſi, Maronitis, recognitus, correctus & dilucidatus.

Ne ſim Typothetis moleſtus, Arabicos characteres omitto; & ne Lectori injurius, illos in Lamina Prœmiali, quam dedi ſub initium, exhibeo. Eò recurre; & ſi quid hìc deficere videatur reperies.

DE PRÆCEPTIS DEI.

EGo ſum Dominus Deus tuus.
Præceptum I. Ne ſit tibi Deus præter me.
Præceptum II. Ne jures per Nomen Dei falsò.
Præceptum III. Obſerva dies Feſtos.
Præceptum IV. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.
Præceptum V. Ne occidas.
Præceptum VI. Ne forniceris.
Præceptum VII. Ne fureris.
Præceptum VIII. Ne teſteris falſum.
Præceptum IX. Ne concupiſcas mulierem proximi tui.
Præceptum X. Ne concupiſcas poſſeſſionem proximi tui.

Cur Commentarios noluerim Arabico charactere exprimere?

Dedi Textum Arabicum, illúmque characteribus propriis expreſſi: addam ejuſdem Textus Commentarium; omittam tamen characteres Arabicos, ne ſim Typothetis moleſtus.

molestus. Ergo Doctorum Arabum Commentarium Illustrationémque consideremus.

De Decalogi Avthore.

An ea, quæ opponuntur Decalogo, sint mala, quia prohibita: an verò prohibita, quia mala?

SCit Arabs duas esse in Schola sententias: alteram communem (nempe, Thomistarũ, Scotistarũ, Ochamistarum, & multorum aliorum) alteram unius aut alterius hominis singularem: quarum hæc docet Decalogum non dependere à voluntate Divina, sed ea, quæ in ipso interdicta præscindendo ab omni prohibitione esse mala: illa autem docet omnia, quæ sunt contra Decalogum, esse mala, quia prohibita; non autem prohibita, quia mala. Et quia hæc videtur Fundamentalis Controversia, illam examinari in ipso limine vult Arabs, & ideò interrogat. *Quis posuit hujusmodi præcepta?* Resp. *Posuit ea ipsemet Deus in Lege veteri; & postea Dominus noster Iesus-Christus confirmavit ea in Testamento novo.*

Si non esset à Deo latus Decalogus, nullũ esset peccatũ Theologicũ.

Ecce Arabes de natura rei nihil sciunt. Decalogi præcepta non consistunt in rerum essentiis, ut aliqui (pauci tamen) Theologi suspicati sunt: sed sunt lata divinitùs: nempe olim à Deo, & postea à Christo confirmata: unde, si à Deo lata non essent, hominem theologicè non obligarent, sed philosophicè tantùm: quam ob rem in hoc casu, qui ea violaret, non peccaret, etsi evidenter cognosceret se agere contra honestatem naturalem. Ita Scotus; ita ejus Discipuli, ita & nos suprà *à num.* 1136. nec multùm abest D. Thomas, negat enim cum Scoto & nobiscum esse aliquid secundùm se malum: omnia quæ in Decalogo esse mala dicuntur, non esse prohibita, quia mala, sed esse mala, quia prohibita fuere, testatur. Quod certum & clarum est, nam quando sententiæ oppositæ propugnatores quæro,

Quid Thomistæ doceãt?

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

nantes, quidem, non navigantes: quia huc illuc fluctuant, & omni fundamento carent.

Synopsis Decalogi.

Præcepta Decalogi reducuntur ad duo.

MEditatur Arabs Decalogum & ait: *Quid continent breviter hujusmodi præcepta?* Resp. *Quidquid convenit nos operari ut diligamus Deum, & proximum nostrum: nam tria priora docent nos quomodo ambulemus coram Deo, corde, & ore, & operibus: & septem ultima docent nos benefacere proximo nostro, & non lædere eum in corpore, neque in fama, neque in possessione ejus, non operibus, neque verbis, neque cogitationibus: & sic finis omnium mandatorum est mandatum amoris, quo præcipimur amare Deum Creatorem nostrum: præ omnibus rebus; & proximum nostrum sicut nosmetipsos.*

Et hæc ipsa sunt præcepta amoris.

Cur dicatur Δεκάλογος.

Sanè *Decalogus* à numero præceptorum dicitur: decem continent, quæ ad duo reducuntur: videlicet, *Ama Deum, Ama proximum*: unde in Hispanorum Catechismo legimus. *Estos diez mandamientos se encierran en dos: en servir y amar á Dios sobre todas las cosas; y al próximo como á ti mismo.*

De primo Præcepto.

POstquam Decalogum ad compendium reduxerat, labore altero singula singillatim exponit, & dicenti, *Declara primum præceptum:* respondet, *In hoc præcepto admonet nos Deus, quod ipse est Deus noster verus, & non habemus alium Deum præter ipsum, neque Dominum majorem illo; propterea nos tenemur illi obedire cum omni sollicitudine. Præcipit nobis secundò, ut ne adoremus alium Deum præter ipsum. Quam ob causam peccant Infideles adorando creaturam pro creatore. Peccant quoque Magi, & Incantatores qui adorant dæmonem veluti Deum suum.*

Non datur persona major Deo.

Non datur alius Deus.

Mala Philosophia difficultates in Theologia parturit: nam, si non repugnant multa infinita, & potest unum esse alio majus, unde demonstrabitur non repugnare multos Deos, nec esse Deum alium majorem hoc, quem colimus aut sortiti sumus. Puto non dari plura infinita posse evinci demonstratione naturali: Puto demonstrari etiam posse Deum infinitum esse: ac per consequens Deum unum esse: Nec contra militat id quod contra Thomistas *à num.* 1799. ponimus: ibi enim non dicimus Vnitatem Dei absolutè demonstrari non posse, sed dicimus positâ Trinitate Personarum, & doctrinâ Thomistarum de Personalitatum perfectione non posse pro unitate Dei demonstrationem conformari, quæ elidi non possit. Relinquenda igitur est Angelici Doctoris opinio, & Scoti tenenda.

An sit possibile infinitum? An plura infinita? An sententia quæ admittit infinitatem in creaturis obscuret existentiam Dei.

An Personalitates in Deo dicant perfectionẽ?

De secvndo Præcepto.

DEum quoad se respicit primum præceptum, & secundùm Deum respicit quoad nos: ideò Magister Arabs, rogatus explicare hoc Præceptum sic inquit.

Præceptum secundum interdicit nobis blasphemiam, quæ est peccatum maximum, & jusjurandum falsum, aut non necessarium, & non implerionem votorum; & omnem ignominiam, ac dedecus, quod fit Deo per verba.

De blasphemiis, contumeliis, periuriis, & violationibus votorum.

Blasphemias nos si hæreticales sint, ad primum: si autem non sint hæreticales ad tertium præcipuè reducimus: nam blasphemi omnes fures sunt, qui Deo debitum honorem detrahunt. Blasphemiæ, quæ ex Dei odio nascerentur, etiam ad primum spectant: & omnia verba aut signa in Deum contumeliosa, blasphema sunt.

Ad quod præceptum blasphemia spectent?

In voto considerandа est veracitas, quæ in voti emissione requiritur; & obligatio, quæ ex illo nascitur. In prima votum consideratione ad secundum spectat, ut ait Magister Arabs: in secunda ad tertium. Voves Deo te eleemosynam daturum. Non habes intentionem vovendi? non voves validè. Non habes intentionem te obligandi? ergo nec habes vovendi: idem enim vovere, ac se obligare est. In his duobus casibus verbo mentiris, & peccas in secundum præceptum. Voves, habes intentionem vovendi sed non satisfaciendi? Peccas in secundum, quia mentiris Deo, & in tertium, quia quæ Dei sunt reddere non vis. Voviſti: habuisti intentionem vovendi, &

Ad quod autem vota?

An vovendi, & te obligãdi intentio ad voti valorem requiratur?

An etiam intentio satisfaciendi?

ſatisfaciendi, & tamen poſteà non ſatisfacis? peccas in ſecundum, quia falſa reddidiſti promiſſionis verba, quæ reddere vera tenebaris: peccas in tertium, quia Deo, quæ ſua ſunt negas: nam per votum adquiſivit Deus ſpeciale jus dominiúmque.

De tertio Præcepto.

PRæcedens præceptum, ne Deum mendacem introducamus, aut illi mentiamur indicit; nunc tertio & ſeptimo, ut *Reddamus, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei ſunt, Deo.* Hoc Præceptum Arabs Catechiſta ſic exponit.

Cur ab operibus ſervilibus abſtinere debeamus?

Præcipit nobis Deus in tertio Præcepto, ut obſervemus dies Feſtos; id eſt abſtineamus ab omni opere ſervili, ut ſit nobis tempus ad meditanda beneficia Dei, & viſitanda ejus Templa ſancta, & ad incumbendum ad orationem, & ad lectionem librorum ſpiritualium, & ad audiendam concionem, & ad facienda reliqua opera ſpiritualia & ſancta.

An ceſſante fine legis in aliquo particulari ceſſet obligatio legis in eodem particulari?

An hujus tertii præcepti finis ceſſare poſſit?

Ab omni opere ſervili abſtinere nos præcipit: & rationem præcepti adſignat: & inquiris, An ſi finis huius Legis ceſſet in aliquo particulari, illius obligatio etiam ceſſet? Reſpondeo ceſſare Legis obligationem, ubi ceſſat finis adæquatus præcepti, videri mihi certum, & ſupra probabilioritatis aleam poſitum: interim puto caſum eſſe impoſſibilem; nam ſi nec ſint Templa, quæ viſites; nec libri ſpirituales, quos legas; nec concio, quam audias; poteris meditari beneficia Dei, ad orationem incumbere, & alia opera ſancta exercere.

De Qvarto Præcepto.

HOnos, quem Parentibus exhibere jubemur, eſt practicus, ut Magiſter Arabs benè exponit: ſic enim ait.

Exponitur quartum præceptum.

Quartum Præceptum præcipit nos honorare patrem noſtrum & matrem noſtram, non verbis, & veneratione tantùm, verùm etiam adjuvando eos, & auxiliando illis in neceſſitatibus eorum: & ita etiam facere erga proximum noſtrum. At verò præceptum in proximum non obligat nos, ut præceptum in noſtros genitores, qui nobis dederunt eſſe, & educarunt nos magno cum ſuo labore.

Cur latum fuerit?

Filius ſtrictiùs tenetur parenti, quã extero.

Hinc patet ſtrictiùs teneri erga Parentem filium, quàm erga exterum: Debet huic favere ſub mortali, ſi neceſſitas extrema ſit: at Parenti tenetur ſub mortali, ſi neceſſitas fuerit gravis. Vnde non poteſt fieri Religioſus, qui Parentem in gravi neceſſitate periclitantem habet; vel enim debet priùs procurare illi ad victum & amictum neceſſaria, vel non ingredi. Poterit tamen ingredi in Religionem homo, qui non poſſit in ſæculo manens, Patrem juvare. Sed quis ipſe? Qui eſt aptus, ut Religioſus ſit; etiam erit aptus, ut alicui viro bono ſerviat, & panem lucretur ſibi & Patri.

An Religioſus eſſe poſſit, qui habet parentem pauperem.

Qui ſint Patres, quos honorare præcipimur?

NOmine Patris intelliguntur etiam ſuperiores Eccleſiaſtici & ſæculares (Pontifex ſummus, Epiſcopi, Prælati, &c. Imperator, Rex, Herus, Dominus, &c.) His ergo obedire tenemur. Sed cur? Hermanus Buſenbaum *in Medulla lib. 1. tract. 2. cap. 1. dub. 4.* reſpondet dicens: *Cùm Deus ſit Dominus noſter, atque etiam Superioribus parere nos juſſerit; non ſolùm ipſe, ſed & illi nobis præcipere poſſunt, & præcipiunt, tum ſub pœna, tum etiam ſub culpa:* Ergo ideò Superiores poſſunt jubere, quia nobis Deus præcipit ut eorum mandata obſervemus. Ergo, ſi quartum Decalogi præceptum abrogaret Deus, corrueret omnis Theologica Superiorum authoritas, & ſolùm maneret Philoſophica. Leges Civiles in libris diverſis traduntur; ſunt enim multæ, & in ſingulis Provinciis variæ. Leges Canonicæ etiam ſuos libros habent. Non omnes has aut illas memoriter ſcire tenentur. At Eccleſia præcipit ut quinque generales Leges, quas *Eccleſiæ præcepta* dicimus, nemo ignoret: ſciri inquam eodem ipſo præcepto indicit, quo eadem juſſerat obſervari. Erit operæ-pretium Eccleſiæ Præcepta qualiter in Oriente obſervantur cognoſcere; nam Orientales in ſuis jejuniis Occidentalibus ſunt rigidiores. Arabem Magiſtrum audiamus.

Cur illis obedire teneamur?

Quas Eccleſia Leges ſcire teneamur?

Præcepta Eccleſiæ ſunt ſex. I. Vt audiamus Miſſam ſingulis diebus Dominicis & omnibus diebus Feſtis indictis. II. Et ut jejunemus jejunium maximum, id eſt, Quadrageſimale, & reliqua jejunia ſtatuta ab Eccleſia, abſtinentes à carne & à lacticiniis ſicuti in Eccleſia Romana: A vino verò piſcibus & aliis juxta conſuetudinem Orientalium laudabilem: infra annum verò feriâ quartâ & ſextâ à lacticiniis & carne juxta ritum Orientalium: ſicut in Eccleſia Romana, feriâ ſextâ & ſabbatho abſtinent à carnibus. III. Et ut confiteamur peccata noſtra Sacerdoti ſaltem ſemel in anno. IV. Et ut ſumamus Communionem ſanctam ſaltem in die feſto Paſchatis. V. Et ut ſolvamus Decimas. VI. Et ut abſtineamus à celebratione nuptiarum temporibus interdictis.

Præcepta Eccleſiæ juxta Orientalium mores.

Iejunium maximum, quid ſit, & qualiter obſervetur?

Feria IV. abſtinentia.

Hoc ultimum Præceptum apud Latinos non ponitur inter præcepta Eccleſiæ (quinque enim numeramus) quia eſt ſpeciale, & Parochos videtur concernere.

Quot ſint præcepta Eccleſiæ?

De Qvinto Præcepto.

ARabs Expoſitor ſic Præceptum hoc quintum dilucidat, ut veritatem doceat, rationes aliis decidendas relinquat. Sic ait:

An homicidia juſta interdicantur hoc præcepto?

Præcipit nobis Præceptum quintum ne occidamus quemquam abſque juſtitia, & ne lædamus corpus ejus quovis alio modo. Dixi abſque juſtitia, quia judices qui condemnant morte iniquos, ac reos: & miniſtri juſtitiæ, qui illos occidunt non peccant; ſicuti etiam milites in bello juſto non peccant ſi vulneraverint aut occiderint hoſtes.

Cur Iudices, Lictores, Milites, &c. poſſint homines condemnare & occidere?

Miniſtros juſtitiæ condemnantes capite aut etiam ſententiam ipſam exequentes, & milites hoſtem occidentes non peccare certum eſt: ratio non ita clara. Ad authoritatem divinam recurrit Expoſitor Arabs: at hic ipſe recurſus multas patitur difficultates: Ego ad Præterintentionalitatem omnia hæc refero, uberiúſque ſingula in mea Theologia Præterintentionali expono; vide ibi quæ dicimus ad quintum Præceptum.

De

De sexto Præcepto.

Textus Arabicus est Hebræo & universalior & clarior.

HEbræus Textus cum summa limitatione loquitur: sic expediebat illi rudi tempori: at Arabicus clariùs, & ex Commentario constat, quo sensu Christus, & ab ipso illuminatus S. Paulus literam exposuerit. Arabicus Commentator sic inquit.

Sextum præcipit, ne quis fornicetur. Et sensus etiam est, ne quis committat ullam aliam turpitudinem veneream.

De septimo Præcepto.

TEmporalia bona concernit hoc Præceptum, quod multis verbis alii, paucis Arabs Theologus expendit dicens:

De furto, rapina, & fraudibus.

Præcipit septimum ne quis accipiat rem proximi sui clam, & hoc vocatur furtum: *neque manifestè, quod vocatur* rapina, *& ne fraudet quemquam, non in venditione, neque in emptione, neque in ulla alia conventione simili: & ne offendat proximum suum in his quæ possidet.*

De octavo Præcepto.

OMne mendacium (pernicioſum, & officioſum) interdicit hæc Lex: audi Commentatorem; inquit enim:

An omne mendacium peccatum sit?

Octavum prohibet omne testimonium falsum & murmurationem & detractionem, & astum, & mendacium, & omnem dolum, ac detrimentum, quod fieri potest proximo per linguam.

An & jocosum?

Mendacia jocoſa etiam ſunt mala; at non omnia ſunt mendacia, quæ videntur: nam Apologi, Parabolæ, Fabulæ morales, quas Hiſpani *Novelas* dicimus; & omnes figuratæ propoſitiones à mendacio excuſantur.

De Nono et Decimo.

ACtus internos (mentis & voluntatis) Magiſter Arabs ad duas ultimas Decalogi Leges reducit. Ejus verba ſunt hæc:

An actus interni interdicantur?

Præcipit Deus in illis, ne quis concupiscat uxorem proximi sui, nec bona ipsius: quia ipse est qui videt corda nostra, & vult ut simus sancti, non extrinsecè modò, verùm etiam intrinsecè, ut hoc pacto simus verè & perfectè sancti, & justi.

Nota illa verba, *Quia ipse* (Deus) *est, qui videt corda nostra.* Argumentum, quo utuntur Theologi, ut probent, de occultis non judicare Eccleſiam, eſt hoc. *Non potest præcipere, quæ non potest vindicare & punire: non potest vindicare & punire, quæ non potest cognoscere. Ergo non potest præcipere, quæ non potest cognoscere. At actus purè internos non potest cognoscere: igitur nec præcipere.* Hanc rationem Commentator Arabs vertit, ut actus internos divinitùs præcipi & interdici perſuadeat. Ejus argumentum ad hæc verba reduco. *Potest Deus præcipere, quæ potest vindicare & punire: potest vindicare & punire, quæ potest cognoscere: potest cognoscere profundissimas cordis cogitationes: ergo has ipsas potest præcipere.* Eſt Sorites ſecutus, & ad Galenicam normam reducitur.

An humanitùs possint?

An possint divinitùs?

Vide ſuperiùs num. 1605. quomodo hæc duo præcepta diſtinxi & expoſui.

PARS III.

Græcam verſionem meditans & exponens.

1508 TExtvm Hebraïcum dedimus, Græcum addamus, ut ſe mutuò dilucident: eſt enim Græca verſio antiquiſſima & ſecuriſſima, & multùm nobis proderit ejus conſideratio & ponderatio.

TEXTVS DECALOGI.

1509 Καὶ ἐλάλησε Κύριος πάντας τοὺς λόγους τούτους, λέγων. *Et loquutus est Dominus omnes sermones hos, dicens.*

Cur Deus vocetur Κύριος?

Exponendvm eſt primò, cur Deus, ipſe enim hîc loquitur & Decalogum fert, vocetur Κύριος? & ſtatuo multas hanc vocem habere acceptiones ſignificationéſque, quæ attributa varia Dei abſconditi & habitantis lucem inacceſſibilem, exponunt.

Deus habet dominium proprietatis in homines.

Κύριος idem ac *Proprius*: & ſumitur activè & paſſivè: unde κύριος αὐτὸς ἑαυτῷ *ſuæ jam tutelæ permiſſus.* Et meritò, nam & nos ſumus proprii homines Dei, & Deus eſt proprius creator noſter: nos ad illum jure proprietatis paſſivæ pertinemus, & ille ad nos jure proprietatis activæ. Et quidem habere proprietatem activam eſt dominari, quoniam ut ſuperiùs oſtendi proprietatis dominium à libera productione ſuboritur.

Sed cur?

Deus hominū Tutor, Curator, Pater.

Tutores & Curatores Κύριοι dicti; & hanc ipſam qualitatem non deſpicit ſummus Legiſlator. Dum Decalogum ſervas & in Dei gratia perſeveras, filius Dei adoptivus, præceptis ſalutaribus monitus & divina inſtitutione formatus, audes oculos elevare ad empyreum, & Deum *Patrem* vocare. At qui peccaſti, amiſsâ gratiâ adoptionem ipſam amittens divinam indignationem incurriſti, & in Dæmonis jus & poſſeſſionem tranſis. At

ipſe

ipſe Deus, in quem peccaſti, cum iraſcitur, miſericordiæ recordatur: condolet tibi exſilio, orphano, exhæredi, & vult adhuc eſſe tuus proprius, ſi non Pater, ſaltem Curator Tutórque, & te auxiliis prævenit, ad ſe vocat, & allicit, & cunctantem renuentémque curat, fovet, cuſtodit, tuetur, monet, ut velisd ipſu m converti.

1510 *Summus Princeps Deus.*

Qui clavum Reipublicæ gerit, & ſummum locum obtinet, κύριος τῆς πόλεος dicitur, adeóque κύριος κόσμε Deus, quod ſummo creaturas omnes jure & authoritate gubernet. Et quia Gazæ de ſenect. κύριος τῶν μεγίστων *rerum maximarum habens poteſtatem* vocatur; tenemus nullum alium veriùs Deo poſſe hoc nomine exprimi; ipſe enim ſolus, qui poteſt animam aut damnare aut ſalvare, eſt in quo ſumma & maximarum omninò rerum poteſtas & authoritas eſſe ſita conſpicitur.

1511 *Quo Deus, & quo homo modo Leges ferat?*

Sed & *Auſpex* & *Author* κύριος dicitur. Plato epiſt. 7. τὸν ἡγεμόνα τούτων καὶ κύριον. *Horum ducem & authorem & auſpicem.* Porrò aliter Deus & aliter Homo jus pronunciat. Homo fert Legem, nec tamen ut impleatur concurrit; at Deus non ſolùm Legiſlator, ſed etiam dux, author, & auſpex. Dux in Evangelio, nobis relinquens exemplum, ut ſicut ipſe mandata Dei ſervavit & manſit in Dei dilectione, ſic & nos mandata Dei ſervemus, & in Dei dilectione maneamus. Auſpex in concurſu illo prævio, quo nos excitat; Author in ſimultaneo, quo ipſe cooperatur divinitùs; Auctor in ſubſequente, quo ipſe noſtra perficit opera, & cælitùs dignatur coronare. Vnde Auguſtinus, *Da, quod jubes; & jube, quod vis*; dat nobis enim gratiam ut impleamus præcepta, & poſteà ſua dona coronat.

Gratia divi-ſio.

Deus eſt Dux, Auſpex, Author, & Auctor.

Deus eſt reconciliationis dominus.

Sæpè lego, κύριος εἰμὶ ἡ καταλύσεως *Dominus ſum reconciliationis; veniæ & converſionis apud me eſt poteſtas.* & ſolamen recipio. Tuliſti legem Domine, quam violavi; ſed quia es reconciliationis dominus, dominii tu ſupremam poteſtatem oſtende, meum cor convertendo, & me tibi reconciliando.

1512 *Sentit humana mens Leges inter ſe repugnantes.*

In memetipſo Domine acies adverſarias experior, exercitus hoſtiles patior. Bonæ inſpirationes multæ ſunt, & tamen à malis mei affectibus retunduntur; & ego anceps ambiguus, in diverſa imò in adverſa trahor, & tametſi volendo poſſem omnes malas cogitationes ſubigere, velle non volo. Vincant igitur inſpirationes tuæ malos affectus meos, & ſis κύριος ἐν πολέμῳ *in hoc bello dominus*, quem alii ob alias cauſas, & ego quia experior te auſpice malarum cogitationum copias, & pravorum deſideriorum turmas poſſe proſterni, te Deum ſabaoth, te Deum exercituum imploro, victoriarum arbitrum, & bellicæ fortunæ dominum.

Eſt Deus bellorum dominus.

Deus Ens antiquiſſimum.

Κύριος Demoſthieni eſt *Antiquiſſimus*, & in hoc verè à reliquis Diis noſter Deus differt, quod omnes illi ab Hominibus facti, ſint juvenes; at noſter, quia ab æterno antiquiſſimus. Vnde meritò à Valeriano Magno nominatur *Præexiſtens*, quod ante omnia ſolus fuerit.

Præexiſtens.

Deus eſt Legiſlator.

Claudam hanc meditationem adnotando conceptum utilem, in ejuſdem vocis acceptione fundatum. Nam in voce κύριος neſcimus ſubintelligi vocem Νομοθέτης *Legiſlator*, ſcimus ſubintelligi Νόμος *Lex*: & infero, eum qui fert & pronunciat Decalogum, eſſe κύριον νόμον, non tam dominum Legiſlatorem, quam ipſam legem: non enim erimus Legi huic diſſimiles qui fuerimus ſimiles Deo.

Deus eſt ipſamet Lex.

1513 *Quid* Λαλέω *ſignificet?*

Iam scimvs quis ſit, ille Κύριος, qui ſe reponit; ſed quid fecit? ἐλάλησε. Quid? ἐλάλησε? An non verbum Λαλέω *loquor* in malam accipitur partem; & temerè, inconſideratè, & citra delectum conſiliúmve loqui ſignificat? Porrò, qui id ignoraverit, neſcit eſſe celebratiſſimum illud Eupolidis apud Gellium, Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν. *ad garriendum aut nugandum aptiſſimus, ineptiſſimus ad ſeriò & prudenter loquendum.* Ergo ſi ad litteram periodus transferatur, κύριος ἐλάλησε, erit, *Dominus garrivit ſive nugatus eſt.* Et, ſi hoc verum verbum Hebræum דבר *Dabar*, Græcus Interpres impiè tranſtulit.

An in malam partem ſumi ſoleat?

1514 *Diſcrimen inter* λαλεῖν *&* λέγειν.

Rem expono. Qui accuratiùs ſcripſerunt lexica, verb. Λαλέω, fatentur λαλεῖν & λέγειν eſſe oppoſita Λαλεῖν primariò ſonat *loqui ſine conſilio, ſine præmeditatione, agere ex tempore:* &, quia omnia quæ ex tempore agimus, & inconſultò decernimus, ſunt correctione digna, ſecundariò *malè loqui* ſignificat: at contra Λέγειν, ſignificat *narrare, exponere, dilucidare, pronunciare, cenſere, & decernere*: & quia hæc ex tempore & ſine conſilio nequeunt fieri, ſecundariò ſignificat *ex conſilio præmeditata & elimata loqui.* Et quidem ſapientiſſimè ſacri Textus Scriptor hæc duo oppoſita verba conjunxit, ut doceret, in Deo non habere locum ſignificationes ſecundarias, quæ ex noſtra imperfectione naſcuntur, qui conſilio alieno & præmeditatione propriâ in rebus agendis indigemus. Iuvat hîc ad Bernardum recurrere: Diſcurrit & ratiocinatur Homo, non tamen Planta, & Brutum, non Angelus & Deus. Sed cur? illa carent diſcurſu propter imperfectionem, hi verò propter perfectionem. Hinc ad λαλεῖν. Dicimus Deum & hominem λαλεῖν, hunc propter imperfectionem, & illum propter perfectionem. Quam ob rem illam Periodum, Κύριος ἐλάλησε πάντας λόγους τούτους, λέγων, ſic expono. *Dominus noſter proprietarius, cujus nos paſſivè ſumus, qui activè eſt noſter; qui exiſtentium in gratia eſt Pater, & peccatorum Tutor Curatórque, qui clavum rerum omnium tenet, & humanarum operationum eſt Auſpex, Author,* Α & Ω, *Principium, medium finiſque, præveniens cooperans & ſubſequens; qui eſt non modò juriſdictionis, ſed etiam reconciliationis dominus, exercituum malarum bonarúmque cogitationum in me pugnantium arbiter; antiquiſſimus & principio omni carens; qui non tam eſt Legiſlator, quam Lex ipſa; loquutus eſt, ſine conſilio, ſine præmeditatione, ſine examine prævio, nec tamen ideò temerè, non enim conſiliariis indiget qui nil ignorat, nec præmeditatione, cujus ſcientia non creſcit, nec prævio examine, qui ſimultaneus eſt; cunctos ſermones hos, dicens, narrans, exponens, dijudicans, pronuncians, cenſens & decernens.*

Cur nec Plãta, nec Bruta, nec Angeli, nec Deus diſcurrant.

Textus Græci paraphraſis.

Sed cur ipsa Præcepta λόγοι, & Tabulæ vocantur Δεκάλογος? Multas poſſem rationes proponere, ſed Plato in Timæo, ait, Λόγος ὃς ἐξ αὐτοῦ, ἀληθὴς γιγνόμενος. *Ratio autem vera, quæ verſatur in iis, quæ ſunt ſemper eadem.*

1515 *Cur Præcepta Dei dicantur* Λόγοι?

eadem. Vnde colligo Decalogum esse collectionem decem rationum seu veritatum immutabilium. Porrò, hæc præcepta humanitùs mutari non posse (hoc enim sensu Philosophum interpretor) *lib.*2. ostendi.

An, & quomodo sint immutabilia?

1516 Non ratò λόγος pro *proportione* sumitur, unde ἀναλογία *duorum extremorum consonantia* est. Præcepta igitur divina vocantur *Proportiones* seu λόγοι, quod rationi sint valdè proportionata, & quibus omnes actiones nostræ debeant correspondere. Hinc apud Lucianum λόγος τ ἀδικίας *Verbum transgressionis*, est lex, quæ temeratur; ait enim, Κατὰ λόγον τ ἀδικίας κολάζεσθαι, *secundùm Legem quæ violatur, puniri.* Ergo vel teste Ethnico peccata differunt specie secundùm Leges, quibus ipsa opponuntur.

An sint rationis dictamini proportionata?

Vnde sumãtur peccatorũ species?

1517 Diog. Laërtio λόγος est syllogismus: & quidem meritò, nam quicumque peccator cum Legem Dei audit, præ oculis videt jussionem, meminit transgressionis, & condemnationem concludit. Vide hujus syllogismi efficaciam expositam in nostra Philosophia morali. Vnde S. Bernardus in Gymnasio Logices sic olim dialecticatus est: *Deus proponit vobis hoc argumentum: respondete. Ego legem dedi: Vos prævaricati estis: ergo condemnabimini.* Quod tam fuit efficax, ut multi ex Auditoribus relicto mundo fuerint Cistercien-sem Religionem amplexi.

An Lex Dei syllogismus sit?

Melliflui Doctoris argumentum.

Peccatum est quædam dementia libera.

Sunt Plutarcho οἱ ἐκτὸς λόγων ὄντες *homines illiterati, indocti:* & moraliter, *Præceptorum divinorum expertes*, quoniam asserente Augustino, omnis qui peccat, est ignorans, nam si esset prudens, non peccaret. Illiteratis opponuntur οἱ ἐντὸς, &c. *Præceptorum divinorum participes*, hoc est, *Prudentes & docti.* Hinc patet quid sit illud Prophetæ, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* nam omnes irrationales bestiæ ἄλογοι nominantur; & ἄλογοι etiam homines, qui contra λόγον, seu Legem Dei, hoc est, rationem, operantur, omne enim peccatum est ἀλογία, actionis & Legis divinæ oppositio, operationis & dictaminis indicentis esse obediendum Deo, dissimilitudo; & veriùs dementia quædam libera, nec non delirium voluntarium.

1518 INQVIRIS TAMEN, *An Deus Decalogum tulerit immediatè & ἀμέσως, an per Angelum personam suam repræsentantem?*

An Deus in monte Sinai fuerit loquutus immediatè?

An in rubo Moysi apparuerit Deus, an Dei Angelus?

Respondeo hoc secundum dici posse propter multas authoritates, quæ substruuntur verbis S. Stephani Act. 7. 30. asserentis *visum Moysi in flamma rubi Angelum κυρίου Domini*, cùm tamen Moyses dixerit sibi loquutum יהוה Dominum: & ipsemet qui alloquebatur Moysen dixerit Exod. 3. 15. se esse אשר אהיה, quæ vox cùm sit prioris explicatio, posset exponi, *Ego sum qui sum, qui ero, qui dominor, qui dominabor:* vel uno verbo, juxta meam Grammaticam Audacem *Ego syns.* omnia enim hæc hoc participium *syns* significat. Vnde viri doctissimi omnes Veteris Testamenti revelationes per Angelos factas existimant. Sic & Iosephus sensit libro XV. antiquæ historiæ: *ἡμῶν ὃ τὰ κάλλιστα τ δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τ ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τ θεῦ μαθόντων, cum nos dogmatum potissima & sanctissimam Legum partem per Angelos à Deo accepe-*

Deus loquutus per Angelos.

Quomodo Angeli fuerint visibiles: siquidem immateriales sunt?

rimus. Sed & Philoni in Decalogi enarratione dicitur Deus locutus non per se, sed ψυχὴν λογικὴν ἀναπλέων ἀφθορείας καὶ πρανότητος, ἣ τ ἀέρα σχηματίζουσα καὶ ὀπτεύουσα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοιαύτην ἐναρθρον ἐξήνεγκεν, *mentem quandam rationalem implens perspicuâ cognitione, quæ aërem formans atque attenuans velut in ignis flammantis speciem, tanquam spiritus per tubam, vocem edidit distinctam:* ubi & alia sequuntur ejus argumenti. Vide, si vacat, Iosephum Album Fundamentorum lib. 11. c. 28. aut si Christianum mavis, audi Scriptorem respons. ad Orthodoxos: τ ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεῦ ὤφθησαν ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐσχήκασι καὶ αὐτοὶ τ θεῦ τὴν κλῆσιν ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ιακὼβ καὶ τῷ Μωυσῆ. ἐκλήθησαν ὃ καὶ οἱ ἄνυσποι θεοὶ ἑκατέροις ὃ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν, ἐδόθη τ θεῦ τ τάξιν καὶ τ προσηγορίαν ἔχειν. πληρωθείσης ὃ τ χρείας παύονται τ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας τινος ἕνεκεν εἰληφότες τ θεῦ τ κλῆσιν, *Angelorum, qui Dei loco visi aut locuti sunt hominibus, Dei vocabulo nominati sunt, ut ille qui Iacobo quique Mosi est locutus. Etiam homines dii vocantur. Vtrisque ob officium ipsis injunctum datum est, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleto autem officio desinunt vocari dii, qui tantum operæ alicujus causa id nomen acceperunt.* Sic Phanuel πρόσωπον θεῦ *faciem Dei*, exponunt & Iosephus & Gerundensis.

Cur Angeli vocantur Dii? quia vicem Dei gerunt.

PROLOGVS.

Decalogi.

1519 ΕΓὼ εἰμι ὁ κύριος ὁ θεός σου, ὃς τις ἐξήγαγόν σε ἐξ αἰγύπτου ἐξ οἴκου δουλείας. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.*

Hic textus omnem Deorum eliminat pluralitatem.

Hoc Proœmium Decalogi Philo & eum sequuti Christiani τὸ περὶ μοναρχίας *de unius imperio*, aut etiam καθαίρεσιν τ πολυθείας *multitudinis Deorum destructionem* appellant. φίλτρον ἀνυσιμωθαῖον, καὶ δεσμὸς ἄλυτος διανοίας ἐρωτικῆς ἢ τ ἑνὸς θεῦ τιμὴ. *Amatorium vehementissimum, & vinculum insolubile benevolentiæ atque amoris, cultus unius Dei*, ait Philo libro de Monarchia 1. & de fortitudine, αἴτιον τ ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον, ἢ περὶ τ ἑνὸς θεῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἐνωτικὴ, καὶ ἀδιαλύτω φιλίᾳ κέχρωται πρὸς ἀλλήλους. *Causa concordiæ & summa & maxima, de uno Deo persuasio, à quo velut fonte procedit amicitia firma & insolubilis hominibus inter se.* Et quidem, ut vocem θεὸς intelligamus, audiendus Plato, qui libro de Legibus sic inquit, Ἀρχὴ γὰρ καὶ θεὸς ἐν ἀνθρώποις ἱδρυμένη σώζει πάντα. *Principium & numen hominibus insitum omnia servat:* unde κύριος καὶ θεὸς, idem omninò est ac ἀρχὴ καὶ θεός.

Deus est Principium.

Sed cur illud ἐξ αἰγύπτου *ex Ægypto*, vulgatus, *ex terra Ægypti* transtulit, cùm in textu Græco non sit *terra?* Quoniam peccatores fuerunt in Ægypto, & ubicumque peccatum est, terra subintelligitur, homo enim à peccato habet mortem, & à morte quod terra sit & in terram iterum iturus sit.

1520 *Cur ponatur vox Terra?*

Est αἴγυπτος tam terra quàm fluvius, Stephano asserente, unde alto conceptu Vulgatus

1521 *Ægyptus*

terram & fluvium ſignificat.

de terra Ægypti dixit, ne quis Iſraëlitas eductos ex aqua putaſſet. Adamus enim è terra eductus eſt, & in regeneratione & Baptiſmo educimur ex aqua ; & quia favor iſte nondum hominibus fuerat conceſſus, non dicuntur ex aqua Ægypti expreſsè, aut ex Ægypto æquivocè, ſed ex terra Ægypti diducti. Videri poſſunt multa ſcitu digna apud Herodotum *in principio lib.* 2. & apud Iſocratem *in Buſiride.*

1522 *De Baptiſmo.*

Sanè, qui baptizamur, educimur de domo ſervitutis & de aqua veteris Ægypti per aquam novam in novam regionem Ægypti. Aqua vetus erat Νεῖλος, quem Servius dictum exiſtimat, quaſi νέον ἰλὺν *novum trahentem lutum*, at aqua nova, ſanguine Chriſti intincta, cùm nos ſacramentaliter lavat, abluit antiquum lutum, & nos ex Ægypto terrâ & aquâ ſervili in ſupernaturalem Ægypti regionem importat : nam & *Aërea* dicitur

Ægyptus vocatur Aërea.

aſſerente Gellio lib. 14. cap. 6. quod terrâ & aquâ ſublimior, imago ſit divinæ Triados, & Δέλτα ſoleat nominari.

1523 *Cur ſervitus dicatur domus ?*

Sanè Δουλεία *ſervitus*, aut potiùs *ſervorum multitudo* eſt. Sed cur *domum ſervitutis* ipſam captivitatem facer Textus appellat ? Quoniam, ut benè notat Iuvenalis, *Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis*, ſuperbia enim, quæ liberos in ſervos vertit. Ioann. 8.

Omnis peccator ſervus eſt.

Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati : quoniam morum ſimilitudo habitare facit unius moris in domo, *& bonus, etiam ſi ſerviat liber eſt ; malus autem, etſi regnet, ſervus eſt, nec unius hominis, ſed quod gravius, tot dominorum, quot vitiorum*, aſſerente Auguſtino libro 4. de Civitate, & libro 20. addente, *conditionem ſervitutis jure intelligi peccatori eſſe impoſitam.*

1524

Perpendebat mente S. Hieronymus illa Spiritus-Sancti verba, qui aſſerit conſentire peccato, ſervire eſſe ; & Deo ſervire regnare, & Epiſtola ad Simplicianum ait, *Eſt ſapienti ſervire, libertas : ex quo colligitur, quod ſtulto imperare ſervitus eſt : & quod pejus eſt quod paucioribus præſit, pluribus dominis & gravioribus ſervit : ſervit enim propriis paſſionibus, ſervit ſuis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte nec die fugari poteſt : quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſervitium patitur intolerabile.* Terra igitur Ægypti & domus ſervitutis, Domine Iesv, intra me eſt ; extrahe me à memetipſo, me à memetipſo libera ; hoc eſt, à paſſionibus qui cordi meo & affectibus meæ libertatis dominantur, & me in ſervitutem miſeram & tyrannicam trahunt ; *Quis enim neget, licèt Reges, omnes leves, omnes perfidos, omnes denique improbos eſſe ſervos ? An ille liber mihi videtur cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, vetat, jubet quod videtur ? qui nihil imperanti negare poteſt ? nihil recuſare audet ? ſi poſcat, dandum eſt ; ejicit, abeundum eſt ; minatur, extimeſcendum eſt. Ego verò non modò iſtum ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. An etiam eorum ſervitus dubia, qui peculii cupiditate nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſervitutis : habetur ditatis ſpe quidquid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipitur ? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat. Loquitur ad ejus voluntatem : quidquid denuntiatum ſit, facit : aſſentatur, adſidet, invitat. Quid horum eſt liberi ? Quid denique ſervi non inertis ? Quid jam illa cupiditas, quæ dicitur eſſe liberalior honoris & imperii : Provinciarum quæ dura eſt domina, quæ imperioſa, quæ vehemens. Iudex verò quantum habet donatum, quanto timore nocentes afficit. An non eſt omnis metus ſervitus omnis ? an debilitas ? Et humilis, & fracti timiditas ſervitus eſt.* Paradoxorum libro Cicero.

Omnis vir juſtus liber.

PRÆCEPTVM I.

Textvs Sacer.

1525

Οὐκ ἔσονται σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. *Non habebis Deos alienos coram me.*

Dii alieni: Dii adverſarii :

Sed qui ſunt θεοὶ ἕτεροι *Dii alieni ?* Dii alterius factionis, Dii adverſarii ; ἕτερος enim non diuerſitatem modò, ſed adverſitatem ſignificat. Hinc oriuntur tres quæſtiones, *Prima*, An ſubſtantiæ corporeæ, cæleſtes ſublunaréſve, adorari poſſint ? *Secunda*, An poſſint Angeli ? *Tertia*, An poſſint Homines ? *Vtrem* altiùs intelligas, doceri debes à Paulo 1. Corinth. 8. 5. Ens divinum per analogiam neſcio quam in unum & plura ; datur enim unicus, qui intrinſecè & verè Deus eſt, & dantur plurimi, quorum divinitas eſt denominatio extrinſeca & gentium error, *οἱ λεγόμενοι θεοὶ, qui dicuntur Dii* ; hoc eſt, ut verbis philoſophicis utar, qui ſunt Dii, ſed ſecundum dici.

Dii ſecundùm dici.

Et hac doctrinâ præmiſsâ Deum ſecundum eſſe à Deo ſecundum dici exactè poteris diſtinguere.

1526

Ad primam quæſtionem reſpondeo eſſe duas Scriptorum ſententias ſatis veroſimiles & plauſibiles, quæ diverſæ inter ſe, non adverſæ ; puto enim utramque in diverſis Provinciis habuiſſe locum, aut habere. Prima aſſerit antiquiſſimam idololatriam ſtellis divinos honores adtribuiſſe ; & ei ſubſcribunt Abeneſdras, Moyſes Maimonides, & alii multi. Et quidem cultum ſyderum alicui videretur eſſe licitum aſſeruiſſe Iuſtinus, qui cum Tryphone diſputans, ſic ait ἥλιον ὁ Θεὸς ἐδέδωκει πρότερον εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτὸν, *Solem Deus dedit, ante adorandum :* verum illud *dedit*, permiſſivè & non imperativè interpretamur : Solem enim & ſydera ab Ethnicis adorari permiſit Deus, non quidem concedendo licentiam, ſed ſicut alia peccata permittit : quo ſenſu etiam dixit Apoſtolus, Act. 14. 16. ἐάσας πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι τοῖς ὁδοῖς αὐτῶν, *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas :* hoc eſt *permiſit :* unde Chryſoſtomus illud παρέδωκεν *tradidit*, quod ponitur Roman. 1. 24. interpretatur ἔγνω εἰδὼς *ſcivit eſſe.* & ad caput 11. ejuſdem Epiſtolæ ſic infit, τὸ ἔδωκεν ἐνταῦθα μὴ ἐνέργειαν νόμιζε, ἀλλὰ συγχώρησιν, *illud* dedit, *hîc non efficaciam interpretare, ſed*

An primi Gentilium Dii fuerint ſydera.

An adorentur licitè?

Dare pro Permittere.

Dimittere pro Permittere.

Tradere pro ſcire.

sed permissionem. Et quidem contra Astrorum & rerum caducarum cultores appositissimè & severissimè seduliùs.

Contra Ethnicos.

Heu miseri, qui vana colunt; qui corde siniſtro
Religiosa sibi sculpunt simulachra, suúmque
Factorem fugiunt, & quæ fecêre verentur.
Quis furor est? quæ tanta animos dementia ludit?
Vt volucrem, turpémque bovem, torvúmque draconem,
Semihominémque canem suplex homo pronus adoret.

An adoranda statuæ sint?

An Sol?

Aſt alii Solem cæcitatis mentibus acti
Affirmant rerum esse patrem, quia ritè videtur
Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare polum; cùm constet ab istis
Montibus stabilem rapidis decursibus ignem
Officium non esse Dei.

Ridet Poëta quidam Ægyptios quod adorarent Plantas.

Plantæ Ægyptiorum Dii.

O sanctas animas, quibus enascuntur in hortis
Numina!

Et cur non potiùs Romanos, & populos alios, qui lapides; qui ligna; qui elementa; qui sydera?

1527 *An initium Idololatriæ fuerit timor?*

At juxta secundam sententiam *primos in orbe Deos fecit timor.* Lactantius lib. 1. cap. 15. Institutionum divinarum rem ipsam hisce verbis exponit. *Cùm constet Saturnum, Jovem, cæteróſque Deos homines fuisse, non tamen est obscurum, quâ ratione Dii cœperunt nominari. Si enim nulli Reges ante Saturnum vel Vranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant; non est dubium, quin illis temporibus homines Regem ipsum totámque gentem summis laudibus ac novis honoribus jactare cœperint, ut etiam Deos appellarent, sive ob miraculum virtutis, hoc jure putant rudes adhuc & simplices; sive, ut solent in adulatione præsentis potentiæ; sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi Reges, cùm chari fuissent, his, quorum vitam composuerant, magnum desiderium sui reliquerunt, itaque homines eorum simulachra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium. Progressique longiùs per amorem defunctorum memoriam colere cœperunt, ut gratiam referre benemeritis viderentur, & successuros eorum benè adlicerent ad imperandi cupiditatem: quod Cicero de natura Deorum docet, dicens, susceptit autem vitæ consuetudo communis ut beneficiis excellentes viros in cælum famâ & voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber, & alio loco atque alio intelligi potest acuendæ virtutis gratiâ, aut quò libentiùs Reipublicæ periculum adiret optimus quisque virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium consecratam.* Consonat Divus Chrysostomus, qui ad cap. 12. 2. ad Cor. sic inquit, οὕτω γὰρ εἰδωλολατρείας ἦρξεν ἐκράτησεν τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων, *sic enim idolorum cultus primùm obtinuit, cùm homines supra meritum in admirationem venirent.* Et de Mauris Cyprianus, *Manifestè Reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.*

Quomodo cœperint homines coli ut Dii?

An Reges adorandi sunt? sunt quidem, non ut Dii, sed ut homines vice Dei imperantes, nobis præpositi & Deo subditi; non enim in cultu idololatria consistit, sed in nimio; coli enim debent intra terminos conditionis humanæ, nam virtus in medio posita, arguit de crimine Regum & Principum contemptores, arguítque illos qui eisdem divinos honores adtribuunt. Oportet imitari Nathan, qui 1. Regum 1. 23. ita veneratus est Davidem, ut Deum Davide majorem testaretur. Non enim latria consistit in materiali reverentia, sed in occulto mentis cultu, & veneratione absoluta. Propheta Dei erat Nathan, *cúmque introïsset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terram, dixit, &c.* & paulò pòst *summisso Bethsabee in terram vultu, adoravit Regem*, at & ipsi adoraverunt Davidem, non ut Deum, sed ut vices gerentem Dei, & Numinis nomine populos gubernantem: sed & videtur sub finem capitis David Filium suum jam Regem adorasse (nisi malis adorationem illam, quam Textus sacer exprimit ad Deum solum referre) qui enim naturalis & realis erat Salomonis Pater, erat ejusdem, jam Regis, verus subditus & moralis filius. Certius tamen est Davidem adorasse Saülem. Iosephus, Προσκυνεῖ αὐτὸν πεσὼν ὕπτιον πρόσωπον, ὡς ἔθος. *Veneratur eum pronus cadens, ut moris est.*

1528 *An, & quomodo homines sint adorandi?*

Adorant Davidem Nathan & Bethsabee.

An Salomonem David? An Saülem?

Consonat Scriptor vitarum illustrium in Conone. *Necesse est, si in conspectum veneris, venerari Regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* De Legatis Carthaginensium Livius. *More adorantium (accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant) procubuerunt.* Qui quidem cultus apud Phœnices invaluit & obtinuit notante Euripide,

1529 *Pœni Regem adorant.*

Γουνοῦμαί σ' ἕδρας προσπίλνῶ
Σ' ἄναξ, τὸ σὸν κυσῶν νόμον σέβων
Supplex te Rex venerans, genubus
Patrio advolvor de more tuis.

Et Herodotus in Polymnia, ἀνάγκην σφὶ προσφερόντων προσκυνέειν βασιλέα προσπίπτοντας. *ut accedentes adorarent (congenularent, sic enim loquitur Nonius) flexíſque genubus venerarentur Regem.* & ibidem negant illi Spartiatæ, σφὶ ἐννόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν. Vnde Tertullianus ad scapulam, *Colimus ergo Imperatorem sic, quo modo nobis licet, & ipsi expedit; ut hominem à Deo secundum & quidquid est à Deo consequutum, & solo Deo minorem.* Et adversùs Gentes, *Temperans majestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subjicio; subjicio autem, cui non adæquo.* Est-ne bona consequentia, quæ inæqualitatem adsumit, & subordinationem concludit? alibi examinabo. Tertullianus statim, *Dicam planè Imperatorem Dominum, sed quando non cogor, ut Dominum Dei vice dicam.*

1530 *An ex inæqualitate nascatur subjectio?*

Hæc ut altiùs intelligas duo postulas, Primum, An Imperator possit *Dominus* dici: Alterum, An semper possit genuflexione coli?

1531

Respondeo ad primum, hodie apud omnes Christianos, non solùm Imperatorem, Regésque, sed & quoscumque heros, & viros illustres *Dominos* appellitari, at olim omnia aliter, erat enim vocabuli grandior acceptio. Vide quæ dicta superiùs lib. 2.

An homines possint vocari Domini?

An genuflexione coli?

Et respondeo ad secundum sicut voces, sic etiam & genuflexionem esse cæremoniam ad placitum significantem, quæ apud aliquas nationes latriam, & duliam apud alias significat. Porrò ubi genuflexio latriæ mentalis index est, homini exhiberi non potest; ubi autem aliter hæc actio accipitur, omninò poterit. Hinc est quod Græci, quibus moris fuit solum Deum in sacrificiis genuflexione venerari, noluerint Persarum Reges genuflexione colere, ut passim in historiis habemus. Hinc est quod Christiani non solùm coram Imperatoribus, sed & coram eorum imaginibus procubuerint sine conscientiæ scrupulo, quia inter nos non latriam, sed reverentiam latriæ & duliæ communem significabat genuflexio.

An genuflexio sit latria?

1532
Si non sit, an aliquādo neganda sit Regibus propter scandalum?

Addo genuflexionem aliàs licitam debere à nobis intermitti ratione scandali; nimirum si contingat aliorum moribus aut malitia hunc cultum in deteriorem partem accipi. Nobis exemplo est Christianus ille, qui apud Sozomenum Regem Persarum genu flexus veneratus est; & tamen ab hujusmodi cultu destitit, ubi cognovit hac alios actione scandalizari. Et authore Gregorio Nazianzeno cognovimus Christianos illos, qui non recusarant genuflexione imagines Imperatorum colere, maluerint mori quam genuflectere cùm suis Deorum etiam imagines addi jussit Apostata Iulianus. Aliqua

1533
Cur Ægyptii animalia adorasse dicantur?
Dæmones sub specie diversarum animantiū sunt visi.

De cvltv Angelorvm subjungo, & suppono Ægyptios, qui ut loquitur Arnobius lib. 6. *Mutorum animantium formas causis inseruere divinis*, non coluisse ipsas bestias, sed dæmones in eas transfiguratos. Hinc Idolorum & dæmonum cultorum classes; hinc quia apparuerant hujus aut illius animantis specie, vocati ὀφιόμορφοι, ταυρόμορφοι, τραγόμορφοι, ὀρνιθόμορφοι. Vide de serpentibus, quos κνηφ vocabant, Eusebium de præparatione Evangelica, ubi de Taaute; Plutarchum in Alexandro, Servium ad Virgilium, & adde Genes. 3.1. & Esai. 34.14. Hirci formâ Asimam colebant Samaritani, & Negalem gallinæ sylvestris effigie. Vide etiam Iamblichum de Mysteriis Ægyptiorum, & Psellum: qui enumerant idola, è quibus multa respondent illis, quæ κυνώδη φάσματα *spectra canina* Proclus ad Hesiodum appellat.

1534
An sub Angelorum specie?

Sed quia inter ipsosmet Dæmones alii aliis ingeniosiores & generosiores, nonnulli se in Angelos lucis transfigurant, ut graviùs noceant, ut faciliùs decipiant. Monet nos Paulus 2.Cor.11.14. & Porphyrius citatus à Cyrillo contra Iulianum, & secundo de abstinentia, ubi hæc habes: ὥσπερ ὑποδύντες τῶν ἄλλων Θεῶν πρόσωπα τὴν ἡμετέρας ἀβελίας ἀπολαύουσι, *Aliorum Deorum veluti personam induti, nostra imprudentia fruuntur.* Et meritò dicit nostra illos imprudentia frui, quoniam omnia idola sola imprudentia erexit. Iuvenalis Satyr.10.

Dæmonum cultus ab imprudētia exordium sumpsit.

Nullum Numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus Fortuna Deam cælóque locamus.

Et quidem multa habet de hujusmodi spiritibus Iamblichus, ubi agit de Mysteriis Ægyptiorum, nimirùm lib.3.cap.32.& lib.4.c.17. Et quarto adversùs Nationes Arnobius, *Magi Haruspicum fratres suis in actionibus, memorant Antitheos sæpè obrepere pro veris: esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui Deos se fingunt.* Et ab Epiphanio inter Hæreticos memorantur *Angelici*, asserente eorum errores aut institutum ignorare.

An spiritus sint ex materia?
Hæretici Angelici.

Fuerunt: qui angelolatriam objicerent Iudæis, & inter ipsos Celsus, quem compescit Origenes lib.1. & sic ait. ἰδωμὲν δ', μὴν δ', ἵνα τρόπον συκοφαντεῖ Ιουδαίους ὁ πανταχοῦ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι κέλσον, λέγων αὐτὸς σέβειν ἀγγέλους καὶ γονεῖα προσκεῖσθαι, ἃς ὁ Μωϋσῆς αὐτοῖς γέγονεν ἐξηγητὴς. πόθεν δ' τὰ γράμματα Μωϋσέως εὗρε τὰ νομοθετῶν ταῦτα διδόντα σέβειν ἀγγέλους, λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ χριστιανῶν καὶ Ιουδαίων, *videamus autē quomodo calumnietur Iudæos is qui omnia se nosse prædicat Celsus, dicens eos Angelorum esse cultores & deditos præstigiis quas à Mose didicerint. Vbi enim in Mosis libris invenit, illum legum conditorem præcepisse Angelos coli? hoc nobis dicat is qui jactat se cuncta nosse & Iudæorum & Christianorum.* Et lib.v. ubi de Angelorum ministerio in precibus offerendis & in beneficiis procurandis disseruerat; addit: τούτους δὴ ἀγγέλους διὰ τὰ ἔργα αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν εὐσεβοῦμεν αὐτούς, ὡς τὸ θεῖον εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς. ἀλλ' οὐκ ὤφελε προσάσσεσθαι ἡμῖν τὰς διακονίας καὶ φέρουσας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ. *Hos Angelos ab operibus quæ faciunt nominare assueti didicimus eos & Deos esse & ita in scripturis vocari: non autem imperari nobis ut eos qui ministrant Deo & ad nos Dei beneficia perferunt pro Deo colamus atque adoremus.* Alibi: εὐφημοῦμεν καὶ μακαρίζομεν, ἐγκεκριθέντας ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν. ἐμοὶ τοίνυν ὀφειλομένην ὡρὸς θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν, *Laudamus & beatos prædicamus eos quibus Deus commisit illa quæ humano generi sunt utilia: verum debitum Deo honorem ipsis non impendimus.*

An Angeli sint Dii?
Melius vocarat illos Θεοὺς, quàm Θεούς.

1535
An Iudæi adoraverint Angelos?
An Angelolatriam a Moyse didicerint?

Profectò Angelis bonis exhiberi reverentiam & cultum nemo vetat; sunt enim meliores hominibus, & nobis benignissimè favent, & qui possum Regem aut quemcumque amicum venerari, potero illos in amicos adsciscere, & infra Deum colere; id enim non interdicitur præcepto Decalogi primo. Nam Abraham, ut habetur in Genesi, tres vidit, & unum adoravit: & Iosue cap.5. legitur adoravisse Angelum, nec tamen à sacra Scriptura reprehendi. *Cùm enim esset Iosue in agro urbis Jerico, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, porrexítque ad eum & ait, Noster es, an adversariorum? qui respondit, Nequaquam: sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait, Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est. Fecítque Josue, ut sibi fuerat imperatum.* Vnde optimè Origenes octavo adversùs Celsum concedit licitè posse Angelos θεραπεύεσθαι *genuflexionis cultu honorari*, modò repurgetur, actionis aut significationis abusus; nimirum si non pro latria, sed solùm pro dulia sumatur. Nec obstat, quod in Apocalypsi Angelus noluerit tantum honorem acceptare, quia & urbanitas in cælis obtinet, & generosi est animi congruam

1536
An, & quomodo boni Angeli sint adorandi?
Angelos adorat Abrahām: adorat Iosue.
An genuflecti possimus coram Angelis?

congruam reverentiam exhibere, qualem Ioannes Evangeliſta; & ſinceræ etiam humilitatis merè condignam acceptare: nam inter cultum congruum & condignum notabilis datur differentia; & tamen congruus, non Angelis modò ſed & Hominibus prudenter datur.

Cur Angelus à Ioanne noluerit genuflexione coli?

Textvs Sacer.

1537 Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.*

1538 Videretur aliquibus novum eſſe præceptum, imò & ab Hebræis Alexandrinis olim, & nunc à multis Calvinianis à priore ſejungitur; ſed ſtandum pro communi ſententia & aſſerendum, non omnes imagines à Moyſe, ſed illas, quæ inviolato primo illo præcepto non poterant tolerari, impræſentiarum interdici; non quòd novam in illis malitiam reperiat, ſed quod illis ſublatis videatur occaſio proximior præcepti violandi intercidi. Scio Philonem hanc legem univerſaliorem credidiſſe, & libr. de legatione dicere, μὴ ἄγαλμα μὴ ξόανον, μὴ γραφὴν, *non effigiem, non ſimulacrum, non picturam:* & in libro de legatione: γραφικὴ δὲ καὶ πλαστικὴ βλάβαι δημιουργοί, *pictura, & fictura, noxiæ artifices:* & in libro de Gigantibus: ὁ Μωσῆς τὰς δοκίμους ἐν γλαφυραῖς τέχναις ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιΐαν ἐν τῷ καθ' αὐτὸν πολιτείας ἐξήλασε, *Moſes illas ſpecioſas & magni pretii artes ſtatuariam & picturam ex ſua Republica excluſit.* Sed pace Philonis nimis animosè hæc ſunt dicta, nam etiam in Templo Salomonis, & in portatili tabernaculo Moyſis multa erant, quæ ſpecioſa arte aut picta aut cælata excitabant populi devotionem. Si omnia cavenda, quibus Homines abuti ſolent, cavendæ eſſent hominum imagines; nam veteres cùm nulla natura Deum propiùs humanâ crederetur accedere, cœpere qui putabantur Dii fingi humanâ effigie, quæ ῥητὸς & δείκελον dicta, ut notat Clemens Alex. libro contra Nationes, Arnobiúſque: quibus conſentit Maximus Tyrius in ea, quæ de imaginibus eſt diſſertatione. Cavendæ eſſent ſimiliter brutorum animalium imagines, quibus vulgi imprudentia divinitatem tribuit, multis enim Ægyptiis in veneratione fuerunt irrationalium animalium ſtatuæ, *omnigenúmque Deûm, monſtra, & latrator Anubis.* Cavendæ & columnæ ac ſtipites; nam multa colligi poſſunt ex teſtimoniis, quæ ex Philone Biblio habet Euſebius. Cavendi venirent ipſi lapides, Venerem enim Bacchúmque in quadrato lapide cultos docent Pauſanias, Alexandrinus Clemens, & Tyrius Maximus. Cavenda etiam eſſet ipſa idoli carentia, quoniam multæ veterum Ethnicæ Divinitates caruerunt ſimulachro.

An Deus, & ex ejus præcepto Moyſes omnem artẽ Pictoriam & Statuariam interdixerit?

An ſtatua & pictura aut cælatura in Templo fuerint?

An licitum ſit homines pingere?

An etiam bruta?

An columnæ?

An lapides?

1539 Imagines ergo ſecundum ſe malæ non ſunt, ſed cùm vel Dii creduntur ipſæ, vel alium à vero Deo repræſentare: tunc enim illas Dæmonum aſſiſtentia, aut etiam præſentia obſeſſas legimus, loquutas, motas. Tertullianus *rapere ad ſe*, ait, *idololatras dæmonia, & omnem ſpiritum immundum per conſecrationis obligamentum:* & libro de ſpectaculis *Dæmones operari in ſimulachris.* Minutius Fœlix, *Iſti impuri ſpiritus ſub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt.* Cyprianus de vanitate Idololatriæ, *Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt: hi afflatu ſuo vatum pectora aſpirant.*

An fuerint aliqui olim Dii ſine ſimulachris?

Imaginum uſus eſt bonus: abuſus malus.

Dæmones olim latebãt ſub ſtatuis.

An tales fuerint illæ imagines, quæ in Iacobi hiſtoria תרפים *Theraphim* dictæ, inquiris; & reſpondent Abeneſdras, Moïſes Maimonides & Kimchius aſſertivè; contra ſto, tum quia ex Iud. 17. 5. & Oſeæ 3. 5. contrarium omninò colligitur; tum quia Patrum ſententia non eſt peccatum colere theraphim, ſed tranſgredi; hoc eſt, nimiùm colere. Erant igitur theraphimi creaturarum intellectualium (hominum, Angelorum) imagines, quibus licitè honorem urbanum ſive duliæ concederes; hunc tranſgredereris illicitè, ſi latriam penderes.

1540 *Quales imagines fuerint* תרפים?

Sanè mira ſunt, quæ de veterum imaginibus circumferuntur: nam ut ſcribit Moïſes ille dicti libri part. 3. cap. 29. mirabilia præſtiterunt illæ, quas formavit Thammuſus. Et loquentium imaginum meminit Mercurius Triſmegiſtus. Et Nero, aſſerente Suetonio, veriùs non habuit, ſed habere fuit viſus & creditus; dicebat enim ab illa moneri, & futura prænoſcere. Loquax & omninò garrula fuit Memnonis ſtatua in Ægypto: ſtatua etiam Iunonis Monetæ, Fortunæ muliebris, & Sylvani, ut diſcimus à Valerio Maximo. Multa id genus recenſet ſcriptor reſponſionum ad Orthodoxos; & Moyſes Maimonides part. 3. cap. 29. Ductoris dubitantium, duos à ſe libros lectos teſtatur de imaginibus loquentibus. Arnobius lib. 6. *Quin imò Deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis; nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam:* quod mox explicat, *In ſimulachris præſto ſunt atque habitant Dii ſuis.* Imò & inter Chriſtianos multas fuiſſe ſtatuas eloquentes legimus. Omittam Albertum Magnum, in cujus Bibliotheca caput artificiale loquutum D. Thomæ dicitur, omittam inquam, quoniam id à viris prudentibus negari ſolet; Quid, ſi concederetur? Artem, qua conformari poſſit caput ut loquatur docuit Kircher, docui & ego. Hoc ego, ut à cauſis naturalibus proveniente, omiſſo, meminero Ærei capitis, quod ante aliquot annos Tabaræ in Hiſpania contra Iudæos vociferabatur; & quia etiam hodie campana de Velilla ſola & à nullo mortali acta ſe movet & pulſatur, dicendum & habere linguam, & loqui non minore prodigio.

1541 *Statuarum prodigia.*

Statuæ loquẽtes.

An habitent Dæmones in ſtatuis?

An caput artificiale D. Thomæ loquutum fuerit in Alberti Muſæo?

An loqui potuerit naturaliter?

Tabara caput loquens.

Velilla campana ſe pulſans.

Inquiris tamen, An omnes iſte loquutrices imagines aſſiſtentiâ diabolicâ vocem articularint? 1542

Reſpondeo imagines & bruta non rarò divina fuiſſe virtute loquuta; notiſſima enim eſt Prophetæ Balaanis hiſtoria, in qua aſinam eloquentem audimus. Porrò Spiræ ſumma veneratione colitur ſtatua Beatæ Virginis, quæ melleo meo Bernardo dicenti, *ſalve O clemens, ô pia, ô dulcis Maria*, reſpondit *ſalve Bernarde:* & Affligemii (Benedictinorum Monaſterium eſt duabus horis à Bruxella remotum) in clauſtro alia eſt ſtatua ejuſdem

Horum prodigiorum Deus aliquãdo eſt cauſa. Aſina loquitur Balaano.

Statua Mariana Bernardo.

Angelorum Reginæ, quæ eidem ſanctiſſimo Doctori advenienti dixit, *Ave Bernarde.* Zamoræ apud Patres Dominicanos duo Crucifixi coluntur, qui diverſis temporibus loquuti; alter enim toti Communitati dixit, *Fugite, Fratres, quia ruit domus.* Alter Priori conſulenti, quî poſſet duos juvenes petulantes compeſcere, *Corripe eos in virga ferrea.* Sed & Crucifixus, qui propinavit ſanguinem Bernardo, loquutus quoque aſſeritur, & dixiſſe, *Bibe Bernarde.* Omitto alia plurima Sanctorum ſimulachra, quæ fuiſſe loquuta leguntur: res enim certa eſt, nec negari poterit poſſe Deum jubere, ut lapides ipſi eloquantur.

Crucifixi loquuti.

1543

Aliquando Dæmones loquuntur in ſtatuis.

Sané Dæmonum interventu ſtatuæ etiam ipſæ non rarò, loquutæ quidem ſunt, aut putantur: tot enim oracula in locis diverſis Mundus habuit, ut id ipſum negari non poſſit, niſi fortè

Fortè olim Oracula reddebant, non Dæmones, ſed Sacerdotes?

Ad artificium recurramus, dicamúſque veroſimiliùs multas ex illis ſtatuis, quæ obſeſſæ creditæ, caruiſſe dæmone aſſiſtente, ſed arte reddidiſſe oraculum, ſacrificulorum ingenio. Fecit olim Baptiſta Porta, fecimus & ante annos paucos nos, fecerunt tubis inductis alii, & exiſtimo potuiſſe illos veteres decipi, ſi ab ore ſtatuæ tubus intrinſecus occultúſque ad locum aliquem ſecretiorem diduceretur, ubi inflaretur à ſacrificulo, & demum inter frigidos & immotos lapidei capitis dentes vocem articularet.

5144

De imaginibus Angelorũ & Dei.

Inquiris etiam, An Dei & etiam Angelorum imagines ſint admittendæ? Conſultò ad Deum & Angelos reducis oculos; putas enim oſtenſum hominum imagines, infra Deum licitè coli poſſe. Et ratio dubitandi eſt, quòd cùm figurâ careat Deus, figurâ careant Angeli, falsò illis imago adſcriberetur.

Cujus figuræ ſit ſpatium in quo eſt Angelus?

Et reſpondeo Angelos eſſe finitos, & finitum ſpatium occupare, & opinione aliquorum rotundum: & fugiamus vocum conflictus ſimiles globo poſſe dici, veriùs ſinceriúſque quàm Deus, qui à Mercurio Triſmegiſto definitur ſphæra intelligibilis, cujus centrum ubique eſt, & nullibi circumferentia. Quod ſi ſicut in materialibus rebus aqua & aër, ſic etiam in ſpiritualibus Angeli nullius figuræ etiam ſpiritualis aſſerantur, tunc dicendum non dari Dei, aut Angelorum imagines, ſed hieroglyphica; nam ſicut Matthæus alato genio, Marcus leone, Lucas bove, & aquilâ Ioannes figuratur; non quod credantur tales, ſed quod eorum virtutes harum rerum imaginibus myſticè repræſentantur; ſic etiam Spiritus-Sanctus Deus columbæ ſpecie effingitur, Chriſtus leonis aut agni, Pater ſenioris, ad aliqua attributa perſonalia aut etiam communia inſinuanda.

An Deus ſit ſphæra?

Symbola & Imagines differunt.

1545

Iconomachorum argumenta.

Argumenta autem, quæ contra imaginum cultum à Calviniſtis hodie, aut etiam à Lutheranis, qui merum veteris hæreſeos nomen retinent, & miſerabiliùs calvinizant, nullius eſſe momenti ex eorumdem ſolutione conſtabit.

1546

An licuerit Iudæis habere ſtatuas & imagines?

Obiicivnt ergo Primo, fuſos à Pontio Pilato clypeos, & Templum Ieroſolymitanum inductos, Iudæos non toleraſſe, quia in eis erant προσωπα *vultus* Cæſarum.

Secvndo Herodem cùm trophæa ſtatuiſſet, non fugiſſe priùs populi tumultuantis furorem, quàm illa expanderet, & nullas effigies eſſe adpictas oſtenderet.

Tertio, Aquilam auream ſupra portam Templi ab Herode poſitam tanquam legi Moſaïcæ repugnantem dejectam, aſſerente Ioſepho libro 17.

Qvarto, à Dione & Tacito notari ſculptas animalium imagines nationi Iudaïcæ interdictas. Vide, ſi placet, Moyſem de Kotzi libro de præceptis jubentibus & negantibus, & Ioſephum belli Iudaïci libro 11.

Quæ & quales fuerint Προσωπα?

Reſpondeo tamen clypeis illis hæreticos contra imaginum cultum non clypeari & defendi: occurrunt enim multæ rationes ob quas non poſſent illæ προσωπα tolerari. Primò enim ſignificant arietum (inſtrumenta militaria ſunt ipſi) roſtra; & viderentur poſita opprobrii gratiâ, quaſi templum manſurum foret, quouſque à Cæſaribus arietaretur. Secundò non tam viderentur eſſe Cæſarum pictorias imagines quàm cæleſtes (προσωπον ſydus Proclo eſt) & cur deberent aut themata, aut etiam ſtellas Cæſaribus dicatas in templo tolerare non video. Tertiò, ut fuerint imagines uſque ad umbilicum pictæ, ibi erant, ut adorarentur expoſitæ: & ob idololatriæ manifeſtum periculum tolerari non poterant; non aliter enim Cæſares, quàm Numina coli volebant.

Aſtrorum, an Cæſarũ imagines?

An debuerint permitti?

Addo Herodis trophæa de Ethnicis ſimulachris ſuſpecta, non debuiſſe à populo Iudaïco admitti, quouſque eſſe pura conſtaret.

1547

Cur Herodis trophæa debuerint examinari?

Subjungo Aquilam in Templis locum inſcriptionis habuiſſe, & illa Iovi dicata deſignaſſe, quod Iudæorum pietas permittere nequaquam potuit.

Aquila quid ſignificabat?

Concludo Dionem & Tacitum contra nos citatos, aut minùs crudè loquutos, aut fuiſſe rerum Hebraïcarum ignaros; nam ſerpentem æreum à Moyſe erigi juſſit Deus, & Cherubinos poſteà in Templo conſecrari: mari etiam æneo boves & leones adjecit Salomon, globos, ſydera; quæ Dionis & Taciti errorem manifeſtè convincunt, docéntque illas imagines ſolas damnari divinitùs, quæ aut ſunt idololatriæ objectum, aut occaſio. [Et quia ſyderum globis inſculptorum à Salomone memini, & hodie controverti ſolet an cælum ſit ſolidum, non gravabor Aſtronomicam eruditionem promovere exſcribendo verba notatione digniſſima, quæ habet Anonymus Decalogi Explicator editus Amſtelodami apud Ioannem & Cornelium Blaeu anno 1642. pagina 31. *Animantium ſculptas imagines cùm dixi vetitas etiam ſydera comprehendo, quia motum ſuum habent: non enim orbes, ſed in cælo liquido moveri ſydera, vetuſtiſſima Hebræorum ſententia eſt, ut nos docet Gemara ad initium Geneſeos.*]

1548

Fuerũt imagines ſerpentis, Cherubinorum, Boũ, Leonum, Syderum, &c.

An Cæli veterũ Hebræorum opinione ſint liquidi?

Vident Dionis & Taciti authoritates proſtratas Calviniani, & ut vel illas ſubtrigant vel cultum imaginum regerant, nova teſtimonia conglomerant, & novo nos impetu invadunt.

1549

Qvinto igitur, debere imagines interdici proclamant, ut vel eo ipſo moneantur homines, Deum eſſe à viſu ſenſibúſque noſtris remotiſſimum. *Effugit oculos: cogitatione viſendus eſt*, ait Seneca Nat. quæſt. VIII. 30. qua de cauſa & Antiphanes Philoſophus dicebat

Deus non viſibilis ſed intelligibilis eſt.

cebat de Deo : ὀφθαλμοῖς ὧν ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται, *oculis non aspicitur : nemini est similis : unde nemo eum ex effigie potest cognoscere.* Hæc causa legis hujus & à Philone traditur sæpè, ut cum dicit in lib. de legat. τ ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ δι' ἀπλάστου ὧν ὅσιον, *Eum qui inaspicuus est in simulachro aut fictili opere ostendere nefas,* & ab extraneis etiam Scriptoribus non est præterita. Diodorus Siculus de Mose : ἄγαλμα δὲ κατεσκεύασε, διὰ τὸ μὴ νομίζειν ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν Θεὸν, *imaginem statuit nullam, ideò quod non crederet Deum homini esse similem.* Strabo de eodem : ἔφη γὰρ ἐκεῖνος ὃ οὐδὲν ἀσκεῖν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῦεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον. οὐδ' οἱ Λίβυες. οὐκ εὖ δ' οὐδ' οἱ Ἕλληνες ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες : *dixit enim ille, docuítque non rectè facere Ægyptios qui feris aut pecudibus assimilarent Deum ut & Lybias : sed nec Græcos rectè qui eos facerent hominibus similes,* & quæ ibi sequuntur : & quidem Philo ad Moyseos mentem multa pulchrè dictavit, & lib. de legatione sic etiam loquitur de Ægyptiis : ὁ κύων, λύκος, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνὰ θεοποιοῦντες, *qui canes, lupos, leones, crocodilos aliásque feras, & terrestria, aquatica, volutria animantium Deos faciunt.* Tacitus : *Judæi mente sola unumque numen intelligunt : profanos (* judicantes illos) *qui Deûm imagines mortalibus materiis in speciem hominum effingunt.* Dion libr. XXXVI. οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς πόλει ἱεροσλύμοις ἔσχον, ἄῤῥητον δὲ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι, *nullam effigiem in Ierosolymis habuere, quod Deum crederent ut ineffabilem ita inaspicuum,* &c. Eandem causam cur Numa simulacra de templis sustulerit reddunt Halicarnassensis & Plutarchus, cujus quidem ea de re hæc verba sunt : ὡς ὅτε ὅσιον ἀφομοιοῦσθαι τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν ὅτε ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει, *Quod non sanctum ratus assimilare meliora pejoribus, neque ad Deum accedi aliter quam cogitatu.* Varro etiam Romanis plusquam annos CLXX. Deos sine imagine, sine statua, aut simulachro coluisse testatur, addítque statuas ob errorem introductas, castiúsque & puriùs invisibilem & infigurabilem Deum sine statuis aut figuris corporeis adorari ; Judæósque in exemplum proponit, qui suâ sententiâ Deum colerent, & tamen carerent imagine. Vnde concludit eos, qui primi simulachra Deorum erexerunt, & civitatibus suis metum dempsisse & errorem addidisse.

An Judæi habuerint Imagines Dei?

An antiqui Romani?

1550 *De Christi imagine.*

Sed hæc omnia non urgent, Senecæ enim & Antiphanis authoritas, non militat contra Christi Domini imagines, Christus enim, cùm verus homo sit, nec effugit oculos, nec solâ cogitatione videndus ; quin imò oculis corporeis aspicitur, singulis hominibus in assumpta natura similis, & quantum numerica distinctio permittit, etiam consubstantialis ; adeóque qui possit ex effigie cognosci : unde concluditur contra Numam Plutarchúmque ad Numen naturâ humanâ præditum aliter quam cogitatu accedi posse.

1551 *Dei potest dari symbolum, non imago.*

Quid igitur de Deo quà Deo dicturus sum? Ipse imaginem & effigiem non habet, at symbolicâ figurâ potest exprimi. Vt rem intelligas notare oportet duos dari penicillos ; realem, mysticúmque. Qui pingit realiter, ipsam substantiam objecti proposíti exprimit ; qui mysticè, aliquem effectum sui objecti. Hanc ob rem, si veniret Deipara imaginanda, sumeret penicillum realem S. Lucas & unam fœminam pulchram gravem modestam & ad reverentiam compositam aut etiam componentem, ulnis suis Deum sustentantem depingeret. At Propheta Isaias 2. sumens mysticum penicillum diversis eam coloribus exprimet, dicétque, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet,* hoc est, depinget unam virgulam flore præditam : è quibus illa mysticè significet virginem, iste Iesum.

Pictoria duplex : Realis, Moralis.

Deipara realiter picta est à Luca : sed ab Isaia moraliter.

Dico igitur sola corporea coloribus realib. exprimi posse, at mysticis posse corporea & incorporea : Christus enim benè potest imaginari physico penicillo, & tamè mystico pingitur jã ut Agnus ob mansuetudinem eximiam ; jam ut Leo, ob fortitudinem irresistibilem ; jam aliis etiam formis ob prærogativas diversas. Addo Deum, qui coloribus realibus non potest exprimi, mysticis posse. Hinc est, quòd aliquando triangulus splendore conspicuus personarum trinitatem & unitatem hieroglyphicè exponat ; nam in hac geometrica delineatione tres lineæ æquales in eandem figuram concurrunt. Deum Patrem senioris antiqui & venerabilis effigie intelligimus, non quòd illum ἀνθρωπόμορφον judicemus ; sed ut vel sic videamur exprimere intellectualem substantiam antiquissimam & sapientissimam. Et Spiritum-Sanctum etiam columbæ specie mysticè repræsentamus, quod sub hac specie in Iordane & alibi apparere dignatus fuerit, & quia felle hæc volucris carere creditur, posse esse spiritus Divini symbolum existimatur ; nam Spiritus-Sanctus totus est suavitas, totus est ab amaritudine alienus dulcor, qui nobis propinatur à dicente, *Venite & videte, quàm dulcis, quàm suavis est Dominus.*

1552 *Quomodo corporea, & quomodo incorporea pinganter?*

Quo Christus modo?

Quo Deus trinus & unus?

Quo Deus Pater?

Quo Spiritus Sanctus.

Hinc ad objecta testimonia. Dixerit Seneca, *Effugit Deus oculos, cogitatione visendus est ;* & ego asseram, in effectibus suis non effugere Deum oculos nostros, nec solâ cogitatione videri : multa enim & stupenda prodigia oculis corporeis contemplamur, & in ipsis Dei non tam rimamur quàm palpamus potentiam. Dixerit Antiphanes, *Oculis non aspicitur Deus, nemini est similis, unde eum nemo ex effigie potest cognoscere ;* Reponam ego nobis dictum, *Venite & videte quàm suavis est Dominus,* quod in dictum esset, si inaccessibilis esset, & omninò invisibilis. Porrò invisibilis in se ipso est, at est in creaturis suis visibilis, conspicuus in suis misericordiis, in sua justitia manifestus. Addo nemini esse adæquatè similem, sed & nemini esse adæquatè dissimilem : Omnes enim creaturæ sunt imperfectæ & pingues quædam Dei imagines & similitudines ; nulla enim creata perfectio, quæ non sit Dei participatio : tolle à musca imperfectiones, quibus inficitur, & habebis veram imaginem Dei. Subjungo nos ex effigie mystica posse Deum cognoscere : pingitur enim ut Leo, ut rigorem timeamus, nec peccemus : pingitur ut Agnus, ut cùm misericordiam imploramus eius mansuetudinem consideremus. Expressus est à Moyse ut Serpens, ut

1553 *Deus in substantia invisibilis, in suis effectibus videri potest.*

Omnes creaturæ sunt inadæquatæ & imperfectæ Dei imagines.

ut intelligatur eſſe ſumma ſapientia ; ab aliis ut Columba, ut ſumma eſſe ſimplicitas manifeſtetur. Flos campi & Lilium convallium aſſeritur, ut pulchritudo denotetur. Dixerit Philo, *Eum, qui inaſpicuus eſt, in ſimulachro aut fictili opere oſtendere nefas*; & ego illum de reali & phyſico, non autem de myſtico intelligo. Addiderit Diodorus Siculus, *Moyſem imaginem Dei erexiſſe nullam, quòd non crederet Deum homini ſimilem*, & multas myſticas cultas & erectas ab eodem Propheta pronuncio. Primò enim ipſe vidit & coluit Deum ſub myſtica ſpecie ignis ardentis nec tamen rubum conſumentis divinitùs in monte expreſſum. In Sinaï vidit in ſpecie ignis & fumi Deum Moyſes; imò & populus tametſi obſcuriùs, & in ſpecie tonitru illum audivit, nam intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam grando & carbones ignis. In deſerto Deum, non modò comitem, ſed & ducem habuit, in ſpecie Columnæ; igneæ quidem per noctem, nebuloſæ per diem. Sed & ipſe Moyſes erexit myſtica Dei ſimulachra: Serpens enim erectus in deſerto hieroglyphicum Chriſti Domini fuit ; Arca etiam erat imago Dei, & quidquid in toto tabernaculo imago myſtica alicujus attributi divini, in effectibus nobis manifeſtati. Accedit quod Hebræi in ſuis vexillis habuerint etiam Hominum, Taurorum, Leonum, & etiam Aquilarum imagines, & tamen ſigna venerati nos doceant poſſe dari imaginum cultum liberum ab idololatria.

Symbolum Dei.

Ignis.

Fumus.

Columna ignis. Columna nubis. Serpens.

1554 *An Lybii & Græci erraverint pingentes Deũ?*

Incuſati ab Strabone fuerint Ægyptii, & Lybii, quòd irrationalium figuris ; item & Græci, quòd humanis pinxerunt Deum ; incuſabuntur enim à me etiam, ſi realis aſſeratur pictura ; laudabuntur, ſi myſtica. Vnicam in medium propono. Accipiter eis non Deus, ſed Dei imago fuit, non realis (eſſent enim deliri, qui aut Deum avem crederent ; aut avi verè & realiter ſimilem) ſed myſtica ; & quidem ingeniosè inventam, nam & hodie Chriſtianiſſimè dicit Hiſpanus, *Dios es un divino Gavilan, que ſe ſuſtenta de ſolos coraçones:* hoc eſt, *Deus eſt Divinus quidam Accipiter, qui ſolummodò comedit corda*, ut ſignificent excordes orationes, & verba à mente aliena non habere locum apud Deum. Vnde patet quî debeamus Tacitum, Dionem, & Varronem citatos, aut intelligere aut exponere. Porrò deliros dici volui, qui lapides aut feras Deorum numero adſcriberent, ductus Iuſtini Apolog. II. judicio, non abit Heracliti illud : ὅμοια ὡς εἴτις τοῖς δήμοις λέσχην δόλο ποιεῖσιν οἱ προσιόντες, ὡς Θεοῖς, τοῖς ἀψύχοις, *qui ad res ratione carentes quaſi ad Deos accedunt, paria faciunt ac ſi domos alloquerentur.* Conſonat Pſalmiſtæ dicenti. *Simulachra gentium, argentum & aurum opera manuum hominum. Os habent & non loquentur : oculos habent, & non videbunt : aures habent, & non audient : neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum*, &c.

Accipiter Dei ſymbolũ: cur?

Idola nõ audiunt.

Pſalm. 134.

1555 *An Auguſtinus ſymbolicas imagines Dei condemnaverit?*

ARGVMENTANTVR etiam SEXTO verbis D. Auguſtini, libr. de moribus Eccleſiæ Carth. ubi cavendum eſſe à ſimulachris tenet, & inquit, *Tali etiam amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet eſſe niſi corpus, aut etiam ſi authoritate commotus fateatur aliquid eſſe incorporeum, de illo tamen niſi per imagines corporeas cogitare non poſſit, & tale aliquid eſſe credere quale fallax corporis ſenſus infigit. Ad hoc etiam valet, quod præcipitur, Cavendum eſſe à ſimulachris.* Et Epiſtola IL. *Et Idola quidem omnia ſenſu carere quis dubitet ? Verumtamen cùm his locantur ſedibus, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamvis inſenſata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim convocatione multitudinis.* Et mox. *Cum eis velut præſentibus preces adlegant, victimas immolant, vota perſolvunt ; ſic afficiuntur, ut ea ſenſu carentia putare non audeant.*

Et quidem breviter reſpondeo Auguſtinum imagines reales Dei condemnare, non myſticas : nam ſicut qui videt Agnum repræſentantem Chriſtum, ipſomet docetur hieroglyphico Chriſtum fuiſſe Agnum virtualiter, hoc eſt, non fuiſſe quidem Agnum, at quia coram tondente, imò crucifigente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, ita ſe habere ac ſi verè eſſet Agnus ; ſic etiam qui videt Columbam myſticè repræſentantem Spiritum-Sanctum, inſtruitur diſcítque illum phyſicè & realiter nec eſſe columbam, nec columbæ ſimilem ; at ita ſe habere ac ſi eſſet purè columbinus. 1556

PORRO ſobrius imaginum cultus nec in Decalogo interdictus, nec à Catholica Religione eſt alienus ; nam Imperatorum olim imagines non ſolùm pictæ & expoſitæ, ſed etiam cultæ. Tertullianus meminit figuræ Paſtoris in calice. Et ut ait contra Symmachum Prudentius lib. 1. 1557 *Imaginum uſus defenſus. Statuæ Imperatorum cultæ.*

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Chriſti imago in Labaro.

qui etiam in monumentis Martyrum, quæ Chriſto pertulerant exſculpi in paſſione Caſſiani nos docet. Scio aliquando à Chriſtianiſſimis viris abuſum imaginum damnari & inhiberi ; & ideò conſultò, non quemcumque, ſed ſobrium & prudentem admiſi : ſæpè enim etiam exorbitat indiſcreta devotio, & in hiſtoriam aut etiam Catholicam fidem impingit. Videatur Ortenſius Fœlix Paraviſinus, Oratione Evangelica Feriæ IV. poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ §. 3. ſub finem, qui prudentiſſimè in imprudentes picturas invehitur ; quem olim & ego imitatus Sancti Archangeli Michaëlis die hanc Orationem declamavi.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

OCtava Maii dies, vel nomine ſolo ſolennis, Michaëlem Archangelum noſtræ devotioni colendum repræſentat ; Michaëlem primum militem, primum victorem : primum Philoſophiæ divinæ Cathedraticum, primæ in cælis habitæ diſputationis Præſidem, primum erroris primi oppugnatorem ; qui Angelorum Principi reſtitit in faciem, quoniam reprehenſibilis erat ; differendo pugnavit, & pugnando diſſeruit ; & confundendo vicit, & vincendo confudit, coëgítque, ut qui deſerendo ceciderat, cadendo totum cælum deſereret. 1558 *Archangeli Michaëlis laudes.*

Occasio dicendi.

desereret. Nos igitur, qui profitemur Theologiam jure optimo obstringimur primo Theologiæ Professori, qui tot habuit suæ doctrinæ discipulos quot Angelos, & tot adversarios quot Dæmones. Obstringimur Disputatori efficacissimo, Argumentatori fortissimo, Præsidi strenuo; sub cujus auspiciis populo Christiano securo, non est cur timeat Dæmonum argumenta.

1559

Militia est Schola: & contrà.

Disputationis descriptio.

Est igitur Michaël Angelus Scholasticus & Militaris, nam & Schola est quædam litteraria militia; & Militia quædam Martis Schola. Militat studiosus, disputat Miles; & uterque tantâ actionum analogiâ procedit, ut non jam duæ, sed una res omninò, Schola & Palæstra videantur. *Habenda-ne est disputatio Theologica?* Propugnator init sedem? Præses cathedram? Argumentatores oppugnant? Ergo Thesis, quæ propugnatur, est Arx; & Salvator noster murus & antemurale: murus quà fidei fundamentum; antemurale, quà rationis firmamentum: nam Λόγος dicitur, hoc est divina ratio, quæ revelatio est, & rationis firmamentum humanæ. Humanæ rationes tela sunt, quæ explodi solent, regeri possunt. Respondens est miles præsidiarius; qui tametsi videatur unus, virtualiter multiplex est. Præses est arcis Præfectus: quam Argumentatorum multiplici rationum acie obsident & invadunt. *Habendá-ne est obsidio militaris?* Ergo habebitur Martialis disputatio. Thesis est ipsa Vrbs quæ invaditur defenditúrque. Muri utriusque securitas in propugnantium fide, & belli ratione & justitia fundatur. Hastæ, tormenta, machinæ sunt quidam artificiales syllogismi, qui rem discutiunt, & alterius-utrius partis æquitatem demonstrant. Miles præsidiarius respondet, arcis Præfectus præsidet; obsessores argumentantur & impugnat. *Vnde patet* utrobique esse bellum: & litteras, armatas esse, & arma litterata; ut inter disputationem academicam, & obsidionem militarem solius materiæ differentia inveniatur.

Arx. Murus. Antemurale.

Tela.

Miles.

Præfectus arcis.

Obsidionis descriptio. Thesis.

Propugnantes.

Syllogismi.

Respondens. Præses.

Oppugnatores.

1560

Quot favores debeamus Michaëli?

Michaëlem ergo Dei nomine Prodominus, & Prodeus cælestium sabaoth, & Angelicorum exercituum, colamus milites, colamus scholastici; cui debemus, ut non solùm oratus vocatus & rogatus, sed quod mirabiliùs, quòd nos inoratus, invocatus, irrogatus adjuverit; habemus enim unde cultum ignoto, & noto auxiliatori rependamus; nam & ipse notus adest, & ignotus in actiones generosas se insinuat. Est audiendus Nicephorus Callistus *Ecclesiasticæ Historiæ lib. 7. cap. 50.* cujus verbis Trophæa Bavarica Sancto Michaëli Archangelo in templo & gymnasio Societatis IESV dicata, & excusa anno 1607. fundantur: sic ait.

1561

Adjutor ignotus, quis fuerit?

[Laudatissimus Princeps Constantinus, cùm in eam oram, quæ olim ab Argonautis Sosthenium (ob salutem illis cælitùs à D. Michaële adversùs Amycum latam) appellata fuit, venisset, ibíque reperisset statuam, quam Argonautæ Ignoto Adjutori dedicaverant, regionem eam cum stupore admiratus, ibi mansit. Somni porrò capiendi tempore assistens illi visio, Statuæ ejus similitudine; *Ego*, inquit, *sic* (formatus) *sum Michaël Archidux Domini sabaoth Virtutum, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios & Tyrannos belligeranti, fideli & germano illius* (nimirum, *Dei*) *Ministro auxiliaria arma contuli.* Itaque è somno excitatus regionem eam pulcherrimè excoluit, & ara imperiali magnificáque manu & liberalitate, in parte Orientali constructa, celeberrimum id Templum civibus simul & advenis reddidit. Maximè tamen sacram Ædem apparitionibus suis illustravit Archangelus: *Nullus enim gravi quopiam casu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumventus, qui ibi Deum orans imploraverit, non facilem opem & auxilium invenit.* Et certò satis creditur Divum Michaëlem Archangelum apparere ibi solitum, salutiferum eum efficere locum; cujus rei gratiâ ab antiquis etiam *Michaëlium* est vocatus.] Hæc ille.

Adjutor ignotus, quis fuerit?

Michaël exercitus Orthodoxos tutatur.

Claret magnis miraculis.

Michaëlium, quid?

Et nos multa docemur, quæ possemus expendere, ni temporis angustiâ premeremur. Argonautis apparuit favítque S. Michaël, nobísque favebit in favore & effectu visibilis, si similes simus Argonautis. Navigabant illi, & in procelloso hujusce mundi oceano nos navigamus nonnunquam, & post naufragium aliquando natamus. Navis optima conscientia integra, quæ si rumpatur, undis tempestuosis involvimur; æternùm perituri, ni dextera omnipotenti sublevemur: sed quia milleni sunt in oceano mundano scopuli, non sufficit, ut sis in sensuum & spiritualium Republica navarchus, non sufficit, ut alas contemplationis expandas, aut remos actionis promoveas; sed omninò requiritur, ut non solùm sis Nauta, sed & Argos, centum oculis præditus, habens centenas advertentias, quibus examines, an Amycus amicus: sunt multa, quæ tametsi similia, sunt oppositа; in bello olim Pharsalico *culpæ scelerique nefando Nomen erat virtus*, sæpè enim supremus Tenebrio se in Angelum lucis transfigurat, & quem Amicum credas, esse Amycum Argonautarum & virtutis studiosorum inimicum reperies. Si igitur Argonauta sis, si conscientiæ puppim centum oculis & advertentiis dirigas, à D. Michaële, sabaoth Angelicarum Archiduce conducêris; sed quo? ad Crucem in qua vellus aureum, imò ipsum aurei velleris agnum affixum & pendentem invenies: & Adjutori ignoto imò jam noto, in cordis tui sosthenio, in animo tuo σωστέλω, digno qui salvetur, statuam erige, & in illa totum te Archangelo sancto sacrifica.

1562

Cur Archangelus apparuerit & faverit Argonautis?

Navigat homo, natat, periclitatur. Esse debet nō solùm nauta, sed & Argos.

Oppositа solēt esse similia. Amycus non erat amicus.

Vellus aureū, quid sit?

Sed qualem in corde tuo statuam Michaëlis formabis? An armati Angeli libra præditi, & duarum animarum in singulas lances positarum periclitantis & examinantis præpondium? sic vulgò Michaël pingitur; & miror tot dari librorum Censores, Expurgatores, Correctores, nec dari qui censeant, expurgent & corrigant etiam picturas.

1563

Condemnatur communis S. Michaëlis imago.

Deberent esse Censores Picturarum.

Historiam sanè imaginibus perennare & propagari certum est. Illis usi sunt veteres Christiani, ut posteros Ecclesiasticam Historiam docerent: illis in utraque India Hispani, ut Christi vitam ob oculos ponerent: & hodie Germani, ne Calendario careant rustici, qui nesciunt legere, dies exprimunt triangulis successivè positis, quorum dies communes nigri, festos rubri significant: & pro nomi-

Quantum bona pictura memoriam adjuvent?

Rusticorum Calendarium.

Cur Catholici ruſtici hiſtoriam Chriſti ſciant, & Calviniani ignorent?

nibus Sanctorum imagines eorumdem collocant. Hinc magna, etiam apud Idiotas, rerum divinarum notitia. Calviniani contra magna barbarie obnubilantur; nam, cùm imagines exeſſe juſſerint, & ruſtici legere neſciant, non eſt modus eos benè docendi. Ipſimet Lutherani ſub initium (quod etiamnum ubique factitant) iconibus picturíſque hæreſim propagarunt: & quia Poëtæ Pictores ſunt, & Pictores Poëtæ utroque fidenter in auxilium vocarunt, quoniam

Picturis propagatur Lutheri hæreſis. Pictorum & Poëtarum cõnexio.

Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Id inter alios Ioannes Boterus *part. 3. lib. 1. pag. 6.* teſtatur dicens. *Aiutavano queſta ſua tanta rabbia di dir male, i Poëti (huomini ſtati ſempre poco utili a la Fede, e a coſtumi Chriſtiani) e gli Oratori: e non li preſtarono opera minore i Pittori, che conformando i pennelli loro con la penna, ei colori con l'impudenza di Luthero cominciavano a depingere i Sacerdoti, e i Veſovi in forma di lupi, di volpi, di diaboli, e de altre coſe coſi fatte. Di queſte figure (per che il male germoglia facilmente, e ſi propaga preſto) s'impirono ſubito le biettole, e le botteghe, i luoghi publichi, e i privati. Si che non ſi ſentendo cantar altro per le cittá, e per le contrade, que coſe nefande, e ſcandaloſe de le perſone Eccleſiaſtiche: e veggendoſi per tutto eſſe perſone depinte e contrafatte in forme d'animali, e di altre coſe eſpreſſive d'una certa malvagitá e fraudolenza, fú in puochi anni ſedotta l'Allemagna, e ſi trovó in breve ſpatio di tempo fuor di la ſtrada moſtrataci da Chriſto.* Ecce Hæretici ut fines duos obtineant, duas vias ineunt. Vt Catholicam Religionem obliterent, interdicunt ſtatuas & imagines: ut heterodoxam propagent, Pictores advocant, & eorum penicillo abutuntur. Ecce ſibi diſſimiles picturas pias rejiciunt, impias retinent, & ſinceritatem orthodoxam deridենt. Inquirit Calviniſta Rivæus, An Angelus in Prædicamento collocetur, & imaginem iſtam conſpiciens ſic diſtinguit, ſic ridet, aut veriùs ſic irridet. Negat omnes Angelos in prædicamento collocari; hoc enim eſt illorum privilegium, qui à nobis pinguntur; qui cùm omnes veſtiti ſint, aut ſi nudi ſaltem plumas habeant, ad *Habere*, notiſſimum prædicamentum ratione veſtium aut etiam alarum ſpectabunt: & inter ipſos Archangelus Michaël præcipuè, qui non ſolùm pingitur alatus, veſtitus, ſed etiam fortiſſimè armatus. At ego hæretico cavillo non urgeor, dico enim nos non habere Angelorum imagines, ſed hieroglyphica; nam ſicut vox *Angelus*, ſeu labio expreſſa, ſeu calamo exarata, illum ſignificat, nec tamen eum imaginat; ſic etiam pulcher adoleſcens, alis præditus, armis inſtructus, triumphans Æthiopem, non erit viva Michaëlis imago, ſed artificiale quoddam ſignum eum ſignificans. Hæc Rivæo dicta, at ipſe bilances non tetigit, ego illas carpo; carpſit & illas ante me Ortenſius coram ſupremo ſanctæ Inquiſitionis conſilio anno 1628. Evangelicam orationem habens. Si Animæ inter ſe ponderantur & comparantur, illáque cedit Dæmoni, quæ majori peccatorum pondere gravatur; condemnari & ſalvari, non à virtute ſed à fortuna pendet. Quando videt aliquem virum pium & pœnitentem Hiſpanus, *Mi alma con la ſuya*, ſolet dicere: & ſi vera eſt vulgaris S. Michaëlis pictura, te reſpiciens Baſili, Auguſtine, Benedicte, Dominice, Franciſce, Ignati, non deſiderabo ut cum veſtris mea componatur anima in Michaëlis libra, nam quaſi arena gravis hæc gravior appareret, & neceſſariò condemnarer. Sed potiùs converterem ad Avarum heluonem oculos, ad Iudam, ad Iulianum Apoſtatam; & ne exempla remotiora requiram, ad te illos converterem genioſe ſenex, ad te luxuriosè adoleſcens, ad te Iudex corrupte, ad te Miniſter ſubornate, & anxius dicerem, *Mi alma con la tuya*, hoc eſt, *Mea anima cum tua ponatur:* à tuis enim criminibus mea penderet juſtitia, & à tua condemnatione mea ſalus.

An Poëta Fidei & moribus nocivi ſint?

Sacerdotum Epiſcorúmq; apud Lutheranos imagines.

Hæreticorum aſtutia.

An Angeli in prædicamento ponantur?

Angeli non habent imagines, ſed ſymbola.

An Anima inter ſe ponderentur?

Non ſit pingenda aut concipienda ſancti Michaëlis ſtatera, ſed qualis à Iobo *cap. 6.* depingitur. *Vtinam appenderentur peccata quibus iram meam, ait, & calamitas quam patior in ſtatera.* Et meritò, non enim in divina illa libra, quam Archangelus noſter examinat, ponderatur una Anima cum altera, ſed peccata cum lachrymis, culpæ cum pœnitentia: ſacramentalis enim Confeſſio eſt virtualis contritio, ex ſpeciali privilegio ita ſe habens ac ſi contritio realis eſſet. Eſt quædam voluntaria calamitas hæc ſecreti detectio, & extemporanea verecundia, quæ tanti apud Deum ponderis eſt, ut peccatorum ſarcinæ quantumvis maximæ & moleſtæ præponderet.

1562
Quo ſit modo pingenda ſtatera Archangeli?

Quomodo peccata ponderentur?

Rogemus ergo omnipotentem Deum, ut nobis ſuam conferat gratiam, concedátque ut inter lachrymas & veram cordis compunctionem noſtra confiteamur peccata, tunc enim nobis favebit ſupremi Angeli libra, & fruſtra occlamantibus tenebrarum rectoribus urbe donabimur empyreâ, ut qui dum viveremus terram contempſimus & calcavimus, mereamur calcare ſupremi Mundi ſydera, & Chriſti Iuſtitiæ Solis radiis ſuffundi, & laurea triumphali coronari. DIXI.

1565
Pœnitentia & orationis efficacia.

Textvs Sacer.

Ου προσκυνήσεις αὐτοῖς. *Non adorabis ea.*

1566
Quid adorare ſit?

Etymon verbi *Adoro*, ambiguum, & apud diverſos varium, alii enim putant ab ore, alii illud ab orando diduci: & ad priorem ſententiam, *adoro Crucem*, eſſet *ad os admoveo Crucem*, hoc eſt, *Crucem exoſculor*; ad poſteriorem verò, *adoro Crucem* eſſet idem ac *oro ad Crucem:* & hoc ſenſu vidi elidi quæſtionem illam quæ rogat, An Chriſtus nunc in cælis oret? dicunt enim nonnulli eum orare ad Deum, ſeu adorare Deum; non enim putant aliquod diſcrimen reperiri.

An Chriſtus in cælo nunc oret?

Stando idiomatis Latini rigori, utraque eſſet derivatio probabilis, videretúrque his verbis, non ſolùm oratio & adoratio idololatrica interdici, ſed & quicumque exterior cultus ſuperſtitioſus, qualis ſolet is eſſe, qui oſculo & oculorum ſignificatur attactu. Et utrumque etiam inſinuat rigor Græcus, Προσκυνεῖν enim à Πρὸς *Per* & κυνέω *Oſculor, Oro.* eſt *Peroſculor, Peroro.*

Hinc eſt *Oſculari manum* teſtimonium antiquum

1567

Manuum oſculatio.

tiquum reverentiæ, ut videri poteſt in Plinio, Tertulliano, Apuleio, & Luciano. Iſte in Demoſthenis encomio, quod dixerat *oſculari manum*; mox dixit, προσκυνεῖν. Et Euſtathius ad V. Od. Προσκυνεῖν λέγει τὸ κύειν, ὁ ἐστι φιλεῖν *ab oſculando*. Quod in veteri etiam Epigrammate.

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat:

Beſar las manos, *quid apud Hiſpanos ſit?*

hoc eſt, ut apud Phædrum habes, *Jactat baſia tibicen.* Vnde etiam apud Hiſpanos, *Beſar las manos*, non tam *oſculari manus*, quàm *colere & venerari* conſignificat.

1568 *An adorare, oſculari ſit in terram proſterni?*

Hinc lux aliquibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis, & ex ipſis huic veritati nova lux. Matthæi 8. 1. *Cùm autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſequutæ ſant eum turbæ multæ; & ecce leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine ſi vis potes me mundare.* Et Lucæ 5. 12. *Et factum eſt cùm eſſet* (IESVS) *in una Civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Ieſum & procidens in faciem ſuam rogavit eum dicens, Domine ſi vis poteſ me mundare.* ubi vides Προσκυνεῖν adorare, oſculari manum, apud Matthæum eſſe idem, ac πεσεῖν ὅτι τὸ πρόσωπον *procidere in faciem* apud Lucam: ſic etiam quod apud Matthæum 19. 18. eſt προσκυνεῖν, ut ante, apud Marcum 5. 22. eſt πίπτειν πρὸς τοὺς πόδας, *procidere ad pedes.* Sed & utrumque coniungunt aliquando, ut Matthæi 2. 11. πεσόντες προσεκύνησαν, *procidentes oſculati ſunt, adoraverunt.* Et Matthæi 4. 9. ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, *ſi cadens adoraveris, oſculatus fueris, me.* Et Actorum 10. 25. πεσὼν ὅτι τοὺς πόδας προσεκύνησεν, *procidens ad pedes ejus adoravit, oſculatus eſt.* Et primæ ad Corinth. 14. 25. πεσὼν ὅτι πρόσωπον προσκυνήσει, *cadens in faciem adorabit, exoſculabitur, orabitque.*

Evangeliſtæ componuntur.

1569 *Oſculari manum propriè eſt adorare.*

Hinc intelligi poterit Iobus, qui cap. 31. ſuas virtutes enumerat, & ait, *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo; quæ eſt iniquitas maxima:* nam cùm ore meo meam manum oſculor, ritu veteri adoro, colo, veneror: unde ideò lætatur Iob, quod nunquam in Solis aut Lunæ (idola fuerunt veterum) honorem occultæ lætitiæ teſtimonia non dederit, nec ſupplex ad ora iverit, vel adoraverit.

1570 *Quid importet illud, coram me.*

Sed quid diſcriminis inter habere Deos alienos, & habere Deos alienos coram me? quid inter adorare me, & adorare coram me? Matthæi 4. 9. Chriſto Diabolus, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens προσκυνήσῃς μοι adoraveris me.* Et Luc. 4. 7. *Tu ergo, ſi προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, adoraveris coram me, erunt tua omnia.* Porrò coïncidere utrumque videtur, ſed illud *coram me*, quod apud Lucam expreſſit Diabolus, videtur eſſe deſumptum ex primo Decalogi præcepto, ut ſimilis fieret altiſſimo, & dicendo *Adora coram me*, videretur dixiſſe, *Non habebis Deum alium coram me.*

TEXTVS SACER.

1571 *Quid apud Græcos Λατρεύειν ſit?*

Οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς. *Neque coles.* Sunt duo apud Authores Græcos verba, cognatæ & affinis ſignificationis, cautiùs & meliùs à Latinis diſtincta; nimirum Λατρεύειν & Δουλεύειν. *colere*; ſed putamus latriæ cultum ſoli deberi Deo, ac cultum duliæ etiam creatutis poſſe pendi. Vnde ſapientiſſimè in primo Decalogi præcepto poſitum, Οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, *neque cultum latriæ dabis illis*, non enim negat Deus creaturarum excellentium cultum, ſed imprudentem; congruum enim rationi eſt eximios homines ſub Deo colere; abſonum tamen illos Deo aut æquare aut præponere.

TEXTVS SACER.

1572 *Cur vox* Θεὸς, *ſemel vertatur* Deus, *& ſemel* Fortis?

Ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος, ὁ Θεός σου, Θεὸς Ζηλωτής. *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes.*

Omnia ſunt clara; ſed notandum eamdem vocem Θεὸς, bis poni, & ſemel reddi *Deus*, & iterum *Fortis*; vel quia interpres Hebræum codicem potiùs reſpexit, אל *El* ibi Deum, & Fortem ſignificat: primam ſignificationem expreſſit Græcus, & ſecundam Latinus.) vel quod concipi nequeat ſine fortitudine & omnipotentia divinitas, nec virtus ſine aliqua divinitate.

1573 Ζηλωτὴς *quid?*

Ζηλωτὴς eſt *æmuli impatiens*, ut conſtat ex lege de marito zelotypo Numerorum quinto. Sunt, qui arguant Græcum interpretem, exiſtiméntque vocem Ζηλωτὴς *invidum & æmulum* ſignificare. At ego teneo eſſe vocem communem, poſſéque in bonam & in malam partem adſumi, nam Iſocrates Oratione ad Dæmonicum ſic inquit. Μιμητὴν τὴν δὲ καὶ ζηλωτὴν τῆς πατρῴας ἀρετῆς γενόμενον, *æmulum atque imitatorem paternæ virtutis.* Vnde etiam in bonam partem accipitur cùm Simon ζηλωτὴς 1. Act. & Lucæ 6. nominatur.

TEXTVS SACER.

Ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ὅτι τέκνα, ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς τοῖς μισοῦσί με, *Viſitans iniquitatem Patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

Legis, & ais ſcriptum eſſe alibi, *Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum; ait Dominus omnipotens:* & quî hæ duæ periodi componantur, ignoras.

1574 *An filii peccata ſuorum parentum luant?*

Reſpondeo dari mala culpæ, mala pœnæ poſitivæ, & mala pœnæ negativæ. Et quidem malum culpæ in originale & actuale diſtinguo. Peccatum enim originale, à Patre in Filios deſcendit, & qui ab Adamo originem etiam peccatum trahimus; hoc in nobis ſequitur pœna poſitiva & negativa, habemus enim poſitivas miſerias, & caremus multis miſericordiis, cùm tamen certum ſit harum carentiam & illarum poſſeſſionem ab Adami peccato ad nos transfuſo promanare. Porrò actuale peccatum non transfunditur, nec poſteri luunt poſitivas pœnas propter parentum culpas; at infligi ſolent negativæ, multas enim gratias filio negat Deus, quas omninò concederet, ſi ejus Parentes non peccaſſent.

1575 *Quid ſit viſitare?*

Hæc in Theologico rigore ſint dicta. Ad ſolamen ſubjicio à Luciano eſſe dictum, Ἀπαλλάττω σε τῶν ἁμαρτιῶν, *viſito te, exuo te ab omnibus peccatis.* Ergo hoc ſenſu dicitur Deus viſitare

visitare iniquitatem Parentum in Filios, quod dignetur interdum originali culpâ filios exuere, & ne parentum actuali inficiantur præservare. Tanta est Dei clementia, ut quando irascitur, etiam misericordiæ recordetur.

Quomodo aliquãdo Deus parentũ peccata in filiis puniat?

Illud quod ponitur, *usque in tertiam & quartam generationem*, videtur proverbialiter dictum: nam & Plato, εἰς τετάρτην γενεὰν διαζεύξει τὴν τιμωρίαν, & Poëtæ

Καὶ παῖδες παίδων, καὶ τοὶ μετόπισθε γένωνται.
Et nati natorum, & qui nascentur ab ipsis.

Et Deus, in parentum punitionem solet indebitas sæpè gratias filiis negare: & solet permittere eos etiam peccata committere, & pœnam actualem promereri. Chrysostomus Homilia 29. ad 9. Gen. οὐδεμία μᾶλλον ἑτέρα κόλασις ἢ τὸ ἐξ ἑαυτῶν κακὰ πάσχοντας διὰ αὐτὸς ὁρᾶν, *Nulla pœna plus affert doloris, quàm si quis ex se natos sui causâ in malis esse videat.* Et Tertullianus, *Duritia populi ad talia remedia compulerat, ut vel posteritati suæ prospicientes legi divinæ obedirent.* Deum autem odisse in sacris Litteris specialiter illi dicuntur, qui falsos Deos colunt, ita ut neget Maimonides alio sensu id loquendi genus reperiri: *odisse* enim est desiderare rem non esse; & quidem, qui Deos alios colunt, verum Deum non esse desiderant, & suum desiderium idololatricâ protestatione exponunt.

Textus Sacer.

1576. Καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με, καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου. *Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

Quomodo parentum virtutes in filiis coronet?

Dixerat se visitare Parentum iniquitates in tertiam, aut etiam quartam generationem, at nunc misericordiæ suæ specimen exhibet, & virtutes Parentum se in mille generationes visitare & præmio donare testatur. Hinc patet, quid velint significare Hebræi, cùm dicunt, *unicâ Michaëlem, & duabus alis Gabrielem volitare*: nam cùm Michaël eorumdem opinione Deo sit â justitia, & Gabriel à munificentia, hoc lemmate, Deum tardè & parcè irasci, celeriter & copiosè hominibus favere testantur.

Ad clariorem primi hujus præcepti intelligentiam, has paucas Quæstiones adjungo.

Quæstio I.

An Lex Dei sit impossibilis? An ad impossibile teneatur homo?

1577 *Hæreticus Lutheri, Calvini, & Ianſenii error.*

Deum jubere impossibilia docuerunt Lutherus & Calvinus, & crudiùs utroque Iansenius. Cæterum *Deus impossibilia non jubet*, ait Augustinus, *sed jubendo admonet, & facere quæ possis, & petere quæ non possis, & adjuvat ut possis*, quæ verba Canonica fecit Tridentinum Concilium, Decalogum possibilem esse definiens. Et quidem multæ sunt rationes, quibus solidè hæc possibilitas probari solet, sed omnibus ipsis fortior hæc est, quam diducam ex ipsamet littera Decalogi. Deus enim vult dici, *Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt eum, & custodiunt præcepta ejus*; ergo vel Deus hujuscemodi hominibus misericors non est, vel dantur ipsi: nimirum, qui præcepta ejus observent. Quod si observantia datur, etiam dari debet possibilitas, non enim impossibile est; quod fit de facto.

An Decalogũ aliqui observent de facto?

Quæstio II.

An homo privatus teneatur semper legem Christianam protestari? An idola dejicere, & imagines Idolorum evertere?

1578 Respondeo neminem posse negare religionem Christianam, posse tamen tacere, nisi fortè Ecclesiæ authoritas periclitetur, & illam suâ ille possit confessione defendere, suâ protestatione restaurare. Videri potest Moyses de Cotzi præcepto jubente XIV. quicum convenit illud Concilii Eliberini 1. can. LX. *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.* Chrysostomus circa finem capitis VI. prioris ad Corinthios de tribus adolescentibus in Danielis historia memoratis, loquens: ὅτε κατέσφαξαν τὴν εἰκόνα. τὸ γὰρ ἀνδρεῖον τοιοῦτον εἶναι χρὴ σώφρονα καὶ ἡσύχιον, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κινδύνοις, *neque destruxerunt imaginem. Virum enim talem qui verè sit fortis decet esse & modestum & lenem, præsertim in periculis.* Augustinus locum Deut. 7. 5. explicans: *Cùm acceperitis*, inquit, *potestatem, hæc facite. Vbi non est nobis data potestas, non facimus: ubi data est non prætermittimus: multi pagani habent abominationes istas in fundis suis. Numquid accedimus & confringimus? Prius enim ut idola in eorum cordibus confringamus: quando & Christiani facti sunt ipsi, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos.* Porrò dejicere Idola privatâ authoritate, non est promovere Religionem Christianam, sed irritare Gentiles. Hac audacia plurimi conturbantur, nullus autem convertitur. Ergo vel habenda est patientia, vel authoritas Cæsarea aut Regia est imploranda. Hanc nos docet veritatem Africana Synodus sub Honorio & juniore Theodosio, quæ Imperatores impendit, ut Idolorum reliquiæ, quæ adhuc Africam inficiebant, tollantur.

An Idola privatâ authoritate debeãt dejici? Quid, si à Petro dejiciantur, & ob id occidatur? Erit-ne martyr?

Quæstio III.

De Græcorum Christianorum erroribus. An verum sit, quòd admiserint, posse tutâ conscientiâ latriam, cultum soli Deo debitum, attribui imagini.

1579 *Alienas linguas non benè intelligimus. Interpretes nõ semper punctum tangũt.*

Quàm difficile sit viros alienæ linguæ judicare sæpenumero vidimus, nam in Diospolitano Concilio Pelagius à Græcis Patribus intellectus non est, & ideò condemnari non potuit; nec Græci à nobis semper intelliguntur, & ideò non semper æquâ censurâ judicantur. Confidere cogimur Interpretibus, qui non semper animam textus assequuti in diversas aut etiam adversas expositiones abeunt. Potest in exemplum produci Constantinus, Constantiæ Cypri Episcopus, malè à multis mulctatus, qui legunt Græcas

cas Synodos in idioma Latinum translatas.

1580 *Constantinus Constãtiæ in Cypro Episcopus cõtra gravissimã Censuram defenditur.*

Græca igitur exemplaActione Synodi secundæ tertiâ hæc habent; Κωνσταντῖνος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κωνσταντείας τῆς Κύπρου εἶπεν. Ἐν μηδεμίᾳ ἀμφιλαλήτοις καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα χάρτα τὰ ἐν τῷ ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην τε ὑπὸ αὐτοῦ προομολογηθέντος ὅρα τῆς πίστεως εὑρὼν καλῶς ἀναλόγως, τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας· καὶ τῷ καὶ λατρείαν προσκυνήσιν μόνην τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας μήτε δοξάζοντας τὰς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐκχωρίζω, καὶ τῷ ἀναθέματι ὑποβάλλω, καὶ τῇ μερίδι τῶν ἀνομένων τῷ ἐνσάρκου καὶ σωματικῷ οἰκονομίᾳ χειρὶ τῇ ἀληθινῇ θεῷ ἡμῶν προσπέμπω, Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri urbis dixit: *Cum ea scripta quæ ex Oriente missa sunt ad Tarasium sanctissimum Archiepiscopum & universalem Patriarcham, & modò sunt lecta, videam nihil differre à formula fidei, quam ille antehac professus est, ego quoque indignus eisdem consentio & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas & venerabiles imagines: Adorationem verò Latriæ soli supersubstantiali ac vivificæ Trinitati defero: quique non sic sentiunt ac docent, ab Ecclesia Catholica excludo & anathemati subjicio, & parti eorum qui negant Christi veri Dei nostri in carne & corporalem adventum accenseo.* Caroli Magni tempore Latinè habebatur hæc Synodus, at Interpretem non reddidisse verum sensum ostenditur, quoniam piissima Constantini verba sensu planè inverso recitantur in Capitulari ejusdem Caroli Magni Imperatoris de non adorandis imaginibus, lib. III. c. 17. *Quam præcipitanter, & ut ita dixerim insipienter, Constantinus Constantiæ Cyri Episcopus, cæteris consentientibus, se suscepturum & amplexurum honorabiliter imagines dixerit, & servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur, eis se redditurum garrierit, non est plurimum nostra disputatione discutiendum: quoniam omnibus qui hoc vel legunt vel audiunt, liquido patet, illum non modici erroris voraginibus immersum: quippe qui servitium soli debitum creatori exhibere se fatetur creaturis, &, dum cupit favere picturis, reluctatur cunctis sacris Scripturis: quis ergo unquam sani capitis talem absurditatem vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut in tanto honore habeatur picturarum varietas, quanto sancta vivificatrix & omnium creatrix Trinitas? & tale impendatur servitium picturæ, quale exhibetur domino totius creaturæ? aut quis illum talia nauseantem potius quam loquentem pateretur? quoniam quidem perversum est, ut quibuslibet rebus insensatis tale impendatur servitium adorationis, quale Deo omnipotenti, cui non est similis, cui per Salomonem dicitur:* Domine non est tibi similis in cælo sursum, nec in terra deorsum: *cum qua ergo fronte, ut de cæteris taceam, hoc unum comma divinæ legis audit,* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, *qui hoc spreto non solùm creaturis servit, sed earum servitium servitio Dei æquiparare contendit? flet namque Episcopus in Ecclesia & legat:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: *& mox ut in conventu sederit, dicat;* suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, & illis servitium adorationis quod consubstantiali & vivificatrici Trinitati debetur, impendo.

Sanctorum imagines colendæ sunt: sed solus Deus est latriâ adorandus.

Vide quàm crudè vir pius & innocens, qui Græcè scripsit, carpitur, quòd ab indocto interprete fuerit translatus.

Sanè condoleo Præsuli Constantino, quòd tot annis creditus sit Hæreticus, cùm ex Concilii textu constet illum & gentem Cypricam fuisse orthodoxam, & de Imaginum cultu benè sensisse. Infortunium, ut vidimus, à sola versione pependit. Ergo, siquidem Constantinum audivimus, ejus doctrinam Thesibus opportunis cùm Latinam Versionem recognoscamus, illustrabimus. Interim unum aut alterum Epistolion, ut omnia clariùs intelligantur, subjungemus.

1581 *Restituitur pristino honori Constãtinus.*

Perillustri Domino Aufredo Lutherano apud Augustanos Prædicanti.

1582 *Prodiit anno 1657. Liber, in quo extãt ad vivum pulcherrimæ Prædicantiũ Augustanorũ effigies. An violet legem primam Decalogi? Nõ. Ergo Sanctorum Imagines debent admitti.*

LIBELLUM illum, in quo omnium Prædicantium, qui Augustæ concionantur, imagines & laudes leguntur, libentissimè vidi: à felicitate penicillum, cælum à subtilitate laudavi. Ad gloriam illorum, ut opinor, est editus, qui in illo feliciter & subtiliter imaginantur. An ne violarunt primam legem Decalogi Pictores, qui illas delinearunt imagines; Cælatores qui exculpserunt; Excusores qui pressérunt; Bibliopolæ qui vendiderunt; & Viri curiosi, qui emerunt? Negativè respondes, & benè. Hîc ego hoc volo ratiocinium dissolvi. Possunt Lutheri Apostoli (sic dicimini) sine idololatriæ pingi, & in picturis honorari: ergo & poterunt Petrus Paulus & cæteri Apostoli Christi; Ergo & poterit Angelorum Regina; ergo & reliqui Sancti. Antecedens admittitur; & rationem negandæ consequentiæ non video. Lutherus concedit consequentiam, & consequens: utrumque admittunt plerique Lutherani totâ Europâ dispersi: negatis vos, & in Ecclesiis vestris ne Christi quidem toleratis imaginem. Vbi est Dialectica, si sic abuti ingenio & discursu sinamini? Si possum homines vivos in iconibus suis venerari, cur non potero Apostolos, quos scio honore fuisse & esse digniores, quàm omnes vivi? Inconsequentiam video, at disparitatem non video: nec vos hucusque sufficientem vel dedistis vel dabitis.

Lutherus & severi Lutherani non sunt Iconomachi.

Dum Disenbergensis Monasterii essem Abbas, debui sæpè Spiram ad Cameram Cæsaream recurrere, ut recuperarem bona occupata hæreticorum manu. At ibi sub meridiem campana auditur: sistuntur, & pileum deponunt Lutherani. Sed cur? Ad honorem Gustavi Sueciæ Regis, qui pro Lutherana doctrina multos exantlavit labores, & tandem suum effudit sanguinem. An reverentia hæc est superstitiosa? Negatis. Poterit igitur alia campana sonare vesperi ad honorem Deiparæ: ergo & poterimus sisti, pileos deponere, & illam hoc cultu venerari. Hîc iterum Lutheranos Logicâ laborare percipio, nam si licet colere Regem Sueciæ, cur non licebit colere Cæli Reginam?

1583 *Campana ad Regis Suecia honorem pulsatur Spiræ meridie.*

Cur non & alia vesperi ad honorem Angelorum Reginæ?

1584 *An panis cœnæ Calviniana possit porrigi cani?*

Venisub idem tempus Francandaliam (ibi sunt Calvinistæ, sed de Eucharistia errant eodem modo quo vos, saltem usque ad sumptionem) Erat canis meus Prædicanti molestus, videbat enim panem distribui, & volebat obtinere suam partem. Vespere Prædicantem interrogo, cur non faviſſet cani, particulam ei porrigendo? negat potuisse id fieri, non enim Sacramentum cani porrigi potest. Sunt verba. In Sacramento, quod vocas, inquam ego, præter panem est aliquid? nihil est, inquit ille. Ergo est purus & merus panis, infero. Concedit. Sed cani potest purus & merus panis porrigi. Ergo & illud, quod Calvinus Sacramentum appellitat. Non adquievit, & ait tandem in Sacramento aliquid reperiri præter panem. Sed quid? rationem imaginis; nam ille Cœnæ panis, qui distribuebatur, Cœnam illam Dominicam repræsentabat. Potuissem pergere & inquirere, an responsio hæc sufficeret? an ille panis quem Christus, Dominus noster, porrexit, habuerit quidpiam præter panem? nam, si ille alium panem repræsentabat, dabitur processus infinitus. Et, si in pane à Christo distributo nulla erat sanctitas à pane distincta, nulla etiam erit in pane, quem Calvinista hodie distribuit, etsi dicatur panem datum à Christo Apostolis repræsentare: si autem in pane à Christo distributo aliqua fuit sanctitas à pane distincta, illa esset à Prædicante designanda, & à nobis considerandæ, & impugnanda, si à nostra sententia differret. Potuissem inquam pergere, & hæc discutere; sed malui videri solutione contentus, ut ad hominem, ut loquuntur Dialectici, fortiùs argumentarer. Sic dixi. Hic panis, qui in Cœna Calvinistis in Ecclesia porrigitur, est venerandus, quia est imago, quæ panem quem Christus Dominus manibus suis tetigit, & Apostolis dedit repræsentat. Esto. Ergo hoc signum † Crucis erit venerandum, quia ipsummet Christum, aut saltem Crucem illam, in qua ille suum sanctissimum sanguinem profundendo mundum redemit, repræsentat. Cur ergo Cruces frangitis, & à Templis proscribitis? Ergo ipsæmet Christi, Deiparæ, & Sanctorum imagines sunt venerandæ. Ergo summâ laborat inconsequentiâ, qui panis à Christo distributi veneratur imaginem, & nihilominus contemnit, frangit, & dehonorat Christi distribuentis imaginem. Sic placuit tunc cum illo Prædicante Calviniano differere.

An in Cœna sit aliquid in pane præter panem?

Argumentū ad hominem.

Si Cœnæ panis quà imago colitur, coli possunt & debent Imagines.

1585 *Labarū Cæsaris colitur: ergo Labarū Christi coli debet.*

Expanditur Cæsaris Labarum, & omnes exhibent reverentiam expanso; & in illo vexillo Cæsarem venerantur. Crux est Labarum Christi, nostri supremi Imperatoris; occurrit; & nulla illi reverentia à Calvinista, nulla à vobis, tametsi videri Lutherani velitis, exhibetur. Vbi est Dialectica? Ingrederis Cameram Cæsaris, deponis pileum, etsi Cæsar non adsit. Ecclesia est aula Christi, pileum in capite retines, & religioso loco reverentiam non exhibes. Vbi est tua Logica?

1586 *Iconomachia fundamento omni caret.*

Fateor multa esse apud vos, quæ subsistere nequeunt, nullo enim sunt fundamento subnixa: at inter omnia nihil magis ἄλογικὸν, ne dicam ἄλογον, quàm εἰκονομαχία vestra, quæ omni rationi & sensui repugnare conspicitur. *Confundantur, qui adorāt sculptilia,* occlamatis. Assentimur. Confundātur & pereant. *Similes illis fiant, qui faciunt (& qui colūt) ea, & omnes, qui confidūt in eis.* At aliud est colere ligna, & aliud colere Christum, Deiparam, & SS. in lignis, quibus repræsentantur. Aliud est illa colere *ut quod*, aliud *ut quo*. Aliud illa venerari ut ligna, aliud verò ut imagines. Imago quà talis intentionaliter est prototypus; & per quamdam virtualem seu moralem transsubstantiationem nobis sub accidentibus visibilibus proponit rem repræsentatam. *Psal.* 134.

Cur plura? Finio, oculos ad Deum levans & dicens, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Dico consultò *super nos*, non *super me*; quoniam rationis lumen æquè Deus in te, ac in me, aut fortè copiosiùs derivat. Dico ego Deo, *In lumine tuo videbo lumen.* cur tu Deo, *In lumine tuo videbo tenebras?* Cessent, obsecro, præjudicia: cesset vincendi fervor: votum inveniendæ Veritatis obtineat: rationes à me positæ considerentur, ponderentur; tam enim claræ sunt, ut nisi sponte velis cœcutire, cur non debeas mecum Imagines venerari, non video. Cœcis Christus est lux; sit tibi: hoc Deum oro, & ut te suâ ipse gratiâ, quæ illuminat mentes, perfundat, instantissimè deprecor. Vale.

1587 *Lumen rationis à Deo est.*

Hæretici laborant pluribus præjudiciis.

Eidem Perillustri Domino Aufredo.

AMAS linguam Hispanicam, putásque postquam Hebræam & Græcam didiceris, ut sacram Paginam meliùs intelligas, tibi valde esse utilem illam, in qua tam subtiles scriptitant Concionatores. Verum est, PERILLVSTRIS AVFREDE; nulli sunt qui altiores conceptus & concisiùs perorent. Sed, quia & Poëtis Hispanis delectaris, & etiam versus audes condere, & à me numeros & methodum postulare dignaris, me Rhythmicam scripsisse respondeo, & in ipsa omnia Carminum genera, quæ apud Hispanos in usu sunt, uberiore calamo dilucidasse. Illam legere poteris, sed quia fortè moras Typi expectare non vis, ut ingenium & stylum exerceas, Regulam facilem suppeditabo.

1588 *Valde est utilis linguarū Orientalium cognitio. An etiam Hispanica?*

Rhythmica, Authoris liber.

Versus hendecasyllabi, qui vulgo *de soneto* vocantur, ab Italia in Hispaniam perveniſſe dicuntur: at verò Ogdoasyllabi Hispanorum sunt proprii, & rarò ad exteras regiones transeunt. Ex his Districha, Tristicha, Tetrastricha, Pentastricha, & Decastricha conformare solemus. At, quia Musicis numeris Pentastricha meliùs, quàm cætera, convenire dicuntur, hoc exemplum subjungo, quod loco Regularum sit, ut stylum & ingenium exerceas.

1589 *Versus Itali, qui? Hispanici, qui? Strophæ.*

La adoracion, que se aplica
a la Imagen, prenda vica
de nuestra humana miseria,
no es por ella, o su materia,
mas por lo que significa.
Es la Imagen, como Historia,
que nos trahe a la memoria
en los Catholicos Templos
los portentosos exemplos
de los que estan en la gloria.

Imago nō colitur propter se, sed propter rem repræsentatam.

Si,

Si, porque de palo ſon
o plata, los adorára
la Chriſtiana Religion,
y adelante no paſára
nueſtra juſta devocion,
Fuera Idólatra ſin duda,
quien una imagen deſnuda
reverenciára, y tuviera
por Dios, y favor pidiera
a un palo, a una tabla ayuda.
Mas como tu ſello Real
ſe eſtima en tu propria cuenta,
no porque es de oro ometal,
ſino porque repreſenta
tu Dignidad Imperial.
Y de quien le deſpreciára
y en las llamas le arrojára
ſe agraviara tu Corona,
qual ſi en tu miſma Perſona
ſu locura executára.
De eſta ſuerte, pues la gente,
que de la immortal preſencia
de los ſantos vive auſente,
ſu memoria reverencia
en ſus tablas ſolamente.
Y ſi con error tan ciego
mandas, que tu Imperio Griego
que me ſus ſantas figuras,
los miſmos ſantos procuras
echar tanbien en el fuego.

ſunt verba Cæſari Conſtantino Iconomacho, Irenes Imperatricis filio à quodam Relatore dicta apud M. Tirſum de Molina part. 5. in Comœdiæ, quæ inſcribitur, *La Republica al revés.* act. 3.

Ergo in his verſibus poteris, PERILLVSTRIS AVFREDE, ſyllabarum numerum & conſonantiam, & rationum pondus accuratè metiri; illam ut ſtylum, hoc ut mores conformes; quod, ſi feceris, non ſolùm Regis Catholici linguam: ſed & Fidem adquires. Hanc tibi concedat Omnipotens, & mihi ut tibi & tuis favere poſſim. Vale. 1590

PRÆCEPTVM II.

1591 Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ὅτι ματαίῳ. οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ ὁ κύριος, ὁ Θεός σου τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ὅτι ματαίῳ. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus* (Deus) *eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.*

1592 *Hoc ſecundo præcepto interdicuntur juramenta: ſed qua?* Sed quid eſt nomen Dei in vanum ſumere? Philo in hujus loci explicatione, cùm dixiſſet, μὴ λαμβάνειν ὄνομα Θεοῦ ὅτι ματαίῳ, *non ſumendum nomen Dei in vanum*, explicat, μάρτυρα ὀνομάζειν ὅτι ψεύδει Θεὸν, *Deum enim teſtem advocare ad mendacium, res ſummè impia.* Ergo ad Philonis mentem ſolo perjurio hæc lex Decalogi violatur. Conſentit Abeneſdra; ſic Exodi 23.1. pro שוא, quod in Hebræo eſt, Hieroſolymitanus interpres habet דשקר, ubi Græci ἀνόλως ματαίαν. ſic etiam Pſalmi 12.3. שוא ידברו. Græcè ματαία ἐλάλησεν ἕκαστος, *mentiti ſunt.*

1593 *An aſſertoria ad octavum ſpectent?* At Anonymus, qui edidit explicationem Decalogi apud Ioannem & Cornelium Blaeu Amſtelodami anno 1642. ab hoc præcepto aſſertoria omnia juramenta excludit, & in octavum rejicit. *Notandum*, ait, *non hîc propriè agi de teſtimonio, qua de re præceptum nonum* (nobis octavum) *ſequetur; ſed de juramento promiſſorio, quod oſtendunt ſequentia apud Matthæum*, ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου, Reddes Domino juramenta tua. *deſumpta ex Num. 30.2. Et illa Philonis*, τί λέγοις εἰπὼν ἂν πρὸς τὸν ἐπίορκον. Quid dicas, dicam perjuro. *Propriè autem ut Chryſippo notatum*, ἐπιορκεῖν *eſt irritum facere, quod juraveris; non ſtare jurato.*

1594 *Pertinent huc tam aſſertoria, quàm promiſſoria.* Sed nos juramenta in vanum emiſſa omnia illa, quæ promiſſoria ſunt, imò etiam quæ aſſertoria credimus; cenſemúſque peccati gravis reum, qui in aſſertorio etiam ſi levis ſit materia, mentitur; & in promiſſorio, ſi materia ſit gravis. Addimúſque juramenta etiam vera, huic opponi præcepto, ſed leviter, ſi emiſſa in vanum, hoc eſt, ſine neceſſitate; ματαίως enim *ſupervacaneum* & *fruſtraneum* ſignificat, quod non potuerunt adverſarii ignorare. Vnde videtur Aquila ſenſum Præcepti optimè intellexiſſe vertit, enim εἰς εἰκῆ. nam, ſi Nomenclatores Græcos conſulam, hæc vox εἰκῆ adverbialiter ſumpta, eſt *inconſultò, temerè, fruſtrà, ſine cauſa, intempeſtivè, ſine conſilio, levi de cauſa*: quibus verbis reperio optimè expreſſos characteres veracis juramenti, & tamen adhuc leviter peccaminoſi. *Emiſſa cum veritate, ſed ſine neceſſitate ſunt venialia.*

Sed quid propriè Iuramentum eſt? 1595 Μαρτυρία Θεοῦ ὅτι φράγμαι ἀμφισβητουμένου, *Teſtimonium Dei de re dubitata*, nempe illi, cui juramentum præſtatur: nam ſi res ſit juraturo dubia, debet cohibere labia, aut peccare mortaliter; graviter enim peccat ille, qui Deum in teſtem invocat, ubi veritatem ignorat. Quod, ſi res omninò certa ſit, cùm juramento opus non ſit, qui illud emiſerit, arguendus eſt de peccato veniali. Sed cur illud μαρτυρία? ſic placet reſpondere. Vt inſinuetur debere tam liquidam eſſe in juramento veritatem, ut poſſis ſecuriſſimè tuam vitam morti aut martyrio exponere. Clementi Alexandrino univerſaliùs, ὁμολογία μετὰ προσπαραλήψεως θείας, *Affirmatio aſſumpto Deo.* Sed Dionyſio Halicarnaſſæo optimè; optimè etiam Procopio; illi enim Iuramentum eſt, τελευταία πίστις, *fides ultima*, & iſti ὕστατον καὶ ἐχυρώτατον πίστεως ἐνέχυρον, *ultimum & certiſſimum fidei pignus.* Et duas video juramenti qualitates expreſſas; materia enim debet eſſe certiſſima, & teſtificatio quæ per Deum, ultima; nimirùm, cum aliæ ſunt præmiſſæ nec tamen credimur, cùm fide graviter indigemus ad nos vel noſtra conſervanda. *Quid juramentum ſit? Vter dubitare debeat, jurans, an adjurans?* *Cur juramentum dicatur fides ultima?*

Quàm grave peccatum ſit perjurium, putant aliqui fuiſſe à Philone expreſſum, cùm dixit, πηγὴ δὲ πάντων ἀδικημάτων ἀθεότης, *Fons omnis injuſtitiæ Dei abnegatio*, vbi perjurium 1596 *Quàm ſit gravis culpa perjurium?*

rium cum atheiſmo, ut ipſi opinantur, confundit. Verùm Philonis pace, aliud eſt atheiſmus, & aliud blaſphemia, & aliud omninò perjurium. Atheus dicit, *Deus non eſt*; blaſphemus, *Deus mendax eſt*; perjurus, *Deus eſt, & quidem verax; ſed hujus mendacii teſtis eſto.* Perjurii gravitatem alii à pœna rimantur: nulla enim tam barbara fuit natio, quæ ignoraret, ſeveriſſimè à Deo vindicari τὰ ἐπιορκήματα, *perjuria*; Heſiodus.

Perjurium ab Atheiſmo & Blaſphemia diſtinguitur.

Graviſſimè punitur à Deo.

Ὅρκον θ' ὅς κε πλεῖστον ὀπιχθονίους ἀνθρώπους
Πημαίνῃ, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Et Juramentum, clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

Apud Herodotum hoc oraculum legitur.

Ἀλλ' ὅρκου παῖς ἐστιν ἀώνυμος, οὐδὲ ἑπὶ χεῖρες
Οὐδὲ πόδες· κραιπνῶς δ' ἐλέρχεται εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.

At Juramento quædam eſt ſine nomine proles,
Trunca manus & trunca pedes: tamen impete magno
Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpémque domúmque.

Tibullus perjuros, etſi tolerentur ad tempus, tandem puniendos à Deo fore pronunciat.

Ah miſer! Et ſi quis primo perjuria cælat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

1597 *Peccata contra primam Tabulam sùt graviora peccatis, quæ sùt contra ſecundam.*

Nos gravitatem ab objecto deſumimus, concludimúſque minimum mortale peccatum, quod ſit contra Tabulam primam, maximo quod ſit contra ſecundam majus eſſe. Scióque plurimos non tam leviter pejeraturos, ſi criminis gravitatem intelligerent, ſciéntque perjurium eſſe parricidio ſceleſtius.

1598 *An Deus perjuria præcipiat?*

Sed objicis. Perjuria non interdici à Deo, ſed indici: qui cùm Dominus ſui honoris ſit, validè præcipere id poteſt. Aſſumptum probas; nam ubi interpres Latinus vertit, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.* debuit vertere, *An-non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum? οὐ γὰρ μὴ Porrò nunquam non habebit inſontem Dominus ὁ Θεὸς Deus, eum qui aſſumpſerit nomen Domini ſui fruſtrà.* Præcipit igitur Deus jurare in vanum.

Conſideratur textus rigor.

1599 *Apud Latinos duæ negationes affirmant.*

Reſpondeo duas apud Latinos negationes habere affirmationis vim; forma enim eſt ipſamet privationis privatio: at apud alias nationes negatio addita negationi fortiùs negat; Belga cum una negatione ſic loquitur, *Ick en hebbe dat niet gedaen*, [*Ego hoc non feci;*] cum duabus ſic. *Neen, ick en hebbe dat niet gedaen*, [*Nequaquam ego hoc non feci:*] & cum tribus, *Neen neen, ick en hebbe dat niet gedaen*, [*Non nunquam, ego hoc non feci.*] & tamen ſenſus ſemper eſt, *Ego hoc non feci.* Et quò plures negationes ponit, fortiùs negat: ſic etiam loquitur Hiſpanus, *Hago nada; Hago nonada; No hago nada*; ad litteram, *Ago nihil, Ago nonnihil, Non ago nihil*, ponit, ut ſignificet ſe nihil omninò facere; hæ enim tres poſitiones ſunt ſibi omninò æquipollentes. Ergo Græcus ſimiliter, οὐ γὰρ μὴ καθαείσῃ, *non enim non habebit inſontem*, & duabus his negationibus non affirmat, ſed fortiùs negat.

Non autem apud alios.

Et apud Græcos præcipuè.

PRÆCEPTVM III.

Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, ἁγιάζειν αὐτήν. Ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου· τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα κυρίῳ τῷ Θεῷ σου. οὐ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον καὶ ὁ υἱός σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, ὁ παῖς σου, καὶ ἡ παιδίσκη σου, ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου, καὶ πᾶν κτῆνός σου, καὶ ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοι. *Memento diem ſabbathi, ut ſanctifices eum: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die ſabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo; & filius tuus, & filia tua; ſervus tuus, & ancilla tua; bos tuus, & jumentum, & omnis beſtia tua; & advena qui eſt intra portas tuas.*

An ignorantia aut inadvertentia à culpa excuſet?

Sed quid illud μνήσθητι, *memento?* An non ſufficeret dicere φύλαξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, *obſerva diem ſabbathi?* ſic enim ponitur in Deuteronomio. Et reſpondeo hîc doceri homines oblivionem, inadvertentiam & ignorantiam non ſemper excuſare à peccato; quoniam, ſi alterutra vincibilis ſit, libera eſt, & per conſequens peccaminoſa. Addo obſervantiam ſabbathi pertinere ad memoriam, inſtitutum eſt enim ut beneficiorum Dei recordaremur, & Deo gratias debitas redderemus. Procopius in Gen. cap. 2. *Quemadmodum feſtos dies appellamus* ſanctos, *quòd contineant memoriam beneficii alicujus ſingularis à Deo nobis dati: ſicuti & illud* ſanctificate jejunium, *id eſt*, ſeparate & ordinate jejunandi tempus; *ita Judæis imperavit ſupremum Numen, ut ſegregarent à cæteris diem ſeptimum, eúmque deſtinarent cultui Divino; ut ſi oblivio Dei fortè obrepſerit, tamen invitis ex ipſo die, quo quietem capiunt, in memoriam revocetur & redigatur, qui omnia fecit & die ſeptimo requievit.* Hinc conſtat, *ſabbathum propter hominem factum eſſe, & non hominem propter ſabbathum*, ut dicitur Marc. 2.

Cur ſabbathum inſtitutum ſit?

1600 *An obſervare iuſſerit ipſum diem ſabbathi, aut unũ in hebdomade diẽ?*

Cur igitur non dicitur, Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τοῦ σαββάτου, *memento diem ſabbathi*, ſed Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, *memento diem ſabbathorum?* Reſpondeo *ſabbathum* ſæpè pro hebdomade poni, unde ille Phariſæus ſe bis in ſabbatho jejunare occlamabat, & tamen una eadémque die iterum & iterum jejunare non poterat: agebat igitur de hebdomade, ſe duobus in ſingulis diebus jejunare gloriatus. Ergo hæc periodus, *Memento diei ſabbathorum, ut ſanctifices illum*, æquivalebit huic, *Memento, ut ſanctifices unam diem ſingulis ſeptimanis.* Patet igitur non eſſe cur angantur Interpretes ſui Calvini in Hollandia, & proſcriptâ Dominicâ velint reſtituere ſolennitatem ſabbathi, non enim in Decalogo ſcriptum ut dies ſabbathi præcisè obſervetur, ſed ut una ſaltem dies ſingulis ſeptimanis. Accedit, quod aliud ſit unde nomen impoſitum, &

Aliud eſt, unde nomen ſumitur: & aliud, quod nomen ſignificat.

aliud

Nomen Lapis. aliud quod nomen ſignificat; nam *lapis* à lædendo pede dictum putant, qui tamen non volunt pedis læſionem, ſed petram eo nomine ſignificari. *Pontifex* dictus fuit primus ille Sacerdos, qui pontem fecit, & jam omnes Summi Sacerdotes, tametſi pontes non faciant, nominantur *Pontifices*. Ac eodem omninò modo, ſi ſabbathum ſit nomen diei Saturni, aut Σαββατικὴ ἡμέρα *ſeptima dies*, quia ipſa feſta, pro quolibet die feſto uſurpabitur. Quod ſi nimis ſuperſtitiosè etymo ſtare volueris, dicam eſſe vocem Hebræam, & inde originem eſſe ſumendam, & ſignificare propriè *requiem*, adeóque illum diem, in quo quieſcimus. Bulgarius Græcus Interpres apud Lucam cap. 6. quem Henrici-Petri Lexicon exhibet, ſic inquit. *Judæi quodvis feſtum* σάββατον *vocabant: nam* σάββατον *requiem ſonat: ſæpenumero igitur incidebat feſtum in Paraſceven & vocabant Paraſceven* σάββατον *propter feſtum.* Favet Hiſpana lingua, nam Paſcha Hebraïcè, Græcè, & Latinè Reſurrectionis feſtum ſonat, at Hiſpani omnia ſolenniſſima, qualia ſunt Dominicæ Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, vocamus *Páſcuas.*

Nomen Pontifex.

שבת *requiem ſignificat.*

1601 Video tam malè olim à Iudæis ſabbata obſervata, quàm à Chriſtianis hodie; dies enim animæ directioni conceſſus, multis videtur debere omninò in popinis conſumi; quod tantâ religione non nullibi, ut totâ jejunent hebdomade, ut corradendo neceſſarias pecunias, latiùs poſſit feſto die ſe inebriare. Puto igitur idipſum olim præſtitum à Iudæis; nam cùm nomen ſabbathi apud omnes nationes eſſet notum, Plutarchus originis Hebraïcæ ignarus, à Græco illud idiomate diduxit, & à σαββάζειν derivavit. Igitur, cùm σαββάζειν ſit *bacchari, tripudiare, convivari, bacchanalia agere*, certum eſt taliter vixiſſe diebus ſabbathinis Iudæos, ut potuerit Plutarchus hanc nominis derivationem opinari. Interim illa dies à Græcis Chriſtianis ἀνάπαυτις dicitur, & σαββατισμὸς à corporis labore ceſſatio.

An malè dies feſti obſervẽtur?

An Σάββατον *oriatur à* Σαββάζειν.

1602 Inquiris, An liceat die feſto iter agere? Licuit olim Iudæis mille paſſus peragere, non plures, unde *iter ſabbathi* eſt diſtantia determinata mille paſſuum. At hodie omnia beniguiùs; non enim iter agendo violari ſolennitates affirmamus. Hinc lux Apoſtolicorum Actuum capiti primo. *Tunc reverſi ſunt in Hieroſolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Hieruſalem ſabbathi habens iter:* hoc eſt, *qui diſtat à Hieruſalem quaſi paſſibus mille.*

An liceat iter agere ſabbato? Iter ſabbathi *quid?*

1603 Inquiris ſecundò, An feſtivitas, quæ ſabbatis olim in Eccleſia Iudaïca fuit culta, in Dominicam fuerit à Chriſtianis tranſlata? Et reſpondeo olim obſervatam diem ſabbathi, & non Dominicam, hodie obſervari Dominicam & non diem ſabbathi: an hoc ſit transferre aut convertere ſolennitates, vocum inſpectores inquirant. Dico tamen non fuiſſe ſtatim ſublatam ſolennitatem ſabbathi, cùm introducta fuit Dominica, ſed utramque olim ſimul religiosè obſervatam. Nam Tertullianus in Monogamia docet ſabbatha piè culta à veteribus Chriſtianis, & in ipſis cœtus habitos, ut conſtat ex Act. 15. 21. qui mos videtur multis annis manſiſſe, quouſque in Concilio Laodiceno aliter fuit diſpoſitum. Non malè

Quomodo ſabbathi obſervantia in diem Dominicum tranſierit?

Veteres Chriſtiani & ſabbathum & Dominicam religiosè obſervabant.

Balſamo. Παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν ὁλόκληρον σχεδὸν τὴν κυριακὴν τὰ σάββατα, *à Sanctis Patribus penè per omnia æquati ſunt dies Sabbati Dominicis diebus*, quos duos dies *fratres* vocat Gregor. Nyſſen. & καλῶ τὴν συμμετρίαν τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς, *pulchram bigam Sabbathi & Dominicæ diei* Aſterius. Liber antiquus Conſtitutionum Clementis libro VII. capite XXIV. τὸ σάββατον μόνον τοῦτο, καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα ἡ δὲ ἀναστάσεως, *diem Sabbathi & diem Dominicam feſtas habete, quoniam illa creationis, altera Reſurrectionis memoriæ dicata eſt.* idem libro VIII. ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας, *laborent ſervi dies quinque. Sabbatho verò & Dominica die vacent doctrinæ ad pietatem facienti Eccleſia.* Hinc patet cur Conſtantinus juſſerit ne Chriſtiani in jus vocarentur ſabbatho aut etiam Dominica, quòd utrumque ſub illud tempus obſervarent. Hinc etiam cur fuerint veteres Chriſtiani apud Ethnicos cum Iudæis confuſi, quia utrique viſi ſabbathum obſervare: ſucceſſu tamen temporis incepit Synagoga paulatim ſepeliri, & ſabbathi obſervantia obſoleſcere, non quidem ullo Dei, Apoſtolorúmve præcepto, ſed vi datæ ſibi libertatis, ex conſenſu voluntario: vide Iuſtinum Apologetico II. ἐν τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, *& die illo qui ſolis dicitur conventus fit omnium qui in urbibus aut agris habitant*, & confer cum plurimis locis, ubi Chriſtianos iis qui ante legem pii fuere in eo confert quod non ſabbathizent.

Qui dies vocentur Fratres: & cur?

Sabbathum Creationis mundi, & Dominica Reſurrectionis Chriſti memoria conſecratur.

1604 Vides Authores & Authores; omnes diverſos aut adverſos, & inquiris an liceat die feſto jejunare? Reſpondeo in veteri Eccleſia excipi ἡμέρας τῶν ἑορτῶν *dies feſtorum*, & in Canone Apoſtolico LIII. benè de ſabbatho & Dominica die exponit Zonaras: quod probat Canon LXV. qui vetat (pœnaliter, ut puto) jejunare die Dominico aut ſabbatho, unico ſolo excepto, nimirum, ſabbatho ante Paſcha ob Chriſti ſepulturam luctuoſo. Tertullianus de jejuniis, *ſabbathum nunquam niſi ante Paſcha jejunandum eſt.* Et idem adversùs Marcionem libro 4. *Meminerat enim & ille hoc privilegium donatum ſabbatho à primordio, quo dies ipſe compertus eſt, veniam jejunii dico.*

An liceat ſabbatho aut Dominica jeiunare?

Sabbathum ante Paſcha ieiunii eſt.

1605 Sed diſplicet tibi mea lenitas, & quia hæc decreta, quæ jejunia diebus feſtis inhibent pœnalia credidi, tu moralia contendis, & Ignatium Epiſtola ad Philippenſes citas; ait enim, εἴτις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ χριστοκτόνου ἐστιν. *Si quis aut Dominica aut ſabbatho jejunet, excepto uno ſabbatho, is Chriſticîda eſt.* Et infers legem eſſe moralem; non enim meritò poſſet vocari *Chriſticida*, qui in legem pœnalem impingeret. Fateor, vim ſentio. A Tertulliano doceor eſſe privilegium & veniam jejunii die ſabbatho; & ſic ſto meæ reſolutioni, & de contemptu Ignatium exponendum exiſtimo; nam & hodie peccati mortalis reum agerem χριστοκτόνου dicerem, qui de Dominica in contemptum ſolennitatis, aut ejus cui ſacra jejunaret. Si autem aliquis hanc legem obligare ad mortale contendat, dabo rationem,

An liceat iter agere ſabbato?

Quomodo ſabbathi obſervantia in diem Dominicum tranſierit?

1605 *An ieiunium die feſto interdicatur moraliter?*

An, qui ſabbatho ieiunat, Chriſticida ſit?

Iudæi ieiunabant in ſabbato. An ideò hoc fuit ieiunium interdictum?

ob quam potuerit, & voluerit Eccleſia jejunia interdicere die ſabbathi ſub mortali. Conſiderentur hæc verba, quæ Auguſtus ad Tiberium ſcribit. *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter ſabbathis jejunium ſervat, quàm ego hodie ſervavi.* Ita apud Suetonium in Auguſto *cap.*76. Ergo, ſi jejunare in ſabbathis Iudæorum erat, & ut à Iudæis ſecerneremur, hoc jejunio interdicebamur, ad latriam ſpectabat interdictio, & ſub lethifero obligabat. Interim noſtro ævo in Italia die ſabbathi ad Deiparæ honorem feſtinant; &, qui D. Antonio de Padua voverunt ſingulis hebdomadibus jejunare unâ die, nempe illâ feriâ, in quam incidat ejus ſolennitas; quando hæc in Dominicam incidit, diebus Dominicis jejunant toto anno, nec Theologorum cenſuram, nec Epiſcoporum punitionem incurrunt: non enim ex Dominicæ contemptu, ſed ex devotione erga Divum id faciunt.

Cur ſabbatha in plurali dicantur?

Vides Latinos vix voluiſſe *ſabbathum* dicere in ſingulari; nam Horatius ait:

Sunt hodie triceſima ſabbatha.

Et Iuvenalis;

Quidam ſortiti metuentem ſabbatha patrem.

& quia Myſterium ſublatere præſumis, illuſtrationem requiris. Et reſpondeo magna latere Sacramenta apud aliquos, ſed me judice eſſe meram neceſſitatem metri, nam hexametrum aut etiam pentametrum carmen reſpuit *ſabbathum*, cujus nomen tolerare non poteſt.

1606 *Cur dies ſeptima ſervanda ſit?*

Vt ut ſit una dies ſervanda, cur indicta fuerit ſeptima? inquiris. Ratio communis à fabrica mundi deſumitur; ſex illum Deus diebus creavit, & ſeptimâ requievit die. Sic Hebræi communiter; ſic ſpecialiter Maimonides, Abaneſdra in præfatione ad Decalogum, Iſaacus Arania, aliique: ſed ſtatim requiris, cur debeat homo ſeptima die quieſcere ſui Creatoris exemplo? nam probabile eſt, propter Auguſtini ſententiam, hos dies imaginarios fuiſſe, omnéſque aut in uno temporis atomo, aut ſaltem breviſſimo momento comprehenſos: aut, ſi veri dies fuerint & noſtris æquales, quod omninò dicendum exiſtimo, in ipſis laborem & requiem Dei ſumi metaphoricè & virtualiter non verò realiter intelligo, aſſeróque non poſſe in exemplum adduci. Voluiſſe Deum laborare, ut experientiâ doctus laborantibus condolere potuiſſet, conceptus eſt ad mentem Virgilii probabilis, ad mentem verò Patrum intolerabilis, præcipuè ſi agatur de creationis materia. Dixit apud Maronem Dido.

An Hexametron conſtet ſex diebus realibus, an virtualibus?

Hominem ſine labore creavit Deus:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

1607 *ut non ſine labore redemit.*

& hoc dicere poſſet Divinitas, ſi verè in Mundi creatione laboraſſet: at, quia voluntate omnia condidit, qui æternus & invariabilis, eſt, nec mala addiſcere, nec potuit clementiam doceri. At illud ipſum carmen, ſi de Chriſti Perſona grano addito ſalis intelligatur, poſſet omninò ſuſtineri, quem enim ſine labore Deus hominem condidit, ſanguine & dolore redemit. Præcepti ratio vera in noſtra eſt inſtructione ponenda. Voluit enim Deus diebus ſex mundum condere, tametſi in inſtanti potuerit, & ſeptimo virtualiter

Cur creationis memoria conſervanda?

quieſcere, hoc eſt, ita ſe habere ac ſi verè è fatigatione requieſceret, ut creationis memoria expreſſa in ſingulis hebdomadibus conſervaretur: & ideò in hoc præcepto dicit μνήσθητι *memento*, nam ille cultus ſabbathi, non tam propter ſe, quam propter creationis memoriam inſtitutus eſt. Sed cur hæc ipſa memoria tam diligenter conſervanda? Quia creationis oblivio in atheiſmum univerſos inducit; ut mirum ſit Ariſtotelem potuiſſe mundum ab æterno, nec tamen Deum conſequenter negaſſe.

An, qui creationem negat, poſſint negare Deum?

Ecce in Eccleſia primitiva utraque dies (ſabbatica & Dominica) eſt obſervata: hodie ſabbatha non obſervamus, ſed ſolam Dominicam: Vnde hæc mutatio venit?

1608 *Cur obſervatia ſabbathi in diem Dominicâ tranſierit?*

Tametſi conſuetudo ipſa ab Eccleſia approbata ſufficeret: ſic eſſe à Pontificibus diſpoſitum expreſsè, reperio. Nam in Laodiceno Concilio (quod celebratum fuiſſe circa annum CCCLIV. annotavit Origanus Ephemeridum tom.1.part.1.cap.4.pag.77.) Canone XX. legitur, *Non oportere judaïzare Chriſtianos, & in ſabbatho vacare, ſed potiùs operari eadem die, Dominicam præferendo ſabbatho.* Hanc rationem proponit Hoſpinianus *cap.* 8. *de origin. feſt. Chriſt.* ubi ex Ignatii *ad Magneſios Epiſtola* docet ſubrogatam Dominicam fuiſſe, ne Iudaïcis legibus & ceræmoniis obſtringi viderentur Chriſtiani. Huic rationi alias duas Hoſpinianus *ex Apologia II.* Iuſtini adjungit. Prima eſt, quòd Mundus die Dominicâ creatus fuerit; nam aliis fuit quinque exornatus: unde etiamnum illa dies à Belgis *ſondagh*, à Germanis *ſon-tag*, & à Mathematicis nominatur *Dies Solis*: nam, ut multi Patres ediſſerunt, die Dominica lux illa fuit condita, quæ poſteà in Solem verſa, annos & dies metitur. Secunda, quòd Chriſtus Dominus hac die, quæ ἡ δευτέρα τῶν σαββάτων fuit, à mortuis reſurrexerit: unde à Domino illa die mortem infernúmque triumphante Κυριακὴ, *Dominica*, vocata fuit. Aliam etiam rationem idem Author ex Cælio Rodigino lib.7. cap.42. lect.antiq. adducit, quam his verbis expendit. *Sabbathi loco Chriſtiani diem Solis colere, eúmque Domino adſcribere dicaréque, & illius cultui totum mancipare, primæ Eccleſiæ Fideles voluerunt, quod nullâ magis re imaginari præpotentis ac univerſa ſupereminentis Chriſti majeſtatem congruentes poſſimus, quàm per ſplendidiſſimum Solis lumen: nam ſcriptum eſt*, In Sole poſuit tabernaculum ſuum: &, Exiit de Tribu Iuda, *cujus ſignum Leo eſt, ſolare animal.*

Quo die creatus ſit Mundus?

Dies Solis qui?

Quo die creatus ſit Sol quoad ſubſtantiam?

Sol Chriſti imago.

Leo, animal ſolare.

Tertio Decalogi præcepto indicitur homini, ne ἔργον faciat, ergo id, quod ἔργον non ſit, interdictum non eſt. Qualia igitur opera, quæ ἔργα dicuntur? Omnia mechanica, omnia quæ membris corporis ſolent formari.

1609

An-ne militare opus, ἔργον dicitur? an-ne licet die feſto militare? Dabo Xenophontem, τὸ ἔργον ἔχοντες πολεμεῖν *bellandi operam habentes:* & Homerum Iliade 1.

Τέκνα με προέηκε διδασκέμεναι τὰ δὲ πάντα,
Μήδεα τε ῥητῆρ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

ex quo loco Cicero 3. de Oratore ſic inquit, *Vt ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre Achilli juveni comitem eſſe datum dicit*

ad

ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actorémque rerum. Ecce ſudores militares ἔργα dicti, & ideò cauti, quouſque Machabæi re benè conſideratâ bellum poſſe geri die feſto decreverunt.

1610 *An ægrotos curare?* An-ne etiam medicina ἔργον eſt? Licet-ne die feſto ægrotos recurare? Porrò Iſocrates ἔργον ἰατρικὸν *munus medendi* nominat; & hinc videntur occaſionem ſumpſiſſe Phariſæi, ut ſcandalizarentur, quod Chriſtus homines curaret in ſabbathis: at quia omnis Chriſti actio nobis eſt imitationi ſecuriſſimæ, colligitur poſſe die feſto ſerviri ægrotis & omnia illis congrua ſubminiſtrari.

1611 *An ſtudere liceat?* An-ne ſtudere licebit feſto die? An labores litterarii ſint ἔργα? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quoniam Ariſtophanes in Pluto ait, ἔργων ποιέμενον εἰδέναι ταῦτα, *Opus ſtudioſi hæc cognoſcere.* At in favorem litterarum ſtat communis recentiorum opinio die feſto ſtudia permittentium.

1612 *An jubere liceat filiis nondum uſu rationis præditis, ut die feſto laborent ſit contra hoc præceptum?* An hoc præceptum etiam uſu rationis expertes obligat? Author Blaevianæ Expoſitionis, quam ſæpè citavi, exponens illa verba, *Filius tuus & filia tua*, ſic inquit, *Intelligit eos, qui ob ætatem legis intellectum nondum habent, quos arcere ab operis debent parentes: nam qui provectioris ſunt ætatis pro ſe ipſis lege tenentur. Idem in lege circumciſionis*, & inter Chriſtianos Baptiſmi. Vnde ſic videtur philoſophari. Quicumque adultus tenetur perſonaliter ſibi procurare Baptiſmum; ſicut & olim inter Iudæos quicumque adultus tenebatur circumciſionem procurare: at, quia puer defectu rationis non poteſt, id tenentur procurare parentes: ſic videtur concludere, Ergo quicumque adultus tenetur ipſe ab opere ſervili abſtinere; at puelli id facere neſciunt, quia obligationem nondum capiunt, ergo parentes tenentur eos ab operis interdictis arcere. Peccabit igitur mortaliter juxta hunc modum dicendi, qui ſervos aut filios innocentes, aut etiam deliros impendat feſto die, & occupet in ſervili aliquo miniſterio. At nos contrarium omninò putamus: Filio enim aut etiam ſervo aut famulo non ſemper eſt illicitum operari die feſto, ſi præceptum Patrisfamilias urgeat; poteſt enim iſte habere, juſtam cauſam, nec ſubdito tenetur exponere, & ejus ſententiam expectare; adeóque ſæpè poterit ſubditus prudenter ſuo ſuperiori ſubſcribere. At ſuperior peccabit non ſolùm, ſi operetur ſine juſta neceſſitate, ſed etiam ſi ſuis ſubditis ſine cauſa gravi & urgente operari præcipiat.

1613 *Subditi ἔσω καὶ ἔργῳ (verbo & facto) clementer & benignè tractandi ſunt.* Contra illos Dominos, qui crudeliter in ſervos ſæviunt, notanda ſunt illa verba, *ſervus tuus & ancilla tua.* In quibus duo reperio, alterum tractandos clementer factis, alterum habendos & clementer verbis. Illud prius inde conſtat, quod nolit Legiſlator, ut eos Paterfamilias die feſto occupet; hoc poſterius, quòd qui *ſervus* & *ancilla* Latinè dicuntur, Græcè παῖς & παιδίσκη *puer* & *puella* (Hiſpanè *mozo* & *moza*) vocentur. Imò etiam apud Latinos ſervos vocari *pueros* notat Servius ad illud Virgilii,

Παῖς. *Mozo. Puer.*

Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.

Hinc ſervorum domini aut dominæ, patresfamilias, aut matresfamilias vocati. Epicurus ſervos *amicos* nominabat, ut Epiſt. 107. notavit Seneca. Hinc ſcitur, cur apud antiquos ſervi dicti *Marcipor*, *Quintipor*, compendio enim pronuntiationis dicti, qui alias *Marcipuer*, *Quinti-puer* dicerentur. *Marcipor. Quintipor. quid ſit?*

1614 *An dominus Chriſtianus impendere liceat Mahometanos ſervos poſſit diebus feſtis?* Sed quia ſunt nonnulli domini, qui in ſervos aut mauros aut Ethnicos ſæviunt, aliàs benigni in orthodoxos, quæro, An liceat ſervum alienigenam, alieni cultus die feſto in opere ſervili impendere? Et tu, ut reſpondeas ad textum recurris, & reperis non poſſe permitti ut feſta violet advena, qui eſt intra portas tuas: & quia duo erant proſelytorum genera (alii enim circumcidebantur & judaïcam Religionem amplexi Iudæis adſcribebantur; & alii in ſua manentes omni idololatria & ſuperſtitione proſcripta colebant verum Deum) de utriſque locum intelligendum ſentis: nam circumciſi omnes ad feſtorum obſervantiam tenentur, & ne incircumciſi ſe excuſatos crederent quos Hebræus גוי תושב Levit. 25. 47. & Græcus *Proſelytos* nominat, hos ipſos Chaldæus vocat *Incolas incircumciſos*. Lucas σεβομένους ἕλληνας; Act. 17. 4. nam ſicut Romani omnes non Romanos vocarunt *Barbaros*, & Turcæ Perſæque omnes Europæos vocant *Francos:* Sic Hebræi omnes non Hebræos vocarunt *Græcos*. Et poſitâ hac doctrinâ concludis, dominum Chriſtianum non poſſe die feſto occupare in ſervili aliquo miniſterio ſervum Ethnicum aut Mahometanum. Ego tamen ſemper eos feſta ſervare vidi, non tamen puto tam ſtrictè dominos in lege gratiæ teneri, ut ne quidem non baptizatum hominem poſſint diebus feſtis impendere, quoniam Eccleſiaſtica lex quæ faſtos determinat, non reſpicit non baptizatos.

1615 *Cur Proſelyti ſabbatha obſervare deberint?* Petitur etiam, Cur Proſelytus incircumciſus, qui inter Iudæos habitabat, cùm aliis legibus per Moyſem datis non teneretur, ut videre eſt, Deut. 4. 21. feſta tamen & ſabbatha obſervare deberet? Et ſto circumſtantiæ ſuperiùs explicatæ. Nam aliæ ceremoniæ habebant ſignificationes varias, quæ proſelytos non concernebant; at obſervantia ſabbathi inſtituta in creationis memoriam, notitiam creatoris renovabat; negatâ enim machinæ mundialis novitate & poſito mundo ab æterno, qui poſſit Peripateticus defendere immortalitatem animorum, qui cauſam primam nondum ſcio, & ignorari debere ab Ariſtotele in meæ Philoſophiæ proœmio demonſtravi.

1616 *An bruta poſſint laborare die feſto?* Petitur tandem. Cur quies brutorum præcipiatur? hoc eſt, An tempore legis peccaret mortaliter, qui faceret ut animalia ſua die feſto operarentur? An & hodie peccaret? Et reſpondeo tanti eſſe humanitatem faciendam, ut debeat optimus quiſque Legiſlator omnia illa interdicere, quæ poſſint cordibus crudelitatem implantare. Deuter. 5. 4. abſtinentia ab animatis præcipitur, & hanc eandem rationem reddit Porphyrius; quam videmus à Gentibus etiam obſervari.

Bovem aratorem ne occidito, lex fuit Phrygiis, Cypriis, Atticis, Peloponeſiis, & Romanis, ut docemur à Nicolao Damaſceno, Varrone, Plinio, Columella, Porphyrio, Æliano, Dione Chryſoſtomo, & Vegetio.

Mulam, si qua serviverat, tandem senio confectam sumptu publico alendam censuerunt Athenienses. [cur non etiam privato, illius nimirum cui ipsa in adolescentia servierat?] voluerunt tamen illam cæteras onera trahentes prompto, sed inutili studio comitari: & puerum, quod aviculis oculos erueret relegarunt.

1617 Puto tamen in lege scripta omnia severiùs & fortè posse dici esse peccatum permittere, ut operarentur bruta nullo homine cooperante: at quia ipsa non possunt aliter ad opus adigi, quàm humano concursu, quidquid sit de lege veteri, teneo hunc solum in gratiæ lege esse interdictum; unde qui instrumentum formaret, ut cujus sine actuali hominis cooperatione bestia totâ die araret, aut rotam verbi causâ traheret, posset eamdem die festo impendere sine peccato. Nam & molendina hodie die festo moveri non permittimus, non quòd nobis sit curæ, aquæ vel venti requies, sed quòd cooperatione humana indigeant, & hanc interdictam censemus.

An, & cur molendina quiescere debeant die festo?

PRÆCEPTVM IV.

1618 Τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου, ἵνα σοι γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.

An etiam mentiri parentibus?

1619 Deo, Parentibus & Magistris æqua reddi gratia non potest; sic olim & benè Aristoteles, cujus pulchra est illa sententia, *Qui interrogat, an Deus & Parentes colendi sint? pœna indiget, institutione non indiget.* Sic etiam Philo, cujus eximia verba; πῶς ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τὸν ἀπείραντα; *Quomodo ab aliquibus genitus, eos vicissim generare possit?* addo. *Quo etiam modo ab aliquo creatus, illum creare poterit? quo tandem modo ab aliquo eruditus illum erudire & docere poterit?* Cùm igitur debitus honos Parentibus exhiberi non possit, congruus debebit: qualis tamen? Hierocles. Γονέας τιμήσωμεν ὑπερβαλλόντως, σώμασί τε ὑπηρεσίαις καὶ χρημάτων χορηγίαις αὐτοῖς ὑπέχοντες ὅτι μάλιστα προθυμούμεθα, *Parentes eximiè honorabimus, si & corporis ministerium, & pecuniæ adminiculum ipsis præstemus, quàm promptissimè.* At hoc ipsum honoris jussi est accidens, quoniam in obedientia sita est honoris præcepti substantia: teneor enim facere, non solùm quod pater jubet, sed etiam quæ secundùm legem naturalem deberet. Hinc est quod novam speciem sortiatur Patricidium Incestúsque; quod & pater & proximus & pater sit; & qui illum occidit, homicida sit & inobediens. Quid, si Pater se occidi præcipiat? mater se libidinosè violari? verba illa virtualiter indicta sunt, contrarium dicere tenentur, contrarium omninò præcipere; & quæ in materia legis naturalis deberent præcipi, virtualiter præcepta sunt. Sunt igitur Homicidium & Patricidium peccata diversæ speciei; illud enim opponitur quinto, id quinto & quarto: ita etiam Fornicatio & Incestus, illa enim opponitur sexto, hic sexto & quarto. An etiam furari à parentibus, & eis mentiri, sunt alius speciei, ac furari à proximo, aut huic mendacium dicere? Consequentia doctrinæ videretur postulare quòd sic: sed quia res est gravissima, inferiùs meliùs examinabitur.

Quantum Deo, Parentibus, & Magistris debeamus?

Quomodo debeamus honorare parentes?

Patricidium. Incestus.

si præcipiant, aut occidi, aut libidinosè tangi Parentes?

An furari à parentibus mutet speciē?

1620 In Expositione Decalogi notat Abenesdras solere Deum ubi aliquid interdicit, pœnam addere, & ubi quid imperat, præmium: unde Petrus Abaïlardus in eum errorem lapsus, ut crederet omnem legem divinam esse merè pœnalem, nec in toto reperiri Decalogo articulum, qui conscientias concerneret: unde ipsi peccatum erat pœnæ debitum, & absolutio debitæ pœnæ condonatio. Et Paulus ad Ephes. 5. hoc amplius notat, videlicet hoc primum inveniri præceptum cùm promisso. Et hoc ego etiam noto, hoc unicum præceptum promisso armatum reperiri, quia in ipso quodammodo videtur totus claudi Decalogus: nam Deus Pater est noster, & Parentes etiam proximi sunt.

Quid sit Peccatū in Abailardi sententiâ?

1621 Longævitas vitæ honorantibus parentes promittitur directè & specialiter, notante Hieronymo lib. 2. comment. in Epist. ad Galatas, & 1. Dialog. contra Pelagium; Augustino Epistol. 120. 1. quæst. super Exod. quæst. 92. 1. expositione Epist. ad Galat. cap. 3. 10. 1. cap. 6. de civit. & alibi: at quia generaliter servantibus Decalogum promittitur etiam vitæ longævitas, ut videre est Levit. 18. 5. & 25. 18. Deut. 6. 17. 18. 21. Ezech. 20. 11. differentiam harum vis promissionum doceri.

Longa vita honorantibus parentibus, & servantibus Decalogū promittitur. Qua est differentia?

1622 Dico secundum cursum ordinarium rerum tantam aut tantam ætatem singulis hominibus deberi, quantam nescimus nos, scit ille qui universa gubernat; non quidem omnibus æqualem, sed secundum temperamenti varietatem diversam: injustos dico cum Davide non dimidicare dies suos, quia sicut originali culpæ respondet mors, ita etiam actualibus mors ante diem; propter has enim damnatus homo, dies suos complere non permittitur. At honorantibus parentes Deus se dies vitæ positivè additurum promittit, quod cùm possit ad litteram intelligi, non est cur ad sensus morales recurramus.

Vita magnitudo à natura singulis determinata: propter vitia minuitur: propter virtutes prolongatur.

PRÆCEPTVM V.

1623 *An homicidium fornicationi, aut furto poſtponatur?*

Οὐ φονεύσεις. *Non occides.* Homicidium Fornicationi poſtponit Blaeviana Decalogi Expoſitio, addítque etiam ab aliis poſtponi Furto: & ut variationis ratio exhiberetur, hanc periodum præmiſit. *Malè in codicibus noſtri temporis præponi huic præcepto* [nimirùm, οὐ φονεύσεις, *Non occides.*] *illud* μὴ κλέψεις (Non furaberis) *oſtendit Philo, oſtendit Tertullianus, oſtendunt alii*, & quidem duo mihi oſtendi optarem; alterum noſtri aut etiam Tertulliani temporis exemplar, in quo homicidium furto poſtponeretur: alterum, rationem, ob quam fornicationi debuerit homicidium poſtponi. Vide Præceptum VI.

1624 *Quàm ſit grave homicidium?*

Circa homicidii gravitatem nimius videtur Philo, aſſerit enim homicidam *primò* eſſe ſacrilegum, quòd hominem Dei imaginem violet: *ſecundò* peccare atrociſſimè in ſocietatem, ad quam geniti ſunt homines, quæ conſiſtere omninò non poteſt, ſi innocentum vita in tuto non ſit: *tertiò* in ipſum occiſum. Vnde ſequeretur homicidium triplex eſſe peccatum.

1625 *Occidere alius mancipium qualis peccatum ſit?*

Et quidem hoc ultimum in homicidio admitto, & hoc ultimum caveri lege publica aſſero. Fateor etiam, qui hominem alius occidat, graviùs peccaturum, quàm qui liberum: nam, qui proximi ſervum occidit, peccat contra quintum Decalogi præceptum, hominem occidendo; & contra ſeptimum, privando ſervi dominum re ſua; & quidem contra hoc præceptum eodem omninò modo, ac ſi occideret unum equum ejuſdem moralis æſtimationis, aut tantumdem pecuniæ numeratæ ſubriperet. Homines alieni ſunt, qui perſonaliter aliis obſtricti ſunt: tales ſunt ſervi, homines ligii; famuli durante conventionis tempore; filii, parentes; neſcio, an

Homo alienus, quis?

alii. Feudatarii, vaſalli, non ratione perſonæ, ſed ratione bonorum tenentur, in qua re Hiſpani tam altè de noſtra libertate ſentimus, ut dimiſſis bonis liberas perſonas credamus; nec aliter has quàm ratione delicti eſſe obnoxias publicæ poteſtati. Hinc eſt, quòd illud argumentum Philonis nos non urgeat; nam tametſi peccaret mortaliter, qui manum aut brachium innocentis excideret, non tamen ſemper peccabit in Rempublicam novo peccato diſtincto à peccati homicidii, qui hominem ad illam pertinentem occidat; niſi & is ad illam pertineat perſonaliter & non ratione bonorum: nec erit omninò facilè diſtinguere & deſignare illos, qui debeant dici uno vel alio tantùm modo ad ſocietatem publicam ſpectare: ſed quia hoc alibi diſquiſiturus ſum ad ſacrilegium venio, quod omni homicidæ Philo affingit, & illud liberrimè nego: non enim ſacrilegus dicitur, qui hominem ſæcularem interimit; nam tametſi homo ſit Dei imago, eſt naturalis, nec divinitatem includit; naturaliter enim homo non eſt Deus, nec eſt Deus virtualiter aut intentionaliter; adeóque cùm ipſe vulneratur, nullum ſacrilegium committitur.

Feudatarii & vaſalli tenentur realiter.

An, & quando homicida in Rempublicam peccet?

An ſacrilegus ſit?

Nimius etiam videtur Florentinus, qui ita homicidium eſſe peccatum probat, ut id à fratricidio non diſtinguat. *Cùm cognationem quandam inter nos natura inſtituerit*, ait, *conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Et infero *primò* ad Florentini mentem omnia homicidia & parricidia eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei; quoniam, ſi omnia ſunt cognaticidia, different ſic ut magis & minus ſub eadem infima morali ſpecie: nam ſicut probabiliter dicitur omnes inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei, ſic etiam poſſet dici omnia cognaticidia eſſe ejuſdem etiam ſpeciei. Vide Eſcobar in Theologiæ Moral. tract. 1. exam. 8. num. 74. Infero *ſecundò* omnes fornicationes eſſe inceſtuoſas, & ut magis & minus differre. Infero *tertiò*, hominem, qui à Deo crearetur, poſſe alios quoſcumque homines occidere; quoniam tota ratio, ob quam ego proximum occidere non poſſum, Florentino aſſerente à cognatione, quam inter nos natura conſtituit, deſumitur; & quidem hæc ratio creatum hominem non urgeret, non enim ipſe eſſet reliquorum cognatus.

1626 *Cur homicidium peccatum ſit? An omnes homicidia ſint fratricidia? An omnes inceſtus ſint ejuſdem ſpeciei?*

An homo à Deo creatus poſſet alios occidere?

Quæro, An Reſpublica cum ſceleratos homines malè perdit, peccet mortaliter? Reſpondet Blaevianus Decalogi expoſitor negativè, quoniam verbo φονεύειν hîc non actus omnis, ſed illicitus ſignificatur: ſed hæc reſponſio voluntate, & non authoritate fundatur: reperio enim φονεύειν eſſe occidere licitè & illicitè; & omne homicidium directè volitū interdictum exiſtimo hac quinta ſanctione Decalogi. Portò homicidium à Republica, ſuprema voluntate decretum præterintentionale eſt, ut ſuo loco probatur: & præterintentionalia homicidia ſacra Scriptura non condemnat. Licet enim hominem occidere vitæ ſervandæ causâ. Exod. 22. 2. *Si offringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur.* Vbi vides nocturno tempore majorem in aggreſſorem libertatem concedi; nam non ſufficit clamare invaſo, qui antequam vicinos excitet, & ſuppetias habeat, poteſt miſerè occidi: at, ſi interdiu invaſorem occideret, excederet limites inculpatæ tutelæ, cùm eum poſſet arcere clamando, ſtatim habiturus amicos, quibus defendi poſſit. Quod ſi etiam lucente Sole ſuppetias habere non poſſet, ceſſaret legis ratio, & etiam poſſet iuvaſorem occidere. Sic etiam puella, quæ opprimitur in civitate, ſi non clamet, creditur rea; ſed in campo non præſumitur rea etſi non clamet, Deut. 22. 26. quoniam non reſtitit, quæ clamando aggreſſorem fugare poterat, at in campo quoniam clamor eſſet inutilis, ad potiora potuit recurrere remedia; potuit enim oppreſſorem occidere, ſi aliter caſtitatem ſuam propugnare non potuit.

1627 *An, & cur nō peccet Reſpublica ſceleratos occidens.*

1628 *Præterintentionalia non interdicūtur homicidia.*

An fur poſſit privatâ authoritate occidi?

Inculpata tutela.

Si ceſſet finis ratio, ceſſat lex.

An, & quando fœmina oppreſſa poſſit aggreſſorem occidere?

PRÆCEPTVM VI.

1629 *An præceptũ homicidia interdicens, præceptum fornicationes interdicens præcedat?*

Οὐ μοιχεύσεις. *Non mœchaberis.* De Præceptorum ordine aliquid ſub initium præcedentis tetigimus, quæ juvat impræſentiarùm uberiùs & accuratiùs retractare, quoniam Baevianus Decalogi Expoſitor fornicationem homicidio præponit, & ſuam ſententiam iſtis ratiociniis confirmat.

Primum. In Hebræo præcedit de non occidendo præceptum, quem ordinem Hebræi & Græci Codices in Deuteronomio nunc habent. Ergo hic ordo à nobis etiam retineri debebit.

1630 Et reſpondeo hoc argumentum non contra nos, ſed pro nobis eſſe. Addo Vulgatum nos ſequi Latinum, qui in Exodo Tabulas ipſas exſcribit; quique in Deuteronomio eumdem ordinem omninò obſervat: qui debebit à nobis religiosè obſervari.

An libri, quibus utebatur Philo, homicidio fornicationem præpoſuerint?

Secundum. Quia hæc ipſa quinti & ſexti præceptorum alteratio non eſt recèns inventa, ſed ante annos multos à viris maximis admiſſa, Philo enim innuit jam ſuo tempore priùs fornicationem quàm homicidium interdici; ait enim de Deo; Τῷ ἑτέρῳ ἀναγκαφάμματι (nempe πινακίδα) περιέχειν ἀπαγορεύσεις τὰς πρὸς ἀνθρώπους, ἀπὸ μοιχείας ἀρξαμένας, *ſecundum numerum quinarium ſcripturus continentem ea interdicta quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit*; & cauſam addit: μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτο εἰς ὑπολαβών, *inter injuſta facta hoc maximum exiſtimans*, & quæ ibi ſequuntur. Et rurſum poſteà, cùm mala ex adulterio ſequentia facundè expoſuiſſet: εἰκότως ϛυγητὸν καὶ θεομίσητον πρᾶγμα μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη, *merito Deo hominibuſque exoſa res adulterium inter crimina ordinem ducit.*

An adulterium ſit omnium criminum maximum, quæ in proximum committi poſſint?

1631 *Quanti faciendus Philo ſit?*

Reſpondeo me non tanti facere Philonem, tametſi illuſtrem, ut propter ipſum debeam à textu Hebræo, Græco, & Latino diſcedere, quos nobis Eccleſia propoſuit, imò indixit: ſed quidquid ſit de Philonis mente, & locis aliis, ſanè verbis propoſitis aliquid contra me probari aut firmari non video; non enim voluit Philo præceptum honorandi parentes, quod homines concernit, fornicationes inhibenti præponi; ergo non omnibus humanis præceptis, tametſi toti ſecundæ Tabulæ: nam duæ erant in Tabularum diſtinctione ſententiæ; altera tria præcepta ſcribebat in prima, & ſeptem in ſecunda; altera quina in ſingulis; & iſti ſubſcribens Philo, ſic ait, *ſecundum numerum quinarium ſcripturus continentem ea interdicta, quæ ad homines pertinet, initium ab adulterio facit.* Ergo adulterium eſt in ſexto loco; probo conſequentiam; quoniam, ſi eſſet in quinto, eſſet finis primi numeri quinarii, & non ſecundi initium; quæ inſtantia evidenter noſtram poſitionem oſtendit. Igitur, quia ſexto loco poſitum *adulterium, Deo hominibuſque exoſa res, inter crimina, ordinem* (in ſecundo videlicet quinario) *ducit.*

Quomodo præcepta diſtribuantur per Tabulas?

1632 Tertium. Arguit authoritate Tertulliani, qui libr. de Pudicitia ſic inquit: *Eò amplius præmittens, Non mœchaberis, adjungit, non occides: oneravit utique mœchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte ſanctiſſimæ Legis, in primis titulis cœleſtis edicti, principalium utique delictorum, proſcriptione ſignata, de loco modum, de ordine ſtatum, de confinio meritum cujuſque dignoſcas. Eſt & mali dignitas, quod in ſummo aut in medio peſſimorum collocatur. Pompam quandam atque ſuggeſtum adſpicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii ſubſequentis. Inter duos apices facinorum eminentiſſimos ſine dubio dignè conſedit, & per medium eorum, quaſi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circumfultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu? &c.*

Tertulliani ſententia.

Reſpondeo Tertullianum illo loco non videri agere de Decalogo, agit enim de tribus vitiis, aut peccatis, videlicet de Idololatria, Mœchia, & Homicidio. Quod ſi hæc cohæreant antecedentibus, dico eum agere de Mœchia utriuſque extremi participe, cum ita delirat Mœchus, ut ſibi Deam præfigat amaſiam: aut ſaltem, quod Ethnici faciunt, adulterium in obſequium & latriam Idoli committat; & hoc demum immoderato ardore inductus, ut impedimenta auferat, ſuam propriam uxorem interimit. Quod, ſi hac nolis eſſe ſolutione contentus Textui Biblico inſiſtens, jubebo tranſire Tertullianum.

1633 *Exponitur.*

An ejus authoritas ſacræ Paginæ debeat præferri?

Quartum à ratione deſumitur. Quoniam graviora ſunt crimina, quæ ex voluptatis deſiderio, quàm quæ ex ira proveniunt, id ipſum aſſerente Ariſtotele. At fornicatio à voluptate, & ab ira homicidium procedit. Ergo principaliùs eſt interdicenda fornicatio, homicidium poſteriùs.

1634 *An ira minora committat peccata quàm voluptas?*

An omnes Peripateticorum ſententiæ ſint certæ?

Et reſpondeo multas eſſe ſententias, quæ deberent à Peripateticis meliùs examinari, & inter alias hanc: unde, aut dicendum hanc non fuiſſe ſententiam Ariſtotelis, aut eum erraſſe. Profectò aliud eſt quærere, quænam qualitas perfectior ſit? aliud, quænam intenſior? perfectio ad eſſentiam ſpectat, & intenſio eſt accidens. Cùm quærimus quodnam peccatum majus ſit? eſſentiam peccati reſpicimus, à voluptate & ira præſcindendo: illud enim eſt pejus, hoc ſenſu, quod majus damnum infert proximo. Poſteà intra eamdem ſpeciem gravius, hoc eſt, intenſius illud eſt, quod majori libertate committitur: unde, ſi magis minuat libertatem ira, quàm voluptas, gravius ſeu intenſius peccabit occidens, verbi gratiâ, hominem ob voluptatem (putà, ut libidinetur liberius) quam ex ira. Lubricares luxuries, & inter omnia crimina, quæ minus libertatis habet; tam periculoſa, ut multi aſſerant eſſe grave periculum, etiam ubi materia eſt levis; quod in ira non contingit, nec in aliis peccatis. Quamobrem teneo gravius peccare, qui fœminam volentem occideret,

Alia malitia eſt eſſentialis, alia accidentalis.

Luxuries videtur Irâ periculoſior.

occideret, quàm qui cum volente miſceretur: graviùs, qui occideret nolentem, quàm qui vim laſcivam inferret repugnanti.

1635 *Aliud eſt ſibi mortem conciſcere, & aliud omninò diverſum illatam ab alio tolerare.*

Sed urget; Fuerunt multæ illuſtres Hebræorum mulieres, quæ vitæ pudicitiam prætulerunt: ergo. Et ego reſponſurus antecedens, quod ad Hebræas contrahit, etiam ad ſuas Hollandas, & quaſcumque honeſtas matronas extendo; & tamen conſequentiam, quæcumque inde inferatur, nego. Et ratio eſt, quia ipſis mors præterintentionalis fuit, & intentionalis debiti pudoris cuſtodia; quod etiam locum habet in Martyribus, & quibuſcumque aliis, qui juſtitiam defendendo ſuccumbunt. Nam, ſi invadar ab Ethnico, & condemner ob fidem, dicam me eſſe & ſemper futurum Catholicum. At occidar. Quid inde? ego occidi non volo, non præcipio; mihi mortem non conſciſco; ſed tantùm veram religionem profiteor, etiam cùm cultrum video, cùm ignem ſentio: nam fidei proteſtationem ago, ne patiatur religio; & mortem meam non molior, ſed patior, clarè prævisam, non tamen directè volitam aut intentam. Sed de hoc uberiùs in parte præterintentionali.

Mors præterintentionalis.

1636 Quintum Cleantis authoritate ſubſtruitur & ſic procedit. Luxus eſt crimen hæreditarium, quod non ſolùm luxuriantes, ſed & filios ipſorum inficit. Ergo gravior eſt reliquis culpis. Et aſſumptum probatur hoc diſticho.

Πόθεν πότ' ἄρα ἡ μοιχῶν γένος;
Ἐκ πεδιῶνος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδίσιοις.
Adulterorum natio unde naſcitur?
Ex luxuriante Venerea libidine.

Parentum crimina in infantia addiſcuntur & quaſi ebibuntur à filiis.

Et reſpondeo id non eſſe proprietatem luxuriæ, quoniam omnia vitia parentum curſu ordinario ad filios tranſeunt; nam quæ in lacte ſuguntur, mandari poſteà oblivioni non poſſunt: ſicut enim Adulteræ filiæ laſcivæ ſunt, ſic infidelis & blaſphemi ſunt irreligioſi & heterodoxi; ſic etiam gladiatoris ſive graſſatoris crudeles; ſic denique latronis fures, & calumniatoris mendaces. Sicut vitia, ſic etiam virtutes à parentibus ad filios tranſeunt. Poëta neſcio quis.

An & virtutes etiam?

Nulla columbino de ſemine naſcitur ales
Prædatrix, taurum nulla creavit ovis.
Juppiter Alcidem genuit fortiſſimus, atque
Cantorem genuit cantor Apollo Linon.

QVÆSTIO INCIDENS.

An hoc præcepto ſolummodò adulteria interdicantur? an etiam fornicationes ſimplices, & quæcumque delectationes luxurioſæ?

1637 *Quid ſignifi-cent voces* נאף Naph, Μοιχεύω, & Mœchor?

HAnc controverſiam difficilem reddunt tres voces נאף *Naph*, Μοιχεύω, *Mœchor*, quibus utitur ſacer Textus, cùm fert præceptum ſextum. Porrò Hebræam vocem non ſolùm adulterium, ſed quemcumque actum laſcivum comprehendere, aliqui dicunt, negant alii: quod in Decalogi Hebræa expoſitione notavi. Nunc autem voces Græcam, Latinámque examinaturus, ipſaſmet fontes recognoſco, & in Henrici-Petri dictionario ſic lego. Μοιχεύω *Mœchor Horat. Adultero Suet. adulterio vitio. Stupro virginem apud Lucianum de Danae. Quintilian. lib. 7. &c.* ergo μοιχεύειν à Græcis dicitur, non ſolùm, qui adulterium, ſed & ille, qui ſimplicem fornicationem committit. In Platone ſecundo de Republica illud, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μοιχεύσασθαι, quod activum eſt, alii *ſtuprare*, & alii *adulterari* interpretati ſunt. De dictione Latina dubitat Auguſtinus ſuper Exodum (& habetur 32. quæſt. 4. meretrices) aſtque. *Omnis mœchia etiam* fornicatio *dicitur in Scripturis, ſed utrùm omnis fornicatio* mœchia *dici poſſit in eiſdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed ſi omnis fornicatio etiam* mœchia *dici non poteſt, ubi ſit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt, qui uxores non habent cum fœminis quæ viros non habent, an inveniri poſſit ignoro. Sed ſi* furti *nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique à parte totum intelligere voluit, quidquid illicitè rerum proximi auferretur: profecto nomine* mœchiæ *omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus, prohibitus debet intelligi.*

Verbum Hebraum aliquando de ſimplici fornicatione dicitur.

Etiam Græcum.

Interim in Calepino Paſſeratii *Mœchor*, eſt adulteror, ſcortor: *ſcortum* autem meretrix, & *ſcortor* meretriculor eſt.

1638 *Imò etiam Latinum.*

Adulterium etiam aliquando pro ſimplici fornicatione deſumitur: nam eloquentiſſimus fuit Sanctus Ambroſius, & linguæ Latinæ peritiſſimus; & tamen *lib. 2. in Lucam* (& legitur feriâ IV. infrà hebdomadem III. Adventus ad Matutinum) ſic inquit. *Cur autem non* (peperit Dominum) *antequam deſponſaretur? Fortaſſe, ne diceretur, quòd conceperat ex adulterio.* Ecce ſtuprum, aut ſimplex fornicatio (nam violatio volentis virginis fornicatio ſimplex eſt) ab Ambroſio, vocatur *adulterium.* Ergo hæc vox apud Latinos habet latiſſimam ſignificationem.

Mœchor & Adulteror, quid ſignificent?

An violatio virginis volentis ſit ſimplex fornicatio?

Nec objicias, poſſe virginem eſſe adulteram, ſi ſe proſtituat conjugato: nam hoc ſenſu etiam conjugata eſſe adultera poteſt, ſive cælibi, ſive conjugato ſe tradat. Ergo ad virginem converterat oculos Ambroſius, cùm eam copulatam eſſe monet; ne, ſi extra matrimonium conciperet, adultera judicaretur.

1639

PRÆCEPTVM VII.

1740 κλοπὴ κλέψις. *Furtum. Fur. Furvum.*

Οὐ κλέψεις. *Non furtum facies.* Apud Græcos *Furtum* eſt κλοπὴ : *Fur* verò κλέψης. Apud Latinos *Furtum* dicitur à *Fur* ; & hanc vocem *Fur* aliqui deducunt à *Furvum*, quod antiquis fuit *atrum* : quòd nocte & quando ſunt atræ tenebræ audeſcant & inſoleſcant fures. Catullus in Epitalamio: *Nocte latent fures.* Alii à *Fero* : quòd fures res ferant ſeu auferant.

Furti diviſio formalis.

Furtum in reale & morale dividitur. Furatur quidem realiter, qui propriâ manu : virtualiter, qui cooperatur, conſulendo, inſtruendo, obtegendo, unde dicitur apud Hiſpanos, *ſi no uviera encubridores, no avría ladrones.* Et Phocylides.

An qui fures tuentur, ſint fures?

Ἀμφότεροι κλῶπες, ϗ ὁ δεξάμενος ϗ ὁ κλέψας
Φαρῶν μὴ δέξῃ κλοπίμῳ ἀνδρῶν παραθήκῃ.
A furibus ne ſuſcipias, furtivum viris depoſitum :
Ambo enim fures ; & qui recipit, & qui furatus eſt.

Inter furtum rapinámque hanc S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 9. differentiam conſtituit, quòd illud ſit in re tantùm, hæc in re & in perſona ſimul. Huc reducit Adulterium Ovidius.

An adulterium furtum ſit?

Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem.

nec malè ; nam, qui adulteratur ; & fornicatur, & uxorem alienam ſubripit.

1741 *Furti diviſio materialis. An, & quãdo mendici ſint fures?*

Si materiam reſpicias, multa genera furtorum inveniuntur : decem recenſet Langius, & plura poſſet. Homerus *Odyſſ. lib.* 16. furibus accenſet mendicos, qui ſe pauperes fingunt, cùm vel habeant opes, vel membra valida, quibus poſſint neceſſaria merere.

Hic, quia nequitiis aſſuevit, adire laborem
Non vult, & timida populi petit oſtia voce,
Vt replere ſuam queat inſatiabilis alvum.

An furtum ſit peccatum mortale?

Furtum, ſi materia ſit gravis, eſt peccatum mortale. Apoſtolus 1. Corinth. 6. *Fures regnum Dei non poſſidebunt.*

Sunt quædam peccata provincialia, quæ videntur in regione pleroſque inficere : huic enim verſui,

VValo bibax, Hiſpanus edax, Germanus utrumque.

An provinciale?

poſſent multi ſimiles condi. At furtum, provinciale videtur fuiſſe apud Lydos, extat enim adagium,

Λυδὸς πρὸ θύρων ἔκλεισε.
Lydus oſtium clauſit

An Lydi fures?

hoc eſt, *Ille furatus eſt* : nam Lydi non egrediebantur domo, quin aliquid furati fuiſſent. Et quidem hodie multi populi in Europa ſunt Lydi.

PRÆCEPTVM VIII.

1742 Οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

Auguſt. lib. de mend.

Mendacium Græcè dicitur ψεῦδος, ἐκ τοῦ : mendax verò ψεύστης, v. g. & mentior ψεύδομαι. Eſt autem Mendacium *falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi :* ſic Auguſtinus. Aliud eſt *mentiri*, aliud *mendacium dicere.* Nigidius *Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur : prudens ne mendacium dicat.* Sanè mendacium dicit, qui rem falſam narrat, quam veram exiſtimat : mentitur verò, qui narrat, quam exiſtimat falſam, vera vel falſa ſit. Hinc patet mendacium debere in totale & partiale dividi : & hoc (partiale) ſubdividi in materiale & formale : nam materiale eſt contra objectum, formale contra mentem, totale contra objectum & mentem ſimul. Mendacium iterum ex Auguſtino & aliis ſic poteſt dividi.

N. B. *Cùm materialiter mendacium ſubdivido, honorem, vitam, & bona reſpiciebam, potui & alia : imò & hæc ipſa ſubdividere in claſſes : ſed hæc videntur nunc ſufficere, ut mendacii ingentum cognoſcatur.*

MENDACIVM *à mente derivatur ; nam* mentiri *eſt* contrà mẽtem ire : *& dividitur in*

- *Jocoſum. ex mera mentiendi libidine.* Ariſtoteles *libr.* 4. *Ethicorum.*
- *Officioſum: quod nulli nocet, illud tamen dicis*
  - *ut alicui placeas.*
  - *ut alicui proſis*
    - *in materia honoris.*
    - *in materia vitæ.*
    - *in materia bonorum.*
- *Perniciоſum : quod nulli prodeſt, & tamen illud dicis*
  - *ut alicui diſpliceas.*
  - *ut alicui noceas*
    - *in materia honoris.*
    - *in materia vitæ.*
    - *in materia bonorum.*
- *Mixtum, quod dicis, ut ſimul placeas diſpliceáſque, aut ut ſimul proſis noceáſque, uni & eidem, aut diverſis perſonis, nempe in honore, vita, aut bonis.*

Crediderunt

1643 Crediderunt antiqui Officioſum non eſſe peccatum, nec malum ; nam tametſi multa dixerint contra Pernicioſum & Mixtum, ſæpè Officioſum aut laudarunt aut excuſârunt. Sophocles *in Creuſa.*

An mendacium officiosũ peccatum ſit?

Καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἔστι τὰ ψεύδη λέγειν:
Ὅτῳ δὲ ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθεια ἄγει
Συγγνωστὸν εἶπεῖν ἐστὶ, κὐ τὸ μὴ καλὸν.
Haud quidem honeſtum eſt mendacia loqui:
Cui tamen diram perniciem veritas affert,
Huic venia danda, licèt inhoneſta (falſa) loquenti.

An mentiri liceat ad vitandas miſerias?

Et Piſander Camireus vates.

Οὐ νέμισις κὴ ψεῦδ' ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορέυειν.
Non eſt reprehendendus, qui mendacium pro vita dixerit.

An ad vitandam mortẽ?

Conſonat in ſuo Theſauro Diphilus.

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδ' ὅπῃ σωτηρία
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθ' δυσχέρες.
Ego exiſtimo mendacium ſalutis gratiâ Prolatum, nihil adferre mali.

Cui ſententiæ inſiſtit Lucianus *in Phil.* dicens, *Multa ſunt, quæ nonnullos mortales mentiri compellunt: quia in rem vident conducere. Qui etiam, cùm uſus poſtulat, mentiuntur, non tantùm venia, ſed laude digni ſunt; ut qui hoſtes fefellerunt; vel ad ſalutem tali quopiam pharmaco uſi ſunt in neceſſitatibus. Cujuſmodi multa Vlyſſes etiam fecit, ut & vitam ſuam, & ſociorum reditum redimeret.* Plato *de juſto*, ſimiliter, *Mentiri, decipere, ladere injuſtum eſt: hoſtes autem offendere juſtum, item per fraudes decipere.* Et ulteriùs progreditur Herodotus *lib. 3. Hiſt.* mentiri enim in neceſſitate non ſolùm permittit, ſed præcipit; inquit enim, Ἔνθα γὰρ τι δεῖ κὴ ψεῦδ' λεγεῖν, λεγέτω. *Sicubi etiam mendacium dici opus eſt, dicatur.* Hic etiam error ad aliquos Chriſtianos tranſiit: ſed jam omne mendacium eſſe Theologicè malum & peccatum, indubitatum eſt.

An liceat mentiri hoſtibus.

An poſſit mẽdacium præcipi.

Reſolutio.

PRÆCEPTVM IX.

1644 Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου. *Non concupiſces (concupiſcere facies) uxorem proximi tui:* &c.

Quomodo hoc præceptum diſtinguatur à decimo, diximus cùm textum Hebræum exponebamus: huc enim pertinet ſcandala, illuc puræ cogitationes, hoc eſt liberi in peccatum conſenſus.

Quid ſcandalum ſit?

Σκάνδαλον Græcè dicitur, & eſt dictum aut factum minùs rectum, præbens alteri ruinæ occaſionem. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 43. Hinc patet errare eos, qui ſcandalum cum admiratione ottâ ex rei inſolentiâ confundunt: qui enim admirantur, non tamen inde in peccatum pelluntur, non ſcandalizantur. Scandalum peccatum: verbo aut facto committitur: &, ſi homines arcana cordium cognoſceremus, poſſet etiam mente committi.

1645 *Quotuplex?* Scandalum eſt duplex: datum, acceptúmque. Bernardus de præcepto: *Non omnium ſcandala æquâ lance penſanda: aliter enim accipienda ſunt ſcandala puſillorum, & aliter Phariſæorum: illorum quippe ſcandalum de ignorantia, iſtorum de malitia deſcendit: illi ſcandalizantur, quia veritatem neſciunt, iſti quia oderant.* Omnis actio mala, ſi ad proximi notitiam veniat, poteſt cauſare ſcandalum: & hoc erit ſcandalum datum. Actio autem bona, ſi quem irritet, non ideò ſtatim condemnanda, aut omittenda: ille enim quem bona opera ſcandalizant, improbus eſt, & ſcandalum ex ea ſuboriens, receptum vocatur non datum. De recepto agebat Gregorius *in Ezechiel.* cùm dixit, *ſi de veritate ſcandalum oritur, utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Si te aliorum improbitas (quod ſæpè contingit) ut ſatisfacias tuis obligationibus, impediat; ne cura: utiliùs, inquam ego, ſcandalum naſci permittitur, quàm ut tuo muneri non ſatisfacias.

Receptum Datum.

PRÆCEPTVM X.

1646 Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίον σου, οὐδὲ τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, οὐδὲ τὸν παῖδα αὐτοῦ, οὐδὲ τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τὸν βοῦν αὐτοῦ, οὔτε τὸν ὑποζύγιον αὐτοῦ, οὔτε παντὸς σκεύους αὐτοῦ, οὔτε ὅλως τῶν πλησίον σου ἔστι. *Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

1647 *Quid ſit concupiſcere?* Voluntas igitur deliberata aliquem actum prohibitum volens elicere eſt quæ concupiſcentia in actu ſecundo vocatur; & eſt duplex, pura & non pura: hæc ſemper eſt conjuncta actui extrinſeco, illa iſto caret: nam, qui exempli gratiâ voluit deliberatè occidere, & tamen omiſit, non quia noluit, ſed quia non potuit, dicitur concupiiſſe: etiam ille, qui voluntatem retractavit, quia illa prior occidendi voluntas, ex ſe ſatis fuit efficax, & deliberata, ſed extrinſecùs impedita, ne effectum haberet, dum fuit, & tametſi retractetur fuit mala: & hæc ſolet vocari ab Auctoribus voluntas inefficax, quibuſcum omninò conveniant, modò efficacia & inefficacia non ſint duæ formalitates intrinſecè denominantes, ſed duæ denominationes quæ ab extrinſeci impedimenti carentia & poſitione deſumantur. His ſic præmiſſis occurrit celeberrima

QVÆSTIO, quæ inquirit, *An conſenſus inefficaces, nimirum peccatorum, quæ poſteà non committuntur, aut quia tu malam illam voluntatem retractas, aut quia alius ab extrinſeco te impedit, ſint mortalia peccata?* 1648 *An concupiſcere peccatũ ſit?*

Prima ſententia antiquiſſima fuit, & judicavit mero voluntatis affectu homini injuriam

aut incommoditatem non inferri. Et poteſt hoc firmari diſcurſu. Si furtum malum eſt, non eſt quia ablatio rei alienæ eſt, ſed quia nociva proximo: unde, qui ab irato auferret enſem, quo vellet proximum occidere, non peccaret; quia hæc ipſa enſis ablatio, tametſi invito domino facta, non eſſet illi nociva, ſed proficua. At, qui vult furari & non furatur, nullum damnum intulit proximo: ergo non peccavit. Probatur minor. Quia illa inefficax furandi voluntas non facit, quod proximus ſuarum rerum vel minimam jacturam patiatur.

Cur furtum peccatum ſit?

Reſolutio. Hanc ſententiam erroneam eſſe declaravit in Decalogo Deus, & poſito præcepto decimo omnes conſenſus liberos etiam effectu non ſequuto eſſe peccaminoſos expoſuit.

1649 *Iudæorum error.* Sed Iudæorum Theologi vel invitâ Decalogi litterâ errorem damnatum & ſepultum quaſi ab inferis revocarunt, & tempore Chriſti defenderunt, credentes, ſicut nos dicimus de Eccleſia, Deum de occultis non judicare; non quidem quòd illa non cognoſceret Deus, id enim nimium foret; ſed quòd illa nunquam interdixiſſet. Quibus, cùm ſtatim objiceretur ultima Decalogi linea, diſtinguebant conſilia à præceptis; putabant enim ideò decimum articulum præceptivum non eſſe, quia nec pœnam nec præmium adjunctum haberet. Portò hujus erroris fuiſſe pleroſque Hebræos ad initium Decalogi notat Abeneſdra, & eorumdem errorem ſequitur apertiſſimè David Kimchi *in Pſalm.* 66. 18.

An Eccleſia judicet de occultis? An Deus?

Ioſephi mens. Citari pro hac ſententia ſolet Ioſephus, qui de Antiochi cogitato ſacrilegio ait; τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βεβουλευμένον ἐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον. *Non erat pœnæ obnoxium conſilium ſine effectu.* Sed hæc verba non ſatis ejus mentem aperiunt, potuit enim loqui de pœna civili, quam nemo cogitatione ſola incurrit. Volunt etiam hoc luto Paulum nondum converſum aliqui Iuniores maculare, ſed non videntur id ipſum poſſe benè ex loco, quem citant, eruere; quoniam Apoſtolus Rom. 7. 13. (hic locus citatur) ſic ait. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt. Abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces: occaſione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Et quidem non videtur ſatis clarè id erui, quoniam illud, *concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret*, videtur æquipollere huic, *Concupiſcentiam neſcirem, niſi lex diceret:* & ſi hoc, tenendum eſt quod Paulus, ſi caruiſſet notitia Decalogi, hujus fuiſſet ſententiæ; non tamen quod hujus ſententiæ unquam fuit. Stamus igitur pro

Sauli mens.

1650 *Conſenſus mali ſunt peccata.* Secunda ſententia, quam omnium boni nominis Philoſophorum, & Patrum eſſe certum eſt. Ælianus, οὐ μόνον ὁ ἀδικήσας κακὸς, ἀλλὰ κὰν ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι παράγε ἐμοὶ κεκτῆ, *Non ſolùm malus eſt, qui injuriam fecit, ſed & qui facere voluit, me quidem judice.* Seneca Pater, *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum.* [Vide voluntatem puram damnari; & nota obiter ſtuprum & inceſtum ab hoc ſene confundi.] Seneca filius. *Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præſtitit, non ſibi.* Et alibi. *Omnia ſcelera, etiam ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt perfecta ſunt.* Et iterum, *Fecit quiſque quantum voluit:* quod Ariſtophanes ſic extulerat, δικάζει γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν. Sic & adulterum Tryphoninus Iuriſconſultus ait dici ex animi propoſitione ſola, etſi nunquam alienam matremfamilias corruperit: & Dioni Pruſæenſi oratione LXVII. οὐχ ἧττον ὁ φόβῳ τοῦ κλέπτειν ἀπεχόμενος δοκῶν, ἀλλὰ μὴ μισῶν τὸ πρᾶγμα κὰ καταγινώσκων κλέπτης τῷ ὑφαιρεμένων ὄντι, *Etiam ille rerum fur eſt qui non odio furti, ſed metu aliquo à furto abſtinet.* Porphyrius libro 1. de Abſtinentia: ἀπόδυσις ἡ μὲν δι' τῶν φανερῶν, ἡ ὃ δι' τὰ ἀφανεςέρων. τὸ μὲν γὰρ μὴ φαγεῖν φέρε, ἢ μὴ λαβεῖν διδόμενα χρήματα, τῶν φανερῶν ἦν ἐκκείμενον. τὸ ὃ μηδὲ ἐπιθυμεῖν, τῶν ἀφανεςέρων. ὥςε μεῖζον τῶν ἔργων ἀπεχθέον κὰ τὸ πρὸς αὐτὰ προπαθείας κὰ τὰ πάθος. τὶ γὰρ ὄφελος τῶν ἔργων ἀφιςαμένου, ταῖς αἰτίαις, ἀφ' ὧν κὰ τὰ ἔργα προσπλῆσθαι, *Exuimur malis aut conſpicuis aut inconſpicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias conſpicuorum eſt, & omnibus patet. At nec concupiſcere, inconſpicuum eſt. Poſtquam autem factis abſtinueris, abſtinendum & motibus ac maximè ipſis animi morbis. Quid enim prodeſt factis abſiſtere, ſi cauſis unde ea procedunt, adſtrictus maneas.* Vitandæ ergo ſunt peccatorum occaſiones & cauſæ.

An adulterium cogitatione committatur?

An & furtum?

1651 Acuis. *genitivus, nunc* Acûs. *Veteres ſine* I. *nullâ ſingularis genitivum efferebant.* Hanc doctrinam ut certam ſuppoſuerunt Poëtæ plurimi Græci; & ad illam populi mores conformabant. Lego in Comœdia Græca.

μηδὲ βελόνης ἐναμμ' ὀπιθυμῆς Πάμφιλε.
Ne acuis filum Pamphile concupiveris.

Et alibi:

μηδὲ βελόνης
ὦ φίλτατ' ὀπιθύμησον ἀλλοτρίας πόλε.
ne tu vel ad aciculam
Vnquam alienam animum adjexis, mi cariſſime.

Adjexis, *adjeceris.*

in maximis verò maximè elucet Iuſtitiæ virtus. Philemon:

ἀνὴρ δίκαιός ἐςιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
ἀλλ' ὅςις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλετο,
οὐδ' ὅς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχεται,
ἀλλ' ὅς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
ἔχειν δυνάμενος κὰ κρατεῖν ἀζημίως.
οὐδ' ὅσγε ταῦτα πάντα δρᾷ μόνον,
ἀλλ' ὅς τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
τῷ δίκαιος κ' οὐ δοκεῖν τῷ θέλῃ.
Non juſtus, omnis abſtinens injuriæ eſt,
Sed qui nocere cùm poteſt tunc abſtinet:
Nec qui recuſat parva, ſed qui maximis
Tentatus, animi robur invictum gerit:
Nec quiſquis iſta quolibet præſtat modo:
Sed qui doloſi neſcius fuci, integra
Probitate, juſtus eſſe, non credi ſtudet.

Si objectum malum ſit, & actus purè interni, & externi ſecreti ſunt mali.

Liberum arbitrium.

Et quidem Philemon multa paucis verbis nos docet. Qui injuriam proximo non infert, quia non poteſt, vult tamen, non eſt juſtus. Sed decimum Decalogi præceptum violat. Ecce primo ille verſu actus purè internos, & ultimo actus externos ſed ſecretos, ſi objectum malum habeant, condemnat. In ſecundo liberum arbitrium deſcribit, & Lutherum, Calvinum, Ianſeniúmque jam à multis annis condemnat.

1652 Vt, *eſto. ſervâris, ſervaveris.* Latini Græcis conſonant: & inter alios ſcitiſſimè & appoſitiſſimè Ovidius.

Vt jam ſervâris benè corpus, adultera mens eſt:

Qua

Quæ, quia non licuit, non facit, illa facit. *Non licuit*, ait, & clariùs dixisset *non potuit*; illa enim licere dicuntur, quæ possumus honestè facere. Iuvenalis in Satyra,

An solâ voluntate peccetur?

Has patitur pœnas, peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

1653 *Testimonia Patrum pro hac sententia.*

Hanc sanctam Ethnicorum sententiam firmarunt omnes veteres Patres, & inter ipsos præcipuè D. Augustinus. In Regulæ cap. 6. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cùm se invicem sibimet etiam tacente linguâ conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœmina figit oculum, & illius in se diligit fixum, ab aliis non videri cùm hoc fecerit. Videtur omninò & à quibus se videri non arbitratur. Sed & si lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latêre nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tanto videt sapientiùs, quanto patientiùs? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ malè videri.* Et de verbis Apostolorum Petri & Pauli. *Solâ voluntate miser quisque efficitur: sed miserior, cùm desiderium malæ voluntatis impletur.* Et alibi (habetur *de Pœnitent. dist. 1.*) *Si propterea non facis furtum, quia times ne judiceris, intus in corde fecisti: reus furti teneris, & nihil tulisti.* Et de libero arbitrio (habetur *ibid.*) *si cui etiam* (fortè *potentia*) *non contingat concubendi cum conjuge aliena, tamen planum sit eum aliquo modo cupere, & si potestas detur, esse facturum; non minùs reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Et super Psalmum 57. *Quidquid vis & non potes, factum Deus computat.* Et Hieronymus super Matthæum, lib. 1. cap. 14. *Qui viderit mulierem, &c. Inter Passionem & Propassionem hoc interest; quia passio reputatur in vitium, Propassio licet vitii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem & anima ejus fuerit titillata, hic Propassione* (non enim legi debet *per passionem*) *percussus est: si verò consenserit, de Propassione transivit ad Passionem, & huic voluntas peccati* (peccandi) *non deest, sed occasio. Quicumque ergo viderit, id est, si sic aspexerit, ut concupiscat, ut facere disponat; iste rectè, mœchatus dicitur eam in corde suo.* Author Epistolæ ad Demetriadem, quam aliqui adtribuunt Augustino, plures Hieronymo, & jam tandem Iansenius quia multa contra suam habet hæresim, Pelagio, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Apud eum, cui nota sunt omnia antequam fiant, voluntas perfecta faciendi* (datur igitur voluntas imperfecta, seu consensus secundo primus) *pro opere reputatur facti.* Et Tertullianus, qui totum decimum præceptum ad compendium reduxit, & exscripsit, *Alienum non concupisces*: sic exponit. *Nos ergo soli innocentes? quid mirum, si necesse est. Enimverò necesse est: innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam novimus, ut à perfecto magistro revelatam, & fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam.* Exemplo sit illud de fœmina non appetenda, quod sic explicant veteres. Iustinus ad Zenam & Serenum etiam ἀναθυμιωμβύλω ὄρεξιν, *primum appetitus veluti fumum* ait à Christo nobis interdici: nam θυμιάω est *suffio, odores incendo, adoleo*: unde ἀναθυμιάω ejusdem, sed grandioris significationis. Et quidem similitudo est pulchra; ut enim lignum priùs fumum edere incipit, & postea ardet & comburitur: sic etiam homo concupiscentia eum incendente, priùs cogitationum & consensuum pravorum fumo inquinatur, & demùm extrinsecùs ardet, & opere externo uritur. Nam & vocem *Uri* pro *Lascivire* sumpsit Paulus, cùm dixit, *Melius est nubere, quàm uri.* Athenagoras: ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπέχομβν, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν ὡρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι, *nobis tantùm abest talia indifferenter habere, ut ne aspicere quidem nobis ad cupiditatem liceat.* Clemens Alexandrinus: ἐαν εἰς κάλλος σώματος βλέψητις, ὁ λόγος φησὶ, μὴ αὐτῷ ἡ σάρξ εἶναι κατ' ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ σαρκικῶς, ἰδὼν δὲ ἁμαρτητικῶς δι' ὃ τεθαύμακεν, κεῖνος), *Si quis ad corporis formam respiciat, & ei caro ad appetendum pulchra videatur, is, ut dicit Dei verbum, jam quia videt carnaliter & cum peccato admiratus est, ob id ipsum judicatur.* Tertullianus de velandis Virginibus: *Christianus salvis oculis fœminam videt: animo adversùs libidinem cæcus est.* Lactantius: *Non tantùm adulterium esse vitandum præcepit, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam & animo concupiscat.* Adeóq; novum simul & grave visum est Iudæis hoc præceptum & quæ huic sunt congenera, ut dicere non dubitaverit Iustino doctissimus illorũ Tryphon: ὑμῶν γὴ τὰ λεγόμενα ἐν εὐαγγελίῳ παράγγελματα θαύμαστα ὄντως καὶ μεγάλα ἐπίσταμαι εἶναι ὡς ὑπολαμβάνειν μηδένα δύνασθαι φύλαξαι αὐτά, *Vestra autem illa in Evangelio præcepta adeò scio esse magna & mirabilia, ut putem neminem ea posse observare.* Nimirum non cogitans παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ὅστι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατὰ ὅστι, *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Matth. 19. 26.

Malæ cogitationes sunt fumo similes: & cur? Θυμιάω. Ἀναθυμιάω.

An malas coërcere cogitationes impossibile?

Tryphonis Iudæi error.

Passio, & Propassio quid sint? quomodo distinguantur?

Quis fuerit Epistolæ ad Demetriadẽ author? Iansenii error.

Et hic obiter nota hunc Matthæi locum malè explicare Iansenianos. Iubet, inquiunt, Deus impossibilia nobis, sed possibilia sibi: putà, si transvolare jubeat Caucasum: &, qui non obediat, peccabit. Non sic Deus justus. Iubet Deus nobis secundùm vires naturæ consideratis impossibilia interdum: at hæc absolutè sunt possibilia hominibus apud Deum gratiarum & auxiliorum beneficio elevatis: & semper adest gratia, cùm præceptum instat: aliàs illud non obligaret, nec homo actum omittens, delinqueret.

1655 *An Deus impossibilia præcipiat? An semper gratiam det, ut legi suæ satisfaciamus?*

1654

QVÆSTIO ALTERA. *An sicut mala voluntas reputatur ad culpam, ita etiam bona reputetur ad meritum? An qui desiderat dare eleemosynam, nec tamen potest, habeat charitatis illustrissimæ virtutis meritum?*

1656

Respondeo quidem affirmativè; & ratione & authoritate manuducor. Ratione quidem, quia paritas postulare videtur, ne bona præmio careat, ubi mala condemnatur voluntas. Authoritate, quoniam Gregorius Moralium lib. 10. *Deus*, ait, *non intuetur quantum quilibet valeat, sed quantum velit: & quia Deus corda pensat, jam in ejus oculis fecit, quod cogitavit.*

Bona voluntas est meritoria, licèt effectu careat.

cogitavit: & in Pſalm. 57. Auguſtinus. *Quidquid vis* (intelligo bonum vel malum facere) *& non potes, factum Deus computat* (nimirum, ad præmium, ſi bonum; & ad pœnam, ſi malum.) qui omnes conſonant Ovidio de Ponto, libro tertio, 3. Eleg. 4. eloquentiſſimè dicenti,

1657 *Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas:*
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoq; gratus ad arã.
Et placeat cæſo non minùs agna bove.

cujus verba ſi à Polytheiſmo expurges, legáſque *Deum* in ſingulari (nimirum, *Hac ego contentum ſuſpicor eſſe Deum*) chriſtianiſſima reddes, dignáque quæ cordi orthodoxo inſculpantur:

Nam caret effectu ſanctiſſima ſæpè voluntas,
Et caret eventu ſpes bona ſæpè ſuo.

PARS IV.

Verſionem Latinam ediſſerens.

1658 *Cur Textus Latinus ſit exponendus?*

LEGIS Diuinæ Tabulas conſideravimus, & ex Hebræo & Græco Textu ſcholia opportuna diduximus: ſupereſt, ut tranſlationem ipſam Latinam meditemur, & quæ notatu dignà occurrant, breviter exponamus. Noſter hic tertius Labor proderit univerſis; quoniam hoc ævo pauci qui Orientalibus linguis delectentur; & pauciſſimi, qui illas eſſe neceſſarias crediderint. Ero brevis, & in ipſis fundamentis manebo, nam conſequentiæ ex præmiſſis ſecuris ſuo pondere prodeunt, nec obſtetricante induſtriâ indigere videntur. Fortè hæc ipſa brevitas diſplicebit aliquibus, quibus etiamnum breviter ſatisfacio, dicens, non eſſe brevem, qui nîl neceſſarium omittit; nec longum, qui nihil intermiſcet ſuperfluum. Ad rem venio & de ipſomet Decalogo ſic eloquor.

Author brevitate delectatur.

Quanam brevitas accuſari non poſſit?

1659 *An & quomodo creverint præcepta Decalogi?*

NOn creverunt ſucceſſu temporis Decalogi, ſeu Legis naturalis præcepta; at crevit illorum notitia intenſivè & extenſivè: intenſivè, quia multa hodie cognoſcimus meliùs, quàm Veteres: extenſivè, quia multa hodie cognoſcimus, quæ illi ignorarunt.

1660 *An evulgatio ſit de eſſentia legis? An lex ante promulgationem obliget?*

Duo requiruntur, ut lex obligatoria ſit, ut feratur, & ut intimetur: quamdiu enim authoritate & modo debito non intimatur, non obſtringit. An intimatio aut promulgatio eſt ratio formalis legis præceptivè? In hanc quæſtionem ſine cauſa dilaberer; ſufficit enim dicere, tam eſſe promulgationem & intimationem neceſſariam, ut ſine illis nullum præceptum obliget: ſit ergo ratio formalis, aut indiſpenſabilis conditio, ſi velis. Humanæ interdum feruntur à Principe, & ob rationabiles cauſas earumdem publicatio differtur, nec obligant ante publicationem. An-ne poſſunt ſimiliter Divinæ? Poſſunt: Ab æterno legem tulit Deus, quæ inhibebat Adamo & Evæ fructum arboris ſcientiæ boni & mali: nec tamen illam in primo inſtanti creationis intimavit. Creavit Hominem Deus, *Geneſ.* 1. 26. ſeu 2. 7. Creatum extra paradiſum tranſtulit in paradiſum, ut operaretur (coleret) & cuſtodiret illum, *Geneſ.* 2. 15. & motus non fit in inſtanti. Poſteà *Geneſ.* 2. 16. hoc illi præceptum impoſuit. *Ex omni ligno Paradiſi comedes* (comedere poteris) *de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte moriêris.* Ecce priùs lata, & poſteà quando Deus voluit intimata fuit hæc lex. Addam aliud exemplum. Fornicatio ſimplex eſt jure Divino Naturali interdicta. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 2. & P. Acacius March. de Velaſco *tom.* 2. *verb.* Luxuria, *reſolut.* 201. *num.* 2. aſſerit hanc eſſe omnium Thomiſtarum ſententiam. Adſonat Covarruvias *ſuper* 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 5. *n.* 17. & alii. Hæc lex ab initio fuit lata, non tamen ante Chriſtum Dominum intimata: nam ſextum præceptum ſcriptum & in monte Sinaï promulgatum, ſi ſtetur literæ, adulteria interdicit. S. Auguſtinus *in Exodum* (habetur 32. quæſt. 4.) explicans hoc præceptum ſic inquit. *Omnis mœchia etiam fornicatio dicitur in Scripturis; ſed utrùm omnis fornicatio* mœchia *dici poſſit in eiſdem Scripturis, non interim mihi occurrit loquutionis exemplum. Sed ſi omnis fornicatio etiam* mœchia *dici non poteſt* (ut reverà non poteſt) *ubi ſit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt, qui uxores non habent, cum fœminis, quæ viros non habent, an inveniri poſſit ignoro.* Imò videtur inveniri non poſſe: omnes enim eam fuiſſe interdictam probant ex Paulo, non autem ex Teſtamento veteri. Illa verba, *Ne proſtituas filiam tuam.* Levit. 19. 29. parenti impoſita videntur, non filiæ: & , utrùm ſint legis Naturalis, an cæremonialis aliunde peti & exponi debebit. Sextum ergo præceptum tulerat Deus, & tamen quoad partem potiorem promulgavit per Moyſen, & poſteà reliqua promulgavit per Paulum dicentem: *Nolite errare: neque fornicarii, nec idolis ſervientes, &c. regnum Dei poſſidebunt.* Et iterum: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, &c. qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Et iterum: *Hoc autem ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Et quia non obſtante clariſſima authoritate D. Pauli, adhuc multi Chriſtiani dubitabant, ſimplicem fornicationem ſcelus eſſe lethiferum definivit Eccleſia *in Clementina*, Ad noſtrum. *de hæreticis.* At Iudæi ſtando Hebraïcæ literæ, לא תנאף, *Non mœchaberis.* poſt Moyſen ad

Adamus creatus extra Paradiſi tẽpe ad ea trãsfertur.

Præcepto obſtringitur.

An ſimplex fornicatio ſit contra legem naturæ?

An præceptũ quod illam interdixit, fuerit olim Iudæis intimatum?

Quando, & per quem fuit promulgatũ?

1. Cor. 6. Ad Galat. 5. Ad Epheſ. 5.

An ſimplex fornicatio ſit peccatũ mortale?

ad Chriſtum crediderunt: & etiamnum credunt non eſſe peccatum mortale: doctiores enim Viennæ, Pragæ, Romæ, & Venetiis conſului, & omnes conſtanter aſſerunt ſimplicem fornicationem eſſe licitam.

1661 *An uxor poſſit dare marito licentiã, ut ad aliam accedat? An contrà?*

Adulterium interdicentem legem promulgavit Moyſes, at ante ipſum non ita hoc clarum videbatur, maximè, ſi conjugis permiſſio accederet. Proderit hiſtoria, quæ *Gen.* 16. recenſetur. Cùm enim Sara eſſet ſterilis, & haberet ancillam Ægyptiam, nomine Agariam, dixit Abrahamo, *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam liberos.* Conſiderentur verba ſingula. Putavit Sara, ſe poſſe dare marito ſuo licentiam, ut ad ancillam accederet: putavit Abraham, ſe illâ etiam licentiâ poſſe uti, nam ingreſſus fuit ad ancillam de facto. Putarunt debitum matrimoniale per interpoſitam perſonam ſolvi poſſe. Nota illam vocem, *ſuſcipiam*: ut videas Saram in ea fuiſſe ſententia, ut crederet, ſe, ſi non poſſet ſuſcipere prolem realiter, poſſe ſaltem moraliter per ſui vicariam, quæ ſuo nomine cum marito ſuo congrederetur. Et unde omnes hæ ignorantiæ invincibiles? *Conſidera, quòd Abraham ante legem Moyſi, & ante Evangelium fuit: nondum ergo adulterium interdictum videbatur:* inquit Ambroſius, ut habetur *cap.* Dixit Sara 32. *quæſt.* 4. Et hîc nota benè verba, quibus Mediolanenſis Præſul utitur. Non dixit, *Adulterium interdictum non erat, ſed nondum interdictum videbatur.* Illud enim ab initio mundi fuit interdictum, ſed ante Moyſem non erat hæc lex omnibus intimata, & ſufficienter promulgata.

An matrimonii debitũ per vicarium ſolvi poſſit?

An ante Moyſem fuerit adulteriũ peccatum?

1662 *Abimelech Rex ignorantiâ excuſatur.*

Addam aliam hiſtoriam. Abimelechus Gezararum Rex erat vir pius & ſanctus, honoratus divinitùs revelationibus, ut patet ex *Geneſ.* 20. 3. Erat conjugatus, ut colligitur ex *Gen.* 20. 17. Abraham venit Gezaras, & Saram dixit eſſe ſororem ſuam. Sororem Rex invitam tulit ab invito, & ubi divinitùs didicit eſſe uxorem, reſtituit, & non peccavit. Non ergo habebat notitiam raptus, nec in eo cognoſcebat Theologicam deformitatem. Ergo, qui putabat non poſſe uxorem rapi à marito invito, aut putabat viros non eſſe adulteros, ſi ad ſolutam accederent, quod & aliqui Iuriſperiti docuerunt; aut ſaltem habuit ab uxore licentiam, quod illo ævo non erat omninò difficile; & tandem à fortiori credebat, fornicationem ſimplicem non eſſe mortale peccatum.

An vir eſſe poſſit adulter.

1663 *Latio & promulgatio legis differunt.*

Stat igitur aliud eſſe legem Divinam ferri; aliud promulgari. Illam tulit Deus, cùm hominem condidit. Illam intimavit Adamo: hic ſuis poſteris. Succeſſu temporis obliteratæ fuerunt hæ notitiæ: & miſericors Dominus in monte Sinaï illas publicavit, quas voluit, & cæteras puritati Evangelicæ reſervavit; non enim voluit, ut Veteres omnem legem cognoſcerent, ne fortè omnem violarent. Lex ergo Dei, ſcientes eam obligabat; & tamen non omnes illam eodem modo ſciebant, ſed diverſis temporibus fuit major, minórve conceſſa divinitùs claritas; vel quia ſic hominibus expediebat, vel quia ſic voluit Legislator.

An in Sinaï totus totaliter Decalogus ſit promulgatus? Cur ſucceſſivè creverit legis notitia & claritas?

1664 Vt ſciamus, quomodo obliget Decalogus illos, quibus ſufficienter eſt notus, ſtatuendum eſt PRIMO, *eſſe certum & indubitatum apud Theologos non poſſe legem humanam obligare ad mortale, ſi materia ſit levis.* Ita Sanchez in *ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 3.* & Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 24.* & *tract. 6. reſol. 91. §. Notandum.* & *reſol. 47.* Vnde communiter rejicimus ſententiam Sayri aſſerentis *libr. 3. cap. 7. num. 17.* poſſe Iudicem Eccleſiaſticum in materia parva obligare ad mortale. SECVNDO, *diſputari inter Theologos, an poſſit id Deus?* nam Antonius Coronius *in Summ. Dianæ. verb.* Lex. *num.* 35. expreſsè hanc doctrinam nos docet. *Solus Deus*, inquit, *habet jus obligandi ſub mortali in materia levi: ut probabile eſt obligaſſe protoplaſtos ad non edendum bonum* (pomum) *ſcientia.* Sed cur ſolus? Nam, ſi eſt injuſta lex humana, quæ ſub peccato gravi rem levem præcipit, etiam eſſet injuſta divina: nam legis æquitas non ſumitur à Legiſlatore, ſed à materia præcepta. Et, ſi Deus poteſt rem levem jubere ſub gravi, cur non poterit hanc poteſtatem hominibus communicare? &, ſi poteſt, unde ſciemus non fuiſſe de facto hominibus communicatam? Ergo ſtatui poterit TERTIO, *nec divinitùs, nec humanitùs poſſe præcipi rem levem ſub peccato mortali.* Hæc Concluſio eſt facilior & clarior, & videtur ad majorem Dei gloriam conducere. Sed quid de materia gravi dicendum? Potéſtne præcipi ſub culpa levi? Negat Vaſquez 1. 2. *tom. 2. diſp. 158. cap. 3. num. 17.* nam ſuperioris eſt ponere obligationem: quod autem hæc ſit magna aut parva, à materiæ quantitate dependet. Sicut enim in phyſicis liberum eſt homini, ſervo ſuo ſarcinam imponere, aut non; at verò, quod ipſa ſit gravis, & leviter ſervum gravet, domino non eſt liberum: ſic etiam in moralibus videtur procedere. Aſſerit Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 96.* obligationis enim veritas & quantitas à Legiſlatoris voluntate dependet: ut conſtat ex *L. Si quis nec cauſam.* & ex *L. non omnes. ff. ſi certum petatur.* Vnde, & doctiſſimè, infert Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. diſp. 9. num. 6.* voventem ſe poſſe obligare ad veniale in re gravi: & Suarius *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 7. num.* 5. poſſe Confeſſarium gravem pœnitentiam imponere ſub culpa levi: nam de præcepto, voto, & pœna pariformiter eſt philoſophandum. Vide Dianam *part. 3. tract. 6. reſol. 91.* Statuamus igitur QVARTO, *non poſſe Legiſlatorem obligare ad veniale, ſi materia ſit gravis:* quia hæc ſententia, etſi appareat rigidior, in praxi ſuavior eſt, & benignior: nam tollit multa peccata venialia, & nullum mortale ſuperaddit: ubi enim rem gravem ſuperior præcipit ſub culpa levi, non imponit gravem obligationem, quia non vult: & non imponit levem, quia non poteſt: ergo conſulit tantùm, & ut plurimum ad pœnam obligat. ERGO *Decalogus eſt lex Divina poſitiva & libera, quæ nec in materia levi graviter, nec in gravi leviter, ſed obligat ſecundùm quantitatem materiæ.*

An in materia levi lex humana poſſit obligare ad mortale?

An Divinã?

An hæc lex ſit injuſta?

1665 *An authoritatem ſuam Deus poſſit hominibus communicare?*

An lex poſſit leviter obligare, ſi materia ſit gravis.

An etiam votum?

An pœnitentia, quæ imponitur à Confeſſario?

An ſententia quæ docet nõ poſſe Legiſlatorem obligare ad veniale, ſi materia ſit gravis ſit rigida?

His ergo præmiſſis & breviter dilucidatis, præcepta ſingula recognoſcamus. Et ſupponentes primò totum Decalogum his quatuor partialibus legibus

1666

Ne occidunto.

Ne mœchantor.
Ne furantor.
Ne mentiuntor.

correſpondere : & ſecundò non fuiſſe totaliter in monte Sinaï promulgatum, ſingulas ejus Tabulas Legéſque ex utroque Teſtamento colligemus, & reducemus ad verborum tenorem & formulam, quæ omnia peccata diſtinctè complectatur. Omnia inquam, quia interdicto genere omnes interdicuntur ſpecies, & interdictâ ſpecie omnia individua.

DECALOGVS.

Atheiſmus. Idololatria.

I. *CREDE Deum : crede in Deo : crede in Deum. Spera in Deo, Ama Deum. Deos alienos non coles. Non eris Idololatra.*

1667 CIRCA DEVM. *Non occides. Non mœchaberis. Non mentieris.*

Perjurium.

II. *Non aſſumes nomen Dei in vanum.* Ergo, ſi fueris teſtis publicè privatímve, non adduces Deum in falſitatis teſtimonium (non pejerabis) &, ſi fueris Iudex, quia omnis poteſtas à Deo eſt, cùm Dei nomine ferre debeas ſententiam, ne injuſtam feras : hoc eſt, ne inducas Deum injuſtam ſententiam ore tuo proferentem.

Sententia iniqua.

Irreligioſitas.

III. *Da, quæ ſunt Dei, Deo.* Honorem ex rei natura debes Deo ; non ergo ſis blaſphemus & contumelioſus in ipſum, non in Sanctos ; qui enim hos contemnit, Deum contemnit. Ergo, ſi promiſiſti, ſi voviſti, Deo es debitor, & redde Deo, quod debes. [Et hîc obiter notandum eſt, in voto & juramento promiſſorio inveniri circumſtantiam mendacii, dicti Deo; adeóque ſecundum præceptum involvi.] Si legitima Authoritas Deo aut tempora, aut loca conſecret, ſanctifica tempora & loca, eo modo, quo illa ſanctificare jubêris. Diebus ergo abſtinentiæ, ne cibos interdictos comedas ; diebus jejunii, ne bis comedas : diebus Feſtis, & Miſſam audi, & ab opere ſervili ceſſa. Eccleſiam reverenter habe ; ne illam violes. Ergo ne furêris rem ſacram. Ergo nec non-ſacram de loco ſacro : nec ſacram de loco ſacro. Ergo neque extrahas profugum, qui ad Eccleſiam confugit, quamdiu ab illa protegitur. Ne Eccleſiam polluas, aut in illa occidendo, aut ſanguinem profundendo, aut ſemen effundendo, aut excommunicatum aut infidelem ſepeliendo.

Non furaberis.

Blaſphemia

Voti violatio.

Jejuniorum & Feſtorum violatio.

Eccleſiæ violatio.

Eccleſiæ pollutio.

1668 CIRCA PARENTES.

IV. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Hoc præceptum ſummam latitudinem habet, & ad multas ſe extendit. Præcipua expono.

Non occides.

Parricidium.

Non occides Parentem. Huc pertinet peccatum, quod Parricidium dicitur. Et quia Pater alius eſt realis, & alius moralis ; etiam qui Regem, aut quemcumque Superiorem occidit, dicitur Parricida.

Non mœchaberis.

Inceſtus.

Cum Parentibus non laſcivies. Inceſtus in primo gradu lineæ rectæ videtur eſſe de jure Divino : fortè etiam omnes inceſtus

ſtus lineæ rectæ. At inceſtus alii ſunt juris poſitivi. Affinitas, & Cognatio ſpiritualis & legalis non pertinent ad legem naturæ.

Non furaberis. *Furtum.*

Non furaberis à Parentibus. [Ex altero capite furta commiſſa in parentes ſunt graviora, quia major illis amor & reverentia debetur; ex altero ſunt leviora, quia ſunt minùs inviti. An hæc furta ab aliis diſtinguantur ſpecie? Ratio diſtinctionem ſuadet, nam ſicut aliud eſt homicidium, & aliud parricidium: & ſicut aliud eſt fornicatio, & aliud inceſtus; ſic etiam aliud videtur eſſe furari à proximo & aliud furari à Patre. Interim hanc diſtinctionem ſpecificam in furto apud Authores non invenio.]

Non mentieris. *Mendacium.*

Non mentieris Parentibus. [Mentiri Iudici, Regi, &c. etiam ſublato juramento, ſi materia notabilis & eſſentialis ſit, cenſetur res omninò gravis. An diverſum ſpecie? Si mendacium dictum Iudici eſt mortale, & dictum proximo veniale, pluſquam ſpecie differunt in genere moris.]

1669 CIRCA PROXIMVM. Non occides.

V. *Non inferes damnum in genere valetudinis aut ſalutis ſeu vitæ, adeóque nec occides proximum, nec mutilabis, nec verberabis, nec affliges: & hoc nec realiter, nec moraliter.* [Honos eſt duplex: alter ſubſtantialis, ſine quo homo infamis remanet; alter accidentalis, qui ad majorem ſplendorem & authoritatem conducit. Prior ad vitam moralem & politicam pertinet, & ad fortunas & divitias poſterior. Occiditur ergo moraliter, qui infamis redditur: depauperatur, cui honoris ſplendor ſubtrahitur.] *Homicidium. Mutilatio. Verberatio. Afflictio. Infamatio. Detractio. Calumnia.*

Non mœchaberis. *Fornicatio. Inceſtus. Adulterium, ſtuprum. Raptum. Sacrilegium, &c. Mollitiem. Sodomiam. Beſtialitatem. Inanimitatem, &c.*

VI. *Non laſcivies extra matrimonium.* [In hoc præcepto tria rationis inſtantia ſeu ſigna Sanctus Auguſtinus conſiderat. In primo antequam propagationem hominum per carnalem culpam intelligamus, Deus omnem luxuriem interdicit. In ſecundo Deus decernit humanam propagationem, quæ aliter poſſet fieri, ſi ipſe vellet, fieri per copulam carnalem, & ideò matrimonium inſtituit, & in lege generali quoad copulatos diſpenſavit. Poſitâ diſpenſatione, conjugati, qui liberorum ſuſcipiendorum gratiâ congrediuntur, non peccant: at peccant, qui ad menſtruatam, ad annoſam effœtam & ſterilem, aut etiam ad gravidam accedunt & mortaliter, quia materia eſt gravis. Deus ut honoret nuptias Chriſtianas, diſpenſat, ut hoc quod eſt mortale apud Ethnicos, ſit apud Chriſtianos veniale. Si cras per impoſſibile decerneret Deus, ut propagarentur homines ſine commixtione, omnis commixtio carnalis, etiam in matrimonio eſſet mala & peccaminoſa mortaliter.] Ex hac doctrina ſequuntur hæc præcepta. *Ne committas*

ſimplicem

ſimplicem fornicationem; Ne inceſtum, Ne adulterium, Ne ſtuprum, Ne raptum, Ne ſacrilegium, Ne peccatum contra naturam: hoc eſt, nec mollitiem, nec ſodomiam, nec beſtialitatem, aut etiam nec inanimitatem.

Non furaberis. VII. *Rem alienam domino invito non habebis: ergo nec illam rapies; nec, ſi ſine tua culpa ad tuas venerit manus, domino invito retinebis.* *Furtum. Detentio.*

Non mentieris. VIII. *Non dices mendacium, nec nocivum, nec officioſum, nec jocoſum.* *Mendacium.*

GENERALIA. IX. *Non facies, ut proximus concupiſcat, aut faciat aliquid ex his omnibus, quæ facere prohibetur.* Facis, ut faciat, ſi verbis ſuaſoriis aut tuæ vitæ malo exemplo illum ſcandalizas. *Malus conſenſus.*

Non concupiſces. X. *Non concupiſces.* Nihil deſiderabis facere ex his omnibus rebus, quas facerenovem prioribus Præceptis prohiberis. *Non ſcandalizabis.*

1670 *An totus Decalogus fuerit olim omnibus clarè notus?* *An totus totaliter in Tabulis ſcriptus fuerit?*

HIc videtur eſſe Textus Decalogi quà lati divinitùs: non enim omnes ejus leges ab ipſo fuerunt initio promulgatæ. Præcipua capita ab Adamo tranſiverunt ad poſteros: ſed valde jam obliterata apud Ethnicos, nec ſatis dilucida apud alios. Quæ continerent aut inferrent cætera, digito ſuo Deus in Tabulis marmoreis ſculpſit: & in monte Sinaï Moyſi tradidit: & multa ſub diſputatione manere apud Doctos, & ab aliis bonâ fide ignorari permiſit, ut facilior hominibus pateret ad virtutem & Empyreum aditus. Tandem per Apoſtolos, & præcipuè per Paulum, exponi, & quoad minùs claras leges Decalogum intimari voluit, ut neminem excuſet ignorantia. Et ſiquid ab Apoſtolis definitum non fuit, id reſolverunt reſolvéntque Summi Pontifices, cùm ſuccurrat occaſio. *Per Apoſtolos & Pontifices dilucidatur.*

PRÆCEPTVM I.

1671 *Hoc Præceptum eſt ſupernaturale, actus Fidei, Spei, & Charitatis ſupernaturales indicit: Atheiſmum, Idololatriam, & omnem Infidelitatem: item Hæreſes, Deſperationem, Præſumptionem, Odium Dei, &c. interdicit. Stando viribus puræ naturæ hoc præceptum obſervari non poteſt. Omnibus auxilia gratiæ indulget Deus, ut hoc ſanctiſſimum Præceptum obſervent.* [*Hoc ultimum definitum eſt ab Eccleſia, & Summis Pontificibus contra Martinum Lutherum, Ioannem Calvinum; & nunc tandem contra Cornelium Ianſenium, &c.*]

EXODI 20. 4.

1672 EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, FORTIS, ZELOTES, NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.

יהוה Κύριος. *Eſſentiator. Exiſtentiator. Natura naturans: Dominus.*

VBi Vulgatus habet *Dominus*, & Græcus Κύριος, habet Textus Hebræus יהוה, ut vidimus; quod; ut apud Ioannem Alſtedium Viri clari notarunt, *Eſſentiatorem* & *Exiſtentiatorem*; vel, ut Philoſophi loquuntur, *Naturam naturantem* ſignificat. Optimè ſibi voces reſpondere videntur; nam, ſi productio eſt unicus titulus adquirendi proprietatis dominium, non eſſe dominus mundi non poterit, qui illum creavit, ſeu produxit ex nihilo.

Dominus Latinè dicitur, quaſi *Domi unus.* Critici hoc etymon reddunt. Ergo ſi ille, qui unus gubernat domum, ab Oeconomicis vocatur *Dominus*, qui unus eſt, & mundum potentiâ condidit, & majeſtate regit, deberet poſſétve *Mundinus* nominari. 1673 *Vnde dicatur?* *Mundinus.*

Audax & inſolens Paullinus fuit in nominum compoſitione, Dominum enim ædium in Natali ſeptimo *Dominædium* appellat: *Dominædius.*

——*Quam quod mihi tectis*
Ipſe meis quibus eſt, idem Dominædius egit.

Ergo eadem aſſuendi voces libertate, Orbis dominum *Dominorbium* vocaſſet. *Dominorbius.*

Eſſe Dominum, quam eſſe Imperatorem plus eſt. Saluſtius in Iugurtha 122. *Namque cùm tute per mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, id eſt Dominum, non Imperatorem eſſe.* 1674 *Tu-te, tu ipſe. An nobilior & potentior*

Cùm

Imperatore Dominus? An Dominus ſit vox relativa? & quò terminum habeat?

Cùm *Dominus* ille ſit, qui proprietatem habet, & vox relativa ſit, illi non *Famulus*, non *Filius* correfertur, ſed *ſervus*. Et quia correlativa ſunt cognitione ſimul, idem eſt dicere, *Hanc fero legem, quia Ego ſum Dominus*; ac dicere, *Fero illam, quia vos eſtis ſervi.*

1675 *Vox* Deus *unde dicatur?* די. Dai. שדי. Saddai

VOx *Deus* communis: at ejus etymon non ita notum. Illam alii ex Græco, alii ex Hebræo deducunt. די *Dai* in lingua ſancta eſt *potens, ſufficiénſque:* unde שדי, *Saddai*, nomen Dei, *qui potens & ſibi ſufficiens.* Hinc Paræmia αὐενδεὴς ὁ Θεὸς, *Nullius indigens Deus.* Hinc patet Deum Ens ſupremum & perfectum eſſe, quia cætera Entia, & Deo & multis etiam rebus indigent. Ovidius lib.4. Triſt. Eleg.8.

Omnia Deo ſubſunt.

Nil ita ſublime eſt, ſupráque piacula tendit,
Non ſit ut inferius ſuppoſitúmque Deo.

Derivatio è Græco.

ſi magis placeat vocem hanc è fontibus Græcis eruere, dicetur *Deus* ἀπὸ τυ δέος *à timore:* nam, ut canit Papinius, *Primus in orbe Deos fecit timor.* Conſonat Hebræus, qui vocem אל *El* vult eſſe æquivocam, & *Deum*, & *Fortem*, adeóque *timendum* notare: unde illud אל קנא *El qana*, Græcis eſt Θεὸς ζηλωτὴς, Latinis verò *Fortis zelotes.*

אל. El.

7676 Dici etiam poteſt provenire à δαΐω, *ſcire, cognoſcere*, quia Deus eſt ſapientia infinita, univerſa cognoſcens.

Quid ſit amandum?

Deus igitur; cujus majeſtatem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, voluit ſolus amari, ſolus timeri. Vnde Mellifluus Doctor, quid amandum ſit, rogatus, reſpondit, *ſolum amandum eſſe Deum, modúmque diligendi Deum, eſſe Deum, ſine modo diligere*; & Chriſtus, quid timendum ſit, interrogatus *ſolum Deum timendum eſſe dixit*, à quo qui protegatur, non habet cur aliquem timeat. Lucæ 12. *Oſtendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* & Matth.10. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

Quid timendum?

Lex Dei in præmio & ſupplicio fundatur.

Proponit igitur Deus præmia & ſupplicia, & legem profert, ut illam vel amore præmii, vel ſaltem ſupplicii timore obſervemus.

1677 *Derivatio è radice Latina.*

Noſtri Critici nolunt ad linguas peregrinas recurrere, quando ſufficit ſibi Latina, & hanc ob rem vocem *Deus* à dando derivant, quod omnia à Deo proveniant, ut à bonorum & perfectionum omnium fonte, & ipſe det eſſe & perſiſtere omnibus.

An Deus ſit noſter Dominus?

Ergo, ſi à Deo univerſa recepimus: ſi omnia ſunt Dei, Deus eſt noſter dominus proprietarius: ipſe poteſt nobis legem, quam voluerit, imponere; nobiſque obediendi gloria relicta eſt.

1678 *An prima Dei cognitio eſſe ex Fide poſſit?*

EGimus de vocum ſignificatione, ad rem veniamus. Iubet Decalogus, ut credamus Deum eſſe. *Sed contrà:* nam prima Dei cognitio ſub præceptum non cadit: ut enim homo teneretur obedire prægognoſcere deberet, dari Legem, dari Legiſlatorem: ergo & Deum: is enim eſſe Decalogi Author ſupponitur. Ergo ſummus Decalogi Lator ſupponit Dei exiſtentiam, infallibilitatem, veracitatem, & poteſtatem lumine naturali cognoſci; & ideò incipit præcipiendo, Legéſque affirmantes & negantes indicit. *Reſpondeo* primam Dei cognitionem regulariter & ſecundùm id quod communiter accidit: non eſſe actum Fidei.

1679 *An cognitio non prima?*

SEd quid de cognitione non prima dicendum eſt? ſequens excurſus reſpondebit.

Deus exiſtit. Eſt infinitè ſapiens, ergo falli non poteſt. Eſt infinitè bonus, ergo non poteſt fallere. Ergo quidquid dixerit, credendum eſt. Si quidquid, etiam hoc aut illud, & ſingula in particulari. Dixit ſe eſſe trinum & unum: ergo id debeo credere. At ipſe etiam dixit dari Deum: & ſe eſſe hunc ipſum Deum, qui datur. Deuter.20. ait, *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Ergo id ipſiſſimum, quod ſcio, debebo credere. Et hinc incipiam intelligere Paulum Hebr.11. dicentem, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia (Deus) eſt; & quòd remunerator eſt.*

An hæc Propoſitio, Deus eſt, ſit de fide?

1680 *An Braſili fuerint Athei.*

DIcES primam Dei cognitionem poſſe eſſe ex fide: & probas, caſum hunc proponendo. Sit Paulus homo Braſilus atheus, nam ante Luſitanorum expeditiones nullam Numinis notitiam in Braſilia fuiſſe Hiſtoriographi ſcribunt. Appareat illi Deus, & dicat, *Crede in me, crede me, Ego ſum Deus.* Credet Paulus Deum dari. Ergo primus aſſenſus erga Dei exiſtentiam erit Fidei.

1681 *Apparitiones non ſemper ingenerant certitudinē? Cognitio incerta inducit inquirendi veritatem certam obligationem.*

Reſpondeo verba ipſa, quibus caſus proponitur recognoſcendo. *Appareat illi Deus*, inquis tu. Eſto: ſed quomodo apparebit? An apparentiâ ita certâ, ut omnem incertitudinem excludat? an probabili, aut dubiâ? *ſi dubia*, non tenebitur credere, imò neque prudenter poterit; nam Deum credere eſt res gravis momenti, & non poteſt inniti fundamento dubio & levi: habebit nihilominus Paulus occaſionem dubitandi, obligationémque rem examinandi & inquirendi. *Si probabili*, poterit judicare alterutrum pro tunc: at debebit diligentias convenientes facere, ut ad notitiam ulteriorem perveniat. *Si certa*, de exiſtentia Dei dubitare non poterit, etſi velit: at hæc ipſa notitia non erit actus fidei, ſed juſſionem de fide præveniens. Ergo antequam Paulus Deum dari crediderit, Deum dari ſciverit.

1682 *Poteſt homo cognoſci ex facie: poteſt ex voce.*

VOLES iterum tuum intentum probare alio modo. Ponamus, inquies, Ioannem ita perfectè cognoſcere vocem Franciſci, ut in mediis tenebris infallibiliter illam poſſit cognoſcere. Ponamus Franciſcum veraciſſimum eſſe. Sub mediam noctem heri ingreſſus in Templum Ioannes, neminem vidit, quia tenebræ obſcuræ impediebant: erat ibi Franciſcus cum Antonino loquens: & Ioannes ex voce ſecuriſſimè ibi eſſe Franciſcum cognovit, ſunto omnia vera, inquam ego; quia nihil occurrit, quod regeram. PROGREDERIS, Rediit hodie iterum ſub mediam noctem Ioannes & nihil videnti ait Franciſcus, *Ego ſum Franciſcus.* In hac propoſitione duo ſunt conſideranda, & materia, & ſignificatio vocis. Subſtantia vocis (*el metal de la voz*, dicit Hiſpanus) ut cauſa naturalis Ioannem in cognitionem Franciſci ſecuriſſimè ducit: nam

Subſtantia vocis. Hiſp. El metal de la voz.

ſicut hæc conſequentia eſt bona : *Eſt fumus, ergo eſt ignis*, ſic etiam iſta, *Talis vox ſonat, adeſt ergo Franciſcus.* Significatio vocis, quæ ad placitum eſt, Ioannem in cognitionem Franciſci deducit alio modo : nam, ſi Franciſcus eſt fide dignus, homo videlicet, cui debeat credi, & tamen ſe adeſſe aſſerat, credet Ioannes. Ioannes igitur de hac propoſitione, *Franciſcus adeſt*, ſimul habebit evidentiam & fidem. Non ergo eſt priùs evidentia, quàm fides. PERGIS VLTERIVS. Non repugnat Deum ita loqui, ut ex vocis ſubſtantia audiens evidenter cognoſcat eſſe Deum, qui ſibi loquitur. Ergo loquatur Paulo, illi nimirum Braſilo, invincibiliter Atheo, de quo ſuprà. Dicat igitur, *Ego ſum Deus.* Paulus ergo ex ſubſtantia vocis cognoſcet eſſe Deum præſentem, & ex ſignificatione vocis credet Deum eſſe præſentem : ergo ſimul habebit evidentiam & fidem ; non ergo priùs evidentiam, quàm fidem. Et quidem Deum poſſe ex vocis ſubſtantia cognoſci probabis, nam & Veteres ſuos Deos hoc modo cognoviſſe dicantur. Ovidius,

Phœbus adeſt ; ſonuere tubæ, ſonuere pharétræ ;
Signa Deum noſco per ſua, Phœbus adeſt.

& Propheta David Divinæ vocis characteres expreſſit Pſalm. 17. 15. *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam ; grando & carbones ignis.* Et Pſalm. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas : Deus majeſtatis intonuit ; Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani : & comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox Domini intercidentis flammam ignis : Vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa : & in Templo ejus omnes dicent gloriam.* Quæ omnia ita debent intelligi, ut ſint in gradu & excellentia tali, quali à ſecundis cauſis fieri non poſſint : aliàs enim non eſſent vocis Divinæ characteres.

Reſpondeo difficile eſſe aſſignare vocem purè materialem, quæ ſit ſignum naturale loquentis Dei. Et, ſi illa poſſit, vix poterit eſſe ſignum quoad nos, qui vires naturæ & dæmonum non menſuravimus. Pone dari effectum purè materialem, quem nulla cauſa creata producere poſſit : ſi vox hunc effectum producat, illa erit Dei : ſed quid inde, ſi neſcit Paulus, an ille potuerit effectus à cauſis ſecundis produci ? Mortuos reſuſcitet : ſed non ſufficit, niſi evidenter ſciat Paulus illos naturaliter ſuſcitari non poſſe. Et quomodo hanc habebit evidentiam Paulus, qui Dei exiſtentiam, multò clariorem, inſuperabiliter ignorare ſupponitur. Debebit ergo Deus, ut Paulus certitudinem habeat, illi aut ſpiritualiter loqui, aut ſpiritualiter & materialiter ſimul. Si intellectui Pauli loquatur Dominus & dicat, *Datur Deus* ; poterit talis eſſe illa loquutio, quæ reddat certum Paulum ſe audire Deum : & ex ipſa voce præſcindendo ab intentionali ſignificatione habebit realem notitiam ſe audire Deum. An ex intentionalitate credet *Dari Deum ?* Si credat, debebit ſcire & credere ſimul. An hoc erit poſſibile ? Attende.

Significatio vocis.

1683 *An Deus, ita loqui homini poſſit, ut qui illum audiat evidenter cognoſcat loqui Deum?*

Vocis Divinæ characteres.

1684

1685 *An vox materialis dari poſſit, quæ ſit ſignum naturale Dei?*

An ſaltem ſpiritualis?

Si actus evidentis notitiæ & actus fidei non poſſint eſſe ſimul, quamdiu Paulus Deum ſic loquentem audiat, quia evidenter cognoſcet dari Deum, credere non poterit dari Deum, ſed credet poſteà quando hæc evidentia ceſſaverit. Sanè evidentiæ & Fidei actus componi non poſſe docet Richardus *in 3. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 5.* Scotus *quæſt. unic. §. Ad quæſ.* Gabriel *quæſt. unic. art. 2. concl. 4.* Molina *1. part. quæſt. 1. art. 3. diſp. 1.* Bañez *2. 2. quæſt. 1. art. 5.* Turrianus *diſp. 8.* Sylvius, Aragonius & alii.

1686 *An evidentia & fidei actus ſimul componi poſſint?*

Si actus hi componi poſſint, ut aſſerunt Alenſis *in 3. quæſt. 68. me. 7. art. 3.* Altiſiodorenſis *lib. 3. tract. 3. cap. 1. quæſt. 4. in fine.* Argentinas *quæſt. 3. Prologi. art. 2.* Suarius *in 3. part. tom. 2. diſp. 19. ſect. 2. in fine. & tom. de Fide diſput. 3. ſect. 9.* Valentia *in 2. 2. diſput. 1. de objecto Fidei. quæſt. 1. punct. 4. §. Poſſitne Fides.* Coninck *de actibus ſupernaturalibus, diſp. 11. dub. 1. concluſ. 2.* tunc major erit difficultas, nam Paulus ex entitate & attributis vocis Divinæ (internæ aut externæ) ſemper habebit notitiam claram & evidentem exiſtentiæ Divinæ, & ex ſignificatione Fidem. Illa erit neceſſaria, hæc libera. At quia entitas eſt prior ſignificatione : & neceſſitas libertate : adhuc in hoc caſu actus certus & evidens, re aut ratione, erit actu Fidei Divinæ prior.

1687 *Signi entitas eſt prior ſignificatione.*

Neceſſaria ſunt priora liberis.

INSTAS. Si priùs debemus ſcire dari Deum, quàm obligemur Decalogo, Atheus, quidquid fecerit aut omiſerit, accuſari aut damnari non poterit. Quia neſcire adeóque decredere Deum non erit contra Decalogum, & per conſequens neque peccatum : quia ex hypotheſi, quod licitè negetur Deus, licitè Decalogus etiam violabitur : hic enim non eſſet moraliter obligatorius, ſi Deus non eſſet.

1688 *An Athei teneantur obſervare Decalogum?*

Reſpondeo Atheiſmum ſeu ignorationem Dei eſſe duplicem, vincibilem, invincibilémque. An poterit aliquis Deum invincibiliter ignorare ? eſſe nationem integram ſimilem Europæis, quæ per aliquot ſæcula invincibiliter ignoret Deum, impoſſibile eſt. Conſultò illud *ſimilem Europæis* addidi ; ſunt enim aliquæ ita rudes, & tam obtuſo ingenio prædítæ, ut neſciam, an habeant ſufficientia intrinſecùs, ut ſine externo magiſterio ad Deum inveniendum ſufficiant. Braſilos ita nobis Luſitani & Hollandi depingunt, ut in ſenectute vix videantur ad uſum rationis veniſſe. Hos & ſimiles Deo judicandos relinquo, qua enim ratione ab eis petetur ratio de ratione, quam non acceperunt ? Agendo igitur de Europæis, & populis ſimilibus, qui anno ſeptimo uti libera ratione judicantur, unam aut alteram Concluſionem ſubjiciam. Sit

1689 *Atheiſmus duplex : aliàs enim ex ignorantia invincibili aliàs ex vincibili naſcitur.*

An ſint aliquæ nationes ita rudes ut poſſint ignorare Deum?

Quando apud nos pueri uti ratione judicentur?

Prima. *Vbi Reſpublica adoratione publica colit Deum, nullus privatim poteſt illum inſuperabiliter neſcire.* Demonſtratur. Quia à parentibus magiſtríſque ſinguli inſtituuntur : & qui contradicere velint, etiam puniuntur. Ergo ibi impoſſibilis ignorantia : & ſiquis negare adhuc Deum audeat, in errorem malitioſè propellitur.

1690 *Vbi invincibilis Dei ignorantia impoſſibilis ſit?*

Secunda. *Vbi Reſpublica nulla adoratione publica colit Deum ; & etiam ubi homines per montes*

1691 *Vbi poſſibilis?*

montes ſparſi nullo communitatis vinculo devinciuntur ; poterunt aliqui , ſaltem ad tempus , Deum neſcire. Ita Molina 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 1. Zumel *quæſt. unic. concluſ.* 3. Medina *in* 2. *part. quæſt.* 89. *art.* 6. Trigoſus & alii. Nec nobis Granad. *in* 1. *part. tr.* 1. *de exiſtentia Dei diſp.* 1. *ſect. ult.* opponitur: nam licèt ſub initium negaverat eſſe poſſibilem ignorantiam invincibilē Dei , nihilominus ſub ſectionis finem convertit ad ſylvas oculos , in quibus multi rudes habitant , qui carent omninò magiſtro , & ex ipſis aliquos ad brevè ſaltem tempus poſſe Deum invincibiliter ignorare cum Victoria pronunciat. Subſcribit ſub hac limitatione Granado & Victoriæ Amicus *tom.* 1. *diſp.* 2. *de Exiſt. Dei, num.* 16. negat tamen univerſaliter poſſe dari ignorantiam invincibilem Dei. Sed ſine ulla limitatione poſſe hanc ignorantiam contingere docet Arriaga *tom.* 1. *diſp.* 2. *num.* 17. citans pro ſe Molinam, Trigoſum , Zumelem & Medinam ſine ulla limitatione loquutos.

An ſine aliqua limitatione?

1692 *Aliter de ignorantia vincibili, aliter de invincibili eſt judicandum.*

Hac doctrinâ præmiſsâ ad argumentum , quod §. *Inſtas.* ponebatur , reſpondeo concedendo univerſa , ſi agatur de Atheo , qui inſuperabiliter ignorat Deum : ſi autem de eo, qui laborat ignorantia vincibili , univerſa negando. Porrò Atheus , cujus ignorantia eſt vincibilis , ſponte ignorat Deum , adeóque virtualiter cognoſcit Deum , quia cùm ex malitia & libera voluntate illum ignoret, ita ſe habebit in Divino judicio , ac ſi cognitum contemneret negarétque.

1693 *Paulus ad Roman.* 1. *Quomodo demonſtretur dari Deum?*

Tertia. *Hæc propoſitio* , Datur Deus, *eſt demonſtrabilis.* Sed quomodo ? A creaturis initium ſumendo , & illarum cauſas productrices inveſtigando. *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea , quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Sed quantâ efficaciâ ? tantâ , *ut ſint inexcuſabiles* , qui ex creaturis ad Deum pervenire noluerint. Tam eſt certa hæc Concluſio, ut oppoſitam erroneam appellet S. Thomas: quam cenſuram remittit Suarius & illam vocat temerariam & errori proximam : intendunt Molina & Valentia , ille in Fide minimè tutam judicans ; hic verò apertè hæreticam. Vide Amicum *tom.* 1. *diſp.* 2. *num.* 2.

1694 *Cicero.*

Hanc demonſtrationem lumine naturali adſequutus fuit Cicero etſi Ethnicus , nam 2. *de Divinit.* illam dilucidat his verbis. *Eſſe præſtantem aliquam æternámque naturam, eámque ſuſpiciendam admirandámque hominum generi , pulchritudo mundi , ordóque rerum cœleſtium cogit fateri.*

1695 *Sap.* 13.

Et ſapiens multò antiquior , ſed divinitùs illuminatus , eamdem veritatem nos docuit dicens , *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Sic verſio antiqua : nova ſic , *ſiquidem ex pulchritudinis rerúmque creatarum excellentia , cum iis collatus , eorum effector ſpectatur.*

1696 *Demonſtratio efficax non à motu, ſed à productione deſumitur.*

Hanc demonſtrationem ipſemet Deus in Decalogi Proœmio nos docuit ; videor enim audire dicentem. [Non eſt opus , ut Deum eſſe te doceam : ut ejus credere exiſtentiam præcipiam : ejus Divinitatem , æternitatem, excellentiam creaturæ omnes demonſtrant. Si dubites, ad te converte oculos , & tui ipſius eſſentiam & exiſtentiam mediteris. Es , non eras , & Authore carere non potes. Parentes, tui genitores ſunt geniti ; & quia proceſſus in infinitum dari nequit , deveniendum ad productorem improductum ; & hic eſt Deus. Hic igitur improductus rerum omnium productor , ingenitus univerſorum genitor , cauſa incauſata , movens immobile , ut verbo dicam , iſte Deus , iſte Dominus , *Ego ſum.* Teſtimonio huic veritati tibi ſit mea fortitudo , vides enim à me maria dividi , elementa regi , ſyderum periodos ſuſpendi , & talia tandem fieri , quæ poſſunt fieri à ſolo Deo.] Videor inquam hujuſmodi excurſum audire & fideliter audax ſic inquam ; Te credo Deum , & tuæ fidei ſubſcribo ; ſi enim , quod impoſſibile eſt , decipior , à te uno decipior , tanta enim in meæ religionis confirmationem miracula patrata ſunt , ut non potuerint ab alio fieri quàm à te. Sic inquam , Magno illi Richardo de S. Victore , ſic & aliis ſanctiſſimis viris ſubſcribens.

Quid , ſi per impoſſibile eſſet falſa noſtra Religio?

1697 *An attributa Divina poſſint demonſtrari?*

Quarta. *Lumine naturali notum eſt dari cauſam primam ; intellectivam , volitivam ; omniſciam , omnipotentem : quæ nec falli nec fallere poſſit : & hæc eſt Deus.* Sanè , ſi eſt prima, non eſt ab alia ; ſi enim eſſet ab alia , non eſſet prima. Si non eſt ab alia eſt æterna , ſi æterna infinita : ſi infinita , intelligens & volens. Si infinitè intelligens , falli nequit : ſi infinitè perfecta , nequit fallere : ſi infinitè volens, eſt omnipotens.

Quis loquutus eſt per os Sanctorum?

Quinta. *Perſona illa , quæ loquuta eſt per Prophetas , ſummis patratis miraculis , ſe eſſe hunc Deum demonſtravit.* In memoriam revoca Ægypti plagas , maris Rubri diviſionem , Solis & Lunæ ſtationem , Solis etiam recurſum , & alia innumera, quæ in ſacra Scriptura leguntur.

1698 *An Dei unitas poſſit demonſtrari? An ſi eſſent plures Dii rerum ordo cōfunderetur?*

Sexta. *Hæc propoſitio* , Deus eſt unus , *demonſtrabilis eſt :* non verò ab omnibus benè probatur. Ratio illa , [ſi eſſent plures Dii, eſſent rixæ & diſcordiæ , ordo rerum confunderetur ; unus Deus vellet eſſe plures ſtellas, pauciores alius : unus Planetas progredi, alius regredi : &c. qua utuntur Rodericus Arriaga *tom.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 5. *num.* 36. Hurtadus *diſp. ult. Metaph. à num.* 1. Suarius *diſput.* 29. *Metaph. ſect.* 2. *à num.* 7. Amicus *tom.* 1. *diſp.* 4. *num.* 4. qua etiam Ariſtoteles *lib.* 12. *Metaphyſicæ :* qua etiam Angelicus Doctor , & alii ;] eliſa & præoccupata fuit olim à Plauto *in Curc. ſcen.* 2. *act.* 2. dicente , *Dii inter ſe congruunt concorditer.* Ergo recurrendum eſt ad infinitatem ; ad πᾶν , totalitatem ; quia in Deo omnes ſunt poſſibiles & intelligibiles perfectiones, & eſſe bis omnia repugnat.

Vnde demonſtranda ſit Dei unitas?

1699 *An Deū eſſe unum ſit de fide? An fides demonſtratione certior?*

Septima. *Si non eſſet demonſtrabilis hæc propoſitio adhuc eſſet certa , & negari aut in dubium verti non poſſet.* Patet , quia eſt fide tenenda , ut conſtat ex primo præcepto Decalogi : & orthodoxa fides demonſtratione certior eſt.

Poſſint ne Thomiſtæ demonſtrare Deum eſſe unum?

Octava. *Supponendo ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium , quale Thomiſtæ ediſſerunt (nempe , relationes divinas importare perfectionem ab eſſentia diſtinctam) Deum eſſe unum & non plures demonſtrari non poteſt.* Et clariſſimè oſtenditur ; quia ferè omnes illæ rationes , quæ videntur perſonarum pluralitatem propugnare, videntur etiam Deorum pluralitati favere ;

nec erit, qui præſcindendo à fide demonſtret dari claram diſparitatem.

1700 *Probatur Dei unitas.*

Probaturus eſſentiæ divinæ unitatẽ ſic diſcurris. Deus infinitus eſt, ergo unus eſt. Probas conſeq. quia niſi unus eſſet, infinitus non eſſet: nam ſi darentur duo vel plures Dii, aut primus haberet omnes formalitates, quas ſecundus, aut aliqua ex illis careret: ſi haberet, non jam eſſent duo, ſed unus Deus; quia pluralitas in diſtinctione conſiſtit, & diſtinctio unum non eſſe aliud, hoc eſt, dari in uno quod non detur in altero requirit. Si careret, jam non eſſet ille primus Deus infinitus, quia infinita perfectio illa non eſt, quæ aliqua perfectione caret. Sic argumentatur Amicus *tom.* 1. *diſp.* 4. *num.* 2. Alias rationes adducit Suarius, quas expendit & eſſe inefficaces probat Arriaga *tom.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 5.

1701 *An ſit hoc valde clarũ?*

Cùm hanc rationem formamus, videmur Idololatras triumphare & omninò ſupprimere; & quidem, ſi rem examinemus Deum eſſe unum à fide & revelatione habetur; homini enim ingenio & rationi naturali derelicto obſcurior eſſet divinæ unitatis notitia, quam putatis.

An huic argumentationi poſſit reſpondere Polytheus?

Primò enim huic argumento ex principiis & fundamentis naturalibus reſponderet Polytheus (ſic plurium Deorum cultorem nomino) negando primam conſequentiam. Ad probationem negaret etiam illam conditionalem. Ad confirmationem diceret Iovem habere infinitam perfectionem in ſuo genere, & Saturnum in ſuo, adeóque nec Iovem indigere perfectione Saturni, nec Saturnum Ioviali. Et tandem illam poſitionem, *Infinita perfectio illa non eſt, quæ aliqua perfectione caret*, diſtingueret; quæ caret aliqua perfectione ſui ordinis, concederet; aliqua alterius ordinis, negaret: benè enim poſſet dari aut intelligi infinitum in genere magnitudinis ſine albedine, & infinitum in genere albedinis ſine ſapore, &c.

An poſſint dari plura Infinita in diverſis generibus?

1702 *An hæc argumentatio poſſit in Perſonarum pluralitatem retorqueri?*

Secundò legeret Polytheus Arriagam *ubi ſuprà, num.* 40. pluralitatem Perſonarum cum Deorum pluralitate componentem, probantem vel illas non eſſe plures, vel hos eſſe, ſi Suarii argumentis ſtetur: unde idem argumentum contra Myſterium Trinitatis objiceret, & argueret ſic. Eidem argumento in Trinitatem retorto aut poteſt ſatisfieri, aut non poteſt. Si poteſt argumentum hujuſmodi ſalvâ Perſonarum pluralitate elidi, etiam poterit ſalvâ Deorum pluralitate: ſi non poteſt, non ſolùm Deorum, ſed & Perſonarum divinarum pluralitas debellatur. Illud igitur retorqueret ſic. Perſona divina infinita eſt, ergo una eſt: nam ſi una non eſſet, infinita non eſſet: Si enim darentur tres Perſonæ, aut prima haberet omnes omninò formalitates quas ſecunda & tertia, & ſic non diſtinguerentur: aut prima haberet aliquid, quo carerent reliquæ, & illæ aliquid quo careret prima, & ſic diſtinguerentur quidem, ſed non eſſent infinitæ, non enim infinita eſſet perſona, quæ aliqua perfectione careret.

1703 *An Perſona divina careat oppoſitis Relationibus realiter, &*

Huic argumento reſpondent aliqui Patrem carere quidem filiatione & ſpiratione paſſiva; Filium paternitate & paſſiva etiam ſpiratione; Spiritum-Sanctum paternitate & filiatione; carere inquam formaliter, non verò æquivalenter, nam tametſi illas formalitates non habeat, habet tamen alias æquivalentes. At Polytheus, licèt poſſet hanc reſponſionem impugnare, ſolutionem admitteret, dicerétque Iovem quidem carere perfectione Saturni formaliter & per ſe, ſed illam habere per æquivalens; habet enim aliam æquivalentem: hoc eſt, æquè bonam, & æquè perfectam.

illas habeat nihilominus æquivalenter.

An hæc doctrina poſſit retorqueri à Polytheo.

Reſpondent alii Patrem carere quidem Filiatione formaliter, habere tamen illam virtualiter, aut eminenter. Et Polytheus, tametſi utrumque poſſet impugnare, illa enim dicuntur virtualiter, quæ ita ſe habent, ac ſi eſſent realiter; adeóque Pater, ſi haberet Filiationem virtualiter, eſſet Filius virtualiter, & ita ſe haberet ac ſi eſſet Filius realiter, quæ non videntur Myſterio conſonare. Et etiam illa dicuntur contineri eminenter, quæ in formalitate nobiliori, ut anima vegetativa in ſenſitiva, & hæc in rationali, non è contrà; quia rationalis ſenſibili, & ſenſibilis vegetabili nobilior eſt. Si igitur Filiatio in Paternitate eminenter imbibitur, illa præſtantior iſta eſt; & quia è converſo Paternitas in Filiatione continetur, illa hac eſt præſtantior. Ergo Filiatione Paternitas ſimul nobilior & ignobilior eſt: quæ omnia ſuſtineri non poſſunt. Sed jam mitior & benignior Polytheus hæc omnia condonans, eiſdem omninò verbis argumento contra ſe objecto ſatisfaceret dicens, Iovem carere formaliter perfectione Saturni, at illam habere virtualiter & eminenter.

1704 *An divina Perſona oppoſitas Relationes habeat virtualiter?*

Quid ſit illas habere virtualiter?

An illas habeat eminenter?

Quid ſit contineri eminenter?

An hæc doctrina Deorũ pluralitati faveat?

Nona. *Si divinæ relationes nullam perfectionem importare dicantur, demonſtrari poterit Deum eſſe unum; nempe demonſtratione, quam non elidat divinarum Perſonarum pluritas.* Sanè Relationes nullam dicere perfectionem docent Scotus *quodl.* 5. Richardus *in* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. Mayro *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *in fin.* Durandus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 13. Arimineníis *in* 1. *diſt.* 19. *art.* 1. Capreolus *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *ad* 3. *concluſ.* 1. Ægidius *diſt.* 4. *art.* 1. *ad* 11. Ferrarienſis 2. *contra Gentes cap.* 9. Molina *in* 1. *part. quæſt.* 42. *art.* 16. *diſp.* 2. qui omnes Authores ſtatuunt Relationes divinas, nec perfectionem, nec imperfectionem dicere, ſed ab utroque abſtractas eſſe: & hoc contra D. Thomam, *qui* 1. *part. quæſt.* 26. *art.* 3. expreſsè fatetur ſingulas habere propriam perfectionem. Magiſtrum ſuum ſequuntur Thomiſtæ communiter, excepto Cajetano 1. *part. quæſt.* 28. *art.* 2. *ſub fin.* qui oppoſitam ſententiam amplectitur; & mavult D. Thomam deſerere, quàm reſpondere argumentis ab adverſaria parte propoſitis.

An divina Relationes in ſuo conceptu perfectionem importent?

Cajetanus abit à S. Thoma.

Dices etiam hinc Polytheos indipiſci ſubſidium; quoniam, ſi Scotiſtæ divinas relationes nullam perfectionem importare credentes, Patrem carere Filiatione concedunt, negant tamen carere aliqua perfectione Filii, quia juxta illos Filiatio non eſt perfectio. Cur non etiam Polytheus Iovem carere ſaturnitate, ſeu taleitate Saturni concederet, addendo Deorum ecceitates nullam perfectionem involvere?

1705 *Objectio pro Polytheiſmo.*

Reſpondebo. nam Ecceitates illæ Deorum diſtinguuntur realiter à Natura divina, vel non. At non poſſunt Polythei reſpondere aſſertivè, quia omnis realis compoſitio imperfectionem dicit,

Retunditur.

Deus eſt compoſitionis realis incapax.

dicit, & Deus est imperfectionum omnium exsors. Dicent ergo in Divinis Naturam Ecceitatémque idemtificari. Pergo ulteriùs. Ergo Natura Divina realiter est singularis, quia realiter idemtificatur Ecceitati. Sed peto, An Saturnus & Iuppiter habeant duas naturas realiter distinctas, vel unicam. Si unicam, non sunt duo Dii, sed unus Deus & duæ Personæ: si duas, redit argumentum, quia Saturni natura est infinitè perfecta, & Iuppiter hac infinitâ perfectione caret: & ideò non est infinitè perfectus.

1706 *An Relationes sint infinitæ infinitate essentiæ?*

Postremò divinas Relationes nonnulli dicunt esse perfectas & infinitas, non infinitate propriâ sed infinitate essentiæ, adeóque asserunt unam & simplicissimam perfectionem in tribus personalitatibus reperiri. Sed hi parum differunt ab Scoti sententia, & hanc ob rem possunt æquè ac Scotus Vnitatem divinæ Naturæ demonstrare. Et quid, si diceret Polytheus, Deorum ecceitates esse quidem perfectas & infinitas, non tamen infinitate & perfectione propriâ, sed essentiæ specificæ, adeóque omnes Deos habere unam & eamdem specificè perfectionem & infinitatem? responderem, ut ante examinando, an plures illi Dii haberent unicam singularem Naturam, vel plures. Si unicam, omnes simul essent unus Deus pluribus personalitatibus præditus: si plures, nullus esset Deus, quia singuli alius Naturæ infinita perfectione careret.

1707

Ratio igitur nostra, tametsi fortis, à Polytheo satis robustè in Trinitatis Mysterium retorquetur, quamobrem resolvendum est, illi qui Angelicum Doctorem sequatur, non esse per se notum, nec evidens dari unum solum Deum, sed Deorum pluralitatem posse stando puris principiis naturalibus defendi & propugnari. Vel si Vnitas aut evidens aut per se nota, qui Chaldæi, Græci, Romani & alii benè culti & docti populi fuerunt Polythei Idololatræ? illis enim, ut puto, non deberet negari clarissimarum saltem rerum notitia; & siquidem essentiæ divinæ unitatem non agnoverunt, liquidò constat eam non esse clarissimam; sed esse potiùs obscuram à solis Philosophis & doctioribus viris per ratiocinia indagabilem.

Difficilius est demonstrare Vnitatẽ Dei, quàm imperiti existiment.

1708

Sed infers. Ergo Deum potiùs esse unum, quàm plures non scimus certò, sed solùm probabiliùs. At ego nego consequentiam, & ut causa meæ negationis innotescat, sit positio

Deum esse unum est de fide.

Decima. *Deum esse unum & non plures potest à viris doctis demonstrari. Hoc ipsissimum de fide est. Etiam de fide est esse unum & trinum.* Patet; quia si semel constet evidenter dari Deum (unum vel plures) qui nec falli nec fallere possit: & etiam constet eam personam, quæ mihi loquitur esse Deum; constabit liquidò ipsam fore credendam. Atqui ipsa dicit non dari plures Deos sed unum, húncque esse unum in natura & substantia, & trinum in personis; ergo Deum esse trinum & unum de fide est; ergo certius certissimo. Optimè igitur Polytheismus divinâ sanctione proscribitur à Deo dicente, *Non habebis Deos alienos coram me.*

EXODI 20. 4.

NON FACIES TIBI SCVLPTILE: NON ADORABIS EA NEQVE COLES.

1709 *An usus sanctarum imaginum sit interdictus?*

COnsonant alia loca. EXOD. 30. 23. *Non facietis Deos aureos vel argenteos.* LEV. 26. 1. *Non facietis vobis idolum nec sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ut adoretis eum.* DEVT. 4. 19. *Non adores, nec colas Solem, Lunam, Stellas, &c.* DEVT. 4. 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.* DEVT. 12. 3. *Dissipate aras Deorum & & gentium confringite statuas, lucos comburite, idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis suis.*

1710

Hoc testimonio abutuntur Imaginarii Hæretici, & inter eos Calviniani ineptissimè asserentes usum Imaginum divinitùs esse interdictum. Cùm Papistam (sic quemcumque Catholico-Romanum vocitant) vident, ingeminant, *Confundantur, qui adorant sculptilia:* & ut detestabiles nos plebi decerptæ reddant, hoc falsum testimonium imponunt. Idcirco operæ pretium erit hanc Decalogi lineam altiùs examinare.

An Catholici adorent sculptilia?

1711 *Latria duplex: ut quo & ut quod.*

Adoratio est duplex, λατρεία & δουλία: illa debetur soli Deo, hæc Angelis & sanctis hominibus datur. Vtraque iterum duplex est: altera *ut quod*, altera *ut quo*. Adoratur *ut quod* ipsamet res, quæ coli & adorari dicitur; at *ut quo* omnia illa, quæ sunt motiva & occasiones recordandi & adorandi. Crucem ergo & Dei imagines adoramus *ut quo*, non *ut quod*; Deum solum *ut quod*, non *ut quo*: & hæc adorationis divisio & distinctio non est juniorum commentum, sed veterum Christianorum dogma & thesis. Satis antiquum istud carmen

Vtrà detur Cruci & Imagini?

Est Deus id quod imago docet, non Deus ipsa.

Etiam & hæc

Effigiem Christi in ligno pendentis honora,
Non tamen effigiẽ, at quod repræsentat, adora.

Igitur ab ipso Catholicæ Ecclesiæ initio ligna & imagines semper sunt culta *ut quo*, nunquam *ut quod*; calumniantur igitur Calviniani, cùm asserunt à Romanis ligna & sculptilia, (nempe *ut quod*) adorari. Sed hæc pro imaginum cultu sufficiant resumenda alibi in libello qui inscribetur *Cœna Calvini lictor*, ubi ostendam ipsam Cœnam esse imaginem, hæreticósque absurdè Cœnam retinere & imagines alias proscribere: si enim imagines sine idololatria coli non possunt, ipsi sunt idololatræ cùm panem Deum significantem venerantur & colunt; & si ille panis potest coli *ut quo*, prout mysticè Christum significat, cur eodem modo non possint coli imagines visibiles & audibiles (statuas, picturas & voces intelligo) nunquam ostendent Calvinistæ. Porrò de δουλία pariformiter philosophari, cùm enim imaginem Sancti Petri veneror, tabulam veneror *ut quo*, & ipsum Sanctum Petrum *ut quod*.

An Cœna apud Calvinistas imago sit & adoretur?

Quomodo Sanctorum colantur imagines?

DEVTER. 6. 16.

AVDI ISRAEL : DOMINVS DEVS TVVS VNVS EST , DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO ET EX TOTA ANIMA TVA ET EX TOTA FORTITVDINE TVA.

1712 *Revelat, Deus se esse unum.*

PRima pars definitiva est, secunda præceptiva ; illa fidem, hæc charitatem respicit : fide tenendam statuit Deus essentiæ divinæ unitatem , manuducens homines ne in Polytheismum labantur ; nam ut superiùs vidimus , prudentia humana viribus naturæ derelicta facilius Deum esse, sed Deum esse unum difficiliùs cognosceret. Se igitur Deum,quem esse unum & simplicem definierat, colendum statuit & præcipit ex toto Corde , ex tota Anima , ex tota Fortitudine diligi.

1713 *An primum Decalogi præceptum sit de re impossibili.*

Hîc Hæretici , (Lutherani, Calviniani, & Ianseniani præcipuè) Ergo jubet Deus impossibilia. Ergo nemo viator satisfacit huic præcepto Decalogi ; Ergo soli Beati lumine gloriæ præventi possunt Deum diligere , ut præcipitur. Respondeo fide tenendum Deum impossibilia non præcipere ; Tridentina enim Synodus Augustini verba canonica fecit , & inquit , *Deus impossibilia non jubet , sed jubendo admonet , facere quod possis , & petere quod non possis , & adjuvat ut possis.* Sed statim occurrit difficultas in impositione præcepti divini & Tridentinæ definitionis;homini enim concupiscentia in pœnam peccati originalis derelicta vexato , in abysso ignorantiæ sepulto, inutilibus notitiis distracto amare Deum ex toto Corde , ex tota Anima , ex tota Fortitudine impossibile est.

1714 *Duplex hujus præcepti Expositio. Prima Hæreticorum.*

At respondeo hanc legem bifariam exponi. *Ama Deum* , inquiunt aliqui , *ex toto Corde* , hoc est , ita ut nihil sit in tuo corde præter ipsum ; *ex tota Anima* ita ut tres tuæ potentiæ neminem attingant , neminem respiciant præter ipsum ; ita ut memoria solius Dei recordetur, intellectus solum Deum contempletur , & Deum solum diligat & amet voluntas ; *ex tota Fortitudine* , ita ut isti actus sint intensissimi & nobilissimi , quibus intensiores dari non possint. Alii verò. *Ama* , inquiunt , *Deum ex toto Corde* , ita ut illud non prostituas alicui amori , quod sit contra Deum : *ex tota Anima* , ita ut ejus potentias contra Deum non exerceas , ita nimirum ut pulchritudinis lascivæ & periculosæ ne memineris , ne intellectus crassas ignorantias affectet, & ne voluntatem deliciis interdictis pascas : *ex tota Fortitudine* , hoc est , constanter cum perseverantia ; nam qui perseveraverit usque ad finem , is salvus erit. Si divinæ legis arrideat posterior expositio , non solùm possibilis , sed & facilis est ; si prior , impossibilis. Propugnent Heterodoxi illam priorem; altiùs nos , de bono Deo sentimus , qui si impossibilia juberet seriò , crudelissimus : si jocosè nugator & morio. Damnatam à Tridentino Concilio expositionem condemnamus, & secundæ subscribimus tenentes dari homines , qui huic præcepto dilectionis exactè satisfaciant,saltem quoad tempus;B.enim Virgo peccato omni etiam veniali caruit totâ vitâ ; & tametsi sit verum quod septies , hoc est , aliquoties, in die cadat justus venialiter,multi sunt , qui gratiâ Dei præventi mortalia peccata non committunt.

Secunda Catholicorum.

Beata Virgo omni peccato veniali caruit.

Multi Sancti mortali.

DEVTER. 6. 17.

ERVNT HÆC VERBA IN CORDE TVO, NARRABIS EA FILIIS TVIS , MEDITABERIS SEDENS ET AMBVLANS, DORMIENS ATQVE CONSVRGENS.

1715 *Omnis homo tenetur obligationes sui officii aut dignitatis examinare.*

MVlta nos docet Spiritus-Sanctus paucis verbis. Legi subditus , si velit illam ignorare , gravissimè peccat. Debet suas obligationes discere , & semel cognitas non potest oblivioni mandare ; si enim oblivio voluntaria sit , ignorantia culpabilis est. Meditabitur igitur obligationes quibus obstringitur, ut prævideat qualiter illis satisfaciat. Sed cur sedens & ambulans, dormiens atque consurgens ?

1716

Multa hîc pulchrè possent adjungi , si mysticus sensus placeret ; illum tamen non compatitur severitas & rigor litteralis. Dico igitur obligationes officii esse ab homine examinandas quousque benè noscantur , etiamsi debeat propter earumdem examen impediri ipsius quies , deambulatio , vel somnus; ordinariè enim istæ actiones potiùs debent intermitti quàm obligationum noscendarum studium.

1717 *Præsentia Dei in hominis mente duplex est:negativa & positiva.*

Videtur hoc etiam testimonio divinam præsentiam negativè præcipere, positivè consulere ; hoc est , præcipere quod sis Deo præsens negativè, consulere quod sis positivè. Sistitur negativè Deo , qui sedens, deambulans, dormiens,vigilans nil operatur contra Deum. Sistitur positivè , qui Deum sibi comitem & ducem contemplatur , & sive sedeat , sive ambulet , sive dormiat , sive vigilet , Deo convivit , Deo fidet , Deo congreditur , Deo dormit , Deo vigilat.

1718 *Qui teneantur docere?*

Sed quia multis non sufficit cognoscere obligationes ; illi enim, qui majores sunt, tenentur etiam legem Dei docere ; *Erunt hæc verba in corde tuo* , inquit Deus , *narrabis ea filiis tuis :* filiis inquit , non parentibus , ut una & eadem periodo , & parentes semisopitos excitaret , & filiorum petulantiam cohiberet. Peccat patens , si in instruendis proli-

An, & quomodo filius parentem corrigere debeat?

bus negligens ; & filius est irreverens , si carpere audeat patris dogmata , instructionem, consilia , ubi eum errare clarè & evidenter non cognoscat : imò etiamsi aliquando cognoscat , piè debet in ipsamet admonitione procedere ; ille enim ipsissimus, qui errare supponitur , est ipsius pater.

DEVTER. 6. 16.

NON TENTABIS DOMINVM DEVM TVVM SICVT TENTASTI IN LOCO TENTATIONIS.

1719 *Quid sit Deũ tentare : & quantũ peccatũ illud sit?*

TEntat Deum , qui miracula postulat , & honorem divinum ludibrio exponit.Multa petierunt Sancti veteres , sed à Deo admoniti ; omnipotentiæ enim thesauros & extraordinariam

ordinariam virtutem exercet, qnando vult, & prout vult, quia Superiorem non cognoscit; adeóque credimus mortaliter peccaturum illum, qui sine particulari Dei instinctu infidelibus diceret, *In testimonium meæ religionis ego jubeo, quod iste defunctus excitetur*, tentaret enim Deum, ejus fidem & authoritatem, si defunctus ille non resurgeret, periculo summo exponendo.

1720 *Nemo potest se exponere proximo peccandi periculo à Deo eripiendum, præsumens.*

Sed quia iste modus tentandi Deum non ita communis, ad alium frequentiorem inter Christianos, orationem convertam. Cognoscis proximum peccandi periculum, te temerè in tentationem inducis & de auxilii divini efficacia præsumens ais, *Deus manu tenebit me.* Et Deus tibi, *Non tentabis Dominum Deum tuum, nec illi leges & obligationes imponnes servus Domino, Creatori creatura.* Si gratiam non dederit ut vincas in certamine suppari, dedi ut fugias, ut occasionem proximam peccandi vites, ut non adeas locum periculosum: quod si temerè te te in tentationem duxeris, in eáque à gratia efficaci deseraris, tibi uni imputa, qui potuisti in arenam non descendere, cum potentiore non confligere, ac propterea non vinci.

LEVIT. 19. 2.

SANCTI ESTOTE QVIA EGO SANCTVS SVM DOMINVS DEVS VESTER.

1721 *Quomodo debeant Superiores moves subditorum non rectos ad rectitudinem reducere.*

MIra res. Hominum sanctitas omninò dependet à divina; nam humana perfectio in similitudine consistit: de Beatis Paulus; *Similes Deo erimus, quia videbimus Deum sicuti est.* Deus igitur similitudinem præcipit in via, concedit in patria; adeóque nec sanctitatem præciperet, si ipse Sanctus non esset: unusquisque paterfamilias prodeus; nec efficaciter subditis sanctitatem indicet, ni possit dicere, *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Filii parentum umbræ, subditi Dominorum. Stipitem curvum Soli expositum curva sequitur umbra; sed ipsam qua arte diriges? Haud fallor, haud non poteris aliter curvam umbram in rectam convertere, quàm causam umbræ dirigendo; ac propterea nunquam subditos, nunquam filios diriges, quin dirigas parentes & dominos, quorum ipsi sunt umbræ.

Filii Parentum umbra.

DEVTER. 18. 10.

NON INVENIATVR IN TE QVI LVSTRET FILIVM TVVM AVT FILIAM DVCENS PER IGNEM, AVT QVI ARIOLOS SCISCITETVR ET OBSERVET SOMNIA ATQVE AVGVRIA; NEC SIT MALEFICVS NEC INCANTATOR, NEQVE QVI PYTHONES CONSVLAT NEC DIVINOS, ET QVÆRAT A MORTVIS VERITATEM.

1722 *Mantia triplex.*

OMnem mantiam, quæ in pacto expresso vel implicito consistit, hac lege inhibet Deus; non naturalem, non vanam. Vt melius sanctionem intelligas, adnotato tria esse divinationum genera. Futura enim vel ex causis naturalibus eliciuntur, & tunc prædictio sicut & præscientia, sunt licitæ; laudabiliter enim & eclipses futuras & elementorum alterationes ab astris dependentes prædicimus, nec hoc Deus interdixit, qui voluit in operibus suis & cognosci & laudari. Futura etiam ex disparatis causis nonnulli certissimè prædicunt dæmonum assistentiâ adjuti, cooperantium ex pacto tacito vel expresso; & istam scientiam, seu practica seu speculativa ipsa sit, Legislator divinus interdicit; non quod nobis scientiam aut potentiam invideat, sed quod nobis pericula peccandi caveat, & omne cum dæmone consortium proscribat. Præter mantiam naturalem & superstitiosam datur vana ex mulierculatum errore introducta, ab hominibus otiosis exculta, quæ hac tempestate temporum non sine curiositate scribitur, & non sine periculo traditur. Hujus generis videtur esse Chiromantia, Geomantia, Iudiciaria astrologia, sortium consideratio, viscerum animalium inspectio prout ad casus contingentes & liberos prænoscendos dirigitur; talibus enim artibus instructus ex disparatis præmissis inferes sequelas disparatas: quales sunt, *Habeo talem lineam in manu; ergo incendio peribo; Figura numerorum fuit populus; ergo hodie hospes aliquis superveniet. Habui Matrem in horoscopo; ergo ero militiæ Præfectus. Intestina vervecis sunt læsa; ergo ægrotabo. Grues in dexteram volant; ergo convalescam.* Vanæ omnes & stolidæ consequentiæ istæ, sunt, & qui illis assentitur, non tam superstitiosus, quàm stupidus; vel si superstitiosus, per accidens & ex conscientia erronea concursum dæmonis expectans, ubi nullum pactum nulla dæmonis cooperatio est. Artes igitur superstitiosæ meritò à Deo, meritò ab hominibus condemnatæ, vanæ verò aliquando permissæ honestæ recreationis causâ cùm vanæ esse noscuntur, tunc enim nocere non possunt. Fortunæ Ludum à Ioanne Sturmio Doctore Lovanienſi compositum propter curiosa carmina Europa tolerat, Ludum quidem sortilegum, vanum tamen & ab omni superstitione alienum; condemnatura statim, si Lectores abuterentur, putaréntque concursum Dæmonis sublatere, posséque ejus assistentiâ veritatem certissimè inveniri. Ideò & Steganographiam Ioannis Trithemii pientissimi & doctissimi Abbatis, tametsi utilem & per causas naturales curiosè & ingeniosè procedentem vidimus interdici, non quòd mala esset, sed quòd nociva. Luserat Author sub Nicromantiæ specie, & malè morati Lectores seriò legentes, quæ nugatoriè scripta, multa peccata committebant sub obscuris illis metaphoris Dæmonis invocationes & conjurationes putantes. Hinc est quod Theologiæ Moralis Professor non debeat præcipitare sententiam cum agitur de divinatione; multæ enim prædictiones naturales & licitæ sunt, paucæ superstitiosæ, vanæ plurimæ, sed hæ ultimæ frequenter ex errore in superstitionem prolapsæ.

Naturalis. *Superstitiosa.* *Vana.* *Chiromantia. Geomantia. Iudiciaria, &c.*

1723 *Multa sunt præjudicia vanitati & stultitiæ potiùs, quàm superstitioni accensenda. Vanitas trãsit per accidens in superstitionem.*

Sturmii liber. *Trithemii liber.* *Monitum Morale.*

DEVTER. 18. 13.

PERFECTVS ERIS ET ABSQVE MACVLA CVM DOMINO DEO TVO.

1724 HAc lege ſpecialiter indicitur ſanctitas novo præcepto, quia tametſi homines habeant obligationem convertendi ſe ad Deum & egrediendi ex peccato, hæc tamen novo peccato rarò obligat; ſed quia obligat aliquando, ne detur ignorantiæ locus, tempus ipſe Legiſlator determinat. *Perfectus eris*, inquit, *& abſque macula cum Domino Deo tuo*, Hoc eſt, non accedes ad Deum cum conſcientia peccati mortalis.

1725 *Peccatũ mortale eſt recipere Euchariſtiã in peccato mortali. An adminiſtrare Sacramenta?*

Huc reſpiciebat Paulus, cùm dixit, *Qui Corpus & Sanguinem Domini ſumit indignè, judicium ſibi manducat & bibit*; Peccatum enim grave eſt accedere ad Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis. Adminiſtrare & recipere Sacramenta in peccato eſſe novum peccatum tenet communiſſima Doctorum opinio; adeóque Sacerdos auditurus confeſſionem alterius, oleo ſacramentali unćturus, baptizaturus, confirmaturus, Ordines collaturus, ſi peccati gravis ſibi ſit conſcius, debet actum contritionis elicere, aliàs peccaturus mortaliter. Sponſalia ab exiſtentibus in peccato licitè & validè contrahi poſſunt; matrimonium validè, ſed non licitè poteſt: fuerunt aliqui qui non ſolùm putarunt interdici ſub peccato gravi Sacramentorum uſum homini exiſtenti in mortali peccato, ſed etiam ordinum exercitium mediatum, ut cantare Evangelium, Epiſtolam, Lectiones & ſimilia, quæ tamen, quia Sacramentum Altaris immediatè non tangunt ſine novo peccato poſſe exerceri benignior tenet Recentiorum opinio.

An cantare Epiſtolã aut Evangelitũ?

DEVTER. 13. 2. & 6.

1726 SI SVRREXERIT PROPHETES, FRATER, FILIVS, FILIA AVT VXOR, ET DIXERIT; EAMVS ET SERVIAMVS DIIS ALIENIS, NON ACQVIESCES, SED STATIM INTERFICIES.

1727 *Hæreſiarcha tolerandi non ſunt.*

HVic loco Apoſtoli verba poterunt eſſe Commentario; Anathemate enim inurit qui aliter quàm ipſe evangelizaverit, tametſi ſit Angelus de cælo. Doctrina fidei conſtanter & fortiter manutenenda, nec audiendus qui contra aras veteres, novas ſubrigit. Si quis tamen in benè gubernatâ Republicâ de Deo, de Religione, novas Hæreſes ſeminaverit, authoritate ſupremâ interficiendus. Sed quid ſi Superiores aut ſchiſmate aut hæreſi infecti tolerent hæreſiarcham? An poterit privatâ authoritate occidi? Sanè Lutherus à Duce Saxone ultimâ ſententiâ puniri debuit; ſed quia & ipſe hæreticus fuit, quem debebat punire, propugnavit, & fuit in cauſa ut doctiores inquirerent, an Martinus Lutherus potuiſſet interfici privatâ authoritate? me conſule, perinde eſt Eccleſiam gladio aut calamo invadere; vel, ſi ſtatuenda aliqua differentia, magis timendus venit calamus, utpote pernicioſior & potentior. Si ſtricto gladio Lutherus invaſiſſet Pontificem, non multùm Chriſtiano orbi nocuiſſet; quia vel fuiſſet occiſus re infectâ; vel occidiſſet illum qui poſt paucos annos illæsâ Religionis Chriſtianæ puritate fatis ceſſurus erat: at quia eloquenter dixit, ornatè ſcripſit, linguâ & calamo Eccleſiam invadens, multos homines perdidit, multas animas in infernum protrudit; ergo ſiquidem potes proximum innocentem defendere, ſi enſe injuſtè oppetatur; etiam ſi aliter fieri non poſſit, invaſorem ipſum interimendo; aſſerendum eſt, hæreſiarcham publicâ malitiâ permiſſum poſſe occidi privatâ authoritate, uniuſcujuſque enim eſt defendere honorem divinum & Eccleſiæ puritatem quantum poteſt. Sed hîc videtur excitari Quæſtio, quæ poſtulat, *An Tyrannus poſſit privatâ authoritate occidi?* Et reſpondemus communiter poſſe, modo à Republica declaretur Tyrannus, & non aliter. Ergo eodem modo de Hæreſiarcha philoſopheris: non eſt unicuique liberum definire an hic aut ille ſit Hæreſiarcha, ſed ſi declaretur ab Eccleſia, poterit unuſquiſque Fidem invaſam tueri contra invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Conſultò *publicâ malitiâ permiſſum* dixi, contingit enim hæreticos nonnunquam publicâ prudentiâ tolerari, cùm circumſtantiis omnibus examinatis ex ipſorum excidio majora inconvenientia timentur; ſic & Luthero acceſſus ad Concilium Tridentinum permiſſus, & literæ publicæ ſecuritatis datæ, imò etiam articulos ſalvi conductus temerè prætergreſſo, ac propterea reo capitis, vita conceſſa, fuga permiſſa ſub ſpe majoris boni, & ut caverentur inſtantes ſeditiones, quæ ipſius excidium prævidebantur ſecuturæ.

An Tyrãnus privatâ authoritate occidi poſſit? An & Hæreſiarcha?

Plus nocet interdum calamus, quàm gladius.

1728 *Nemo poteſt occidere Hæreſiarcham à Republica prudenter toleratum.*

CREDE.

1729 *An ad Fidẽ præter credibilitatem requiratur credenditas? An credibile poſſit eſſe falſum: & incredibile verum?*

ANte fidem, credibilitatis evidentiam Theologi univerſi requirunt; credenditatis ego, & exiſtimo omnes mecum ſentire, ſed malè loqui, quia plerique credibilitatem exponunt, ut illa credenditas ſit.

Sanè ſtando vocis rigori falſum poteſt eſſe credibile, verúmque incredibile: ſed Fidei divinæ nequit ſubeſſe falſum: ergo credibilitas divinæ Fidei non deſeruit. Conſequentia eſt legitima: minor certa: majorem probo, verba P. Franciſci Amici *tom. 4. diſput. 3. ſect. 1. num.* 48. producendo: inquit enim. *Non ex evidentia credibilitatis infertur evidentia veritatis aut poſſibilitatis: nec conſequenter evidentia negationis falſitatis, aut evidentia negationis impoſſibilitatis objecti credibilis: quia non repugnat aliquid eſſe credibile & ſimul falſum; ſi habeat ſigna credibilitatis, quæ moraliter intellectum determinent ad credendum: & contrà aliquid eſſe verum & non credibile, ſi careat ſufficientibus ſignis credibilitatis: ſed ſolùm infertur eſſe evidenter credibile, quod tale objectum ſit verum, & conſequenter non falſum vel impoſſibile: ita ut evidentia non cadat ſupra veritatem, aut non falſitatem, vel non impoſſibilitatem objecti. Quò fit, ut* Evidenter credibile, & Falſum, *ſive* Impoſſibile *non ſint contradictoria: ſed contradictoria ſunt,* Evidenter credibile, & Non evidenter credibile.

Sic

1730 *An Amicus bene poſuerit has contradictorias?*

Sic Amicus: ſed quia ita Theologiam tractamus, ut agere debeamus dialecticè, examinemus breviter, An Amico inimicetur Logica? nam poſteà ad lineam revertemur.

Sanè illæ duæ contradictoriæ adſignatæ ab Amico, mihi non placent; nam illud *non* debet afficere copulam, aut prædicatum ſaltem, non autem ſyncategorema *evidenter*, ut contradictio ſit. Conſidera Poſitiones ſequentes.

Quò cadere debeat negatio?

Atheoſis (negatio Dei) eſt credibilis evidenter.
Atheoſis non eſt credibilis evidenter.
Atheoſis eſt non credibilis evidenter.
Atheoſis eſt credibilis non evidenter.

De ἀθέωσι. Prima & ſecunda ſunt contradictoriæ, non autem prima & quarta, ut vult amicus: nam prima & quarta ſunt ſimul falſæ; Atheoſis enim neque evidenter, neque non evidenter eſt credibilis, quia nullo modo eſt credibilis.

1731 *An Venus interdiu conſpiciatur?*

Secunda & tertia, niſi corrigatur tertia aut exponatur, propter illud ſyncategorema *evidenter*, non ſunt æquipollentes: nam, ſi ſupponamus, Venerem interdiu videri quidem, ſed non clarè, tunc ille Poſitionum quaternio tranſire debebit in hunc.

Venus interdiu eſt conſpecta clarè.
Venus interdiu non eſt conſpecta clarè.
Venus interdiu eſt non conſpecta clarè.
Venus interdiu eſt conſpecta non clarè.

Duæ affirmativæ contradictoriæ eſſe non poſſunt.

Et tunc prima erit falſa ex hypotheſi, quarta autem erit vera ex hypotheſi: at non erunt contradictoriæ, quia utraque eſt affirmativa, & ubi non datur affirmatio & negatio non reperitur contradictio. Prima & ſecunda ſunt contradictoriæ. Tertia, ſi illud *clarè* cadat ſuprà *eſt*; ita, ut ſenſus ſit, *Clarum eſt Venerem interdiu non eſſe conſpectam*, non æquipollet ſecundæ, nec contradicit primæ: ſi autem illud *clarè* cadat ſuprà *conſpectam* (quod debet) ſecundæ æquivalet, & opponitur primæ.

Hæc ex occaſione ſint inſerta, ut ſemper Dialecticus rigor obtineat: ad Credibilitatem revertamur.

1732

Siquidem Credibilitas & Falſitas componi poſſunt: & interim Fides Divina & Falſitas componi non poſſunt: certum eſt Credibilitatem meram ut Fidei divinæ actum eliciamus, non ſufficere. Ergo plus quàm Credibilitas requiritur: quid ergo? Credenditas.

Vnde vox Credibilitas.

Videntur Theologi vocem *Credibilitatis* ex Pſalmo apud Græcos xcii. apud Hebræos xciii. ſumpſiſſe: ibi enim verſu ultimo legimus,

Quid ſit Ἐπίσασαι? Τὰ μαρτύρια σε ἐπιστώθησαν σφόδρα. Septuaginta.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Vulgatus.

Et tamen verbum Ἐπίσασαι, *ſciri* potiùs ſonat quàm *credi*: unde Ἐπιστήμη *ſcientia, peritia*; ut Ἐπιστήμη ναυτικὴ, *Ars nautica*, non autem *Credibilitas nautica*. Ergo ad literam.

Quid Ἐπιστήμη?

Teſtimonia tua nota & ſcita ſunt vehementer, cum impetu maximo.

Et quidem vehementem & impetuoſum motum imbibit illud σφόδρα, ut ſciamus, niſi Deus gratiæ ſuæ nos impetu & vehementiâ præmoveat, nos crediturос ut debemus: un-

Quid σφόδρα?

de Pſalm. 18. dicitur, Lex Domini, *immaculata*, ut omni mendacio carere cognoſcatur, & *convertens animas*, ut fidei concurſus & cooperatio denotetur. Et vox Ἐπιστώθησαν, quæ ad Aoriſtum primum pertinet, factum non poſſibilitatem importat, & Latinæ *innotuerunt*, æquivalet.

An ad actum fidei ſpecialiter concurrat Deus?

Sed neque in Hebræo ulla reperitur potentialitas: nam ſic Rex Propheta cecinit.

1733

עדתיך נאמנו מאד.

Hedothejkà neemnú meód.

Teſtimonia tua fidelia ſunt valdè.

E radice אמן AMAN, *in Niphal* נאמן NEMAN *firmum eſſe*, oriuntur voces, אמת EMETH, & אמנת EMENETH, *Firmitas*, & quia veritate nîl firmius, & nîl fide conſtantius, *Fides*, *Veritas*. Ille igitur verſus ad literam eſt,

נאמן אמנת אמת.

Teſtimonia tua fuerunt firma, conſtantia, fidelia (fide credenda) & vera valde.

Ecce nulla in Hebraïco textu potentialitas nam, נאמנו, NEEMNV, præteritum paſſivum eſt.

1734 *An Authores* credibilitatis *voce intelligant* credenditatem?

Dixi præcipuos Authores ita *Credibilitatem* exponere, ut *Credenditas* ſit; & quia inter illuſtriſſimos eminet S. Thomas, *velut inter aſtra Luna minora*, illum produco. Ipſe enim 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 2. ſic inquit. *Ea, quæ ſunt fidei dupliciter conſiderari poſſunt; Vno modo in ſpeciali, & ſic non poſſunt ſimul eſſe viſa & credita, ſicut* (in corp.) *dictum eſt. Alio modo in generali, ſcilicet ſub communi ratione credibilis, & ſic ſunt viſa ab eo qui credit; non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi.* Hoc teſtimonio utitur P. Philippus à ſanctiſſima Trinitate 2. 2. *diſp.* 2. *dub.* 6. §. *Probatur prima pars*, & P. Franciſcus Amicus *tom.* 4. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *num.* 41. & alii. Ecce priùs *Credibile* dixerat, poſteà *Credendum*.

1735 *Quomodo viſio & ſcientia requiratur ad fidem.*

Et quidem mens D. Thomæ hæc eſt. [Ea, quæ ſunt fidei, dupliciter poſſunt conſiderari: uno modo ſecundum propoſitionem ſimplicem ſeu de ineſſe, ut cùm dicimus, *Deus eſt trinus & unus*. Alio modo ſecundùm propoſitionem modalem, ut cùm dicimus, *Credendum eſt Deum eſſe trinum & unum*. Primam (ſimplicem) non videt, qui credit: ſecundam autem (modalem) videt, non enim primam crederet, niſi eſſe credendam videret propter ſigna, &c.]

1736 *Quid requiratur ut aliquis credere debeat?*

Conſonat ſibi S. Doctor *art.* 5. *ad* 1. dicens. *Infideles, eorum, qua ſunt fidei, ignorantiam habent; quia nec vident, nec ſciunt ea in ſe ipſis, ut cognoſcant ea eſſe credibilia. Sed per hunc modum fideles habent eorum notitiam, non quaſi demonſtrativè* (nempe reſpectu propoſitionis ſimplicis) *ſed in quantum per lumen fidei videntur eſſe credenda.* Ecce infideles res fidei eſſe credibiles non putant, adeò judicant non eſſe credendas: at fideles non ſolùm judicant eſſe credibiles, ſed eſſe etiam credendas. Hæc eſt doctrina, quam ex Maldero Epiſcopo Antuerpienſi, D. Petro à Sancto Ioſepho Fulienſi, Profeſſoribus Collegii Romani Societatis IESV, P. Leonardi Ordinis Prædicatorum, D. Liberto Fromondo aliiſque trado in Fundamentali Theologia *num.* 1338. ubi pronuncio, *Vt aliquis teneatur credere, oportere talem*

ei fieri fidei propoſitionem, quâ evidenter videat, res fidei eſſe credibiles & credendas.

1737 *Vt aliquis teneatur operari, non ſufficit rem eſſe factibilem, ſed requiritur, ut ſit faciendа.*

Hoc demonſtro. Duæ ſunt hominis obligationes, alia credendi, alia operandi. At, ut quis teneatur operari, non ſufficit, ut evidenter videat, rem eſſe factibilem, ſed omninò neceſſarium eſt, ut evidenter cognoſcat illam eſſe faciendam. Ergo, ut quis teneatur credere, non ſufficit, ut evidenter videat, rem eſſe credibilem, ſed omninò neceſſarium eſt, ut evidenter cognoſcat illam eſſe credendam. Probo minorem. Rem eſſe factibilem pertinet ad propoſitionem ſimplicem & intrinſecam probabilitatem, unde æquè Miſſa eſt audibilis die feſto, & non feſto, quia æquè poteſt utroque illa die dici à Presbytero, & audiri à Catholicis. At Miſſam eſſe audiendam pertinet ad propoſitionem modalem, & reſpicit præceptum extrinſecum, quod diebus non-feſtis non obligat. Ergo ſicut res eſt factibilis, quia eſt poſſibilis, & eſt facienda (hoc eſt, debet fieri) quia præcipitur à Superiore, legitimam authoritatem habente: ſic etiam res eſt credibilis, quia eſt poſſibilis, quia aſſeritur à perſona cui prudenter aſſentiar; at eſt omninò credenda (debet credi) quia dicitur à perſona, quæ nec decipere poteſt, nec decipi.

Cur res ſit faciendа?

Cur credenda?

Crede Deo.

1738 *De ſcientia, opinione, & fide. An eſſe ſimul poſſint?*

Quærunt Philoſophi, *An Scientia & Opinio ejuſdem objecti ſint ſimul?* & Theologi, *An Scientia & Fides?* quæ quæſtiones, tametſi maximam latitudinem habeant, & poſſint per varias materias vagari, debent ad exiſtentiam Dei contrahi, & ideò quærimus, *An de hac propoſitione*, Deus eſt, *eſſe poſſit Opinio, Scientia, & Fides ſimul?*

1739 *Authorum ſententiæ proponuntur.*

Tres ſunt Theologorum & Philoſophorum ſententiæ: Prima docet poſſe hominem ſimul elicere tres actus, unum opinionis, alium ſcientiæ, & alium fidei circa idem objectum. Secunda negat hos tres actus coexiſtere poſſe, at docet poſſe habitus. Tertia & negat actuum horum, & æquè habituum coexiſtentiam.

1740 *Sententia aſſerens. An D. Thomæ ſit?*

Prima sententia non caret D. Thoma, qui, ut P. Philippus à Sanctiſſima Trinitate 2.2. *diſp.* 2. *dub.* 4. §. *Prima.* teſtatur, ſæpè docet, quod poteſt ab eodem idem ſimul cognoſci per medium demonſtrativum, & per medium probabile: ac proinde ſimul actu ſcientiæ per medium demonſtrativum, & actu opinionis per medium probabile. Sed non eſt major oppoſitio inter actum ſcientiæ & actū opinionis, quàm inter actum ſcientiæ & actū fidei. Ergo actus opinionis, ſcientiæ, & fidei de eodem objecto eſſe poſſunt ſimul in eodem intellectu. P. Philippus huic argumento quà rationi reſpondet, non autem quà authoritati: inquit enim, quod quando concurrunt duo media, quorum alterum eſt demonſtrativum & alterum merè probabile; tunc, quia intellectus totaliter firmatur & determinatur per medium demonſtrativum tantum elici concluſionem ſcientificam, & medium opinativum non operari. At hoc non eſt reſpondere D. Thomæ, quem oppoſitum ſæpè docere aſſeruit, ſed illi contradicere clarè.

Hanc ſententiam nonnulli difficilem reddunt, aſſerentes in caſu ex tribus mediis diverſis unicam tantùm concluſionem oriri, quæ tres habeat formalitates (opinionis, ſcientiæ, & fidei) & realiter illis tribus actibus æquivaleat.

An unus realiter actus ſimul ſcientia, opinionis & fidei eſſe poſſit?

Secunda Sententia reperit repugnantiam inter hos actus, non autem inter habitus: & ideò aſſerit, habitus coexiſtere ſolere, nunquam actus. Vt hanc probet P. Philippus rationes affert, quæ militant pro prima ſententia. 1741

Probat primò, ex S. Pauli raptu; nam juxta S. Auguſtinum & S. Thomam tunc vidit clarè Deum, & habuit ſcientiam perfectiſſimam Myſteriorum gratiæ; & tamen ſimul in eo erat habitus fidei de eiſdem Myſteriis, non enim deſtitit eſſe viator & fidelis. Conſonat Angelico Doctori Scotus *in* 3. *diſt.* 31. *quæſt. unic.* dicens: *Paulus in raptu habuit ſaltem actum viſionis & tamen non erat in eo evacuatus habitus fidei. Igitur ille actus non repugnat habitui fidei. Non ergo evacuatur fides & ſpes, quia ſuccedat eis aliquid incompoſſibile, ſed quia eſſent* (habitus) *ſuperflui.* [Idem argumentum poſſet in ecſtaſi S. Benedicti fundari; qui ut S. Gregorius teſtatur, *in uno Solis radio* (atomo) *totum mundum collectum conſpexit: videnti enim creatorem, anguſta eſt omnis creatura.*] Idem de S. Thereſia, quæ in ſuis libris affirmat ſe in hac vita habuiſſe evidentem notitiam Myſterii Trinitatis.

An eſſentiam divinam viderit S. Paulus?

An S. Benedictus Deum viderit?

An & S. Thereſia?

Et huic argumento reſpondet Paulum non vidiſſe in Verbo omnia, quæ cadunt ſub fidem, ſed tantùm quæ pertinent ad Divinitatem. Sed unde hoc ſcit? poterit enim alius dicere, Paulum vidiſſe omnia, quæ ad fidem pertinēt: & addere duas ſimul notitias actuales habuiſſe, alteram obſcuram ex fide, & alteram claram ex viſione beatifica. Porrò, ſi ea vidit, quæ pertinent ad Divinitatem, viderit Trinitatem: ergo de hoc Myſterio habuit ſimul ſcientiam & fidem: ſcientiam quidem actualem, & fidem aut actualem juxta primam ſententiam, aut ſaltem habitualem juxta ſecundam. De D. Benedicto idem dici poteſt, ac de Paulo. Tranſeamus ad S. Thereſiam. Reſpondet P. Philippus, habuiſſe illam quidem aliquam eminentem cognitionem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed tamen obſcuram & inevidentem. Et hìc non explicat S. Thereſiæ verba, ſed condemnat. Conſidera ſequentem ſyllogiſmum.

Qui videt Dei eſſentiā, videt Trinitatem.

S. Thereſia aſſerit in ſuis libris ſe in hac vita habuiſſe evidentem notitiam ejuſdem (S. Trinitatis) *Myſterii.* Sunt verba formalia P. Philippi *diſp.* 2. *dub.* 4. §. *Secunda.* 1742 *P. Philippus accuſat Sanctam Thereſiam, non exponit.*

S. Thereſia habuit quidem aliquam eminentem cognitionem ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed tamen obſcuram & inevidentem. Sunt etiam verba formalia ejuſdem P. Philippi *ibid.* §. *Ad ſecundum, in fine.*

Ergo illa decepit nos dicendo ſe habuiſſe evidentem, cùm habuerit tantùm inevidentem. Et hæc concluſio naſcitur neceſſariò ex præmiſſis.

Ergo ad argumentum, quod ex S. Thereſiæ verbis ſumitur reſpondendum eſt, aut illam habuiſſe ſimul cognitionem evidentem & actum fidei de altiſſimo Trinitatis Myſterio; ut prima ſententia contendit: aut ſaltem evidentem

evidentem notitiam actu, & fidem habitu, ut asserit secunda sententia.

1743 *An, qui habet scientiã, habeat meritum fidei?*

Probat iterum hanc secundam sententiam idem P. Philippus, quia ex opposito sequerentur duo inconvenientia; primum quod Philosophus fidelis adquirendo scientiam de rebus aliàs creditis amitteret meritum: secundum, quòd Deus non posset conferre uni viatori eorumdem Mysteriorum evidentiam.

1744 *An ad meritum animi præparatio sufficiat?*

Sed hæc ratio militat pro prima sententia, non pro secunda: non enim habitibus meremur, sed actibus.

Sed quomodo P. Philippus huic rationi respondet? *Primum* non esse inconveniens, nec fidei meritum tollere. Sed cur? Nam sufficit præparatio animi ad credendum, si non adesset evidentia credibilium, ad hoc ut non admittatur fidei meritum. Sanè hæc animi præparatio, si actualis sit, non caret merito; at sicut aliud est velle pati martyrium pro fide, quod omnes facimus, & aliud pati illud de facto; ita etiam aliud est velle credere, si possim, & aliud de facto credere: unde sicut ille, qui vult pati martyrium, si succurrat occasio, non habet meritum, quod ipsi martyrio actualiter passo correspondet: sic etiam ille, qui crederet, si posset, non adquiret meritum, quod adquireret, si illud pateretur de facto. *Secundum* inconveniens non admittit: negat enim posse Deum concedere viatori evidentiam sanctissimæ Trinitatis in se ipsa: addítque illam nec habuisse Christum Dominum per scientiam inditam, sed per scientiam divinam & visionem beatificam: & subjungit notitiam evidentem de hoc Mysterio non habuisse S. Theresiam. Sed cur, quæso, Visio beatifica, quam Sancti in cælo semper habent, non posset concedi viatori per tempus aliquod determinatum? Interim, quidquid de Trinitate sit, Philosophus habet evidentiam hujus propositionis, *Deus est*, & tamen habet meritum fidei. Ergò non obstante evidentia credit. Prima igitur sententia est vera.

An viatori possit Deus cõsedere evidentiam Mysterii Trinitatis?

1745 *Thomistarũ Opinio.*

Tertiam autem Sententiam Pater Philippus propugnandam assumit, eámque ad hanc Conclusionem reducit. *Non potest idem simul esse creditum & scitum: nec in actu, nec in habitu.* Et citat Cajetanum, Bañez, & discipulos S. Thomæ communiter.

Probat primò actum fidei & scientiæ simul esse non posse. Impossibile est enim, quod idem objectum sit simul creditum & visum ab eodem. Sed objectum scitum est visum. Ergo objectum fidei, quod est creditum, simul sciri & credi non potest; habent enim scientia & fides intrinsecam oppositionem ex parte medii utriusque, ut fusè docet S. Thomas 1.2. *quæst.* 67. *art.* 3. Consequentia est legitima: minor est certa: majorem probat, videlicet tribus rationibus: primò, quia ex se patet: secundò, quia creditum est inevidens, scitum, seu visum, evidens: idem autem respectu ejusdem non potest esse actu evidens & inevidens: tertiò, quia in patria, ubi est evidentia objecti, non potest esse fides.

1746 *An mundum non posse esse ab æterno demonstrabile sit?*

Sed hæc ratio non urget: major enim distinguitur: esse impossibile, quod idem objectum sit simul creditum & scitum seu visum ab eodem ex eodem motivo, concedimus: ex diverso, negamus. Nam nos, cùm hæc scribimus, Mundum habuisse initium scimus & credimus simul. Scimus, quia habemus demonstrationem claram & evidentem, quæ Mundum ab æterno non potuisse esse evincit: credimus, quia in prima Geneseos linea legimus, *In principiò creavit Deus cælum & terram.* Probationes majoris non urgent. Non prima: quia non est Dialecticus modus argumentandi, dicere, *ex se patet*: quamobrem, si P. Philippus dicat suam conclusionem ex se patêre, poterit similiter Adversarius dicere oppositam ex se patêre. Non ergo hoc modo probari poterit ejus Conclusio. Ad secundam dico *Evidens* & *Inevidens* opponi, si sint in eodem intellectu & ex eodem motivo: non autem, si sint in eodem intellectu & ex diverso motivo. Hoc, ut clarissimè percipias, duas candelas in hac aula, alteram accensam, & alteram extinctam, colloca. Instabit aliquis; Hæ duæ propositiones, *Illuminatur* & *Non illuminatur* sunt contradictoriæ: & respondebo esse contradictorias si sint ejusdem, de eodem, secundum idem: at verò has, *Hæc aula illuminatur à candela accensa. Hæc aula non illuminatur à candela extincta*, dicam esse simul veras, & sibi non contradicere. Sic similiter, *Intellectus hic illuminatur à scientia. Intellectus hic non illuminatur à fide*, non sunt contradictoriæ. Ad tertiam probationem dico, in patria fidem & spem evacuari; & evacuationem diversimodè à Theologis intelligi. Interim non repugnare de potentia Dei absoluta ut habitus fidei componatur cum lumine gloriæ: nec repugnare, ut, si Deus sic vellet, Beatus simul credat & videat Trinitatem; nempe credat ex fide, & videat ex beatifico lumine: nam, si hæc hypothesis admitteretur, non essent duæ contradictoriæ simul veræ.

Non probat, qui dicit, Patet.

An Evidens & Inevidens sint contradictoria?

An in patria sit aut esse possit fides?

1747 *An, & quomodo concurrant ad actum scientificum Opinio?*

Præterea difficilia sunt, quæ de opinione & fide, quando operatur medium scientificum asserit idem P. Philippus. Dixerat §. *Ad primum*: de opinione & scientia agens. *Medium probabile impeditur per medium demonstrativum fortius ipso, ne integrè suum sortiatur effectum, causando actum opinionis, & sic inadæquatè operatur, concurrendo simul ad actum scientiæ, quantum ad rationem genericam cognitionis, cum medio demonstrativo influente ad ipsum actum scientiæ quoad omnes ejus rationes.* Et ego aio hæc non esse vera: &, si vera sint, contra P. Philippum militare.

1748 *Ad calorem nix?*

Sanè non sunt vera, quia eodem modo posset aliquis dicere passum, quod esset apud ignem & nivem, calefaciendum & non frigefaciendum; quia nix impeditur per causam activam fortiorem ne integrè suum sortiatur effectum causando frigiditatem: & sic inadæquatè nivem operari concurrendo simul ad productionem caloris in passo, quantum ad rationem genericam qualitatis, cum igne influente ad ipsum calorem productum quoad omnes ejus rationes. Et quis crediderit nivem calorem quà qualitatem producere? non ergo medium probabile scientificam cognitionem quà cognitionem producit.

1749

Sed hæc omnia condonentur, aio illa Conclusionem destruere. Statuebat ipsa, habitus scientiæ & opinionis non esse simul; statuit modò P. Philippus esse simul: non enim concurrerent,

currerent, & cooperarentur, niſi coëxiſterent. Suam igitur Concluſionem enervat.

1750 *Ad actum ſcientificum Fides?*

TANDEM, æquè ſunt difficilia & repugnantia illa, quæ *ibid.* de actu ſcientiæ & fidei ſtatuit: inquit enim; [Dicendum, quòd Philoſophus Chriſtianus aſſentitur huic propoſitioni, *Deus eſt*, tantùm per ſcientiam, & non per fidem poſtquam demonſtrativè illam cognovit: ei autem aſſentitur certius quàm Philoſophus infidelis quia duplici medio movetur ad ejus aſſenſum nempè medio demonſtrativo ſicut infidelis, & medio revelationis divinæ non ſortitur adæquatè ſuum effectum, quia impeditur à medio demonſtrativo fortiori ex parte intellectus totaliter ipſum determinante, & ita concurrit ad aſſenſum ſcientificum quantum ad rationem genericam cognitionis, eo modo quo dictum eſt de medio probabili: cùm hoc tamen ſtat, quod mediũ revelationis divinæ aliunde eſt fortius medio demonſtrativo, cùm etiam ad martyrium inducat ſæpiſſimè, ad quod non inducit medium demonſtrativum; ſed hoc provenit ex pia affectione voluntatis captivantis intellectum in obſequium fidei, ut ait Apoſtolus.

1751 *Cur Philoſophus Chriſtianus aſſentiatur huic Propoſitioni* Deus eſt?

Conſideremus ſingula. Huic propoſitioni, *Deus eſt*, Philoſophus Chriſtianus, poſtquam illam demonſtrativè cognovit, aſſentitur per ſcientiam, & non per fidem? Dicitur ſed non probatur. Sed cur aſſentitur certiùs, quàm Philoſophus infidelis? quia duplici medio movetur. Ergo ſunt ſimul illi habitus, qui per hæc media influunt & concurrunt. Ergo habitus fidei & ſcientiæ ſunt ſimul. Deinde dicere, quod motivum fidei concurrat ad actum ſcientificum quà cognitionem; eſt iterum dicere nivem concurrere ad productionem caloris quà qualitatis. Præterea, etſi hic inadæquatus concurſus admitteretur, Chriſtianus non aſſentiretur certiùs quàm Gentilis: tum, quia fides non operaretur quà fides, ſed quà qualitas; & non influeret in actum quà ſcientificum, ſed quà cognitionem: & cognitio niſi creſcat in ratione ſcientificæ, ſed ſolùm in ratione à ſcientifica & fideli præciſa, non fiet certior. Tandem, ſi medium fidei in martyrium inducit, ergo producit actum, quo homo inducitur ad martyrium. Hic non eſt actus demonſtrativus: ergo actus fidei.

An fides poſſit operari quà qualitas?

1752 *An omnis ſcientia ſit ſimplex Qualitas?* *An & Fides?*

Impugnatur iterum idem P. Philippus ex fundamentis Thomiſtarum. Habitus eſt ſimplex qualitas: Theologia eſt ſimplex qualitas: Fides eſt ſimplex qualitas. Ergo eodem habitu fidei credo omnes & ſingulos fidei articulos. Ergo, ſi unius habeam evidentem notitiam, (putà iſtius, *Chriſtus eſt homo*) vel perdo habitum fidei, quem in Baptiſmo adquiſivi, vel non. Non primum, quia Chriſtiani ſtudendo fierent infideles: ergo ſecundum. Ergo quando eſt evidentia actualis circa hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt homo*, manet habitus fidei erga eamdem: non enim multos habitus fidei habemus, ſed unicum: & hic non niſi per infidelitatem deperditur.

1753 *An Fides ſit diſcurſiva?*

Maneat igitur omnibus conſideratis Primam ſententiam eſſe veram: & hanc eſſe methodum, quæ nos ad actum fidei perducit.

Deus exiſtit.
Deus nec decipi, nec decipere poteſt.
Deus dixit ſe eſſe trinum & unum;
Ergo credendum eſt illum eſſe trinum & unum.
Itaque Deus eſt trinus & unus.

Quatuor priores propoſitiones ſunt evidenter certæ, & diſcurſum conſtituunt, & viam aperiunt quintæ, quæ formaliter non eſt diſcurſiva (virtualiter ſit, aut non ſit) & eſt actus ſupernaturalis fidei, qui alios quatuor actus ut conditionem *ſine qua non* præſupponere debet.

1754 *An hæc propoſitio* Deus eſt, *de fide ſit?*

Hæc poſitio, *Deus eſt*, etiam poteſt cadere ſub fidem. Conſidera diſcurſum ſubſequentem.

Quidquid Deus dixit eſt credendum.
Deus dixit ſe eſſe.
Ergo eſt credendum.
Itaque Deus eſt.

Tres priores poſitiones ad diſcurſum & evidentiam naturalem ſpectant: quarta ad ſupernaturalem fidem.

An actus naturalis ſit diſpoſitio ad ſupernaturalẽ?

An actus naturales ad ſupernaturales diſponunt? Ex natura rei repugnantiam generalem non video: nam & accidentia materialia ad formæ ſubſtantialis ſpiritualis (rationalis Animæ) ſuſceptionem diſponunt. Sed ne in hanc Quæſtionem ingrediamur, diſcurſum illum non jam diſpoſitionem, ſed conditionem *ſine qua non*, eſſe dicamus. Et quidem ante fidei ſupernaturalem actum actus aliquos naturales, non ſolùm ſpirituales, ſed & materiales prærequiri: manifeſtum eſt. Paulus cap. 10. ſic Romanos alloquitur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Ergo ante actum fidei præcedit Magiſtri vox, & hæc eſt mamaterialis. Illam poſteà debet audire diſcipulus, & auditio eſt etiam actus materialis. Demùm debet illam intelligere: & intellectio hæc eſt ſpiritualis, ſed naturalis. Et tandem debet credere per actum ſupernaturalem.

CREDE DEVM.

1755 *Qui credit Deum eſſe remuneratorem, credit Deum eſſe.*

SEd quid credo Deo? Reſpondet Paulus *ad Hebr.* 11. ſcribens: *Accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quæ verba benè dilucidat P. Amicus *tom.* 4. *diſp.* 13. *ſect.* 2. *num.* 36. dicens. [Non eſt neceſſaria explicita fides de exiſtentia Dei diſtincta à fide, quà eundem credimus ut juſtificatorem & glorificatorem omnium, quia in ipſa fide juſtificatoris & glorificatoris involvitur determinatè aſſenſus de exiſtentia Dei; eſt enim exiſtentia prædicatum ſuperius neceſſariò & determinatè incluſum in quavis perfectione inferiori; ſicut eodem actu, quo creditur Chriſtum eſſe hominem, creditur eſſe ſubſtantiam viventem, ſenſitivam; nec requiritur diſtinctus aſſenſus ad hæc eadem prædicata credenda. Præterea in quovis actu fidei neceſſariò & determinatè includitur aſſenſus exiſtentiæ Divinæ in ipſo actu, quo creditur Deo authori revelanti]

An per omnẽ actum fidei Deum eſſe credamus?

Quænam credenda ſint neceſſitate medii?

1756 *De neceſſitate medii & præcepti.*

SAnè aliqua credenda ſunt neceſſitate medii, alia præcepti. Dicuntur neceſſaria eſſe neceſſitate

necessitate medii illa, sine quibus, etsi invincibiliter ignoratis, salvari homo non potest: dicuntur verò necessaria necessitate præcepti, quæ sciri ab Ecclesia jubentur, quæ invincibiliter ignorata neminem in infernum impellent. Prioris generis est notitia Dei: pone enim Clodium invincibiliter ignorare dari Deum: hæc in illo ignorantia non erit novum peccatum, at illâ stante ab originali liberari non poterit, adeóque nec salvari poterit. Posterioris generis sunt, quæ in symbolo; sciri enim ab Ecclesia jubentur; qui illa nolunt addiscere peccant (an mortaliter? inferiùs respondebitur,) at verò, qui invincibiliter adventum Spiritus-Sancti ignoraret, si tamen servaret Decalogum, posset ad Empyreum venire.

1757 *De fide implicita & expressa.*

Præterea alia sunt credenda explicitè, & alia satis est credere implicitè. Expressè creduntur, quæ determinatè: implicitè, quæ includuntur in aliquo, quod creditur expressè; ut, si quis dicat, *Credo quod continetur in Symbolo. Credo quod Ecclesia Romana.* Vide Laymanum *lib. 2. tract. 1. cap. 8.*

Expressè debet homo credere Deum esse remuneratorem, ut vidimus: sic enim nos docuit Paulus, & Synodus Tridentina *sess. 6. cap. 8. 2.* ex ipso.

An ad salutè requiratur fides expressa Trinitatis?

An Trinitatis & Incarnationis Mysterium etiam expressè? Asserit Amicus *tom. 4. disp. 13. num. 4.* Molina & alii: at Coninck, Layman, Professores Collegii Romani Societatis Iesv, quos in Theologia Fundamentali *numero 1351.* adlego, & alii sunt implicita fide contenti. Vide Scobar *ex 2. cap. 6. num. 20.* Dianam *part. 3. tract. 5. resol. 47. & 48.* & Hermannum Busembaum *in Medulla libr. 2. tractat. 1. cap. 1.* Viam mediam init P. Acacius March. de Velasco. *tom. 1. verb.* Fê: *resol. 329. num. 9.* dicens explicitam fidem circa Trinitatis & Incarnationis Mysteria, esse regulariter, non autem semper, necessariam necessitate medii. Et citat Bañez *2. 2. q. 2. art. 8.* & Aragonium *ibid. art. 6.* & alios. Interim, aut fallor, aut si in aliquo casu est sufficiens fides implicita, explicita non est necessaria ut medium, sed quia præcepta; repugnat enim adquiri finem sine medio. At mihi semper visa est difficilis severa sententia, & ideò illam impugno his rationibus.

Quæ medii necessitate requiruntur, semper, & apud omnes requiruntur.

1758 *Quid sit credere expressè?*

Prima sit illa, quam demonstrativam esse dixi in Theologia Fundamentali *num. 1351.* citato. Nam fides non est actus linguæ, sed mentis. Ergo qui dicit, *In Deo est una natura & tres hypostases: In Christo sunt duæ naturæ & unica hypostasis:* ut hos articulos expressè credat, debet benè intelligere singulorum verborum significationem. At certum est præter Philosophos vix esse hominem, qui vocum harum significationem sciat. Ergo vix est homo, qui Incarnationis & Trinitatis Mysteria explicitè credat: ergo Reges, Principes, Iurisperiti, cives, fœminæ hunc actum fidei eliciunt. *Quid hæ duæ propositiones significent, nescimus: quid importent verba* Natura & Hypostasis *ignoramus: at has duas propositiones eo sensu credimus, quo credit Catholica Ecclesia.* Ergo, si horum duorum Mysteriorum notitia exigitur necessitate medii; præter Philosophos sanctos, universi damnantur. Quis hoc toleret? Puto sine Christi injuria dici non posse, talem eum instituisse Religionem, in qua Philosophia necessitate medii ad æternam salutem requiratur: &, ut video, multi etiam Philosophi de his eisdem vocibus garriunt, quæ non intelligunt: & doctiores inter se non conveniunt, nam aliter Thomistæ, & aliter Scotistæ philosophantur.

Quid significent hæ voces, Natura, & Persona pauci sciunt. Qui nesciunt non possunt expressè credere Trinitatem: imò nec Incarnationem.

Secunda sit illa, quâ utitur P. Acacius *ubi suprà num. 10.* Cornelius, ut constat ex Actibus Apostolorum, erat vir justus. Tunc jam erat Evangelium promulgatum in illa Provincia; & tamen ad Cornelii notitiam nondum venerat. Ergo Christum invincibiliter ignorabat, & tamen justus erat. Ergo non requiritur notitia Incarnationis ad justitiam. Ergo nec ad salutem, *Iusti enim in perpetuum vivent.* Et quidem posse & solere contingere, quòd aliquis articulos fidei invincibiliter ignoret, saltem per breve tempus scitè asseruit Villalobos *part. 2. tract. 1. diff. 3. num. 6.* & alii.

1759 *Actor. 10.*

An ad salutem requiratur expressa notitia Incarnationis?

Vt huic rationi satisfaciat Amicus *tom. 4. disp. 3. sect. 2. num. 50.* negat primò Soto Sanctum Thomam affirmare post sufficientem Evangelii promulgationem fidem Christi implicitam ad salutem sufficere. Secundò ait Cornelium habuisse fidem explicitam quoad substantiam Incarnationis antequam instrueretur à Petro, ab hoc autem institutum quoad circumstantias. Et in hunc sensum obtorquet Magistrum *in 3. dist. 25.* & D. Thomam *2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.* & *3. part. quæst. 69. art. 4. ad 2.* dicentes Cornelium habuisse fidem implicitam Christi; jubet enim, ut intelligantur de fide implicita quoad circumstantias. Sed, quia benè videbat hanc obtorsionem non prodesse, dicit tertiò sub illud tempus Evangelium non fuisse sufficienter promulgatum, saltem quoad Gentiles: ac si alia deberet esse promulgatio pro Iudæis, & alia pro Ethnicis. Tandem quartò sententiam Augustini producit, statuentem Cornelium non fuisse justificatum ante instructionem Petri, sed tantùm credidisse fide implicitâ & imperfectâ, non sufficiente ad justificationem, sufficiente tamen ad aliquod meritum de congruo, propter quod dictum fuit illi ab Angelo, *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

1760 *An post Evangelii promulgationem?*

An Cornelius habuerit fidē expressam de Christo?

An Cornelius antequam aperiret cum Petro fuerit justificatus?

Dubia, quæ excitat Amicus, videntur fundamento carere, nec posse meliùs impugnari, quam textum ipsum attentis oculis interlegendo. Legat igitur curiosus Lector totum Caput; ego autem excerpam magis necessarias periodos, & breviter dilucidabo. Lucas igitur (hic enim hunc librum scripsit Græcè Romæ anno Christi 61. ut ex Baronio, Sixto Senensi, Boverio, Iod. Cocc. & aliis statuit meus in Christo & Maria amicissimus & charissimus Dominus Carolus de Thomasiis ex Duce Palmæ Clericus Regularis in Appendice Isagogica ad Quòdlibeta pag. 353.) historiam narraturus, sic infit. *Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* Italica est Civitas Provinciæ Beticæ in Hispania, unde Flavius Dexter, & ejus Commentator Vivarius

1761 *Libri, qui Actus Apostolorum dicitur, Lucas fuit Author. quādo? ubi?*

Italica civitas.

An Cornelius fuerit Hiſpanus?

rius Cornelium hunc Hiſpanum fuiſſe affirmant. Orabat ſemper, juxta illud, *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* Nam milites pii orando pugnant, & pugnando orant : optimè enim orat, qui benè vivit. Hic non erat Chriſtianus, ſed Gentilis, non idololatra, ſed unicum Deum colens & venerans. Et ſanè ſiquidem à Sancto Luca dicitur religioſus & timens Deum, & Deum deprecans ſemper, antequam Chriſtum & Petrum ſciret, erat juſtus : hoc videtur clariſſimum : quod adfirmat Angeli apparitio, nam Angeli peccatoribus apparere non ſolent. Adfirmat præterea vox illa cæleſtis dicens Petro, *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Ergo antequam Petrum cognoſceret Cornelius, erat divinitùs purificatus.

An fuerit Sanctus?

An tunc erat promulgatũ Evangeliũ?

Evangelium jam erat promulgatum non ſolùm ad Hebræos ſed ad Græcos : unde *cap.* 6. 1. legitur, *In diebus illis creſcente numero Diſcipulorum factum eſt murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* Iam erat rigata nova plantatio Stephani fertiliſſimo ſanguine *cap.*7. Iam Paulus ex perſecutore Apoſtolus concionabatur Damaſci. *cap.*9.29. Petrus jam claruerat ſtupendis miraculis Liddæ & Ioppæ : certum eſt ergo ſatis jam fuiſſe promulgatum Evangelium & obligare omnes, quos invincibilis ignorantia per accidens non excuſaret.

An Cornelius expreſſam fidem Trinitatis & Incarnationis habuerit?

Cornelium antequam inſtitueretur à Petro habuiſſe implicitam fidem de Chriſto, ut ait Magiſter & D.Thomas ab Amico citati conſtat ex *num.* 36. ait enim Petrus, *Vos ſcitis, quod factum eſt verbum per univerſam Iudæam,* &c. Ergo explicitè docet & oſtendit Petrus, quem Cornelius & cæteri non niſi confusè cognoſcebant : ſi enim ſcirent explicitè non indigerent inſtructione. Non habuiſſe eumdem explicitam Incarnationis & Trinitatis fidem quoad ſubſtantiam, ut vult Amicus demonſtrari potiùs videtur, quàm probari. Primò enim erat homo militaris, non Philoſophus, neſciebat igitur harum vocum *Naturæ* & *Hypoſtaſis* rigoroſam ſignificationem, ſine qua illa intelligere Myſteria impoſſibile eſt. Et huc revertitur ratio prima. Secundò erat Gentilis, non idololatra, ſed Deum unicum colens. Conſtat hoc ex mentis exceſſu & ecſtaſi, quæ *num.*10. recenſetur : item ex verbis Petri quæ *num.*28. leguntur : conſtat tandem ex verbis eorum qui erant Hieroſolymis ex circumciſione fideles ; diſceptabant enim adversùs Petrum dicentes, *Quare introiſti ad viros præputium habentes*, &c. ita *cap.*11. 3. Tertiò, ſi ſtemus nudo textui, nequidem Petrus illum ita inſtruxit, ut explicitam horum Myſteriorum fidem haberet. Legatur *cap.*10. *à verſ.*34. *ad* 43. & non invenietur expreſſa horum duorum Myſteriorum manifeſtatio. Non Incarnationis : nam licèt Chriſtus dicatur unctus Spiritu-Sancto *num.* 38. & judex vivorum & mortuorum, *num.*42. tamen nullibi expreſsè nominatur *Deus.* Ergo Incarnationis Myſterium Petrus non docuit Cornelium expreſsè. Sed neque Myſterium Trinitatis, nam in tota illa inſtructione Deum eſſe unum in natura, & trinum in perſonis non

1762

An poſtquam baptizatus eſt, adquiſierit notitiam horum Myſteriorum expreſſam?

habetur. Et cur Petrus horum duorum Myſteriorum expreſſam doctrinam non docuit? quia voluit Petrus non docendo docere. Miſſus eſt à Deo, ut Cornelium inſtrueret, illúmque inſtruendo, nos quid debeat ſciri, ut ſalvemur, docere. Non venit ad Philoſophicas ſubtilitates, ſine quibus haberi non poteſt expreſſa horum Myſteriorum notitia ; hæc enim neceſſitate medii neceſſaria non erat : quia implicita, qualem docuerat, & hodie plerique Catholici habent, videbatur ad ſalutem ſufficere. Quod confirmavit prodigio Deus *num.*44. quoniam adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus-Sanctus ſuper omnes, qui audiebant. Vnde *num.* 48. baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu Chriſti : hoc eſt, prout inſtituit D. N. Ieſus-Chriſtus.

Cur Petrus non docuerit Cornelium ſubtilitates Philoſophicas de nominibus Natura & Perſona?

Tertia ratio conformatur hoc modo. Ad juſtificationem ſufficit dilectio Dei ut finis ſupernaturalis. Sed hæc haberi poteſt ſine explicita Trinitatis & Incarnationis notitia. Ergo ſine hac poterit homo ſalvari. Hæc igitur medii neceſſitate non requiritur. Major eſt certa : minor clara : ergo ſtat conſequentia. 1763

Quid ad juſtificationem requiratur?

Confirmatur primò. Decalogus eſt res facti: eſt lex liberè lata à Deo, ſaltem quoad omnem ſecundam Tabulam, & præcepta poſitiva primæ. Ergo non repugnat præcepta hæc libera invincibiliter ignorari. Sed, qui illa ignoraret invincibiliter, non peccaret mortaliter illa violando. Ergo condemnari in æternum non poſſet, etſi Trinitatem & Incarnationem neſciret.

An Decalogus ſit lex liberè lata?

Confirmatur ſecundò. Etſi ponamus Decalogum ignorari non poſſe, non repugnat aliquem cum ſolo auxilio interioris gratiæ illum ſervare : ergo non repugnat aliquem ſine Trinitatis & Incarnationis notitia ſalvari : nemo enim condemnatur ad infernum ſine peccato lethali actuali. Et qui ſervat Decalogum, amat Deum ſuper omnia (hoc enim primum præceptum jubet) & qui Deum amat ſuper omnia, ſalvabitur.

An ſine Trinitatis & Incarnationis notitia Decalogus ſervari poſſit?

Confirmatur tertiò. Quia etſi peccet, (putà, occidendo, fornicando, furando) qui invincibiliter Chriſtum & Trinitatem ignorat, non caret idcirco remedio ; poteſt enim converti ad Deum per virtutem moralem pœnitentiæ, & reſipiſcere, & Deus dabit auxilium ut actum contritionis eliciat, nam illud promiſit per Ezechielem 18. 21. dicens : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor, in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.* Hac authoritate utitur Pater Acacius *jam citatus*, qui reſolvit difficultatem dicens, *Aunque no ſe pue de tener la predicacion cada hora* (adeo nec Chriſti & Trinitatis notitia) *cada hora ſe puede el hombre arrepentir de ſus peccados, y occaſionar à que Dios ſe olvide dellos.*

An ſine horũ duorum Myſteriorum notitia virtus moralis illa pœnitentiæ, quæ ſacramẽtalis non eſt, vera eſſe poſſit?

Reſpondet Amicus *num.* 48. concedendo majorem & negando minorem. Et cur? quia ex vi præſentis decreti ſtatuit Deus nemini gratiam juſtificantem conferre, niſi explicita Chriſti & Trinitatis fides præceſſerit. Et unde ſcit hoc ſtatuiſſe Deum? quia aliàs ſua Reſolutio eſſet falſa. Magnum inconveniens profecto! 1764

Divina decreta non debent aſſeri aut multiplicari ſine cauſa.

fecto! Repono Ego divina decreta non debere multiplicari ſine cauſa : & hîc nec ſacræ Scripturæ textum, nec rationem efficacem video, ob quam illud decretum aſſeratur. Ergo non eſt tale decretum. Imò ſi comminiſci nova decreta liceat, dicam Deum ex vi præſentis decreti ſtatuiſſe, facienti quod in ſe eſt, dare ulteriora auxilia, etſi Trinitatis & Incarnationis expreſſam notitiam non habeat: quia aliàs, ut ſuperiùs dicebamus, nemo eſſet capax æternæ beatitudinis, qui non eſſet Philoſophus : ac per conſequens plerique omnes Iuriſperiti, Cives, Principes, & fœminæ condemnarentur : quod eſt abſurdum.

1765
An poſſit invincibiliter ignorari Decalogus?

Prima confirmatio videtur ſolutione carere : nam licèt multi dicant Decalogum non eſſe legem liberam, tamen hi ipſi hoc non dicunt ut certum, ſed ut probabile. Imò ex hypotheſi, quòd neceſſariò latus ſit, etiam potrit ſecundum multa aut omnia capita ab aliquo in ſylvis nutrito invincibiliter ignorari.

1766
Quid de illo fieret, qui nutritur in ſylva totam naturæ legem ſervare?

Ad ſecundam reſpondet P. Amicus *num.* 49. ſi quis cum auxilio interioris gratiæ ſervaret totam legem naturæ, ex fidelitate teneri Deum, vel per internam illuminationem vel per externam prædicationem illam inſtruere, ut docet S. Thomas in 3. diſt. 25. q. 2. art. 2. ad 2. quæſt. quo fit, ut qui ſine fide explicita Chriſti invincibiliter ignorata damnatur, non damnetur ob defectum fidei; ſed ob alia peccata perſonalia commiſſa contra legem naturæ. Non enim affirmat Amicus poſſe aliquem pœnitere aut diligere Deum ut finem ſupernaturalem, & nihilominus ei gratiam juſtificationis denegari ob defectum fidei explicitæ in Chriſtum ; nam cùm promiſſum ſit peccatori, in quacumque hora ingemuerit, fore exaudiendum, non ſine temeritate diceretur ad contritionem non remitti peccatum, ſed potiùs aſſerit non conferri à Deo auxilia ad contritionem neceſſaria, niſi præcedat explicita fides Chriſti, quam Deus non denegat, qui voluerit ipſius gratiæ cooperari.

Quacumque horâ poteſt peccator ad Deum converti.

1767
Quomodo poſſit barbarus à peccato originali liberari? quomodo ab actuali?

Ecce tota Amici ſolutio conſiſtit in libero decreto Dei. Sed unde ſcit dari tale decretum in Deo? quia aliàs ſua opinio eſſet falſa. At ego nego dari tale decretum, adeóque non repugnare ut qui Incarnationis & Trinitatis fide explicitâ careat, gratiæ auxilia recipiat, per actum amoris ſupernaturalis à peccato originali liberetur, & per contritionem perfectam ab actuali, & tandem ad Empyreum perveniat. Nam hoc eſſe poſſibile Amicus ſtatuit : at eſſe aliquando (*jure*) negat Amicus ob decretum, quod ponit, & tamen non probat. Sed nos decretum illud ipſum negamus.

Vt Amicum impugnem, relegam illa ipſius verba. *Cùm promiſſum fuerit peccatori, in quacumque hora ingemuerit, fore exaudiendum, non ſine temeritate diceretur, ad contritionem non remitti peccatum*, &c. Et aperiam doctiſſimi Acacii March de Velaſco, Summam, & 1. *part. verbo* Fê. *reſol.* 329. *num.* 10. noſtram illum habere & tueri opinionem, & pro illa Canum *de Sacram. part.* 2. *quæſt.* 2. *concl.* 1. Arragoniúmque 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. citare, notabo, & hæc verba exſcribam, [*La Fê explicita de Chriſto, communmente hablando, no ſe puede tener ſin Pradicador, ſegun lo que* ad Roman. 10. *dixo S. Pablo.* Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? *y aunque no ſe puede tener la predicacion cada hora, pero cada hora ſe puede arrepentir el hombre de ſus peccados, y occaſionar a Dios, que ſe olvide dellos, como lo ofrece por Ezechiel* cap. 18. *diciendo.* Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. *Y es averiguado, que ſe puede dar ignorancia invencibile de los articulos de la Fê por breve tienpo, como diçe Villalobos* part. 2. tractat. 1. diff. 3. num. 6. *y muchos otros.*] Quæ verba continent rationem fortiſſimam, quæ poteſt ad hanc formam reduci.

Niſi miraculosè concurrat Deus fidē expreſſam ſine extrinſeco Prædicatore ſeu Magiſtro nemo adquiret.

Non poteſt homo, quâ horâ vult habere Magiſtros & Prædicatores. Poteſt invincibiliter neſcire Myſteria fidei.

Homo in ſylvis nutritus, in quibus nulla eſt Chriſtianorum notitia, quacumque hora poteſt ingemiſcere, & veniam ſuarum culparum implorare. Quod ſi fecerit, exaudiet illum Deus, ſicut promiſit. At ille Myſteria Chriſtianæ Religionis ignorat, & quacumque hora velit, non poteſt habere prædicatorem. Ergo ſine Chriſtianæ Religionis notitia poteſt converti ad Deum & ſuorum peccatorum veniam & miſericordiam impetrare.

Et quacumque hora ad Deum converti.

1768
An & unde obligationem habeat Deus dandi Concionatores?

Hinc patet tertiam etiam confirmationem eſſe fortiſſimam, & ab Adverſariis non elidi.

Porrò in ſylvis nutritum, aut alibi, qui ex gratiæ auxilio ſervaret ea præcepta Decalogi, quæ eſſe obligatoria cognoſceret (nam, ut diximus, hic pro illo ſtatu multarum invincibilium ignorantiarum eſſet capax) non teneretur Deus aut per internam illuminationem, aut per extrinſecam Prædicatoris inſtructionem docere Trinitatis & Incarnationis Myſteria, ita ut ille haberet notitiam & fidem explicitam. Quis enim Deo hanc obligationem impoſuit? Fidelitas, inquit Amicus. Sanè, ſi Deus promiſit, faciet : at ubi hoc promiſit? Ille homo in caſu, ſiquidem Decalogum ex gratia Dei cooperante ſervaviſſe ſupponitur : ſervaverit primum præceptum. Amavit igitur Deum ſuper omnia. Ergo haberet charitatem & gratiam : ergo ſpem & fidem, ſine quibus non infunditur charitas. Hæc fides Deum ut exiſtentem & ut bonum adeóque ut remuneratorem attingeret, & per illam hunc actum homo ille eliceret, *Quidquid Deus, qui verax, bonus, & remunerator eſt, dixerit, credo : revelationes ejus, quæ creaturis ut verbis exprimuntur, credo : cæteras, cùm ſcivero, credam.* Ecce hîc implicitè omnia clauduntur, & etiam ipſemet Baptiſmus in implicito voto.

Deus loquitur verbis & ſignis. Creaturæ ſunt ſigna, per quæ interdū Deus loquitur.

1769
Aliud eſt idioma humanū, aliud Angelicum, aliud divinum.

DEbeo credere Deo, ſive Hebraïcè, ſive Græcè loquatur : explicitè, ſi illum intelligam; implicitè, ſi non intelligam. Loquitur verbis, loquitur ſignis : & ſicut voces ſunt lingua hominū, & conceptus ſunt lingua Angelorum, prodigia & miracula ſunt lingua Dei : imò etiam curſus rerum naturalium eſt lingua. Recipio Epiſtolam, characterum cognoſco formas, manum ſcio, & antequam ſubſcriptionem legam, ex Solis ſtyli ductibus cognoſco Authorem. Converto oculos ad cæli paginam : tot in illa ſunt literæ quot ſtellæ, tot ſyllabæ quot aſtra, omnia tacitè mihi loquuntur, aut veriùs per ſingula mihi loquitur Deus, unde Pſaltes, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum.*

An Cæli & Stellæ loquātur?

Firmamentum. Cæli ergo ſunt certiſſimi Concionatores, qui mihi diu noctu inceſſabili voce proclamant, *Deus eſt.* Cæli ergo, ſunt lingua Dei, per quos mihi ille dicit, *Ego ſum, qui ſum.* Quando Deus nobis loquitur per verba, noſtræ ſe tenuitati attemperat, & humanâ utitur linguâ, ut intelligatur humanitùs. Sic iterum & iterum loquutus eſt Pater æternus, *Matth.* 3. & 17. dicens, *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Quando autem nobis loquitur per interiorem illuminationem, utitur linguâ Angelicâ; &, quia animam habemus rationalem & Angelo in plurimis ſimilem, Angelicam linguam nos docet, neceſſarias infundendo notitias. Quando verò loquitur per omnipotentiam, per mundi creationem, per prodigia & miracula, tunc loquitur nobis ut Deus, ſed verè loquitur.

Quãdo Deus loquatur humanitùs?

Quando angelitùs?

Quando divinitùs?

1770 Legantur PP. in Declamationibus Evangelicis, quibus Chriſti Domini Nativitatem, Epiphaniam, Paſſionem, & Reſurrectionem dilucidant. Audi S. Leonem Papam *ſerm.* 2. *de Epiphan.* ſcitiſſimè & eloquentiſſimè perorantem. *Jam tunc*, inquit, *Cæli enarraverunt gloriam Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exivit, quando paſtoribus exercitus Angelorum annunciator apparuit; & Magos ad eum adorandum prævia ſtella perduxit*, &c. Ergo quod erga paſtores Angeli, hoc erga Magos ſtella præſtitit. Illi Concionatores divinitùs miſſi fuerunt: ergo & hæc quædam fuit Concionatrix. Sed ſubjungit. *Annunciatum cælitùs* (nempe, per ſtellam) *dominatoris ortum, inſignior ubique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum diligentiorémque faciebat, & ſuperna ſignificationis novitas, & cruentiſſimi perſecutoris impietas*, &c. Nota illa verba, *annunciatum cælitùs*, & *ſuperna ſignificationis novitas.* Stella ergo character erat ſupernâ ſignificatione præditus, per quem ut per Tabulam ſcriptam Chriſtus Dominus cælitùs annunciabatur. Deus igitur per cælos & ſtellas loquitur.

Chriſtum paſtoribus Angelus, Magis ſtella prædicat.

1771 Sanctus Gregorius Papa *homil.* 10. *in Evang.* multò uberiùs. *Judæis*, inquit, *tanquam rationale Animal, id eſt, Angelus prædicare debuit; Gentiles verò, quia uti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna perducuntur.* Vocat Angelum rationale animal, vel quia ſuo ævo non erat tam explorata Angelorum eſſentia, quàm nunc: vel quia voces laxiùs accipit, quàm nos, ita ut *rationalis animalis* nomine intellectuale vivens intelligat. Interim Angelum cum ſtella componit, ut ſciamus Judæis Deum per Angelum loquutum fuiſſe linguâ humanâ, Gentilibus per ſtellam linguâ divinâ: ſolus enim poteſt ſtellas producere Deus. Et mox Sanctus Pontifex Prophetias & miracula componit, aitque. *Per Paulum dicitur, Prophetiæ fidelibus datæ ſunt, non infidelibus; ſigna autem infidelibus non fidelibus*, &c. Sanè Prophetiæ etiam prodigia ſunt, & pertinent ad linguam divinam: unde in Iob legitur. *Dicite, quæ futura ſunt, & dicemus, quod Dii eſtis vos.* Ergo ſicut per Prophetias Deus ſe eſſe omniſcientem aſſerit & oſtendit: ſic per ſigna & prodigia, ſe eſſe omnipotentem, teſtatur, & evidentiâ oculari demonſtrat. Paulò poſt ſtellam componit cum Apoſtolis, ut oſtendat illorum hanc ſubiiſſe officium, & Chriſtum Dominum Gentibus prædicaſſe. Pulchra mihi videntur verba hæc. *Notandum, quòd Redemptorem noſtrum, cùm jam perfectæ eſſet ætatis, eiſdem Gentilibus Apoſtoli prædicant; eúmque parvulum & nec dum per humani corporis officium loquentem, ſtella Gentibus denunciat*, &c. Ecce ſtella Dei loquentis fuit nuncius. Poſteà ad omnes creaturas convertens oculos, omnes loquentes audit, & quid dicant exponit. *In omnibus ſignis*, ait, *quæ vel naſcente Domino, vel moriente eo monſtrata ſunt, conſiderandum nobis eſt, quanta fuerit in quorumdam Judæorum corde duritia, qui hunc nec per Prophetiæ donum, nec per miracula agnoverunt. Omnia quippe elementa Authorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Vt enim de eis quiddam uſu humano loquar: Deum hunc cæli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia intenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt; & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.* Ecce per elementa Deus Chriſtum in mundum veniſſe teſtatur, ſingula ſentiunt & agnoſcunt (ad energiam vocis Hebraïcæ *Hiphil*, annunciant, teſtantur; faciunt ut ſentiamus, & cognoſcamus) Hominis-Dei præſentiam.

An Angelus ſit animal rationale?

Prophetiæ atque ac miracula pertinèt ad linguam Dei.

Stella Dei legatus & nũcius.

Prædicant Elementa. Cæli. Stellæ. Mare. Terra. Sol. Saxa & Lapides. Infernus, & tamen Iudæi non convertuntur.

Hebræorum Hiphil.

Moriente Chriſto velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo deorſum: terræ motus univerſalis ſupervenit, & ſaxa totius montis ſunt ſciſſa. Et totus iſte fragor fuit vox æterni Patris divino idiomate loquentis & dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus.* Et oſtenditur, quia Centurio, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, loquentem Deum ſunt venerati, ejus teſtimonium intellexerunt & crediderunt exclamantes, *Verè filius Dei erat iſte.* Et quidem etiamnum per tonitrua fulmina & terræmotus loquitur Deus, & peccatores monet, ut ad ſe convertantur, unde Pſaltes, *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam.*

1772 *Matt.* 27. 51. *Deum per prodigia & miracula in Calvario loquentem, audivit & intellexit Centurio.*

Sed cur plura in materia tam certa? Addam nihilominus unam periodum. *Illi* (Apoſtoli) *profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Apoſtolorum doctrinam confirmabat Dominus. Sed quo illam modo confirmaret, ſi uteretur vocibus & loqueretur linguâ humanâ? dicens, *Hæc eſt mea doctrina, ipſam audite, ipſam tenete & credite.* Idem igitur dicit, quando facit miracula, & prodigiis Catholicam Religionem confirmat. Ergo expellere Dæmones, loqui linguis ignotis, erigere claudos, illuminare cæcos, ſuſcitare mortuos, &c. ſunt ſigna ſignificativa, quæ ad idioma divinum ſpectant, nam per illa loquitur Deus, & ſermonem Apoſtolorum confirmat, aitque, *Doctrinam Eccleſiæ Romanæ eſſe veram.*

Matth. 16.

Quomodo Deus Apoſtolicam doctrinam confirmet.

An

An sit omninò certum necessitate medii requiri, ut credat homo Deum esse, & hunc remuneratorem esse?

1773 *De eo qui invincibiliter ignoret Deũ remuneratorem esse.*

SI per Authores liceat, ratio non urget: verba enim Pauli non videntur tantam necessitatem inferre. Et propono duos casus. sit

Primus. Ternebus eò mentis acie penetravit, ut Deum esse cognoscerct: magistro caruit: adeóque nescivit, An Deus aliquid hominibus revelaverit, aut non: nescivit, an Deus aliquid promiserit, aut non: adeóque nihil de gloria Cælitum, nihil de damnatorum pœnis scivit. Iste igitur Deum esse scivit, non credidit: vel, quia scientia & fides simul esse non possunt: vel, quia nihil audivit unquam de aliqua revelatione divina. Iste autem Deum esse remuneratorem, nec fide, nec scientiâ cognovit. Interim cognoscens Deum, adjutus divinæ gratiæ auxilio, illum supernaturaliter amat, amore nimirum perfecto, qui ad justificationem sufficiat. Casus est possibilis: nam suppositus non inferet duas contradictorias simul veras. Moriatur ergo Ternebus post hunc actum amoris: quò ibit? Ad infernum? non. Ergo salvabitur, quin Deum esse, & remuneratorem esse crediderit.

An possit amare Deum super omnia, & salvari?

De baptizato, qui in Atheismo educetur.

Secundus est fortior. Sit infans Antonius baptizatus: excurrunt barbari: illum capiunt, in sylvam inferunt, & inter bestias nutriunt, nec illi verbum loquuntur de Deo: inde resultet Antonium, etiam quando usum rationis habet, insuperabiliter nescire Deum: interim vivit benè moraliter, & nullum peccatum committit [nullum inquam, vel quia qui ex ignorantia invincibili est Atheus, nullum potest committere peccatum: nam non habet in quem: vel saltem, quia intra prudentiæ terminos se continuit, & nihil fecit, quod vetuerit Decalogus.] moritur tandem. Sed quò ibit? Fidem, Spem, Charitatem, & Gratiam in Baptismo adquisivit: illas posteà non perdidit, & tamen nihil de facto credidit; imò nihil de existentia Dei scivit.

An invincibiliter Atheus peccare possit?

An salvari?

An doctrina nostra sit probabilior, sed non certa?

Huc respicientes Romæ, Theologi Ordinis Clericorum Regularium, apud S. Andræam de Valle anno 1655. mense Octobri propugnarunt hanc Thesim.

Cùm Fides sit simpliciter necessaria utraque necessitate: asserimus probabilius fidelem necessitate præcepti affirmativi debere credere explicitè omnia Mysteria, quæ continentur in Symbolo Apostolorum: necessitate verò medii probabilius etiam credere, quòd Deus sit, & quòd remunerator sit.

Nota benè. *Probabilius* dicunt, ergo oppositum putant esse probabile.

Quænam credenda sint necessitate præcepti?

1774 *Ab omni præcepto excusat ignorantia invincibilis.*

POstquam ostendimus, quænam credenda sint necessitate medii, ad ea quæ necessitate præcepti requiruntur, transeamus.

Quæ necessitate præcepti requiruntur, si invincibiliter ignorentur, non obligant: ab omni enim præcepto excusat ignorantia invincibilis.

Quæ præcipiat Ecclesia?

Oratio Dominica, Symbolum Apostolicum, & Salutatio Angelica, itémque Signum Crucis, debent sciri memoriter ex præcepto Ecclesiæ. Hoc præceptum tenent Sylvester & Barbosa *part.* 3. *num.* 27. sub peccato obligare lethifero, adeóque non esse absolvendos, qui culpabiliter illa ignorant: nec sufficere verecundia, ut excusentur: putà, si quis sit senior, & ex pudore non audeat interrogare, & addiscere. Sed, si hæc sententia esset vera, quàm multi passim condemnarentur. Navarrus, satis aliàs scrupulosus & severus, Lopez; Sanchez, & Busenbaum *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1. benè docent consuetudinem esse Legum interpretem, & ex consuetudine constare hanc obligationem non esse gravem. Ergo memoriter hæc scire nemo sub mortali tenetur.

An sub gravi peccato?

1775 *Quid importent hæc omnia quoad substantiã?*

At sciri singula oportet quoad substantiam. Scit quoad substantiam Orationem Dominicam, qui omnia bona esse à Deo petenda non ignorat. Scit quoad substantiam Orationem Angelicam, qui orat Angelorum Reginam ut pro se & proximo apud Deum intercedat. Scit quoad substantiam symbolum, qui rogatus de singulis benè respondet. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. Busenbaum *loc. cit.* Bonacina, & alii. Et eodem modo de Decalogo, Ecclesiæ præceptis, & Sacramentis necessariis philosophare.

Ignorantia vincibilis est virtualiter scientia: non excusat: quo debeat modo confiteri, qui ex culpabili ignorantia peccavit?

Ignorantia vincibilis est virtualiter scientia, adeóque qui ex ignorantia vincibili labitur in mollitiem, verbi gratiâ, eodem modo peccat, ac si illa ignorantia careret. Quamobrem non tenetur confiteri ignorantiam, sed satisfacit dicens, *Pollutus sum.* Ita Bassæus *tomo* 2. *verb. Ignorantia.* Et hîc obiter notandum est etiam peccare, qui ex ignorantia vincibili est in proximo peccandi periculo, etsi peccatum illud non committat de facto: nam, *qui amat periculum, peribit in illo:* interim semper distingui debet periculum proximum à remoto.

1776 *An ignoret invincibiliter, qui magistros non habet? An sint multi valde rudes & incapaces, ut symbolum, &c. addiscant?*

Non ignorat crassè & vincibiliter, qui non habuit magistrum: sunt enim in misera Germania multa oppida sine Pastore. Nec ille, qui nimis est rudis, & non potest comprehendere aut retinere, quæ à Magistro dicuntur. Et esse multos tales docent Azorius, Busenbaum, & Becanus: sunt qui contradicant, at hos existimo experientiâ carere, nam Ego, ut populus meus doctrinam orthodoxam sciat, summam diligentiam adhibeo, & tamen in aliquibus pueris & senibus magnam sæpè, non solùm ignorantiam, sed incapacitatem reperio.

An, qui ignorant necessaria, absolvi possint?

Qui ignorant necessaria, possunt absolvi: licèt enim illa non addiscendo peccaverint, si doleant, & se addiscere proponant, sunt benè dispositi. Ita Busenbaum & Sanchez. Scitè hîc notant Bonacina *d.* 3. *quæst.* 2. *part.* 2. & Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 21. quod debent instrui ante absolutionem, si ignorent ea, quæ necessitate medii requiruntur. At nobis casus hic videtur impossibilis; nam qui ad Cõfessionem accedit credit Deum esse, & remuneratorem esse, & cum Paulo nihil aliud necessitate medii exigimus. Sanè credit Deum esse,

An ire ad Cõfessionem possit, qui illã, qua necessitate medii requiruntur, ignoret?

nam si nullus est, in quem peccavit, cur de peccatis dolet? & credit etiam hunc Deum remuneratorem esse, si enim nec datur cælum pro bonis, nec infernus pro malis, cur luget, cur timet, cur veniam orat, & vult pœnitentiam subire?

1777 *An Parochus teneatur suos docere? quæ? & quo onere?*

Parochus tenetur sub mortali suos per se, vel per alium docere subditos illa, quæ hi tenentur scire sub mortali. Ita Sanchez 2. *mor. cap.* 3. Trull. *lib.* 2. *cap.* 1. Busenbaum *l. c.* Filliucius, Coninck, & omnes. An & tenebitur sub mortali docere, quæ subditi scire sub veniali tenentur? Ex natura rei non videtur tam strictè teneri. Ergo à præcepto Ecclesiæ resolutio dependet. Aio posse Ecclesiam præcipere Parocho sub mortali, ut doceat illa, ad quæ subditi tenentur sub veniali. An-ne sub tanto rigore jusserit? Erit consuetudo examinanda, & Theologi doctiores audiendi.

Crede in Devm.

1778 *Quomodo* Credere Deo, Deum, & in Deum *distinguantur?*

EXaminant Theologi hæc tria, *Credo Deo, Credo Deum*, & *Credo in Deum*, & non coïncidere meritò dicunt. Sanè *Credere Deo*, est assensum divinis revelationibus præbere: *Credere Deum*, est credere, quòd Deus sit: *Credere in Deum*, credere quod ultimus finis & bonorum remunerator sit. Credere in Deum, est credere practicè; credere fide vivâ; servare Decalogum, quia fides sine operibus mortua est.

Hi tres actus non distinguuntur realiter, sed formaliter extrinsecùs penes diversa connotata: qui enim credit in Deum, etiam per eumdem actum credit Deum esse, & credit Deo revelanti.

De Fide. Quid sit?

1779 *Fidei definitio.*

APostolus *cap.* 11. *ad Hebræos*, hanc tradit definitionem Fidei. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Vocat illam *substantiam*, non quod sit quædam forma substantialis, ad substantiæ prædicamentum spectans; sed quod sit fundamentum omnium, quæ in Empyreo speramus. Sic hanc vocem intellexit Ambrosius *lib. de Cain & Abel*, ubi sic. *Fides est radix & fundamentum omnium virtutum:* & ideò illam *lib. de Fide ad Petrum* vocat *nostræ salutis initium:* nam sine fide impossibile est placere Deo, ut S. Paulus *ad Hebræos* 6. scribit. Fidem etiam appellat *argumentum:* non quod Fides sit discursiva formaliter: sed quod virtualiter: non enim est reverà discursiva, at nihilominus tantâ, imò majori securitate ac certitudine, veritatem attingit, ac si esset demonstrativa & apodictica. Hæc definitio convenit fidei informi & informatæ asserente D. Thoma 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 1. eadem enim fides, si absit charitas, informis dicitur; si adsit, formata.

Cur dicatur substantia?

An virtutū sit radix & fundamentum? an initium?

An Fides sit argumentū? an argumentativa?

Fidei formatæ & informis distinctio.

1780 *Quid sit Fides?*

Theologi, ut meliùs rem exponant, ita fidem circumscribunt, *Fides est virtus Theologica, à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei authoritatem his, quæ sunt à Deo revelata, & ab Ecclesia proposita ut à nobis credantur.* Verba singula dilucidemus.

Est *Virtus Theologica*] S. Thomas *quæst.* 14. *de Veritate. art.* 3. *ad* 9. & *quæst. unic. de Virtutibus. art.* 12. & *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. & sæpè alibi ait, *Fides neque est virtus intellectualis* (ordinis naturalis physici) *neque moralis* (ordinis naturalis ethici) *sed est virtus Theologica* (ordinis supernaturalis Deū objectum habentis.) Est *virtus*, quia inclinat ad bonum, & se habet per modum habitûs, difficulter enim à subjecto removetur; *Theologica* quia habet Deum inadæquatè ut objectum materiale, & adæquatè ut objectum formale. Scio S. Doctorem aliquando dicere fidem informem non esse virtutem, hoc autem non debet ita intelligi, ut non sit vera virtus, sed ut non sit perfecta, ita 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 2. ubi dicit, *Non pertingit ad perfectam virtutis rationem.* videlicet, *ratione cujus promptè & delectabiliter operatur, & elicit actum simpliciter perfectum, ordinatum ad finem supernaturalem simpliciter ultimum & meritorium præmii supernaturalis*, de quo S. Doctor 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 7.

An sit virtus intellectualis? an moralis? an theologica?

Quid sit esse virtutem? Quid esse Theologicā?

An Fides informis sit vera virtus?

A Deo infusa.] sic dicitur; quia non adquiritur actibus humanis. Quæstio, quæ inquirit, An creetur, an verò educatur? multum habet de nomine; sicut omnes aliæ, quæ eductionem formarum concernunt; nam quam *inductionem* deberent, *eductionem* communiter vocant. Si admittatur universale reale, salva res est; forma quà universalis creatur, quà singularis educitur: educi solùm pertinet ad formas latentes sicut ad figuram, quæ educitur diminutione partium superfluarum in lapide, quam fortè solam videtur cognovisse Aristoteles.

1781 *An Fides creetur? an educatur?*

An forma universales educantur? quid educi sit?

Per quam firmiter assentimur.] In hoc fides distinguitur ab Opinione, & convenit cum Scientia; Opinio enim assentitur cum formidine: unde æquè est hæreticus, qui dicit articulos Fidei esse incertos & dubios, quàm qui dicit esse falsos; quia Fides nullum dubium admittit.

Fidei à scientia & Opinione distinctio.

An dubitans de rebus Fidei sit hæreticus.

Ob Dei authoritatem, his, quæ à Deo sunt revelata.] Per hæc verba Fides divina à scientia naturali aut etiam supernaturali distinguitur: nam Scientia præmissis per se notis & discursui, Fides divinæ revelationi innititur.

Dei revelatio.

Et ab Ecclesia proposita, ut à nobis credantur.] Hæc verba adduntur, ut Ecclesiæ authoritas cognoscatur; Libri enim Canonici, quos ut tales admittit & legit Ecclesia; Traditiones Apostolicæ; Generalium Conciliorum Definitiones; & Summorum Pontificum Declarationes toti Ecclesiæ ut credendæ propositæ, sunt de fide: privatæ autem Revelationes, quales sunt S. Brigittæ, etsi ab Ecclesia tolerentur, aut etiam approbari dicantur, quamdiu non proponuntur ut fide orthodoxa credendæ, non sunt de fide: non quod privata revelatio, si certa sit, non sit de fide; sed quod illa videatur tantùm esse probabilis, quamdiu ut fide tenenda non proponitur à Summo Pontifice. Vnde privatæ Revelationes, etsi à Censoribus Romanis approbentur, & honorificâ censurâ decorentur, & etiam Romæ imprimantur, habent historicam authoritatem, nihilque contra fidem & mores, non autem certitudinem fidei divinæ. Et quia S. Brigittæ Revelationes in exemplum posuimus,

1782 *Ecclesiæ authoritas.*

An privatæ revelationes sint de fide?

De S. Brigittæ revelationib.

poſuimus, notandum eſt, aliquas eſſe valdè obſcuras, multas ex lingua Suecica in Latinam tranſlatas, & multorum ſenſuum capaces. Et Cenſores Romanos non reſpexiſſe textum Suecicum ſed Latinum; neque hunc ſecundùm omnem ſuam latitudinem, ſed ſecundùm Cardinalis de Turrecremata expoſitionem approbaſſe: unde, ſi illas eras aliquis aliter interpretetur, hæc altera interpretatio debebit iterum recognoſci, & novo ſtudio & labore examinari.

1783 *De S. Auguſtini teſtimoniis, quæ à Conciliis ſunt Canonica facta.*

Similiter loquar de S. Auguſtini teſtimoniis, quæ poſt alia Concilia Canonica fecit Tridentinum, illa ſunt de fide illo ſenſu, quo illa Canonica fecere Generalia Concilia; eodem ſenſu loquutum Auguſtinum piè credimus, & temeritatis incriminabimur, qui oppoſitum ſenſerit: cæterùm, ſi illa aliter quàm Concilia accipiunt vel exponunt, aliquis explicare contendat, hæc explicatio non erit de fide: imò ſi ſit contra expoſitionem Generalis Concilii, hæc explicatio erit contra fidem. Et hinc ſatisfit Luthero & Calvino, qui Auguſtini teſtimoniis abutuntur.

De Lutheri & Calvini Auguſtino.

De Infidelitate.

1784 *Infidelitatis diviſio.*

IN contradictoriam & contrariam dividitur. Contrariam habent, qui fidem ſufficienter propoſitam contemnunt, aſſentientes, ubi diſſentire jubentur; diſſentientéſque, ubi deberent aſſentiri. Contradictoria conſiſtit in ignorantia culpabili circa res fidei. Et quia ignorantia culpabilis, virtualiter eſt ſcientia, non credere ex ignorantia culpabili, & decredere ex malitia moraliter non diſtinguuntur. Hanc ignorantiam Theologi appellant *Privativam*, quod non ſit ſimplex fidei carentia, ſed carentia cum privatione morali, hoc eſt, cum credendi capacitate & debito.

Ignorantia in ſenſu virtuali, ſi vincibilis eſt, non eſt carentia, ſed eſt forma: quia eſt ſciëtia virtualiter.

[Vt dicta intelligas adnotato Carentiam ſic debere dividi & explicari.

Quomodo Negatio & Privatio diſtinguantur?

- Carentia
  - *Negatio.*
    - *Indifferens.* ſine habendi aut non habendi debito.
  - *Privatio.*
    - *Mala.* Cum habendi debito.
    - *Bona.* Cum non habendi debito.

Caremus nominibus, & vix poterimus ſingulis propria adaptare. Negatio eſt carentia formæ in ſubjecto incapaci, talis eſt in communi ſententia carentia accidentium materialium in Angelo. Privatio eſt carentia formæ in ſubjecto capaci: ut carentia visûs in homine, quæ vocatur *Cœcitas*. Hæc forma, quæ in ſubjectum capax inducitur, aut eſt indifferens, & caret inhærendi aut non inhærendi debito: aut eſt bona, & habet debitum non inhærendi, aut eſt mala, & habet debitum inhærendi. (Et quis haberet nomina propria, ut has tres Privationes diſtingueret?) Prioris ordinis eſt lux reſpectu lapidis, qui nec petit illuminari, nec non illuminari, & tamen illuminationis capax eſt. Secundi ordinis eſt frigoris carentia in aqua, proprietatum in ſubjecto, & formæ in materiâ diſpoſita. Aquæ enim debetur frigus: ſubjecto proprietas; & forma materiæ diſpoſitæ. Vltimi ordinis eſt carentia caloris in aqua, hæc enim poteſt calefieri, at poſtulat non calefieri. *Hæc doctrina transfertur ad Ethicam.* Nam carentia bonitatis in Dei odio eſt negatio: hoc enim eſſe bonum non poteſt: in unius libri lectione, ſi detur, eſt privatio, quia eſt capax bonitatis illa lectio. Et erit lectio debita eſſe ſi præcepta: debita non eſſe ſi interdicta; ſine debito, ſi neutrum (nec præcepta nec interdicta) fuerit. Carentia præceptæ lectionis eſt mala, interdictæ bona, nec præceptæ nec interdictæ indifferens: nam, ſi ſit præceptum, eſt legendi debitum: ſi ſit interdictio, eſt non legendi debitum: ſi nec præceptum ſit nec interdictio, nec legendi, nec non legendi erit debitum.]

An Angeli accidentium materialium capaces ſint?

Privatio triplex.

Lux eſt forma lapidi indebita.

Frigus eſt forma aquæ debita: itè proprietas ſubjecto: & forma materiæ diſpoſita.

Calor eſt forma cujus privatio eſt aquæ debita.

An Dei odiũ eſſe bonum poſſit?

Libri lectio vel eſt bona, vel mala, vel indifferens.

1785 *Quo ſenſu ignorantia invincibilis dicatur peccatum?*

Privativæ ignorantiæ additur à Theologis ignorantia negativa, quæ invincibilis eſt, & ſemper valdè nociva, quæ licèt non ſit peccatum, eſt regulariter pœna peccati, qui enim aliis ſe peccatis inficiunt, ut à Deo per fidem illuminentur, non ſunt digni. In aliquibus Conciliis antiquis reperimus, *Infidelitas, apud quos Chriſtus prædicatus non eſt, peccatum eſt.* quod Compluti in Theſibus publicis ita exponi vidi. *Peccatum eſt (hoc eſt, dicitur) quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat: non autem eſt peccatum infidelitatis.* Sed cur vocatur hæc ignorantia *negativa?* non ſcio: vocatur tamen. Ignorantia negativa eſt carentia ſcientiæ in ſubjecto incapaci. Ergo invincibilis ignorantia erit negativa, ſi homo ita ſit rudis, ut addiſcere non poſſit, quæ docetur: & hæc denominatio erit bona, & in toto rigore. Si autem impotentia ſit extrinſeca (ſi videlicet, ideò ignorat, quia non habuit magiſtrum) tunc impropriè *negativa* vocabitur: & quia ſic volunt, ſic vocetur.

N. B. *Eodem ſenſu exponit Tridentinũ Paulum qui Cõcupiſcentiam vocat peccatum.*

Exclusâ igitur à peccatorum cenſu infidelitate negativâ, manet contraria & contradictoria privativa: & quia hæ virtualiter coincidunt, manet quoad mores unicum tantùm genus Infidelitatis.

1786 *Recenſentur, & explicantur diverſæ Infidelitatis ſpecies.*

An ne dantur diverſæ Infidelitatum ſpecies. Enumerari ſolent Atheiſmus, Idololatria, Iudaïſmus, Mahometiſmus, Hæreſis, & Apoſtaſia. Eſt Atheus, qui negat dari Deum: Idololatra, qui multos colit: Iudæus, qui Chriſtum venturum ſperat: Mahometanus, qui Alcorano confidit: Hæreticus, qui in aliquibus ab Eccleſia Romana diſcedit: Apoſtata verò, quæ in omnibus. Solet etiam Apoſtata dici, qui ex Catholica Religione in ſectam infidelem labitur.

1787 *An ignorãtia vincibilis in materia fidei ſit peccatum? Et an ſit diſtinctum ab ipſo actu hæreſeos, qui ex illa naſcitur?*

De infidelitate privativa variè loquuntur Theologi, quorum ſententiæ ut intelligantur, ſufficit producere Antonium Cotonium, qui *in Dianæ Summa. verb.* Ignorantia. *num.* 5. ſic inquit. [Ignorantia culpabilis Myſteriorum fidei & aliorum, quæ per ſe ſciri præcipiuntur, ſeu negligentia ea ſciendi, eſt de ſe peccatum mortale, diſtinctum ab eo, cujus eſt cauſa ſecundùm Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 126. *cap.* 3. & alios (& approbat Diana *part.* 3. *tr.* 4.

*resol.*165. & *tract.*5. *resol.*47. & 48.) contra specialem virtutem studiositatis, quæ moderatur appetitum sciendi juxta peculiares materias, & personas. Alia verò ignorantia, eorum scilicet, quæ sciri debent ex suppositione sive juris sive facti, excusat à peccato, cujus est causa, si est invincibilis, nam si est vincibilis est peccatum ipsamet: non quidem distinctum, & determinatæ speciei, sed illius speciei in qua est peccatum causatum ab ipsa. Ita Diana *part.*3. *tract.*4. *resol.*141. §. *Quæres*, & *part.*4. *tract.*4. *resol.*37. Vide *verb.* Circumstantiæ. *num.*54. 79. & 102. & quamvis Bonacina *in Decal. disp.*2. *quæst.*8. *punct.*7. *num.*21. & Sanchez *in Summ. tom.*1. *lib.*1. *cap.*17. *n.*10. dicant etiam vincibilem ignorantiam, si non sit affectata vel crassa, excusare à transgressione legis humanæ; quia hæc non obligat cum tanto rigore, contra Palaum *tom.*1. *tractat.*2. *disp.* 1. *punct.* 16. *num.* 3. quia tota materia transgressionis in hoc casu consistit in negligentia culpabili sciendi præceptum: imò non est alia malitia, verbi gratiâ, omissionis jejunii, ab ea quæ est in illa culpabili negligentia: quæ proinde, si est mortifera, transgressio non potest esse venialis. Sed has opiniones conatur conciliare Merolla *tom.*1. *disp.*1. *cap.*2. *dub.*10. *num.*167. Certum est autem, non peccare mortaliter transgredientes præceptum Ecclesiasticum bona fide, ex causa insufficiente ut docet Caietanus *in Summ. verb.* Iejunium *cap.*3. Diana *part.*4. *tract.*4. *resol.*35. & à peccato hæresis excusat etiam ignorantia affectata, dummodo affectata non sit ex mala opinione contra Ecclesiam; quia ad illam requiritur pertinacia. Vide *verb.* Hæresis *num.*4. Imò ignorantia vincibilis, dummodò non sit crassa, probabiliter excusat ab incursione in pœnam legis, & Pontificis, verbi gratiâ, excommunicationis suspicionis, & inhabilitatis ad officia ratione Simoniæ. Pater de Lugo. Sic Diana *part.*9. *tract.*6. *resol.*13. §. *Unde ex his.*] Hæc omnia Antonius Cotonius. Sed nos quid dicimus? sit

An ignorātia vincibilis excusat à violatione legis humanæ?

A peccato hæreseos?

1788

Decredere, quod teneris credere, sive ignorantia vincibili, sive malitia seducaris, peccatum est.

RESOLVTIO I. *Decredere cum sufficiente notitia, aut cum ignorantia culpabili aliquid ex his, quæ quis tenetur credere, est peccatum mortale.* Patet; quia materia est gravis, & ad mortale sufficiens.

II. *De ignorantia culpabili in materia fidei sicut de ignorantia in aliis materiis philosophor.* Qui non vult scire, quinam dies sint jejunii, si tamen quotidie jejunet, non peccat, quia nulli periculo per hanc ignorantiam se exponit: qui autem non semper jejunat, & tamen non vult scire, quinam dies jejunii sint, peccat etsi posteà per accidens jejunet diebus debitis, quia per illam ignorantiam liberam se exposuit liberè periculo violandi præceptum jejunii. Hoc peccatum non est ratione ignorantiæ, sed rationæ periculi. Sed quotuplex? Opinione Suarii & aliorum, qui nolunt multiplicare peccata ex multitudine objectorum, simplex: in oppositа, quæ est Vasquezii & aliorum, erit multiplex, si se exposuit periculo violandi pluribus vicibus illud præceptum. [De hac multiplicatione peccatorum ab objectis desumpta. Vide Antonium Cotonium *in Summa. verb.* Circumstantia. *num.*69.] se exponere periculo committendi peccatum

An & quando nolle scire præcepta peccatum sit?

An se exponere periculo & postea peccare, sint peccata diversa?

A, & posteà committere idem peccatum A, non sunt duo peccata, sed unicum. Consultò ago de eodem peccato A. nam si inter periculum & peccatum, aut interceſſit realis prioris voluntatis retractatio; aut tantum tempus, aut tales circumstantiæ, ut prior voluntas credatur retractata virtualiter, erunt peccata duo. Ita Sanchez *in Summa tom.*1. *lib.*1. *cap.*8. *num.*4. Diana *part.*1. *tract.*7. *resol.*44. Cotonius *in Summa. verb.* Periculum *num.*1. Ergo ignorantia culpabilis non est diversum peccatum à periculo, aut commissione, aut omissione, quæ ex illa nascuntur.

1789

An detur præceptum directū sciendi præcepta?

Si Ecclesia directè jubeat Fidelibus ut dies jejunii discant; tunc culpabilis ignorantia esset diversum peccatum à violatione & à periculo violandi jejunium: imò peccaret etiam ille, qui quotidie jejunans hanc scientiam præceptam non adquireret. At modò tale præceptum non est, quia Ecclesia jejunare directè præcipit, & cognoscere jejunii dies præcipit indirectè.

Præceptum illud sciendi res credendas distinctum à præcepto credendi, quod protrudit Vasquez [aut sciendi res faciendas aut omittendas distinctum à præcepto faciendi aut omittendi, quod protrudunt alii] quod à studiositatis virtute provenire dicitur, non agnosco: nam Virtutes non sunt præceptivæ: summus enim & primarius Legislator est Deus, & secundarii illi omnes, quibus per quartum Decalogi præceptum suam ille authoritatem & potestatem communicavit.

An Virtutes sint præceptiva?

De specifica Infidelitatum distinctione.

1790

An omnes hæreses sint ejusdem infimæ speciei?

OMnes hæreses sunt ejusdem infimæ speciei. Patet, quia omnes actus fidei sunt ejusdem infimæ speciei: nam tota differentia est purè materialis & in ratione formali conveniunt. Ita Reginaldus *tom.*1. *lib.*6. *cap.*4. *num.*114. Diana *part.*1. *tract.*7. *resol.*46. Cotonius *in Summa. verb.* Circumstantia, *num.*37. & alii. Hinc patet non teneri Pœnitentem in Confessione exponere, An fuerit Lutheranus, aut Calvinianus: sic nec, an Eucharistiæ aut Pœnitentiæ Sacramentum non crediderit, sed satisfiet dicens, *Toties propositionem fidei decredidi.* Interim, cùm regulariter loquendo impossibile sit, ut hæreticus exactum numerum actuum infidelitatis confiteatur, tenebitur illum eo modo explicare, quo potest: ergo prudenter ad tempus & sectæ nomen, quam fuerat sectatus, recurret: plura enim negat Calvinus, quàm Lutherus, & pluries uno anno, quàm una die peccatur.

An pœnitens teneatur dicere, an fuerit Lutheranus?

1791

An ab hæresi differat apostasia?

Si Apostata sit fidelis adultus in hæresim lapsus, hanc circumstantiam non tenebitur exponere, non enim mutat aut addit infidelitatis novam speciem. Si autem ille dici debeat Apostata, qui totaliter à fide discedit, qui omnia negat, erunt adhuc ejusdem speciei hæresis & apostasia, different enim ut omnes & aliqui homines, qui non specie, sed numero solo distinguuntur. Sed quomodo debebit confiteri? Antonius Cotonius *in Summa. verb.* Circumstantia. *num.*36. respondet dicens. [Hæreticus Apostata, qui nimirum in totum recedit à fide, non tenetur confiteri

circumstantiam

An utraque debeat in cõfessione explicari?

circumstantiam Apostasiæ, quia non differt specie ab hæresi, sed secundùm magis & minus, quatenus illa recedit à fide in totum, hæc in partem. Ita Sanchez *lib. 1. cap. 7. n. 17.* & recentiores Thomistæ contra Sanchez *de fide disput. 16. sect. 5. in fine.* Ita etiam Diana *part. 1. tract. 7. resol. 54.*] Sed non adquiesco, quia præter peccatorum species tenemur explicare numeros; quam ob rem, si Apostata sciat exactè numerum infidelitatum, quæ commisit, illum exponens in Confessione satisfaciet: sed quia hunc præcisè non poterit, debebit illum aperire eo meliori modo, quo possit. Ergo dicendo, *Tanto tempore in apostasia permansi.* Rem dilucido. Pone Laurentiam in prostibulo, Arsindam in concubinatu vixisse decem annos. Si utraque species, numerúmque copularum & scandalorum sciat, neutra tenebitur prostibuli, aut concubinatus, aut temporis circumstantiam exponere, sed satisfaciet dicens, *Toties fui fornicata: toties adulterium commisi: toties fui scandalo:* &c. At, quia neutra numerum suorum peccatorum scire poterit, jubetur exponere tempus. An hoc sufficiet? minimè, quia pluries, & per diversas species in prostibulo, quàm in concubinatu peccatur. Ergo per accidens aperite tenebitur altera circumstantiam prostibuli, & altera concubinatus. Ergo eodem modo de apostasia & hæresi philosopheris. Si apostata dicere possit, *Toties contra fidem peccavi*, salva res est; non tenebitur dicere, fuerítne hæreticus, an apostata: at numerum non potest, ergo recurrat ad tempus: at pluries quotidie apostata quàm hæreticus peccat; ergo, ut Confessario statum suæ conscientiæ exponat, debet dicere, *Mansi in apostasia tot annis.*

Non solùm species, sed numerus peccatorum est explicandus.

An prostibuli, concubinatus, & temporis circũstantia sint aperienda in cõfessione?

1792 *An Iudaïsmus, Mahometanismus & Hæresis differant specie?*

Iudaïsmus, Mahometanismus, & Hæresis quà infidelitates, non differunt specie. Ostenditur, quia hæ propositiones, *Christus nondum venit*, *Christus non est Deus*, *Christus non est sub speciebus sacramentalibus*, quarum prima est Iudaïcæ perfidiæ fundamentum, secunda Mahometanicæ, tertia Calvinianæ, licèt materialiter differant, in ratione formali conveniunt: sunt enim infideles, quia contra revelationem divinam. Consultò dixi *quà infidelitates*, qui Iudæi, Mahometani, & Hæretici, præter hoc, quod est non credere, diversa faciunt, quæ has sectas positivè & specie distinguunt. Iudæi sunt usurarii, Mahometani omnem ferè luxuriam approbant, plerique Hæretici Eucharistiæ Sacramentum irridենt, &c. quæ omnia sunt practica & infidelitati addunt novas species.

1793 *An Atheismus, Idololatria, & Hæresis distinguantur specie?*

Atheismus, Idololatria, & Hæresis non differunt specie theologica. Probatur: nam hæ propositiones, *Deus est. Non dantur multi Dii. Mundus habuit initium.* sunt demonstrabiles, & per media toto cælo diversa; adeóque philosophicè possunt dici distingui specie, non solùm materialiter, sed formaliter. Cæterùm quà credendæ, cadunt sub eamdem rationem formalem revelationis, & quà revelatæ sunt ejusdem speciei: & hanc ob rem infidelitas Philosophica circa has propositiones involvet diversas species, at Theologica unicam: qui enim has tres propositiones negaverit, ter divinæ revelationi decredet. Cæterùm licèt harum trium propositionum negationes ad eamdem speciem infidelitatis pertineant, non ideò debebunt in confessione non exponi: nam ex tertia aliqui infidelitatis actus suboriuntur, at à secunda multi, & multò etiam plures ex prima, & in confessione peccatorum etiam numerus debet exponi. Præterea Idololatra offert Diabolo sacrificium; & licèt hoc in genere est malum, in individuo per circumstantias novam addentes malitiam & speciem contrahitur: Molocho enim semen humanum, Veneri vagus concubitus, Marti homicidium, Mercurio furta consecrabantur. Ergo in Idololatria, præter infidelitatem, invenitur positivus Dæmonum cultus, & præter hunc peccata obscœna & horrida, quibus ille cultus determinatur.

An, & cur debeant in confessione declarari?

Spera in Deo.

Ama Deum tibi.

1794 *Filia Fidei Spes.*

SCitè Augustinus *de spiritu & litera* Spem *Fidei prolem* appellat: prima enim est Fides, quæ non potest esse *in Deum* sine Spe. Qui benè credit, sperat. Exemplo nobis est Samaritana, quam P. Acacius March de Velasco *tom. 1. verb.* Esperança. *resol. 292. num. 1.* proponit. Audivit enim Christum de aqua gratiæ loquentem, credidit; & speravit, nam illam confidenter petiit, & obtinuit.

1795 *Omnia humana gubernantur spe.*

Spes, quæ Fidei filia, multarum virtutum est mater. Philo *lib. de Abraham* hoc edisserit dicens. *Principum sperandorum bonorum Spes est.* Imò videtur machinæ humanæ primum mobile: spe enim omnia humana reguntur, tam inevitabili impulsu, ut Thales, Philosophus celeber, spem non separet à Rationalitate, indicans non debere hominum censui adscribi, qui exspes esset. Esse spem quamdam virtutem generalem & universalem cecinit Ovidius 1. *Pont.* 7. subscribens Thaleti & hos numeros eloquentes profundens.

An rationalis possit carere spe?

An spes sit virtus generalis?

Hæc facit ut vivat fossor quoque compede vinctus,
Liberáque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cùm terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpè aliquem solers Medicorum cura reliquit,
Nec spes huic venâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo suâ colla ligantes,
Non est propositâ passa perire nece.
Me quoque conantem gladio finire dolorem,
Arguit, injectas continuítque manus.

Adsonat Tibullus. 2. 6. & alii; sed Ovidium produxisse sufficiat.

1796 *An à Deo possimus, qua non meremur, sperare?*

Agimus hîc de spe divina, cujus umbram apud eumdem Nasonem 1. *Pont.* 7. invenio.

Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Vt eam debitis coloribus exprimat Paulus anchoram ob oculos ponit, navigantibus enim per mundi oceanum, certissimum immineret

Spes anchora. naufragium, niſi velut anchora ſpe divina firmarentur. Ad Hebræos *cap.6 num.*18. & 19. ait. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus.*

1797 *Quid illa ſit?* Theologi ſic illam definiunt. *Spes eſt virtus Theologica, à Deo infuſa, per quam ſperamus vitam æternam indipiſci, mediante divinæ gratiæ auxilio, & noſtra cooperatione.* Singula verba dilucidemus. Illa, *Virtus Theologica, à Deo infuſa*, ponuntur loco generis, conveniunt enim Fidei & Charitati: cætera loco differentiæ, nam per illa Spes à Fide & Charitate diſtinguitur.

An ſit virtus? *Eſt virtus*] quia inclinat ad actus bonos, habetur per modum habitûs, & difficulter à ſuo ſubjecto removetur.

An, & cur vocetur Theologica? *Eſt Theologica*] Nam ſicut Fides & Charitas, ſic etiam Spes non eſt virtus naturalis phyſica, nec naturalis ethica, ſed hyperphyſica, ſeu ſupernaturalis: & vocatur theologica, quia Deum habet pro objecto materiali primario, & pro formali.

An infundatur à Deo? an creetur? an educatur? an genseretur? *Eſt à Deo infuſa*] Non enim naturaliter adquiri poteſt. Si quæras, An creetur, an educatur divinitùs? Reſpondebo, me de omnibus habitibus Theologicis pariformiter philoſophari. Vide igitur, quæ de Fide ſunt dicta.

1798 *In quibus cõſiſtat Spes?* *Eſt, per quam ſperamus vitam æternam.*] Finis noſter ultimus Deus eſt. Sed quibus mediis hunc finem obtinebimus?

Pelagianiſmi & Calviniaſmi diſcrimen. *Divinæ gratiæ auxilio, & noſtra cooperatione.*] His verbis duæ hæreſes oppoſitæ jugulantur: nam Pelagius omnia ſperat à libero arbitrio, nihil à gratia: & Calvinus omnia à gratia, & nihil à libero arbitrio. Hanc concluſionem noſtram tradidit olim Auguſtinus his verbis. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Sanè ſalvaberis à Deo, te auxiliis gratiæ præveniente: at non ſine te, oportet enim ut cum iiſdem auxiliis coopereris. S. Auguſtini verba in ſuam Calvinus hæreſim mutato uno punctulo obtorſit. Sic illa jubet legi. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?* ut addito interrogationis ſigno in ſenſum oppoſitum tranſeant. Et quidem, ſi aſſertiones in interrogationes verti liceret, tota perturbaretur Orthodoxa Religio.

Aſſertionem interrogatio in ſenſum contrarium protrudit.

Requiritur Dei auxiliũ & humana cooperatio. Huc opportunè adduxerim illa Sponſæ ſanctiſſimæ verba. *Trahe me poſt te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.* Si eſſet Pelagiana dixiſſet, *Trahe me poſt te, & curram:* ſi eſſet Calviniana, *Trahe me poſt te, & curres:* at, quia erat Orthodoxa, dixit, *Trahe me poſt te, & curremus.* Conſidera ſingula verba. *Trahe me*, ait; nemo enim venit ad gratiam gloriámque, niſi illum Deus traxerit. Addit, *poſt te:* ut ſciamus, Deum debere præcedere, & humanam voluntatem ſubſequi; quod eſt contra Maſſilienſes; qui, quòd remiſerint Pelagii errorem, *Semipelagiani* vocantur: & docebant, Hominem incipere, & poſteà gratiam Dei ſupervenire, & bonæ voluntati obſecundare. Subjungit, *& curremus.* Non dicit tu operaberis ſolus: non dicit, ego operabor ſola: ſed ſimul concurremus, & cooperabimur.

Maſſilienſiũ error. An liberum præcedat arbitrium, & gratia ſequatur?

1799 *An Chriſti Paſſioni aliquid deſit?* Firmat hoc ipſum Paulus. *Adimpleo*, inquit, *quæ deſunt Paſſioni Ieſu-Chriſti.* An non illa fuit omnibus numeris perfecta? nullum ergo defectum habet. Quid ergo adimplet Paulus? Attende. Ex parte Chriſti nihil deeſt. Suo ſanguine promeritus eſt auxilia gratiæ: at hæc nobis non proderunt, niſi concurramus & cooperemur. Hæc cooperatio, quæ ſe tenet ex parte noſtra, deeſt: hanc ſi ponamus, quæ deſunt Paſſioni Ieſu-Chriſti adimplebimus.

An illud adimplere poſſimus?

1800 *An Spes amor concupiſcẽtiæ ſit? quid per illam amemus?* Præter hanc, quam hucuſque expoſuimus, circumferuntur aliæ definitiones aut deſcriptiones Spei, ex quibus ponam huc, quam in Medulla lib.1.tract.2. in initio proponit Hermannus Buſenbaum, eſt enim valdè doctrinalis. *Per Spem*, inquit, *quæ eſt ſecunda virtus Theologica, intelligitur Amor concupiſcentiæ erga Deum, quo Deum & Divina præ aliis omnibus concupiſcibilibus, vobis concupiſcimus, ita ut omnia potiùs parati ſimus perdere, quàm Deum & Divina.*

De ſpecifica diſtinctione Spei.

1801 *An omnes actus Spei ſint ejuſdem ſpeciei?* *Omnes actus Spei ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei theologicè & formaliter conſiderati.* Oſtenditur: quia objecta ſecundaria tantum dicunt differentiam purè materialem. Sive enim æger ſperet valetudinem, ut pœnitentiam agat: ſive filiusfamilias, qui eſt in occaſione peccandi, ſperet locum, in quo ſervire poſſit Deo: ſive fœmina pauper, quæ ſe ob inopiam proſtituit, ſperet divitias, ut à peccato abſtineat, hæc omnia differunt ſecundariò & materialiter, primariò enim ſperatur Deus ut finis (nempe, vita æterna) auxilia Dei & noſtra cooperatio ut medium immediatum & primarium: valetudo, locus, tempus, divitiæ, &c. ut medium ſecundarium neceſſarium ad ſecuritatem noſtræ cooperationis.

1802 *Aliud non ſperare, & aliud deſperare eſt.* Contra Spei præceptum militant Omiſſio actus ſpei, Deſperatio, & Præſumptio. De Omiſſione dicam inferiùs.

Omni tempore interdicta eſt Deſperatio; licèt enim non tenearis ſemper actus ſpei poſitivos elicere, teneris nihilominus nunquam Deum, vitam æternam, & neceſſaria ad ſalutem deſperare. Deſperationes, quæ hæreticales non ſunt, ſunt omnes ejuſdem infimæ ſpeciei: non enim theologicè loquendo aliter peccat, qui ſe gloriam; aliter, qui ſe gratiam; aliter qui ſe auxilia neceſſaria, etſi oret, & faciat quod in ſe ſit ex communibus gratiæ auxiliis, deſperat.

1803 *De deſperatione hæreticali.* Deſperatio, ſi hæreticalis ſit, contra Spem & Fidem militat. Talem commiſit Cain, cùm dixit, *Geneſ.*4.13.

גדול עוני מנשא

Gadól avní minſó.

Magna iniquitas mea præ parcere.

Major eſt iniquitas mea, quàm parcere, hoc eſt, *Majus eſt peccatum meum, quàm tua miſericordia.*

De infinitate peccati. An cum eſſentia divinæ infinitate poſſit componi? Deſperavit Cain, & ſimul hæreticus fuit; nam divina miſericordia omni peccato major eſt: & licèt mortale peccatum involvere malitiam infinitam dicatur, aut hæc infinitas eſt extrinſeca, aut ſi intrinſeca in uno tantùm genere, adeóque talis, ut cum infinitate eſſentiæ divinæ conferenda non veniat. Audi Chryſoſtomum.

Chryſoſtomum. *Quid eſt peccatum ad Domini miſericordiam? Tela aranea, quæ vento flante nuſquam apparet.* Ita in Pſalm. 50. homil. 2.

De Præſumptione.

Præſumptio ſe tenet ex altero extremo: ut ſi quis ſperet à Deo id quod ſecundùm legem ordinariam eſt impoſſibile; ut ſi quis remiſſionem peccatorum ſine pœnitentia; gloriam naturæ viribus ſe obtenturum: aut, ſi ad infernum damnetur, ſe inde divinitùs eripiendum ſperet.

1804 *Pleræque omnes deſperationes, & præſumptiones ſunt hæreticæ.*

Pleræque omnes Deſperationes & Præſumptiones ſunt hæreticales. Hæ enim omnes propoſitiones, *Deus non dabit mihi gloriam, etſi moriar in gratia. Non dabit mihi gratiam, etſi dignè pœniteam. Non agam legitimam pœnitentiam, etſi ordinariis Dei auxiliis benè utar, & coner quantum potuero.* Etiam hæc. *Egrediar è peccato, & gratiam recuperabo, etſi pœnitentiam non egero. Æternâ ſuffundar beatitudine, etſi in mortali culpa moriar. Si ad infernum damner, inde à Deo liberabor.* ſunt hæreticæ.

1805 *De diſtinctione ſpecifica.*

His poſitis ſit Concluſio I. *Omnes deſperationes non hæreticales inter ſe ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.*

II. *Omnes etiam hæreticales inter ſe ſunt ejuſdem ſpeciei:* nam omnes hæreſes ſunt ejuſdem ſpeciei. At in Deſperatione hæreticali duplex malitia (Deſperationis & Hæreſeos) eſt.

III. *Omnes Præſumptiones non hæreticales inter ſe ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.*

IV. *Omnes etiam hæreticales inter ſe.* Sed in iis etiam duplex invenitur malitia (ſcilicet Præſumptionis & Hæreſis.)

1806 *An Deſperatio & Præſumptio coïncidant?*

Modò quæritur, An diſtinguantur theologicâ ſpecie Deſperatio & Præſumptio? Conſultò ago de ſpecie theologica, quia materialiter & philoſophicè diſtingui certum eſt. Reſpondeo eſſe communem aſſerentem ſententiam: contra quam formari poterit hæc ratio.

Hunc librum habes in fine Logicæ.

Omnia fundamenta, quæ illum Herculis Logici laborem, qui dicitur *Nîl negans*, ſuccolant, etiam ſuadere poterunt, Deſperationem & Præſumptionem non diſtingui: nam, ſi Poſitiones affirmativæ & negativæ coïncidunt, quòd idem ſit *Homo non eſt lapis*, ac *Homo eſt non lapis*: &, ſi volitio & nolitio coïncidunt, quod idem ſit, *Nolo ſcribere*, ac *Volo non ſcribere*. Sic etiam coïncident Deſperatio & Præſumptio: nam deſperare rem, eſt ſperare carentiam rei, & contrà. Vnde idem eſt, *Etſi moriar in gratia, me ad cælum perventurum deſpero*: ac *Etſi moriar in gratia, non perventurum me ad cælum ſpero.* Et tamen penultimus actus deſperationis eſt, ultimus præſumptionis. Et quia ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, nonnihil de voce dicamus. Spes & Timor idem ſunt, ſed tantùm objectivè differunt, ita ut vulgò ſperare bona, & mala timere dicamur. At qui altiùs volunt eloqui, bona & mala ſperant, aut etiam timent. Ovidius *lib. 4. Triſtium. Eleg. 9.*

An coïncidat Affirmatio & Negatio?

An Volitio & Nolitio?

An Deſperatio & Præſumptio?

De Spe & Timore.

An timeantur bona, & ſperetur mala.

Et Patriam, modò ſit ſoſpes, ſperamus abillo.

Spes ecce tendit in bonum: Eamdem in malum tendere videbimus apud Virgilium, *Æneid. 1.*

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Vbi, ut benè notat Servius, *ſperate* ponitur pro *Timete.* & lib. 4.

Hunc ego ſi potui tantùm ſperare dolorem.

Apud Grammaticos nota eſt illa differentia, inter *Timeo ut*, & *Timeo ne*, quæ etiam in *Vereor* aut etiam *Metuo* reperitur, ita ut *ut* deſiderium ut res ſit importet, & *ne* deſiderium ne ſit. Ergo *deſperare rem eſſe*, eſt *ſperare non eſſe.* Ergo ſpes dividitur in bonam & malam: illa eſt quæ Theologica dicitur, hæc autem ſperat rem ut non debet, & ſi tendat in exiſtentiam objecti vulgò *Præſumptio* dicitur: ſi verò in objecti non exiſtentiam *Deſperatio.*

Timeo ut, & Timeo ne, quomodo differant?

N. B. *Differentiam hanc admittunt omnes, negat Scapula.*

Spei diviſio.

Hanc rationem perpende; & utrùm Præſumptio & Deſperatio tantùm materialiter poſſint diſtingui, & ad eamdem infimam ſpeciem reduci; eruditè nos doce: & interim in communi opinione maneamus.

An, cui revelata fuerit propria damnatio, deſperare teneatur?

REperio quatuor diſſentientes ſententias. Negat prima, éamque tuetur Azor. *tom. 1. Inſt. Moral. lib. 9. cap. 2.* Valentia *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 1.* & alii. Aſſerit ſecunda, & à Lorca *2. 2. quæſt. 12. art. 1. diſput. 27.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 1. num. 4.* & aliis viris doctis defenditur. Tertia, quam tenet Malderus, *2. 2. quæſt. 17. art. 7.* Acacius March de Velaſco *tom. 1. verb.* Eſperança, *reſol. 192. num. 8.* & apud eum Bañez, & alii: inter deſperare & non ſperare diſtinguit. Quarta & ultima negat eſſe poſſibilem hanc revelationem: quam ab aliquibus defendi vidi in publica diſputatione.

1807 *Variæ Opiniones recenſentur.*

Notari oportet ante reſolutionem Prophetiam in comminatoriam & definitivam diſtingui. Hæc eſt abſoluta, illa conditionata. Eſſe conditionatas aliquas revelationes conſtat clarè ex Iona, qui prophetavit dicens, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Egerunt pœnitentiam Ninivitæ, & civitas ſubmerſa non fuit. Ergo ſubintelligi debuit, *Subvertetur civitas, ſi incolæ pœnitentiam non egerint.* Ergo, cùm alicui prædicitur ſe damnandum fore, non poteſt ſtatim credere prædictionem eſſe abſolutam & definitivam, nam fortè erit comminatoria & conditionata, & in dubio tenetur in Dei miſericordia ſperare. Prodeſt illa hiſtoria, quam S. Antoninus 1. *part. Summæ. tit. 12. cap. unic. num. 4. in fin.* & ex illo Acacius *ubi ſuprà* recenſet: quam ad breviſſimas lineas perſtringo.

1808 *Prophetiæ & Revelationes aliæ definitivæ, & aliæ comminatoriæ ſunt.*

Quidam Pater antiquus habebat eximiæ virtutis diſcipulum, ſibi chariſſimum; & quia ſummè deſiderabat illi gloriam æternam, oravit Deum, ut ſibi revelare dignaretur, eſſétne ille præſcitus, an prædeſtinatus? & Deus reſpondit, præſcitum eſſe. In lachrymas Magiſter ſuffunditur, & tantâ angitur triſtitiâ, ut diſcipulum reſpicere non audeat. Advertit iſte profundum Magiſtri mœrorem, cauſam inquirit, & poſt iteratas preces obtinet, ut ſibi dicatur. Vt audiit, vultu ad hilaritatem compoſito, Pater, inquit, non ideò angatur; ſum enim divinæ voluntati conformis. Ex damnatione mea nihil deperit gloriæ divinæ: æquè glorioſus eſt Deus, cùm cælites

1809 *Revelatio cõminatoria de diſcipuli condemnatione.*

beat,

beat, ac cùm peccatores punit. Nos utilitatem propriam quærere non debemus. Non ego Deo intuitu præmii ſervio; à peccatis pœnarum horrore abſtineo; amo Deum, quia ſummè bonus eſt: amabo & deſerviam quoad vixero. Si me æternis addicere velit ſupplíciis, me divinæ voluntati animo quieto & tranquillo conformo: fiat voluntas ſua. Fuit ſolamini ſummo Magiſtro anxio heroïca reſolutio diſcipuli: Deo dedit gratias ſummas, qui poſteà revelare dignatus fuit ejus nomen in libro vitæ ſcriptum eſſe. Narravit diſcipulo, illúmque in amore divino firmavit: & nos inſtruxit, ut ſemper in divina miſericordia ſperemus.

1810 *Alia comminatoria revelatio.*

Piam hanc monitionem affirmat Ianſonius (fuit antiquior Ianſenio) Lovanienſis Doctor, de cujus pietate & virtutibus etiamnum plurima recenſentur. Quidam illum convenit Religioſus, à ſuis Superioribus miſſus, ut revelationem quam habuerat eidem manifeſtaret. Vt nomen revelationis pius ſenex audiit, in genua provolutus mittentem & miſſum veneratur, Nuncius ſententiam æternæ damnationis intimat. Minimè ille turbatur, ſed animo tranquillo reſpondet. Habeo gratias immenſas, quòd me inſtruere dignatus ſis. Sub ſpe, quòd eram Deum æternùm laudaturus in cælo, non niſi unam horam manè & alteram veſperi contemplationis habeo; officium canonicum Roſariúmque parthenium quotidie recito; tot jejunia & carnis macerationes ſuſtineo. At quia me in cælo laudes divinas non eſſe perſequuturum dicis, tempus non perdam: duplicabo exercitia, ut ſaltem amem & ſerviam meo Deo, quamdiu vixero: de reliquo fiat divina voluntas. Præſtitit, quod promiſit: fuit toti Vniverſitati ſummo exemplo, & poſt aliquot menſes cæleſtibus Myſteriis munitus obdormivit in Domino.

1811 *Conſiderãda circa Revelationem.*

His exemplis docemur primò, non eſſe omni revelationi credendum: interdum eſt illuſio quæ dicitur eſſe revelatio: & non rarò revelationes nundinantur nonnulli, quas non habent, ut ſanctitatis gloriam vanam adquirant. Secundò, ſi verè à Deo revelatio ſit, examinandum, an comminatoria & conditionata; an verò abſoluta & definitiva ſit. Et in omni dubio in Dei debemus miſericordiâ & clementiâ ſperare. Ergo, ut quæſtio reſolvi poſſit, debemus ſupponere revelationem eſſe certam, non dubiam: eſſe à Deo: & eſſe certò abſolutam & definitivam.

1812 *Prima Opinio jubet ſperare.*

His poſitis prima ſententia ſperandi obligationem ſuadet; quia adhuc poſitâ revelatione præſcitus poterit ſalvari, & prædeſtinatus damnari, nam œconomia prædeſtinationis in actibus liberis fundatur, & hi poſſunt eſſe, & non eſſe. At hæc ratio non urget, quia ſpei objectum non eſt poſſibile, ſed futurum. Et in caſu ſalus eſſet poſſibilis, ſed certò non futura: adeóque non ſperanda.

1813 *Secunda jubet deſperare.*

Secunda ſententia meliori fundamento innititur, ait enim. Non repugnat Iudæ animam ad Empyreum adſumi: at, quia Deus revelavit, quòd nulla eſt in inferno redemptio, eſſet vana & peccaminoſa præſumptio Iudæ ſalutem æternam ſperare. Ergo, ſi Petro revelaret Deus eum eſſe præſcitum, deberet Deo revelanti credere. Ergo eſſet Petro certò futura ſua damnatio. At certò non futura ſperari non poſſunt. Ergo non poſſet Petrus æternam gloriam ſperare. Ergo deberet deſperare.

Tertia ſententia videtur fundamento carere: eadem enim ratio, quæ probat non debere ſperare, probat non poſſe eum ſperare, & comprobat poſſe deſperare. 1814

Sanè contra ſecundam tertiámque ſententiam ſuccurrit ratio, quam multi judicarunt eſſe demonſtrativam; quâ iterum & iterum in diverſis Academiis ſum uſus, & non ſolere benè ſolvi crediderim: illam ſubſcribo. Scit Deus exempli gratiâ, quod Petrus in inſtanti M. ſit aut omiſſurus actum ſpei quando illum tenebatur elicere: aut poſitivè deſperaturus; adeóque peccaturus mortaliter: vult illum in inſtanti N. impœnitentem mori: hoc non repugnat. Eſt ergo præſcitus Petrus, & æternùm damnandus. Hoc ipſum revelet Petro Deus, in inſtanti B: & peto, an ſperare æternam ſalutem ille debeat: an non? an deſperare poſſit, debeátve? ſi ſperare non debeat, ut tertia ſententia ſtatuit; ſi deſperare poſſit, ut ſecunda; non damnabitur. Patet, quia non ſperando, aut deſperando non peccabit: &, ſi non peccabit, non damnabitur: quia ut ſupponebatur, ob unicum peccatum contra ſpem erat damnandus. Si ſperare adhuc debeat, ſequitur ſecundam & tertiam ſententiam eſſe falſas, & primam neceſſariò tenendam. At prima videtur certiſſimè falſa; Ergo omnia ſunt valdè difficilia. *Ratio fortiſſima. Ei reſpondetur inferiùs §. His poſitis.*

An tenebimus quartam? Illa univerſaliter ſumpta prout à ſuis defenſoribus ponitur, falſa eſt. Cur enim ſua non poſſit revelare decreta Deus, niſi fortè ex aliqua ſuppoſitione? Sed quid dicemus? Vltimam lineam recognoſcemus, & ex illa reſolutionem dabimus. Dico igitur 1815 *An quarta ſententia ſit falſa?*

Primò. *Impoſſibile eſt quod eſſe non poteſt. Et eſt duplex: aliud abſolutè, aliud ex hypotheſi.* Abſolutè impoſſibilis eſt duorum terminorum contradictoriorum coëxiſtentia, ut tenebrarum lucíſque: at tenebræ ex hypotheſi, quod lux ſemper futura ſit, impoſſibiles ſunt. *Impoſſibilitas quid & quotuplex ſit?*

Secundò. *Sunt decreta, quæ ſingillatim habere poteſt Deus, at non ſimul componere.* Talia ſunt *Volo* & *Nolo* circa idem objectum. *Dei aliqui actus ſeorſim poſſibiles, ſunt ſimul incomponibiles.*

Tertiò. *Quando vult efficaciter Deus aliquod objectum in inſtanti A, exiſtere, debet velle omnia, quæ eſſentialiter ſunt neceſſaria, ut exiſtat; in illo inſtanti A. & non poteſt facere aut velle aliquid, quo facto aut volito illud objectum in inſtanti A. non exiſteret.* Rem dilucido exemplis. Decernit Deus, ut Petrus crucis martyrio coronetur: ergo decrevit permittere eſſe tyrannum, qui illum damnaret: & carnificem, qui illum crucifigeret. Decrevit, quòd Paulus converteretur in inſtanti F. Ergo decrevit illi dare uſum liberi arbitrii pro illo inſtanti: & illum rationis uſu pro illo inſtanti privare non potuit. Et hinc propiùs ad materiam præſentem accedendo. Volvit Deus permittere, ut Antonius peccaret peccato comedendi carnes die jejunii, & propter illud condemnaretur. Ergo cum hoc decreto componi nequit aliud decretum, ex quo vel ſequatur Antonium non fore peccaturum, vel 1816 *Actuum divinorum connexio.*

fore

fore legitimam pœnitentiam in ultimo anhelitu habiturum. Omnes leges humanæ absolutè loquendo subsunt Deo: illas tollere & abrogare potest: nihilominus tamen non potest ex hypothesi Deus dispensare, ut carnes illa die Antonius comedat, quia si dispensaret Deus, non peccaret Antonius, ac per consequens nec condemnaretur. Quid Deo facilius quàm corpora motu locali undecumque & quocumque transferre? Interim Antonium illa die in loco ubi illud jejunium non obliget, constituere non poterit: quia in illo loco comedendo carnes non peccaret, & non peccando frustraret decretum divinum.

An semper possit Deus in lege humana dispensare?

An corpora movere localiter?

1817 His positis ad Quæstionem principalem respondeo, *illum, cui revelata esset sua damnatio, debere firmiter credere Deo revelanti, & ut indubitatum habere se fore damnandum: adeóque salutem æternam sperare non posse sed illam desperare debere.* Nec contra hanc Thesin militat ratio illa, quam §. *Sanè contra.* dedimus: concedimus enim posse Deum permittere, ut Petrus in instanti M desperet, & in N moriatur, & in æternum pereat: at cum hoc decreto non potest componere sequentia: nec enim illum potest occidere ante illud instans M. nec facere, ut in instanti M careat usu rationis, nempe, si dormiat, aut deliret: nec potest in præcepto spei dispensare. Et cur ista non potest? An non vita hominis in manu Dei est? An non somnus, rationis usus & humana omnia à Divina voluntate dependent? An non est Author Decalogi, & dispensare cum Petro in illo potest, sicut cum aliis dispensavit? Aio illa in sensu diviso posse Deum facere; modò non, sumus enim in hypothesi & sensu composito; quia est decretum de permissione peccati in instanti M; &, si Petrus tunc deliraret, dormiret, aut esset mortuus, aut haberet legitimam dispensationem, non peccaret. Ergo, neque in casu potest Deus Petro sententiam æternæ condemnationis revelare: quia æquè ac mors, somnus, delirium, ac dispensatio, tolleret peccatum hæc revelatio, ac propterea ipsam destrueret suppositionem.

An possit Petro sua condemnatio revelari?

AMA DEVM.

Ama te Deo.

1818 CHaritas ordine productionis est tertia, dignitate autem prima, ut nos docet Apostolus 1. *Corinth.* 3. 13. dicens. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: tria hæc: major autem horum est Charitas.* Didicerat à Christo hanc doctrinam Apostolus, nam cùm apud *S. Matth.* 22. dixisset, *Diliges Dominum Deum tuum*, subjungit mox, *Hoc est maximum, & primum mandatum.*

Quo sensu Charitas sit prima, quo ultima?

Sed quid est Charitas? *Virtus quædam Theologica, à Deo infusa, quâ diligitur Deus super omnia, & proximus propter Deum.* Sic solet illa definiri: nam illa verba, *Virtus Theologica à Deo infusa*, ponuntur loco generis, & cætera loco differentiæ. Singulas expendamus.

An virtus sit?

Est Virtus.] Non enim est qualitas vialis, & per modum dispositionis transiens, sed est habitus permanens, & ad bonum inclinans.

An infusa?

Est Theologica.] Non naturalis physica, non naturalis ethica, sed Theologica supernaturalis, Deum pro objecto primario materiali & formali respiciens.

Quid præstet?

Est à Deo infusa.] Non adquiritur viribus naturæ, sed à Deo producitur & infunditur; unde ait Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis.*

Est, quâ diligitur Deus super omnia.] Ergo non propter rem aliquam creatam, sed propter se ipsum.

Et proximus propter Deum.] Dicit Philosophus, *Proximus Egomet mihi.* Ergo non solùm alios, sed & me amare debeo propter Deum: me & cæteros Deo.

1819 Charitas est virtus practica, & ad mandatorum observantiam se extendit tam necessariò impetu ut esse in anima sine mandatorum observantia non possit. Hoc Ioannes *Epist.* 1. *cap.* 5. nos docet, *Hæc est*, inquit, *Charitas Dei; ut mandata ejus custodiamus.* & posteà, *Hæc est Charitas, ut ambulemus secundùm mandata ejus.* Et Christus in Evangelio, *Si diligitis me, mandata mea servate*, & mox, *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et rationem subjungit. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, &c. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*, &c. *Ergo plenitudo legis dilectio.*

An sit practica?

1. *Ioann* 5.

1. *Ioann.* 16.

Ioann. 16.

1820 Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 6. & 7. inquirit, *An Charitas sit omnium virtutum nobilissima? An & perfectissima?* Et affirmativè respondet: nam licèt cæteræ nos uniant Deo, Charitas nos unit intimè & perfectissimè. Posteà quærit, *An esse virtus aliqua possit in anima, à qua exulat Charitas?* & veram virtutem esse non posse ait: sed advertendum est veritatem aliam esse Moralem, & aliam beatificam, hoc est, beatitudinem ut terminum & scopum concernentem. Sanè Virtutes Morales in suo ordine & genere veræ virtutes sunt: at in ordine ad consequendam vitam æternam, carent virtute & robore nisi roborentur Charitate. Vnde 1. *Corinth.* 13. 1. Apostolus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim Mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vt hoc testimonium intelligas suppone cum Doctore Angelico materiam existere existentiâ formæ, & accidentia existentiâ subjecti: & me sicut de naturalibus, sic etiam de moralibus & supernaturalibus philosophantem attentè & patienter ausculta. Sic inquam. [Varii sunt rerum ordines. Corporeus est notissimus, & sensibus obvius. Spiritualis percipitur per intellectum: & supernaturalis per fidem. Suprà omnes est ordo beatitudinis, in quem cæteri inferiores collimant. Caremus vocibus congruis, & ideò non possumus res explicare,

An Charitas sit virtus nobilissima?

An sine ea dentur verè virtutes?

Sine charitate omnis virtus est impotens.

An materia existat existentiâ formæ? An accidentia existentiâ subjecti?

1821 *An corruptâ formâ substantiali resolutio fiat usque ad materiam primam?*

ut vellemus. Vocetur hic ordo *Beatificus*. In ordine rerum naturalium materia & omnia accidentia existunt existentiâ formæ : tolle hanc, & fiet resolutio physica usque ad materiam primam. Homo est pura quædam potentia (materia moraliter aut virtualiter prima) beatificabilis. Forma beatificativa est Charitas, & erit beatificans quando fuerit cum lumine gloriæ conjuncta. Beatificabiliter homo existit existentiâ Charitatis, quæ omni virtuti beatificabilem existentiam derivat : omnes Charitatis existentiâ beatificabiliter existunt. Tolle Charitatem, & in ordine beatificabili fiet resolutio usque ad materiam primam. Fides, Spes, licèt supernaturales virtutes, & habitus omnes morales, absente Charitate remanebunt informes mortui, erúntque velut quædam virtutum priùs viventium cadavera, & hoc in ordine rerum moralium; nam in beatificabili resolventur in nihilum. In ordine ad vitam æternam indipiscendum, erit ac si non esset fides, quia non proderit : erit ac si non esset Spes, quia non consequetur suum effectum : erunt ac si non essent universæ aliæ virtutes, quia non coronabuntur divinitùs. Et ipse homo, à quo abest Charitas, erit ac si non sit : & ab Apostolo doctus poterit dicere, *Nihil sum.*

1888 *An Charitas in medio consistat?*

Cæteræ omnes Virtutes videntur in medio consistere, & mensuram in suis actibus à Prudentia recipere. Liberalitas inter Avaritiam & Prodigalitatem constituitur. Avarus dicitur, qui minus largitur quàm debet : Prodigus qui plus quàm expedit : Liberalis, qui intra limites prudentiæ se coërcet. Non solùm hæc doctrina in Virtutibus Moralibus, sed etiam in supernaturalibus locum habent. Qui citò credit, levis est corde : qui post legitimam instructionem non credit, pertinax. Qui minùs, quàm debet sperat, Desperationis; qui plus, Præsumptionis arguitur. Sola Charitas supernaturalis in extremo consistit, non enim datur erga Deum amor nimius : modus enim amandi Deum est sine modo amare : & mensura Divinæ dilectionis est Deum diligere sine mensura.

Mensura & modus diligendi Deum.

1823 *An odium Dei sit possibile?*

Huic amori Odium opponitur : & semper judicavi difficile posse in hac vita hominem in tam pravum sensum præcipitari, ut Ens infinitè bonum, à quo omnia recepit & recipit, &c. positivo odio habeat. Multas audiui confessiones; tale monstrum nondum ad meos pedes pervenit : alii fortè majorem experientiam habent : ergo ut minimum debent concedere hoc esse peccatum in hac vita rarissimum.

Odium in proximum multò frequentius est : & ideò de illo aliqua subjungemus.

De specificatione Odii.

1824 *An peccata odii distinguantur specie?*

ANtonius Cotonius *in Summa. verb.* Circumstantia. *num.* 35. hanc quæstionem resolvit his verbis. *Idem* (nec differre specie, nec esse in confessione explicanda distinctè) *probabiliter docet Bonacina* de legibus, disp. 3. quæst. 4. punct. ult. §. 1. num. 10. *contra Suarez* de Charit. disput. 6. sect. 2. num. 2. *de peccatis odii, esse nimirum ejusdem speciei, quamvis mala proximo volita sint diversa : putà circa vitam, famam, divitias, &c. quatenus hæc omnia sunt volita sub una ratione formali nocendi proximo, quæ odium constituit, non solùm in specie, sed etiam in individuo. Vnde in confessione satis est dicere,* Toties proximum odio habui. *Ita Diana* part. 1. tract. 7. resol. 30. & part. 3. tract. 4. resol. 67. §. In resol. 30.

1825 *Aliud est velle malũ Paulo, & aliud velle facere malum Paulo.*

Dices. Velle malum & facere malum pertinet ad eamdem speciem. Sed occidere & furari pertinent ad diversas species. Ergo velle, ut Petrus perdat vitam, & Paulus divitias distinguentur specie. Respondent, qui sententiam Bonacinæ propugnant, hos actus esse diversos, *Ego volo occidere Petrum, & spoliare Paulum. &, Ego ex odio desidero, ut occidatur Petrus, spolietur Paulus : at hæc ego non faciam, nec ad hoc aliquem auxilio aut consilio solicitabo.* In primo esse duo peccata specie distincta fatentur, in secundo autem aut unicum numero, aut ut plurimum duo distincta numero, si actus ab objectorum pluralitate multiplicantur.

De positivis Præceptis Credendi, Sperandi, & Amandi.

Quando obligent?

1826 *De primo instanti, in quo puer adsequitur usum rationis.*

NEgativa præcepta obligant semper : adeóque nullo tempore licet decredere, desperare, præsumere, odio habere, &c. sed quando obligant positiva?

Pueros inter fideles natos in primo rationis instanti teneri cor ad Deum convertere & per actum Fidei, Spei, & Charitatis Deo uniri est multorum Theologorum opinio : at nimis severa & difficilis, & quæ fortissimè impugnatur. Attende. Præcipit mihi Rex, ut illi loquar horâ quartâ. Ergo, ut teneat illi obedire, debeo ante horam quartam scire esse tale præceptum, & debeo posse scire quando sit hora quarta : ista sunt certa. Ergo, si puero præcipit Deus, ut in primo instanti, quo utitur ratione, erigat ad Creatorem cor credendo, sperando & amando, duo similiter prærequiruntur; alterum, ut antequam usum rationis habeat puer, habeat claram & certam præcepti hujus notitiam : alterum, ut possit scire, quando est illud primum instans, de quo agitur. At utrumque impossibile est : nam primum illud instans à pueris cognosci non potest : & ante usum rationis puer non est capax, cui leges notificentur : & de facto non notificantur. Ergo hæc sententia non subsistit.

N. B. *Consideretur & perpendatur ista ratio.*

1827 *Resolutio.*

Rejectâ igitur hac sententiâ, tanquam dura, &, ut sincerè loquar, impossibili, alias tenent Theologi probabiles & benigniores.

An hujus divini præcepti obligatio sit frequens?

Aliqui assignant multa & frequentia tempora, in quibus hoc præceptum obliget : sed quia nil probant solidè, meritò illos impugnat Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 6. disput. 1. punct. 4. num. 4. & 5.*

An hebdomadalis?

Alii volunt saltem diebus festis, quando tenemur Missam audire, hoc Decalogi præcepto

cepto obstringi. Sed hoc meritò displicet Sylvio 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. *quæst.* 3.

An annua? Hanc obligationem esse annuam docet Mendoza in 2. 2. *disp.* 74. *sect.* 6. §. 26. imò ait nimis benignè nobiscum agi, quòd sæpiùs actus amoris Divini non petatur. In aëre fundatam opinionem Mendozæ affirmat Lorca *in* 2. 2. *sectione* 3. *disputatione* 58. *numer.* 8. ad leges Ecclesiæ recurrens: ideò enim putat annuam confessionem ab Ecclesia præcipi, ut qui singulis annis jure Divino tenebantur actum contritionis elicere, juventur præcepto Ecclesiastico, ut attritione elicitâ & Sacramento recepto, legi satisfaciant Divinæ.

Et hîc obiter nota, pœnitentem fieri vi Sacramenti ex attrito contritum, non moraliter, virtualiter, aut æquivalenter, ut à multis asseritur, sed realiter, ut alibi à me fuisse demonstratum meminerim.

An mẽstrua? Inter hebdomadalem annuámque obligationem statui posset menstrua, & illam docere Mendoza; quia, si nimis benigna est opinio, quæ annuam affirmat, contrahi debet, ut maneat benigna, sed non nimis.

An quadriẽnalis? Coninck *dub.* 2. *n.* 53. obligationem hanc Olympiadum recursu meritur; præceptum hoc ultra tres vel quatuor annos non esse differendum affirmans.

An semel obstringat in vita? Alii denique existimant ut satisfiat præcepto diligere Deum semel totâ vitâ sufficere, & posse hunc actum usque ad articulum mortis differre. Ita Sancius *in select. disp.* 1. *n.* 21. Vasquez *in* 2. *part. tom.* 4. *quæst.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 11. & alii.

His omnibus opinionibus benè consideratis dicamus nos hoc præceptum obligare, quando Deus & beatitudo, ad quam tendere debemus, sufficienter sunt puero proposita, & præcepta hæc clarissimè nota: nam, ut Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *punct.* 3. benè dicit, plurimi, ad tempus saltem, inadvertentiâ, aut invincibili ignorantiâ excusantur: hæc autem obligatio non debet ad aliquod instans determinatum reduci: sed habere temporis moralem latitudinem; ita ut hos actus puer notabili tempore non differat. Sed quantum tempus poterit censeri notabile? Hermannus Busenbaum *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. §. *Resp.* 2. sic inquit. [Notat autem Coninck *disput.* 24. *d.* 3. *num.* 50. non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantùm, si differat notabiliter, verbi gratiâ, ultra annum: contra Palaum, qui dicit probabile esse, quod non obliget.]

1628 *An debeat homo confiteri se non amavisse Deũ in primo rationis instanti?* Sed quomodo debebis confiteri? si dubites, an huic præcepto satisfeceris, & non memineris positivè te omisisse, prudenter putare poteris te satisfecisse; Ita asserit Escobar, ex Petro Hurtado 2. 2. *d.* 172. *s.* 1. §. 24. Quod est dicere nullum teneri hoc confiteri, quia nemo est qui positivè meminerit se illum actum in illo instanti omisisse. At Trullench. *lib.* 1. *cap.* 5. *d.* 13. *num.* 9. monet, ut aliquando se quis in confessione accuset sub dubio, si fortè hoc præceptum violaverit, vel alia affirmativa, de quibus non certò constat, quando obligant, vel violentur. Monitum ego Trullenchi non dissuadeo: at non video me potuisse violare præceptum, de quo non certò constat, quando obliget: nec etiam video peccatum dubium esse necessariam materiam confessionis. Vide meæ Theologiæ Fundam. *num.* 1883. & deinceps: ibi enim valde fusè differo de dubiis peccatis.

An peccata dubia sint necessariò cõfitenda.

Notanda sunt hîc verba Antonii Cotonii *in Summa, verb. Præceptum. num.* 10. §. *Vnde.* dicentis. [Addo quod si certò sciat, se huic præcepto non satisfecisse, sequi potest opinionem Castri Palai *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 2. & aliorum, quod scilicet hoc præceptum non obligat post usum rationis: quæ opinio est probabilior.] Sed cur probabilior. Ipse viderit.

De distinctione specifica.

1829 *Quæ substantiâ differunt, possunt in accidẽti convenire.* INquiris, *Quomodò distinguantur horum trium præceptorum violationes? numero, an specie?*

Duæ substantiæ distinctæ specie possunt habere accidentia ejusdem speciei, nam nix & cygnus alba sunt, & licèt distinguantur specificè aut etiam genericè quoad substantiam, quoad albedinem ejusdem sunt infimæ speciei.

Malitia est actuum accidens; adeóque non repugnabit, ut actus realiter specie distincti, malitiâ ejusdem speciei inficiantur. Pono exempla. Furari rem sacram de loco non sacro, & furari rem non sacram de loco sacro, si realiter considerentur, non sunt duo actus distincti puro numero, interim illorum malitias specie non distingui asserunt Fagundez *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 21. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 22. §. *Vnde ex his.* & Cotonius *in Summ. verb.* Circumstantia. *num.* 41. Comedere & bibere non sunt actus ejusdem realis speciei; nam diebus jejunii comedere interdicimur, non bibere; & tamen, si Petrus heri bibit antequam celebraret, & hodie antequam celebraret comedit, commisit duos actus infectos malitiâ distinctâ puro numero, & satisfaciet in confessione dicens, *Bis celebravi non jejunus.* Recitare Psalterium, & jejunare res sunt distinctæ specie: interim, si sub votum cadant, habebunt in voti linea duas bonitates puro numero distinctas, si fiant: & duas malitias puro numero distinctas, si omittantur.

An furari rẽ sacram de loco non sacro, aut non sacram de loco sacro distinguantur specie?

An comedere & bibere?

Omnia vota sunt ejusdem speciei.

1830 *Vnde sumatur specifica præceptorum distinctio?* Specifica præceptorum distinctio si stemus communi sententiæ, sumitur à virtutibus, quas præcepta respiciunt ut finem. Ita Amicus *tom.* 3. *disp.* 18. *num.* 21. & alii. Ergo omnia, quæ ad eamdem virtutem spectant, eamdem dant rebus præceptis speciem. Hinc est, quòd, si Prælatus plures res diversas ob merum exercitium obedientiæ præcipiat [putà, servare silentium, manere in cella horâ tali, egredi horâ tali, &c.] omnes hæ observantiæ, sicut inobedientiæ sint futuræ ejusdem speciei.

1831 *Prima divisio Decalogi.* Decalogi præcepta in duas Tabulas meritò dividuntur. Prima religionem & cultum divinum; secunda proximi amorem concernit. Illas genericè sumptas dilucidavit Christus. Rogabatur, quodnam esset mandatum magnum in lege? & respondit. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum Mandatum: secundum autem simile huic.* *Matth.* 22. 37. *Deut.* 6. *d.* 3. *Lev.* 19. *d.* 18.

Marc.12. d. 31. Luc.20.d.41. *Subdiviſio Decalogi.* *An Religio ſit virtus generica & in varias ſpecies dividatur?* *huic. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ.* Sed præcepta ſecundæ Tabulæ diſtinguuntur ſpecie : ergo & primæ adhuc Tabulæ. Ergo virtus Religionis non eſt unica ſpecie ſed genere, & dividitur in Religiones ſpecie diſtinctas, ut vult Suarius *tom. 3. de Relig.lib.3. cap.8.* vel ſaltem, ſi eſt unica ſpecie infimâ, habet multos actus diſtinctos ſpecie, ut innuit Amicus *tom.3. diſp.18. num.25.* Porrò aſſignare quatuor virtutes Religionis, quæ primæ Tabulæ præceptis intendantur, non videtur difficile : nam ſicut in ſecunda Tabula ſunt, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non loqueris falſum.* Sic in prima Tabula analoga præcepta reperio. Deus per eſſentiam exiſtens occidi effectivè non poteſt at affectivè occiditur ab Atheo. Mœchatur theologicè Idololatra. Mentitur theologicè Perjurus. Furatur res Dei, qui reo debitas, ut Blaſphemus honorem, & violans feſtorum ſanctitatem, cultum, &c.

Prima & ſecunda Tabula ſunt analogæ.

1832 *An idem ſit negare Deũ, quàm multos admittere?* Mœchia theologica, & Occiſio theologica coincidunt, & ideò in eodem præcepto ponuntur. Coïncidunt, inquam, non quoad entitatem materialem, ſed quoad infidelitatis malitiam : in omni enim Infidelitate fides negatur, aut decreditur ipſimet Deo. Non ſolùm coïncidunt theologicè, ſed metaphyſicè : nam, qui multos colit Deos, nullum colit Deum ; nam qui alios ſibi pares habet, non eſt Deus. An Fidei, Spei, & Amoris præcepta ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei ? An omnes illorum violationes ad eamdem infimam ſpeciem ſpectant ? Sanè res, quæ præcipiuntur ſpecie vel genere differunt : at ab objectis non ſumitur præceptorum & peccatorum ſpecies. Si Deus Fidem, Spem, & Charitatem non præcepiſſet, eſſent hæ virtutes theologicè conſideratæ ſpecierum (quarum nunc ſunt, at non teneremur theologicè (hoc eſt, ſub peccato) illas exercere. Si Deus harum virtutum exercitia, intuitu ejuſdem cultus & ejuſdem religionis indixiſſet, ita ut finis eſſe actus aliquis Religionis numero tantùm multiplicabilis, hæ virtutes theologicè & quà præceptæ eſſent ejuſdem ſpeciei, licèt materialiter, entitativè, & philoſophicè diſtinguerentur. Potuit illa præcipere Deus meræ obedientiæ intuitu, ut oſtenderet ſuam majeſtatem & poteſtatem : unde in initio dicit, *Ego Dominus.* Potuit eumdem ſpecie infimæ cultum & religionem per illa intendere : potuit cultum & religionem aliam per Fidem, aliam per Spem, aliam per Charitatem. Sed ſemper probari debebit hæc diſtinctio, faciliùs illam eſſe aſſeras, quàm eſſe demonſtres. Rem recogita ; & horum trium præceptorum [Crede, Spera, Ama.] fines à Deo præſcriptos, audieris nam libenter, expende. Ego interim quia hîc luce careo, in communi via maneo, & ad alia progredior.

Quid ſi nullũ præceptum de Fide Spe & Charitate poſuiſſet Deus? *Quid ſi hæc præcepta tuliſſet ejuſdem virtutis intuitu?* *Quid, ſi ob meram obedientiam?*

DVBIVM INCIDENS.

Qualis debeat eſſe actus amoris, ut ſatisfiat præcepto, Diliges Dominum Deum tuum, &c.

1833 *An amor Dei & contritio ſit idẽ actus?* ACtum eumdem realem eſſe amoris Dei ſuper omnia, & contritionis docent Theologi communiter ; & inter eos dilucidè P. Amicus *tom.3.diſp.7.num.2.*

Contritio duplex. Dari duas contritiones perfectam & imperfectam certum eſt. Hermannus Buſenbaum *in Medulla lib.6. tractat.4. dub.2.* [Suppono, quòd Contritio in communi ſit dolor ac deteſtatio peccati commiſſi, cum propoſito emendandi, ut habet Tridentinum *ſeſſ.14.* ubi eam dividit in Perfectam, quæ abſolutè ſic dicitur ; & in Imperfectam, quæ *Attritio* dicitur. Perfecta eſt, quæ elicitur ex motivo Charitatis propter Deum ſummè dilectum : & hæc ſe ſola mox juſtificat, etſi cum voto & ordine ad confeſſionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta eſt, quæ ex inferiore motivo, ſupernaturali tamen, concipitur. Ad Sacramentum hoc (agit de Pœnitentia) ſufficit, & requiritur ſaltem attritio formalis, ſupernaturalis, efficax, & univerſalis reſpectu mortalium ; concepta in ordine ad confeſſionem, vel ſaltem abſolutionem. Eſt communis. Vide Bonacinam *diſp.5.quæſt.* & Scholaſticos : ac colligitur ex Tridentino *loc.cit.*]

Perfecta & Imperfecta. Attritio. Contritio ſola : Attritio verò cum Sacramento juſtificat.

Attritio realiter eſt amor Dei imperfectus. Ergo attritio eſt actus amoris Dei ſupernaturalis. Patet ex præcedentibus. Ergo ſicut Contritio in Perfectam & Imperfectam dividitur : ſic etiam dividitur Amor.

Quæſtio proponitur. His poſitis ingreditur Quæſtio, *An, ut ſatisfaciat aliquis præcepto Decalogi, debeat amare Deum amore ſupernaturali perfecto, an ſatisfaciat, ſi illum diligat amore ſupernaturali imperfecto ?*

Differt Amor à Dilectione. Quæſtionem hanc reſolvunt Thomiſtæ ſeverillimè : at oſtendam Scotum, & Scotiſtas tenere primo Decalogi præcepto ſatisfeciſſe eum, qui Deum amore ſupernaturali imperfecto dilexerit. Latini hos duos amores nominibus expreſsè diſtinguunt : perfectum, *Amorem* abſolutè ; imperfectum, *Dilectionem* appellant. Cicero *Dolab.* affectuosè & diſtinctè. *Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere ? tantum tamen acceſſit, ut mihi denique nunc amare videar, antè dilexiſſe.* & ad filium. *Sed tamen, ut ſcires, eum non à me diligi ſolùm, verùm etiam amari.* & ad Brutum. *Sic igitur facies : & me, aut amabis, aut quo contentus ſum, diliges.* Ecce diligere & amare ut imperfectum & perfectum judicio Ciceronis ſe habent.

Dicitur Amor imperfectus Dilectio

In præcepto Diliges *habemus, non* Amabis. Stando voci, rigori, an-ne ideò Interpres *Diliges*, & non *Amabis* dixit : quod amare conſulitur, at ut minimùm Deum diligere nobis jubetur ? In tota ſacra Scriptura verbum non eſſe ſine cauſa, poſſent aſſerere : & inſtare nemini injuriam fieri ſi verba legis in ſenſu rigoroſo ſumantur. Ergo ſit Scoti diſcutienda & examinanda

Concluſio. *Primum Decalogi præceptum eſt,*

est, Diliges, &c. *vel*, *ut Ciceronis verbis reddam*, Me, aut amabis; aut, quo contentus sum, diliges.

Hanc dixi Scoti esse, non quod illam verbis expressis doceat, sed quod ex expressis evidenter & clarè colligatur. Probari igitur poterit authoritate Scoti, quæ si benè perpendatur, est clara. Ipse enim *in 2. dist. 28. quæst. unic. §. Ad quæst. in fine.* sic inquit.

Scoti litera discutienda.

Illud præceptum, Diliges Dominum Deum, *&c. est primum, à quo tota Lex pendet & Prophetæ.* in Matth. *Ad actum igitur hujus præcepti aliquando eliciendum tenetur voluntas, ita quod non potest esse semper omissio actus hujus præcepti sine peccato mortali. Quandoque autem voluntas actum hujus præcepti licèt informis, & disponit se de congruo ad gratiam gratificantem: cui oblatæ, vel resistet, & peccabit mortaliter; vel consentiet, & justificabitur.*

P. Melchioris Flavii ad eamdem literam Scoti, Scholion.

Eisdem ferè verbis, sed clariùs P. Melchior Flavius in Resolutionibus Operibus Scoti, adjunctis in Editione Veneta apud Hæredes Sessæ ann. 1580. Ejus verba subjicio.

Istud quoque adstrui potest ex eo, quòd homo tenetur aliquando elicere actum illius præcepti, Diliges Deum tuum ex toto corde tuo: *non enim citra mortalem offensam posses illum semper omittere. Cùm igitur voluntas (licèt extra gratiam) adimplebit istud præceptum, & ita de congruo sese ad gratiam disponet, offerretur ei à Domino gratia; cui, vel resistet, & mortaliter offendet; vel consentiet, & justificabitur ex pacto divino.*

Quandonam obliget primum præceptum? Voluntas informis: quæ?

Hic aliqua veniunt observanda. *Primum*, illud præceptum *Diliges* aliquando obligare. Sed quando? sunt variæ Theologorum sententiæ, quas videre poteris apud Antonium Cotonium *ubi suprà, num.* 10.

Secundum, voluntatem posse (etsi existat in statu peccati mortalis, & sit informis, ut loquitur Scotus; & extra gratiam, ut vocem *informis* interpretatur Flavius) hoc præceptum implere: non quidem viribus naturæ, sed gratiæ auxiliantis.

An adimplèndo primum præceptum homo justificetur?

Tertium, posse voluntatem adimpleviſse hoc præceptum, & tamen nondum esse justificatam: sed hac adimpletione mereri de congruo novam gratiam auxiliantem ad eliciendum actum perfecti amoris, quo elicito justificetur.

An resistere gratiæ sit peccatum?

Quartum, peccatorem, cui datur auxilium ad eliciendum actum perfecti amoris, si tamen illum non eliciat, peccare mortaliter.

An doceat Scotus primo Decalogi præcepto per actũ attritionis satisfieri?

Quod primo & secundo loco observamus, est certum: quod tertio colligitur expressè ex litera; nam sive Scoti textum, seu Flavii scholium legam, nihil aliud reperio, quàm dixi. Ergo argumentor sic. Voluntas illi Decalogi præcepto satisfecit: ergo elicuit actum qui illo præcepto postulatur: At non elicuit contritionem, sed attritionem: Ergo illo præcepto non determinatè postulatur contritio; sed attritio aut contritio disjunctivè; nam reducitur ad illa Ciceronis verba, *Me amabis; aut, quo contentus sum, diliges.* hoc est, *Actum contritionis aut saltem attritionis elicies.* Minorem (videlicet, voluntatem non elicuisse contritionem) ostendo. Nam contritio justificat: at ille actus, quem voluntas elicuit, non justificat, sed ad gratiam justificantem disponit de congruo: ergo ille actus, quem elicuit, non fuit contritio. At ille ipse actus fuit dilectio, quia per illum voluntas satisfecit illi præcepto *Diliges.* At ille actus fuit supernaturalis, quia disponit de congruo ad gratiam, quod actus naturales non præstant. Ergo fuit dilectio Dei supernaturalis: at non fuit contritio: ergo attritio. Quod quarto loco dicitur, valde difficile videtur, & maximè in Scoti via, quæ docet omne peccatum mortale esse contra præceptum. Sic arguo. Ille, cui offertur à Domino gratia ad eliciendum actum amoris perfecti, si resistat, & non consentiat, peccat mortaliter; ergo violat aliquod Dei præceptum. Ergo primum, in hoc enim agitur de amore Dei. At non violat primum. Ergo. Probatur minor. Quoniam hic amor perfectus hoc præcepto non exigitur, nam illi satisfacit, qui Deum diligit, aut amat imperfectè. Et, ut ex Scoto & Flavio constat, jam satisfecerat præcepto antequam illam gratiam auxiliantem reciperet, cui non consensit.

An præcipiat Deus, ne gratiæ oblatæ resistamus?

An, qui est in mortali, teneatur confiteri, cùm possit?

Porrò, si existens in statu peccati mortalis, tenetur sub culpa gravi uti gratiâ auxiliante ad eliciendum actum contritionis, cùm à Domino offertur: tenebitur etiam uti pœnitentia sacramentali, cùm datur copia; rationes enim quæ suadebunt primam obligationem, poterunt æquè persuadere secundam.

An peccent homines, quia sciant?

Præterea, si gratiæ auxilianti, quæ datur ad justificationem resistere mortale sit, multa homo peccata mortalia committet, ignorans: quomodo enim sciet an oblata illi fuerit gratia, de qua Scotus loquitur, an alia remotior, cui ipse noluit adhibere consensum.

An resistere gratiæ remotæ sit mortale?

Iterum. Si mortale sit gratiæ proximæ, quæ ad adquirendam justificationem est, resistere, etiam erit mortale resistere gratiæ remotæ: peccator enim, si uteretur gratia remota, se disponeret, & adquireret proximam: nam cui jubetur esse in statu gratiæ, jubetur etiam adhibere omnia media necessaria (proxima, remota) ad adquirendum statum gratiæ.

An sit mortale, aut veniale resistere divinis inspirationibus?

Denique, si resistere illi gratiæ est mortale, resistere aliis gratiis non carebit peccato. Reus ergo erit, qui non satisfecerit cælestibus inspirationibus; quod si intelligatur de reatu mortifero, erit intolerabile: si de veniali, licèt à multis assertum, valdè durum: aut etiam inintelligibile, & in Scoti via præcipuè: nam in toto Decalogo hoc præceptum, *Inspirationibus, quæ dantur ad melius, satisfacies.* Non reperitur: nec ex aliquo ex illis decem per claram & demonstratam consequentiam deducitur.

An etiam docuerit S. Thomas satisfieri huic præcepto per charitatè & contritionem imperfectam?

Petis, An non sit hæc Divi Thomæ sententia, qui 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. Charitatem in perfectam & imperfectam dividit: docétque illam haberi in cælis, & per hanc præcepto satisfieri in terris? Puto omninò quod non; nam D. Carolus de Thomasiis D. Thomæ opinionem ad terminos sequentes reducit. *Quod præceptum plenè & perfectè in patria implebitur: in via autem impletur, sed imperfectè: præceptum enim perfectè impletur, quando pervenitur ad finem præcipientis; imperfectè, quando si non pervenitur ad finem, non tamen*

Quando præceptum impleatur perfectè: quando imperfectè?

receditur ab ordine ad finem. Sic miles implet perfectè mandata Ducis, si pugnando vincit hostem: imperfectè verò, si pugnando non recedit ab ordine belli, licèt usque ad victoriam non pertingat. Deus autem intendit per hoc præceptum ut homo totaliter sibi uniatur, quod fiet in patria, ubi Deus erit omnia in omnibus. Sanè finis Legis est, ut homo Deo uniatur per gloriam: ergo Charitas illa perfecta, de qua agit Sanctus Thomas, non reperitur in terris: ergo ad Charitatem imperfectam juxta Angelici Doctoris Lexicon æquè pertinent amor conterens, ac amor atterens: ergo debet subdividi: & quia amor atterens non solet dici *Charitas*, crederem S.Thomam, ut impleatur primum præceptum Decalogi, postulare amorem conterentem.

Præceptum amoris impletur perfectè in cælis.

Obligat ad amorem perfectum.

Sanè sic debere hominem amare Deum, existimo sequenti demonstrari ratione. [Qui est in peccato mortali constitutus, & est in articulo mortis, si Confessario careat, tenetur elicere actum contritionis; nec satisfaciet, si eliciat actum attritionis. At ad hoc faciendum non alio tenetur, quàm primo præcepto Decalogi. Ergo hoc, quando obligat, ad actum contritionis, si absit Pœnitentiæ Sacramentum, obligat.]

Quid si perfectum aliquis habere non possit?

Dices poterit contingere, ut moribundus non possit elicere actum contritionis, & attritionis possit: ergo in casu eliciendo actum attritionis præcepto satisfaciet: &, si ad infernum propter alia peccata vadat, non tamen, quia actum contritionis non elicuit.

Ad impossibile nemo tenetur.

Respondeo primò, me nolle casum admittere: qui enim potest actum attritionis elicere, etiam eliciet contritionis, si debitum conatum adhibeat: imò actum attritionis eliciendo se disponet, ut gratiam majorem obtineat, &, si in oratione perseveret, actum contritionis eliciat. Sed, si casum supponi jubeas, respondebo secundò, eum, qui non potest satisfacere præcepto, non debere dici satisfeciſſe, sed non teneri. Sic in casu, si moribundus Confessario careat, & ita turbatus sit, ut contritionis actum elicere nequeat; non est dicendus satisfacere præcepto eliciendo actum attritionis; sed non teneri præcepto. Et quidem multos turbatos mori in casibus festinis & inopinatis (ut quando aliquis naufragio, aut vulnere lethali perit) frequenter cum dolore videmus.

RESOLVTIO.

Porrò hanc sententiam meam; quæ hodie, ut existimo, est communior; eò doctè, quò breviter ediſſerit P. Hermannus Busenbaum *in Medulla lib.2. tract.3. cap.1. num.3.* inquit enim. *Peccat contra Charitatem Dei, si quis Deum non diligat principaliter propter se tanquam finem ultimum omnium rerum*, [hoc est, amore perfecto, qui sit perfecta contritio] *sed tantum propter aliud, verbi gratiâ, vitam æternam, vel ad evitandum infernum.* [hoc est, amore imperfecto, qui sit imperfecta contritio; quam communiter *attritionem* vocamus.] *Quod esse mortale docet Sylvius & Navarrus.* Consonat Antonius Cotonius in *Summ. Diæt. verb.* Præceptum. *num.9.* & alii.

PRÆCEPTI PRIMI altera Pars.

Deos alienos non coles.

Non eris Idololatra.

ETHnicus, & multos esse Deos credit, & colit. Credere multos Deos, seu Deum esse unicum tantùm decredere, est actus infidelitatis ejusdem infimæ speciei cum omni hæresi, quia in omni actu fidei ea ratio formalis pertingitur, & in omni actu infidelitatis eadem ratio formalis violatur. 1834

Omnes hæreses sunt ejusdem infimæ speciei.

Idololatra cultum & honorem Deo soli debitum tribuit Idolo; hoc est nihilo; Idolum enim quà numen nihil est. Tribuit Dæmoni; nam hic in idololatriam se ingerit, & ab homine adorari desiderat, & ex pacto implicito aut explicito, oracula frequenter reddit. Ergo non solùm est infidelis, sed fur. Et ideò non solùm primi præcepti partem secundam temerat, sed & præceptum tertium.

Idolum est nihil.

Obsidetur à Dæmone.

Idololatra præceptum primum & tertium violat.

NOTA.

Occidere & *Fornicari* in secunda Tabula distinguuntur, in prima autem coïncidunt: & hoc benè considerare oportet. Non est hæc bona consequentia. 1835

Fornicatio distinguitur ab homicidio.

Præter sponsam suam Aubertus alias cognovit fœminas.

Ergo sustulit (occîdit) suam sponsam.

Aliud enim est, non esse uxori suæ fidelem, & aliud eam occidere. At verò in prima Tabula est bona (consequentia) hæc.

Præter Deum, quem credimus, cognoscimus & colimus nos, Clodius alios Deos credit, cognoscit & colit.

An Idololatria ab Atheismo?

Ergo non credit, cognoscit & colit Deum, quem credimus, cognoscimus, & colimus nos.

Et ostenditur. Vt sit Deus verus, (hunc enim credimus, cognoscimus, & colimus nos) debet esse unicus; quia Vnicitas ad essentiam Divinam pertinet. At, qui multos colit, Vnicum non colit: Ergo verum Deum non colit. Ergo quantum est ex affectu suo aufert Deum. Ergo occidere & fornicari, quæ in secunda Tabula distinguuntur realiter, in prima coïncidunt. Meritò igitur Legislator illa in prima Tabula eodem clausit Præcepto: & in secunda duobus (quinto & sexto) distinxit.

An Vnicitas sit de essentia Dei?

DEVTER. 4. 2.

NON ADDETIS AD VERBVM QVOD VOBIS LOQVOR NEC AVFERETIS AB EO.

TAnti sacra Scriptura, tanti libri revelati faciendi, ut nec litera possit mutari. Hæc Lex condemnat omnes illos, qui titulo devotionis mentiuntur, & vitas Sanctorum fabulantur. Mirabilis in Sanctis suis Deus, innumeris portentis & miraculis Ecclesiam suam firmavit, & fictitiis non eget. At his, qui 1836

An mendaciis liceat populi devotionem excitare?

qui mendatiola nundinantur quæ exempla nominant, pernitiosiores illi qui audent calamo libros divinos maculare ; inter quos vel imprimis recensendus est Martinus Lutherus, qui utrumque Testamentum, Germanicum fecit, ut quos Latinè non poterat, Germanicè saltem illuderet. Multa ibi ad nutum contra Spiritus-Sancti dictamen & mentem alteravit proprio errori prospiciens ; & inter alia celebris est illa particula *Allein*, hoc est *Tantum*, fidei adjuncta, ut non jam justificari per fidem, sed per fidem solam dicamur. Hæc & alia quidquid in contrarium occlamet Chemnitius & Crinesius, jam à multis annis Catholico-Romani observavimus, & impunè confingi non permisimus.

An Biblia Lutherus corruperit?

An vocem Allein addiderit, & ex propositione fide tenendâ hæreticam fecerit? An sola fides justificet?

PRÆCEPTVM II.

Vota & juramenta respicit ; veraciter jurare permittit, mendacia firmari juramento inhibet, modúmque in votis tenendum præscribit ; Iuramenta etiam vera, si desit legitima causa, mitiùs tamen, condemnat.

EXODI 20. 7.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI TVI IN VANVM ; NEC ENIM HABEBIT INSONTEM DOMINVS EVM QVI ID FECERIT.

1837 HVc spectant, EXOD. 23. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* DEVT. *Per nomen Domini Dei tui jurabis.* LEVIT. 19. 12. *Non perjurabis in nomine, neque pollues nomen Dei tui.*

An per alios Deos jurare liceat?

Condemnantur *primò* juramenta per aliorum Deorum nomina facta ; jurare enim videtur esse actus Religionis, nec solent homines in testem citare quem non credunt. Solent aliqui per creaturas jurare, & tamen non carpuntur quamdiu ipsorum mens liquet : carperentur si crederentur illis divinitatem & infallibilitatem concedere.

1838 *An iurare sine necessitate.*

Condemnantur *secundò* juramenta vana, hoc est vera at sine causa & necessitate emissa ; qualia solent homuntionum illa esse, qui se putant minus eloquenter loqui, si à juramentis abstineant. Hæc venialiter peccaminosa sunt, ni in contemptum aut periculum transeant. Vertuntur in contemptum, cùm ad res absurdas & indignas authoritas divini testimonii deprimitur : & proferuntur cùm mendacii periculo, quoties sine examine nec inquisitione veritatis.

An sine veritate?

Condemnatur *tertiò* & quidem graviss imè, universa perjuria ; hoc est omnes propositiones falsæ juramento firmatæ.

1839 *Quale esse iuramentum debeat, ut actus virtutis illud sit?*

Hinc constat juramentum, prout actus virtutis est, *debere esse per verum Deum, veraciter, & ex causa rationabili emissum.* At quia reperio ex illiberali hominum educatione varias jurandi formulas perennare, valdè ambiguas & æquivocas ; operæ pretium erit illas exponere, ut quid hujusmodi homines, aut dicunt, aut delirant, noscamus.

1840 Per caput Dei. *quid significet? Quid etiam?*

Per caput Dei nonnulli jurant, & si agant de Deo quà Deo, hæretici & blasphemi sunt, Deus enim non habet Divinitatem corpoream membris formatam. Si agant de Deo quà homine, erit idem ac dicere, *Per caput Christi*, & si congruè juramentum exponas, æquivalebit huic assetto, *Tam verum est id quod dico, quàm quòd Christus habet caput.* ubi nullam blasphemiam invenio. Perditissimi homines etiam per Dei partes nescio quas (nimirum secretas) jurant, & si de divinitate hæretici, si de humanitate agant, irreverentes sunt ; adeóque, etsi veraciter talia juramenta evomant, non sunt à mortifera culpa excusandi.

1841 Per Deum.

Per Deum videtur æquivalere huic, *Tam verum est quàm quod Deus est.*

Coram Deo.

Coram Deo est *Deum testem cito.*

Hic asserendi modus juramentum involvit. Bernardus in quadam Epistola. *Si loquenti non creditis, credite vel juranti. Coram Deo, qui summa est veritas, nescio vos.*

Per vitam meam.

Per vitam meam, per meam animam, exponitur, *Tam verum est hoc quod dico, quàm quod habeo vitam, quàm quod animam.* Hoc juramentum sic expositum, quia divinitatem non tangit, mendaciter citra peccati vel venialis noxam emitti posse.

Mendacium firmatum iuramento purè humano, quod non cõcernit Deum, est peccatum contra veracitatem: at in sacrilegii genere nec mortale nec veniale est.

Hîc vult æmulus oculatior videri : & exclamat. Ergo mendacium ad Caramuelis mentem, ne leve quidem peccatum est. Sed cùm sic disipit, irridetur à doctis : hîc enim non agitur de octavo præcepto, sed de secundo : & benè stat, hanc propositionem, *Juro per vitam meam Solem hodie à Luna in Draconis ventre existente obscurandum.* Mendacium & peccatum veniale contra octavum Decalogi præceptum involvere, omne enim mendacium peccatum est ; & tamen in sacrilegii linea & contra secundum præceptum non dicere malitiam vel leviter peccaminosam.

Hæc eadem verba, *Per meam vitam, per meam animam*, aliqui imprecatoriè accipiunt, & volunt æquivalere his, *Si hoc non sit verum Deus auferat meam vitam, condemnet meam animam.* Censeo hanc duram expositionem esse, possibilem tamen ; & assero eum, qui hoc sensu loqueretur, peccaturum mortaliter, si contra veritatem juraret. Eodem prorsus modo possunt sequentia exponi, *Juro per vitam Summi Pontificis, Cæsaris, Regis, mei patris, mei amici*, &c. Et hîc obiter noto apud Hispanos moris esse ut Ministri Regii & Militiæ Principes jurent *por vida del Rey.* Quod tamen nec his permittitur, nisi cum materia tanto juramento est digna : at verò plebæis & gregariis militibus hoc uti juramento non licet.

Iuro per vitam Cæsaris.

1842 *Per meam fidem*, benignè interpretabor ; datur

Per meam fidem.

datur enim duplex, naturalis & ſupernaturalis; ergo ſi de naturali agatur, idem erit per fidem ac per fidelitatem jurare. Si de ſupernaturali eſſet obſcurior difficultas: nam jurare per fidem Chriſtianam, videtur eſſe Orthodoxæ fidei veritatem cum aſſerta componere, ut ſi expreſſiùs quis diceret, *Tam vera eſt mea aſſertio, quàm fides & religio Chriſtiana.* Et quidem, niſi vera aſſereret, peccaturus mortaliter.

1843 Per meam Conſcientiam.

Per conſcientiam etiam nonnulli jurant, & hanc formulam aliqui obtorquere conantur ad divina; Sed re meliùs examinatâ videtur ſolùm naturale dictamen importare, illúmque, qui per conſcientiam ſuam jurat, aſſerere verba à ſe prolata ſuæ conſcientiæ, hoc eſt, ſuæ menti & dictamini correſpondere; aut clariùs, ſe non mentiri, cùm ea profert. Hæc igitur jurandi formula æquivalet his, *Certè, Verè, Reverà*, & aliis adverbiis adfirmandi.

1844 Cuerpo de Dios. Cuerpo de Chriſto. *apud Hiſpanos.*

Sunt etiam quædam Iuramenta Provincialia, quæ fruſtrà ad mitiorem ſignificationem trahas, ſi populus aliter accipit. Verba hæc *Cuerpo de Dios. Cuerpo de Chriſto.* apud Hiſpanos ſignificare videntur plus, quàm ſonant. *Corpus Dei*, ſi æquivaleret huic *O Corpus Dei!* & intelligeretur de Chriſto, nihil contineret abſurdi; at hæc verba judicantur iniqua; ergo, vel ſunt juratoria, vel de Deo quà Deo intelliguntur, vel utrumque habent. Si primum, & materia ſit falſa, pertinent ad perjurium; ſi ſecundum, materia vera aut falſa ſit, ſunt hæretica. Ergo ſtandum huic acceptioni & expoſitioni *Cuerpo de Dios* erit *Juro per Corpus Dei.* Qui dicit *Cuerpo de Chriſto*, nec erit hæreticus nec blaſphemus; at quia illa verba æquivalent his, *Juro per Corpus Chriſti*, ſi deſit veritas, erunt mortaliter peccaminoſa.

1845 Sacrament *apud Belgas.*

Sacrament apud Belgas, non ſonat juramentum, at quia accipitur pro juramento, eſt idem ac *Per Sacramentum Altaris.*

Beſtia curva fia *apud Hũgaros.*

Béſtia Kurva fia, apud Hungaros *Spiritus meretricis eſt filius.* Blaſphemia eſt eorum judicio execrabilis; adeóque fruſtrà à quodam Concionatore, amico meo, ad Dæmonem transferebatur, hunc enim *Spiritûs* nomine intelligere voluit: at vocem populus aliter accipit, nam hoc nomine Spiritum-Sanctum intelligit; hæc igitur exclamatio & blaſphema & hæretica eſt.

1846 *Voces corruptæ & ſignificationis expertes.* Voto a Dies. Iuro a Criſpo. Sallament. Eſticuraſi.

Volunt aliqui non jurare, ſed tamen jurare videri: ita Hiſpani cùm dicunt, *Voto a Dies, Juro a Criſpo:* Belgæ cùm boant *Sallament:* Hungari cùm inculcant, *Eſticuraſi.* Et puto hos & ſimiles loquendi modos poſſe ſcandalum parere, ſi non benè audiantur, & percipiantur: at, ſi benè cognoſcatur pronunciatio, impatientia quæ in hæc verba prorumpat, non erit graviter incrimináda.

Hercle. Ædepol. Mediusfidius.

Hunc modum ſimilia ſubſtituendi loco juramenti vocabula olim tenuerunt Ethnici, ne pejerarent; extant etiamnum *Hercle. Ædepol, Mediusfidius*, &c. hoc eſt, *Juro per Herculem; per Ædem Pollucis: Ita me Dei filius adjuvet*, &c.

DEVTER. 23. 21. & 22.

CVM VOTVM VOVERIS DOMINO DEO TVO, NON TARDABIS REDDERE; QVIA REQVIRET ILLVD DOMINVS DEVS TVVS, QVOD SEMEL EGRESSVM EST DE LABIIS TVIS, OBSERVABIS ET FACIES, SICVT PROMISISTI DOMINO DEO TVO.

1847 *De Voto. An & quando differrè poſſit?*

COnſideranda in votis eſt voventis intentio; nam qui promittit ſe daturum cras bovem, hodie illum dare non tenetur, nec dicetur moroſus ſolutor, ſi ante diem craſtinum non ſolvat. Conſiderandæ etiam circumſtantiæ adjacentes; nemo enim vovet ſe aliquid facturum, quando prudentum judicio ſatius eſt abſtinere; quia vota ſunt de meliori bono. Vnde amico, qui voverat ſe ingreſſurum tale Monaſterium ſtatim, moram ſuaſi, quod Viſitatores & reformatio expectarentur, judicans conſcientiæ & quieti illius adoleſcentis conducere non vidiſſe remiſſiorem illam diſciplinam, quæ dicebatur intendenda, nam *Quem ſemel imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu.* Vnde tunc ſolùm mora damnanda, cùm contra promiſſionem & votum nulla rationabili cauſa cohoneſtatur.

LEVIT. 24. 15.

QVI MALEDIXERIT DEO ET BLASPHEMAVERIT NOMEN DOMINI, MORTE MORIATVR.

1848 *De Blaſphemia.*

BLaſphemias eſſe contra primam Tabulam, & graviter peccaminoſas conſentiunt univerſi Doctores; ſed in deſignando præcepto, cui oppoſitæ, pauci conveniunt. Multi enim opponi primo exiſtimant, ſunt enim contra amorem Dei, quaſi ex odio expreſſo aut implicito abortæ: ſecundo alii, in ipſis enim nomen Domini in vanum adſumitur: & tandem tertio plurimi, quod illud Dei cultum exteriorem indicat, & iſtæ extrinſeco cultui opponantur. Sed & alii eas credunt in totam primam Tabulam impingere, quorum opinio, ſi benè examinetur, probabilitate non caret. Ego autem ad ſecundum reduxi, ut medius procedens, ubi veritas clarè reperiri non poteſt, aut rem attingam, aut parum exorbitare poſſim.

Quonam illa præcepto interdicantur?

NON ASSVMES NOMEN DEI IN VANVM.

1849 *Biſariam in vanum Dei nomen ſumi ſolet. Quomodo, qui pejerat ſumat nomen Dei in vanũ?*

NOmine Dei procedit homo privatim & publicè; privatim cum Deo duce; publicè, cum Dei authoritate.

Qui jurat, Deum teſtem adducit, & quod ipſe dixerat nomine Dei reponit & atteſtatur: nam hæc verba, *Juro per Deum hoc eſſe verum*, æquivalent his *Hoc ita eſſe, dixi verbis meis: modò ero interpres Dei, & ejus verbis loquar. Ergo ipſius nomine dico, Ita eſt.* Summam ergo injuriam facit Deo, qui ejus nomine mendacium loquitur.

1850 *Vnde humana poteſtas?*

Non datur ſuperior, qui habeat authoritatem purè humanam, *Omnis poteſtas à Deo eſt.*

eſt. Iudex Dei nomine ſententiam profert: & cùm injuſtam, nomen Dei in vanum & falſum adſumit, mentitúrque; nam Deum, cujus nomine loquitur, judicantem iniquè introducit. Ergo Iudex iniquus præter damnum illatum proximo, circa vitam, honorem, divitias, &c. ſacrilegus eſt, & in præceptum hoc ſecundum delinquit.

An Iudex iniquus hoc præceptum violet?

1851 Omnia juramenta Theologica (nam aliqua etiam ſunt merè politica) ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei. Hermanus Buſenbaum in Medulla *lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 2.* id atteſtatur dicens. *Diviſiones aliquot communiter afferuntur, ſed tantum accidentales, quæ ſpeciem non mutant, ut in confeſſione diſtinguere non ſit opus.*

An perjuria diſtinguantur ſpecie?

Citat Suarium, Leſſium, & Bonacinam; & poſteà has accidentales ſeu materiales juramenti diviſiones adducit. Primò enim in verbale, mentale, & mixtum, ſecundò in invocatorium ſeu conteſtatorium, & in execratorium ſeu imprecatorium: [Fortè in imprecatorio eſt nova contra charitatem erga ſe malitia, ut ſi quis dicat, *Fulmen me perdat, ſi hoc non eſt verum.* Sed hanc aſſertam ab aliis negat Suarez, Valentia, & alii. Vide Bonacinam *diſputatione 4. quæſt. . parte 2.*] Tertiò in aſſertorium & promiſſorium: quartò in id quod per Deum, & id quod fit per Sanctos dividit. Omnia ergo ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei.

Iuramentorũ claſſes.

PRÆCEPTVM III.

1852 *Illud fuiſſe legale & iam omninò excidiſſe putant aliqui non mediocris authoritatis viri; Partim tamen illud Naturale, & partim Cæremoniale eſſe certum eſt. Quà Naturale,* Feſta obſervanto: *quà Cæremoniale,* Talia obſervanto. *Vide Theologiam meam Regularem* num. 1194. & 1198. *Eſſe autem naturale & indiſpenſabile putat quiſpiam Theologus Calvinianus (Maſſius) non ſolùm Romanos, ſed & ſuos, quod ſabbatha non obſervent, condemnans. Scio eum multùm apud Confœderatarum Provinciarum Ordines adlaboraſſe, ut proſcriptâ Dominicâ dies ſabbathi reſtitueretur, ſed nihil apud ipſos profecit, timebant enim Primores illi, ne, ſi ſabbathi cultum reſtituerent, eſſent dicendi judaizare. Et quidem ratio hæc ſtatuum fuit gravis: ſed gravior ab Eccleſiæ debet authoritate deſumi. Nam Eccleſia ſabbathi loco inſtituit Dominicam, ne videretur iudaizare, ſi ſabbatha coleret: at Chriſtiani debent Dominicam, & non Sabbathum colere, quia ſic præcipit Romana Eccleſia. §. Sicut de dierum, ſic etiam de locorum cultu philoſophandum eſt.* Colunto Deo ſacra loca: *ad Decalogum ſpectat* Hæc loca Deo ſacrata ſunto: hæc colunto. *ad Eccleſiaſticam legem. §. Sicut tempora & loca, ſic etiam aliæ poſſunt res Deo dedicari: ſemel Deo dedicatæ non poſſunt in uſus profanos converti. Et huc pertinet Iuris Regula LI. in ſexto. §. Si in hoc Præceptum peccat, qui honorem extrinſecum ex dedicatione temporis aut loci Deo debitum detrahit; peccabit procul dubio, qui debitum ex natura rei. Ergo contumelioſus & blaſphemus. §. Legis literam ipſam conſidera.*

EXODI 20. 8.

1853 MEMENTO, VT DIEM SABBATHI SANCTIFICES. NON FACIES OMNE OPVS IN EO. SEX ENIM DIEBVS FECIT DEVS CÆLVM, TERRAM, MARE, ET OMNIA QVÆ IN EIS SVNT, ET SEPTIMO DIE REQVIEVIT.

Quàm ſit neceſſaria dierũ diſcretio, & feſtorum inſtitutio? Origanus.

SAnè eſſe omninò neceſſarium, ut Feſti dies inſtituantur & obſerventur, nemo prudens ignorat: eſt tam certum, ut illud vel hæreticus in dubium reducere non audeat. Produco Davidem Origanum Medicum Lutheranum, ut à fortiori meam ſententiam confirmem. Ipſe itaque Ephemeridum ſuarum tom. 1. qui Introductio quæpiam eſt. part. 1. de tempore cap. 4. pag. 76. ſic inquit. *Ad feſta Chriſtianorum, quod attinet, videmus in Novi Teſtamenti fœdere, nullum certum proponi, nec quempiam ad ſuperſtitioſam & ſtrictam eorum, quæ diu in uſu fuerunt, obſervationem obligari, ut patet ex dicto Apoſtoli ad Coloſſ. ſuprà allegato, & ex cap. 4. ad Galat. verſu* 10. *&* 11. *& ex* 14. *ad Roman. verſ. 5.* Ecce in hoc Præcepto Origanus, licèt multis ipſe tenebris obvolutus, duas partes cognoſcit: alteram, *ſerva feſta:* alteram, *ſerva talia.* Illa prior lex Dei eſt in utroque fœdere; tam enim hodie nos divinitùs obligat, quàm Iudæos obligabat. Poſterior Dei fuit in Teſtamento veteri, pertinens ad Ius cæremoniale, quod jam deſiit: non enim tenemur hodie Iudæorum ſolennitates obſervare; quas ipſe *ſuperſtitioſas*

Quomodo intelligendum ſit præceptum tertium?

An Iudæorũ obſervantiæ ſint ſuperſtitioſæ?

ſtitioſas nominat, non quòd olim ſuperſtitioſæ fuerint; ſed quòd ipſæ hodie eſſent, ſi à nobis obſervarentur; nam umbra in veritatem, & expectatio in poſſeſſionem fuit mutata.

1854 *Ad Eccleſiã ſpectat dies feſtos determinare.*

Eſſe divinam & neceſſariam primam illam præcepti partem probat Origanus *loc. citat. pag.*73. dicens. *Cùm nulla gens adeò barbara & expers religionis ſit, quin inter dies profanos & feſtos diſcreverit; & feſtos exercitio Religionis & cultui divino; profanos laboribus & manuariis artibus dicaverit: nos, qui in Chriſtiana republica vivimus, meritò etiam hoc modò inter dies diſtinguimus, ut alios ex decreto Eccleſiæ ſtatuamus profanos, alios ſacros.* Ecce illa lex *ſerva feſta* Dei eſt: *ſerva talia*, Eccleſiæ. Ergo à Deo in novi Teſtamenti fœdere nullum feſtum determinatur, ſed Eccleſiæ relinquitur, ut hos aut illos determinet.

1855 *Imò & loca Deo dedicare & conſecrare.*

Porrò ex dedicatione feſtorum etiam locorum dedicatio per neceſſariam conſequentiam deducitur. Citatus Author. *Profanos quidem* (diſtinguimus ex Eccleſiæ decreto) *quibus labores pro victu & amictu & aliis neceſſariis vitæ parandis exercere: ſacros, quibus externo cultui Religionis vacare, & Deum in Eccleſiæ congregatione* (ecce locum determinatum) *pro exhibitis beneficiis celebrare convenit.* Et iterum *pag.*76. *citatâ.* eamdem veritatem reponit dicens. *Cùm Fidei confirmandæ & augendæ, & exercitio Religionis Chriſtianæ nihil accommodatius, nihil magis neceſſarium ſit, quàm ut homines certos dies habeant, quibus in publicum cœtum* (ergo in determinatum locum) *magnâ frequentiâ congregentur, ad audiendum verbum Dei, quando Fides ex auditu eſt verbi*, ad Roman.10. verſ.10. *quis adeò neglectæ Religionis erit, ut ſtatuat feſtos dies intermittendos, & non potiùs in publico congreſſu* (determinato loco) *religioſè obſervandos eſſe? præſertim cùm Chriſtus ipſe hujuſmodi conventibus* (locis) *ſe affuturum promittat*, Matth.18.v.20. *his verbis.* Vbi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, illic in medio ipſorum ero. (Et illa adverbia *Vbi* & *Illic* ſunt loci) *Debent præterea ex Apoſtoli ſententia in* 1. ad Corinth.14. verſ. ult. *omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fieri* (non ergo ſecundùm privatum ſingulorum arbitrium, ſed ſecundùm legem à Superioribus inſtitutam) *Et videmus in primitiva Eccleſia ab Apoſtolorum ætate hoc obſervatum fuiſſe* (Ecce traditiones admittit Apoſtolicas) *ut licèt homines quotidie ad audiendum verbum Dei convenerint, nihilominùs tamen & certos dies* (adeóque & certa loca) *habuerint, quibus univerſa Eccleſia* (multitudo) *ad cultum divinum confluxit.* Sic ille.

Si congregari Chriſtiani debent, eſſe debet determinatus locus, in quo congregentur.

Fides ex auditu.

Templis adeſt Deus.

Non pertinet ad ſingulos Feſta determinare.

An traditiones Apoſtolicæ ſint admittendæ?

Citatur Origanus Author Lutheranus, ut inimici noſtri ſint Iudices.

Volui hunc Authorem Lutheranum producere; tum, quia eſt eximiæ authoritatis apud ſuos; tum, quia cum Hæreticis agimus, qui interdum negant, quæ Origanus, ut pote aliis omnibus doctior, negare non audet. Hæc enim, quæ ſcripſit omnia, non ex Martino Luthero, ſed ex Tertulliano *lib.* 2. *adverſus Gentes. cap.* 39. deduxit: nam Tertullianus ait, *Cœimus & nos in cœtum & congregationem, ut Deum, quaſi manu factâ* (cohorte religioſè inſtitutâ) *precationibus ambiamus, quando hæc vis Deo grata eſt.* Et quidem Theologi orationes *jaculatorias* dicunt, quòd ad Deum ipſæ tanquam ad ſcopum perveniant.

1856 *An diebus feſtis poſſimus gratis laborare?*

Peccat contra hoc præceptum, qui Miſſam diebus Feſtis non audit, aut opus aliquod ſervile facit.

An pro opere pio?

Sed quid opus ſervile? vix ſcimus. Putarunt veteres illud ſolùm quod pretio, unde in antiquis manuſcriptis ſolet occurrere, *Hic liber ſcriptus eſt diebus Feſtis, vendi non poteſt.* Aliquos antiquos mihi oſtendit P. Adrianus Crommius, qui etiamnum extant in Bibliotheca manuſcripta Patrum Societatis Lovanii. Vidi etiam pios lapidicidas & latomos operari diebus Feſtis pro Eccleſiis, putantes non interdici hac lege exſculpti columnam aut ſtatuam gratis dandam. Vidi interdum hoc fieri ſub doctis & ſanctis Prælatis. Dico igitur artes ſerviles & mechanicas diebus feſtis exerceri non poſſe, ingenuas & liberales poſſe. Et ſi petas, quænam liberales videantur, ad communem hominum ſententiam recurrens, aliquas recenſebo.

De actibus mentis.

Primò, nullæ mentis velitationes, contemplationes, aut ſpeculationes hoc præcepto interdictæ; & hoc etiam in illorum ſententia qui Eccleſiæ actus purè internos ſubjiciunt.

De Studio & diſputatione.

Secundò, nulla eruditionis exercitia, diſputationes, conferentiæ, orationes; linguæ enim labores permiſſi.

De Scriptione.

Tertiò, licet ſcribere, imò & tranſcribere, & omne genus characterum formare, obſervare ſydera, figuras geometricas ducere, exponere.

De Typographis.

Quartò, in Typographeis licet Compoſitoribus plumbeos characteres connectere, & dividere: at imprimere mechanicum videtur & ſervile, adeóque illicitum, niſi fortè cohoneſtetur per accidens.

De ſiborum coctione.

Quintò, coci, piſtores, tametſi mechanicam artem profeſſi, ratione neceſſitatis ſolent excuſari, modò mores patriæ, in qua degunt, non excedant; ſunt enim aliquæ Civitates, quæ die Paſchatis, aut etiam aliis, panes pinſere & artocreas parare interdicunt.

1857 *De Arte pictoria.*

Sextò, Pictores volunt ſuam artem in controverſiam reduci, eámque non tam ad laborem, quàm ad ingenioſam occupationem aut potiùs recreationem honeſtam pertinere.

De Militia.

Septimò, ars militaris liberalis omninò & Principibus digna, diebus feſtis exerceri poteſt, & ſolet. Et cum in ea currus ducendi, tormenta oneranda explodenda, videtur aperiri probabilis aditus, ut in Typographæio multa probabiliter excuſentur, quæ tametſi mechanica liberali arti ſubſerviunt neceſſariò.

Octavò, omnes artes quæ ad honeſtam animi relaxationem conducunt, ut venatoria, piſcatoria, luſoria & ſimiles, ob recreationem videntur exerceri poſſe.

An & quando liceat die feſto operari.

Sed & ipſæ quæ interdictæ creduntur, per accidens ſolent permitti; putà, ſi Petrus ſit pauper & gravetur prole, tunc enim poterit, & nonnunquam tenebitur, diebus feſtis operari, ſi aliter neceſſaria domui ſuæ procurare non valeat: & hoc in communi ſententia. Sed & poterit operari juxta aliquos etiam dives ad fugandum otium, ſi poſtquam Miſſæ audiendæ obligationi ſatisfacit, non turpis lucri gratiâ, ſed ne otioſus ſit, aut ad popinas vadat,

dat, sese in aliqua mechanica occupatione exerceat.

1858 *An Successores Petri sint Christi Vicarii?*

HOc Præceptum multum juvat, ut possimus Hæreticos ad fidem Orthodoxam convertere. Petrum fuisse Christi Vicarium, concedunt: negant hanc dignitatem ad successores transivisse. Et contrà sic argumentor. Petri tempore sabbatha observabantur (demonstravi superiùs, cùm exponebam textum Græcum) tempore Petri non licebat comedere sanguinem & suffocata, nam illa Petrus interdixit cùm dixit, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, &c. At hodie licitè laborant nobiscum Lutherani & Calviniani die sabbathi; Diem observant Dominicum; sanguinem sine scrupulo comedunt. Ergo post Petrum multis annis fuerunt alii, qui in Petri legibus dispensare potuerunt. Ergo fuerunt Vicarii Christi sicut ille, habentes cum illo parem authoritatem. Non ergo solus Petrus fuit Vicarius Christi. *Tunc sic.* Ecclesia vera in rebus substantialibus errare non potest. Sed quæstio, quæ inquirit, *An-ne Alexander VII. sit Christi Vicarius, an verò Antichristus?* substantialis est; nam articuli fidei à definitione, quæ fit à Pontifice, oriuntur. Ergo in hujus Quæstionis decisione Ecclesia vera errare non potest. At in ipsa errat Lutherana: errat & Calviniana: non errat Romana. Ergo Ecclesiæ Lutherana & Calviniana adulterinæ & falsæ sunt: & tantummodò Romana est vera.

An Religio Lutherana, aut etiã Calviniana sit vera?

DA, QVÆ SVNT DEI, DEO.

1859 *Tertium Decalogi præceptum successu temporis crevit materialiter, non formaliter.*

SVb initium sola erant generaliter Deo consecrata Sabbatha, unde in ipsa Decalogi Tabula. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Ideò sub initium debebat homo Deo cultum cui opponitur blasphemia & despectus, & observare sabbatha, quæ per mechanicum laborem violabantur. At posteà consecratæ sunt aliæ dies. Dari ergo debent Deo tempora, illi dedicata. Consecrata sunt præterea loca, & tertium Præceptum materialiter crevit. Consecratæ sunt diversæ res, Ergo hîc paulatim hæreamus.

De Blasphemia.

1860 *Ad quodnam Decalogi præceptum reducatur blasphemia?*

SIcut vir religiosus Deum Canticis & Hymnis colit honorátque, sic blasphemus dehonorat. Sed contra quod Decalogi præceptum blasphemia militat? Aliqui reducunt ad primum, nam sicut ex amore Deum colimus laudamúsque, sic homines irreligiosi ex irritatione & quodam odio implicito in Deum, in contumelias & blasphemias insolenter & audacter prorumpunt. Busenbaum *in Medulla lib. 3. tract. 2. cap. 1.* blasphemiam secundo Decalogi præcepto opponit: inquit enim, *Prohibet hoc præceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei; qualis potissimum fit blasphemando, temerè jurando, vovendo & non servando*, &c. Nos honorem externum Deo debitum ad tertium præceptum reducimus, nam duplicem honorem cognoscimus, substantialem & accidentalem; & illius detractionem ad mortem, hujus ad furtum reducimus. De primo intelligendus est Ovidius, cùm cecinit.

An ad primum?

An ad secundum?

An ad tertium?

Honos duplex: substantialis & accidentalis. Quò pertineant? substantialis ad vitam, & accidentalis ad opes.

Omnia si pereant, famam servare memento,
Quâ semel amissâ posteà nullus eris.

illud *nullus* considera: nam homo infamis, politicè loquendo nullus est, nihil est: at, qui gloriâ nominis & splendore caret, est nonnullus, nonnihil: pauper, inops; quia splendor nominis ad divitias spectat.

Porrò blasphemiæ hæreticales substantialem Dei honorem tangunt, & involvunt affectivè Deicidium; destruerent enim Deum, si fierent veræ: nam, qui per impossibile hanc blasphemiam hæreticalem, *Deus est iniquus*, veram redderet, Deum adnihilaret; qui enim iniquus sit, Deus esse non potest: at, qui sine hæresi blasphemus est, non Dei substantiam, sed honorem extrinsecum tangit, qui inter divitias numeratur. Hoc ultimum me docuit Paulus cùm ad Romanos scripsit. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implet*, &c. Ergo, sicut ille, qui debita tributa non solvit, & debita vectigalia non pendit; sic etiam qui debitum timorem & reverentiam non exhibet, & qui debitum honorem non defert, fur est: Et quia sicut de hominibus quoad hoc, sic etiam de Deo est philosophandum, dicente Christo, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo.* contumeliosus & irreverens, si in Deum sit tertium; &, si in proximum septimum Decalogi præceptum violat.

Quid, si blasphemia hæreticalis verificaretur? Tolleretur Deus.

Rom. 13. 7.

An sicut de humanis humanitùs, sic etiam de divinis divinitùs sit philosophandum?

Ergo de irreverentia, quæ in Deum commissa, agamus nunc; de ea, quæ in homines fit, agemus in Præcepto VII.

1861 *Quid & quotuplex blasphemia sit?*

Blasphemiæ omnes sunt in Deum contumelioſæ; & aliæ, ut dixi, sunt hæreticales, aliæ non: in illis duas malitias (blasphemiæ & hæresis) reperio; in his unicam (blasphemiæ scilicet.)

An blasphemia distinguantur specie?

Omnes blasphemiæ quà tales, (hoc est, quà contumelioſæ in Deum, ab hæresi & odio Dei, quæ involvere solent, præcisæ) sunt ejusdem speciei. *Item.* Omnes blasphemiæ hæreticales distinguuntur specie à blasphemiis simplicibus; sed inter se sunt ejusdem infimæ speciei. Ostenditur; nam habent duas malitias: blasphemiæ & hæreseos: & omnes blasphemiæ sunt ejusdem speciei, & omnes hæreses sunt ejusdem speciei. Hæreses esse ejusdem speciei jam probavi: blasphemias omnes quà tales, ejusdem esse speciei, nullo alio modo meliùs probare potero, quàm illarum rationem formalem explicando.

1862 *An signis fiant? Verbis fiunt tribus modis.*

Blasphemia est maledicentia contra Deum: & præcipuè in signis externis consistit. De signis doctè Hermannus Busenbaum *in Medulla lib. 3. tract. 2. cap. 1.* differit dicens. *Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licèt verba non adsint, ut spuere in cælum, infrendere dentibus: &c. imò etiam solâ mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.* Et quidem verba aut signa externa tribus modis esse possunt contumelioſa; videlicet, enunciando, detestando,

& irridendo. Affirmando, ut *Deus eſt impius:* deteſtando, ut *Pereat Deus:* irridendo, ut *Vah, qui deſtruis Templum Dei.* Omnes enuntiativæ (aſſerant, negéntve) ſunt hæreticæ. Omnes deteſtativæ ex odio Dei naſcuntur. Omnes irriſivæ ex impio animo Deum contemnente. Primæ ſunt contra Fidem: ſecundæ contra Charitatem erga Deum: tertiæ videntur eſſe puræ blaſphemiæ, & huc pertinere ſpecialiter. At irriſiones omnes ſunt ejuſdem ſpeciei.

1863 *An blaſphemia in Deũ & in Sanctos diſtinguantur ſpecie?*

Mendoza 2. 2. *diſput.* 91. *ſect.* 12. §. 54. eas, quæ in Deum, & eas, quæ in Sanctos evomuntur jubet ſpecie diſtingui: quia per priores violatur latria, & per poſteriores dulia, quæ ſunt gradus Religionis diſtincti: unde conſequenter has differentias eſſe in Confeſſione explicandas ſtatuit. Et quia hyperdulia, quà Deiparam colimus ſummè differt à dulia, ideò concludit blaſphemias in Deiparam effuſas, aut involvere novam ſpeciem, aut circumſtantiam notabiliter aggravantem. At Ego exiſtimo blaſphemias aut in Deiparam, aut in Sanctos dictas, ideò eſſe contra Religionem & primam Tabulam, quia per illas contemnitur Deus, & ideò quæ in Deum, quæ in Divam, & quæ in Sanctos effuſæ, ſpecie non differre pronuncio. Nam, ſi præſcindamus à Deo, & Sanctos ut homines conſideremus, illorum honos ad ſecundam Tabulam pertinebit; & qui illos irriſerit, peccabit in proximos ſummo honore digniſſimos, at verò non erit blaſphemus. Subſcribo Dianæ *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 11. *&* 50. & *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 21. Cotonio *in Summa. verbo* Blaſphemia. *num.* 3. & *verb.* Circumſtantia. *num.* 34. Vide Fauſtum *de Sacram. Pœnit. lib.* 4. *quæſt.* 167. Cæleſtinum *in Comp. tract.* 1. *cap.* 9. *diff.* 4. & Duvallium *in* 2. 2. *tract. de Fide. quæſt.* 9. *art.* 2. Hermannus Buſenbaum *in Medulla. lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. diſtinctionem illam, quam paulò antè dedimus (nam, videlicet, vel conſiderantur divinitùs, ut Deiformes, gratiâ & gloriâ ſuffulti; vel humanitùs, ut politicè fuerunt, dum viverent) clarè & breviter dilucidat dicens. *Blaſphemat item, qui in Sanctos, vel ſacra contumelioſius eſt; intellige, ut Sancti ſunt, ſive cum habitudine ſaltem virtuali ad Deum, ita ut mortaliter* (lego *moraliter*) *hujus etiam honos cenſeatur tangi: quia alioquin tantùm erit contra duliam, ſi nimirùm contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur: quod veniale eſt, ſi joco fiat: verbi gratiâ, ſi Sanctos Criſpinum & Criſpinianum voces ſutores, Ioannem & Paulum eunuchos: grave verò erit, ſi contemptum, vel ex odio, vel ex indignatione contra Sanctos. Licèt verò blaſphemia in Deum non admittant parvitatem materiæ; multi tamen admittunt in his, quæ ſunt contra Sanctos. Eſcobar* tract. 1. exam. 3. Porrò ſicut omnes blaſphemiæ, ſic omnes contumeliæ in homines ad eamdem ſpectant ſpeciem, & ideò ſatis eſt in Confeſſione dicere, *Toties proximum injuriis affeci.* Et idem dicendum eſt de Detractionibus, & Iudiciis temerariis. Ita Fagundez *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Sancius *diſput.* 5. *num.* 10. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 28. *&* 51. *in fin.* & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 67. §. *In reſ.* & *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 56. §. *Quæro tertiò.* Cotonius *in Summa. verb.* Circumſtantia. *num.* 33. & alii.

An in blaſphemiis detur materiæ parvitas?

An-ne diffamare aliquem, dicendo falſum, & diffamare dicendo verum, differunt ſpecie? Aſſerit Granadus *in* 3. *part. controverſ.* 7. *tract.* 9. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 20. quia illud opponitur juſtitiæ, hoc charitati. Etiam admiſsâ hac diſtinctione eſſe ejuſdem ſpeciei ait Cotonius, quia conveniunt in ratione formali quæ eſt intentio auferendi alteri famam: & meritò, nam mendacium pernicioſum, & veritas pernicioſa licèt materialiter differant, formaliter in pernicie conveniunt. At ego, qui ſecretas culpas detegit, mentiri aſſero, quia illæ politicè non ſunt, unde qui illas detegit, aſſerit, quod non eſt. Vide meum Scholium in librum S. Bernardi de præcepto. *num.* 10.

De Voto.

1864 *Quid votum ſit?*

VOtum eſt promiſſio Deo facta deliberatè de bono poſſibili & meliori. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. Verba ſingula dilucidemus.

Propoſitum non eſt Votũ.

Eſt promiſſio] nam propoſitum, etſi firmiſſimum, non eſt votum. Quid ſi aliquis promittat ſine intentione ſe obligandi? Hunc vovere contendit Cajetanus aud Hermannum Buſenbaum *in Medullæ lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 11. Hanc eſſe quæſtionem de nomine judicat Buſenbaum *ibid.* At hunc non vovere certum eſt. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 6. Lugo *diſp.* 23. *de Iuſt. ſect.* 1. Navarrus, Sylveſter, Sanchez, Bonacina & alii. Et ratio eſt, quoniam repugnat votum, quod non obliget. Qui pollicetur equum cum intentione non pollicendi animal hinnibile, nîl pollicetur, quia omnis equus hinnibilis eſt: ergo, qui emittit votum cum intentione ſe non obligandi, nullum votum emittit, quia omne votum obligatorium eſt.

An votum intentionem ſe obligandi requirat?

1865 *An & intentionem ſatisfaciendi?*

De intentione ſatisfaciendi aliter philoſophandum eſt; quia ſatisfactio non pertinet ad eſſentiam voti. Ita Layman, Filliucius, Bonacina, Sanchez, & omnes communiter. *Dices.* Qui habet animum non ſatisfaciendi, non ſeriò promittit, ſed decipit. Ergo votum factum cum intentione non ſatisfaciendi non eſt validum. *Reſpondeo*, majorem, ſi univerſalis ſit, falſam eſſe: non enim repugnat hominem ſe velle obligare, & tamen non velle ſatisfacere, ut patet in eo qui promovetur ad ordines cum intentione non legendi horas, nam validè promovetur.

1866 *Quanta advertentia & libertas ad Voti valorem requiratur?*

Facta deliberatè] Requirit ergo votum cognitionem ſufficientem ex parte intellectus, & libertatem ſufficientem ex parte voluntatis.

Cognitio tanta eſſe debet, quanta ad peccatum mortale ſufficeret: unde qui nondum ad eam ætatem pervenerunt in qua poſſint peccare mortaliter vovere non poſſunt: qui pervenerunt, poſſunt. Ago de voto ſimplici, nam ſolenne ætatem 16. requirit ex Eccleſiæ præſcripto.

De Votis in ebrietate emiſſis.

Vota facta in ebrietate, (Layman *libr.* 4. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 4.) vel cum ſemiplena animadverſione ſeu deliberatione, non obligant. Ita Trullench. *libr.* 2. *cap.* 2. *d.* 1. conſonans Azorio, Sanchio, & aliis.

1867

Nihil eſt tam contrarium conſenſui, quam error, ut ſcitè docet Filliucius *tract.* 26. *cap.* 1. unde

unde vota emissa ex errore, si error sit circa substantiam materiæ promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa rationem propter quam illa fiunt, sunt invalida. Ita omnes Theologi. Pono tamen casum, quem aliqui non benè resolvunt. Petrus Ecclesiæ N. promisit suum calicem, quem argenteum putabat, & postea esse aureum didicit: & inquirit, an adhuc teneatur? Votum esse nullum opinatur Busenbaum *lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 6.* at ego esse validum existimo, quoad valorem calicis argentei, talem enim promisit: non autem Petrum debere dare aureum. Sed quia interdum ita hæceitas speciei à vovente illigatur, ut si illam rem numero non possit facere, ad aliam distinctam numero se obligare non velit, prudenter ad voluntatem quam haberet, recurritur, si error non esset. Et hanc ob rem esset rogandus Petrus, quid fecisset, si sciviſſet esse calicem aureum? essétque secundùm suam responsionem judicandus. Posset enim respondere (1) adhuc promisissem. (2) promisissem alium argenteum. (3) nullum promisissem. Si stet prima responsio, debet offerre aureum: si tertia, nullum: at, quia puto illum secundam daturum, ajo non totum illum aureum vovisse, sed illum eumdem calicem Ecclesiæ N. teneri partialiter, videlicet ad valorem argentei.

Casus proponitur.

1868 *Alii casus.*

Sic resolvi debent alii casus, quos ibidem citatus Hermannus proponit. Nam si Ioannes se ingressurum Monasterium A vovit, & putabat esse ordinis S. Benedicti, cùm tamen Carthusiani sit: non statim à voto est absolvendus sed videndum, quæ circumstantia sit voto essentialis, & quæ accidentalis. Potuit enim (1) ita vovere ingressum in illud monasterium, ut circumstantia Benedictini aut Carthusiani ordinis perinde sit. (2) vel ita ordinem Benedictinum, ut circumstantia monasterii A sit accidentalis. (3) vel ita connectere utramque, ut nec in aliud Monasterium, quàm in A; nec in alium ordinem, quàm in Benedictinum voluerit ingredi.

Sicut error necessariæ notitiæ, sic metus opponitur debitæ libertati: unde aliquid de metu dicemus. Vota ex metu, si is non est incussus ut illa fiant, sunt valida: & ideò vota in naufragio, aut morbo emissa tenent & obligant. Metus injustè incussus, si sit gravis, votum irritat in communi sententia. Quid, si sit levis? etiam votum dirimit opinione Suarii *lib. 1. de Voto. c. 8.* Filliucii *tr. 26. cap. 1.* Busenbaumi *in Med. lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 5.* Sanchii, & aliorum dummodò quis formaliter ex tali metu voveat. Sed, cur hoc votum est invalidum? Hermannus. Quia vel non est voluntarium, vel illud Iura irritant, vel Deus non acceptat. Metus justè incussus vota non irritat.

1869 *An, & quomodo Votum solenne & simplex distinguuntur. An omnes voti violationes sint ejusdem speciei?*

Votum solenne & simplex non distinguuntur specie, sed modo quodam accidentali. Est commune, licèt à D. Thoma, & ejus discipulis negetur.

Omnia vota, quæ objecto differunt, sunt distincta numero. Vnde qui Psalmos Pœnitentiales, & jejunium vovit, si tamen neutrum fecerit, satisfaciet in Confessione dicens *Bis fregi votum:* nec tenebitur materiam voti declarare. Qui vovit rem, ad quam alio titulo tenebatur, ut qui vovit castitatem, si votum violet, duo peccata specie distincta committet, debebitque confiteri dicens, exempli gratiâ, *Fornicatus sum. Violavi votum:* non autem debet explicare, an violaverit votum fornicando, quia non est novum peccatum, nec novam addit speciem illa connexio, Ergo sufficit utrumque explicare peccatum. Est communis, & opposita est omninò improbabilis, nam ratione & authoritate destituitur.

De diebus festis, & jejunii.

1870 *Omnia festa sunt ejusdem speciei.*

Dies consecrantur Sanctis quà Sanctis, & ideò non audire Missam die S. Petri & die Resurrectionis non sunt duo peccata distincta specie. Ergo in Confessione pœnitens satisfaciet dicens, *Toties non audivi Missam die festo:* nec tenebitur explicare quale festum fuerit; fuerítne Dei, Deiparæ, aut alicujus Sancti. Idem dicendum est de illo, qui diebus festis laboraverit: nam opera servilia exercere die Paschatis & die Assumptionis, sunt peccata ejusdem infimæ speciei.

1871 *An violare festum non audiendo Missam, & violare laborando, sint peccata distincta specie?*

Duas res Ecclesia præcipit die festo: & audire Missam, & abstinere ab opere servili: & potest utramque ejusdem virtutis intuitu. Si hæc duo præcepta eamdem speciem Religionis intenderent, essent ejusdem speciei: & qui semel non audiendo Missam, & semel laborando peccasset, satisfaceret in Confessione dicens, *Bis violavi diem festum:* nec teneretur dicere, an bis non audiendo Missam? an bis laborando? an semel non audiendo Missam, & semel laborando? sed qualia sunt hæc præcepta de facto?

1872 *An violare jejunium comedendo carnes, & violare comedendo bis, sint peccata distincta specie?*

Granadus, si vult consequentiam servare, debet illa ejusdem speciei esse asserere, nam *part. 3. controvers. 7. tract. 9. disp. 9. num. 22.* duo præcepta in die jejunii agnoscit, alterum de non edenda carne, & alterum de non edendo bis: & ait hæc duo præcepta differre materialiter tantùm, adeóque qui jejunium fregerit, satisfacere in Confessione dicendo, *Toties fregi jejunium:* nec debere explicare, num per carnium esum, an per duplicem comestionem illud fregerit. Ergo eodem modo posset, aut fortè deberet de festi violatione philosophari.

1873 *An dentur multa virtutes abstinentiæ distincta specie?*

Marchantius *tract. 5. cap. 3. dub. 2.* violationem jejunii per carnes, à violatione per duplicem comestionem distinguit. Ergo eodem philosophari modo poterit, de violatione festi per omissionem sacri & per manuum laborem. Sed cogitur virtutes sub nomine & conceptu abstinentiæ multiplicare: aliam videlicet, quæ ciborum substantiam (vel ut alii loquuntur, qualitatem) respiciat & carnes à piscibus, & utrumque à fructibus & herbis distinguat: aliam, quæ numerum comestionum, aliámque, quæ quantitatem concernat. Nam violatur jejunium, si vel carnes comedas, vel pluries edas, vel in collatione cibis non permissis utaris. An-ne etiam Marchantius distinguet in Quadragesima violationem jejunii per carnes, & per lacticinia? Si hoc faciat, novam aliam speciem abstinentiæ est additurus, ut præceptum inhibens carnes, ab eo quod lacticinia inhibet, distinguatur.

1874 Hærent Diana *part.5. tractat.14.resolut.56. §. Quæro primò.* & Cotonius *in Summa. verb.* Circumstantia. *num.46.* Ergo tu cogita, & quæstionem re benè perpensâ decide.

De violatione Ecclesiarum.

1875 *De distinctione Ecclesiasticarum violationum.* SI inquiras, *An omnes Ecclesiæ violationes sint ejusdem speciei?* Respondebo Clarissimum D.Passerinum scripsisse librum eruditissimum de pollutione Ecclesiarum in quo etsi omnes pollutiones & violationes ingeniosè distinguat, an hæ distinctiones sint purè materiales, non explicat. Fuit à me de hoc subtili argumento consultus, & responsionem & dubii dissolutionem à suo ingenio felicissimo expecto.

NOTA.

1876 *An* Sabbatum, *vel* Sabbathum *scribi debeat?* ADdam aliquid de Orthographia, & aliquid de significatione vocis *Sabbati.* variant enim Authores, & necessarium est aliquid discere, ut eos intelligamus.

Sabbatum scribi debere, & non *Sabbathum*, communis est Latinorum opinio, nam hoc nomen à Græcis receperunt, & hi Σάββατον scribunt, & non Σάββαθον. Abeunt nihilominus aliqui, & erravisse Græcos supponentes, imitantur Hebræos, & *Sabbathum* scribunt: inter quos recensendus est mihi David Origanus, Tomo I. Ephemeridum, qui in Introductorius est, part.1.de Tempore. cap.4. per totum. quem sequitur Scapula in Calepino voce *Sabbathum*, ubi sic inquit. *Vltimam hujus dictionem syllabam aspiramus, quia à verbo Hebræo (* שבת, *sciabbath) fluxit: quod scribitur per* ת *th:* שבת, *sciabbath*, Quievit, *quamvis Græci per* τ *scribant.*

1877 *Sabbatum significat primò septimum diem.* Ad significationem venio. PRIMO *Sabbathum* ergo scribatur vel *Sabbatum*, significat primò septimum hebdomadis diem, quem Saturni diem Ethnici dicunt, quo videlicet Hebræi ab omni opere abstinere jubentur, quia sex diebus mundum condidit Deus, & septimo cessavit ab omni opere quod patrarat. Quem morem sequi videtur ille fluvius, de quo Plinius *lib.31.cap.2.* sic inquit. *In Judæa, rivus sabbatis omnibus siccatur.* quem rivum dedisse Judæis videtur Dominus, ut observandum esse Sabbatum universos doceret.

An Iudæi jejunent in sabbatis?

SECVNDO Σάββατον *hebdomadem* significat, unde intelligi potest illud, *Jejuno bis in sabbato*, quod legitur apud Lucam *cap.18.12.* hoc est *Jejuno bis in hebdomade.* ת. Apud Hebræos vocatur.

1878 *Sabbatum significat hebdomadem.*

Prima Sabbati.	Dominica.	*Dies*	☀.
Secunda Sabbati.	Feria II.	*Dies*	☾.
Tertia Sabbati.	Feria III.	*Dies*	♂.
Quarta Sabbati.	Feria IV.	*Dies*	☿.
Quinta Sabbati.	Feria V.	*Dies*	♃.
Sexta Sabbati.	Feria VI.	*Dies*	♀.
Sabbatum.	Feria VII.	*Dies*	♄.

Dies septimana.

Sed unde quæso hic dierum ordo? Si primus Solis est, cur secundus est Lunæ, tertius Martis, &c.? An non à Chaldæis hæ denominationes desumptæ? Si à Chaldæis, alius ordo instituendus; nam ipsi incipiendo ab inferiori parte Planetas disposuerunt sic

☾. ☿. ♀. ☀. ♂. ♃. ♄.

Ordo Planetarum juxta Chaldæos, & Ptolemæum.

& à superiori descendendo, sic

♄. ♃. ♂. ☀. ♀. ☿. ☾.

at dies denominantur sic

☀. ☾. ♂. ☿. ♃. ♀. ♄.

unde ergo? Respondebo breviter Tabellam hanc ob oculos ponens.

Horæ Planetarum.

Dies.	Horæ Planetarum.												
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	
Dominica	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	Dies.
	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	Nox.
Feria secunda	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♄	♂	☀	Dies.
	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	Nox.
Feria tertia	♂	☀	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	Dies.
	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	Nox.
Feria quarta	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	Dies.
	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	Nox.
Feria quinta	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	Dies.
	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	Nox.
Feria sexta	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♄	Dies.
	♂	♂	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	Nox.
Sabbatum	♄	♄	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☀	♀	Dies.
	☿	☿	♄	♃	♂	☀	♀	☿	☾	♄	♄	♂	Nox.

Dies Planetarum. Horæ secundùm ordinem Planetarum à summo deorsum numerantes procedunt: & quoniam die Dominicâ hora prima est Solis, tota illa dies Solaris nominatur: & Feria secunda Lunaris propter eamdem rationem. Et sic de cæteris. Dies incipit ab ortu Solis; unde juvat hoc Distichon.

Cujus post certum Phœbi hora est prima Planetæ,

Iuxta

Iuxta Chaldæos dicitur esse dies.

Dies initium apud Chaldæos & Norimbergenses.

Ab ortu ad occasum numerant 12. horas Planetarias, & ab occasu ad ortum alias 12. [Hodie apud Norinbergenses dies incipit ab ortu Solis, sed horæ sunt omnes æquales seu æquinoctiales: & apud Bohemos & Italos ab occasu dies incipit, & horæ similiter sunt æquinoctiales.

1879 *Quibus horis usus sit Christus?*

Sed quid Theologo prodesse poterit hæc horarum Chaldæarum cognitio? Tantum, ut sine illa nec Evangelia, nec veteres Iudæorum mores intelligere possit. Christus his horis usus fuit: his Beata Virgo, his in Palæstina Apostoli; & has horæ imitantur Canonicæ, quas in Officiis divinis psallimus.

Proderit recognoscere Matthæi caput 20. quod in Septuagesima cantat Ecclesia: nam summo mane exit Paterfamilias conducere Operarios in vineam suam: deinde exiit horâ tertiâ: iterum horâ nonâ: tandem circa undecimam, &c. Eodem sensu intelligendæ sunt horæ, quarum in Dominica Passione fit mentio.

Annorum Sabbatum.

TERTIO Sabbatum est septem annorum spatium: de quo multa in sacra Pagina, & apud Authores invenies.

NOTA.

1880 *Omnis Tabula ad quatuor Capita reduci debet.*

ÆQuè Prima ac Secunda Tabula ad quatuor Capita reduci debet: videlicet,

I. *Non occides.*
II. *Non mœchaberis.*
III. *Non furtum facies.*
IV. *Non mentieris.*

Occisio & Fornicatio in prima Tabula coincidùt.

Duo illa priora, quæ in Secunda Tabula distinguuntur, in Prima coïncidere superiùs notavimus & demonstravimus: nunc de posterioribus aliqua breviter dicturi sumus. Sequentes Assertiones considera.

1881 *Mendacium duplex.*

Prima. *Mendacium, aliud est merum, & aliud nocivum est.* Merum mendacium dico, quod præter hoc quod est fallere, nullum damnum proximo infert. Nocivum, quod nocet vitæ, valetudini, fortunis, aut honori proximi. Qui suis mendaciis aliquem in mortem trahit, & quintum & octavum: qui bonis spoliat, & septimum & octavum Decalogi præceptum violat: at octavum tantummodò, qui merum mendacium pronunciat.

An sit gravius furari quàm mentiri?

De eo, qui mentitur proximo.

Secunda. *Gravius peccat in proximum, qui illum bonis spoliat, quàm qui merè mentitur.* Hoc à nemine negari potest. Pono exemplum. Turca sedet. Interim tua non refert scire, utrùm sedeat vel stet; & tamen Paulus dicit tibi, *Turca stat.* & Franciscus te vestibus exuit: aio Franciscum in te peccasse graviùs, leviùs Paulum: tu enim, utrùm Turca stet aut sedeat, non moraris; & vestibus carere non debes.

1882 *De eo, qui mentitur Deo.*

Tertia. *Gravius peccat, qui Deo mentitur, quàm qui bona Deo dedicata furatur.* Ostenditur. Omnis homo mendax: & decipi & decipere potest. Cùm tibi Paulus mentitur, te tractat ut hominem: tecum agit humanitùs: non enim perdit quod sit homo mentiendo; nec aufert, quòd homo sis, te decipiendo. Cùm autem Ausonius Deo mentitur, cùm illum in testem sui mendacii adducit, non eum tractat divinitùs, non enim esset Deus, si posset decipi; nec esset Deus, si posset decipere. Ergo mendacium in prima Tabula involvit quodammodo Deicidium: & ideò furto gravius est. Ergo sapientissimè Legislator divinus in secunda Tabula furtum antepositit mendacio, & in prima postposuit. Vnde, si novos homines conderet Deus, qui quando deciperentur, occiderentur: in Decalogo, qui pro illis ferretur, mendacium esset gravius peccatum furto, & illud interdiceretur in septimo, hoc in octavo.

De eo, qui mentiendo occideret.

1883 *An primum & secundum Decalogi præcepta distinguantur?*

Dices. Ergo secundum Decalogi præceptum non differt à primo: nam per perjurium tollitur Deus.

Blasphemiarum genera.

Respondeo, blasphemias, quas ad tertium præceptum reduximus, si hæreticales sint, aut ex odio Dei abortæ, pertinere etiam ad primum. Qui enim dicit, *Vah, qui destruis templum Dei,* &c. honorem Dei externum aufert, & debitam reverentiam negat. At qui dicit, *Deus est iniquus.* & blasphemus & hæreticus est: qui autem *Pereat Deus*, & odio habet Deum, & blasphemat: & hanc ob rem hæ duæ posteriores blasphemiæ ad primum Decalogi præceptum etiam pertinent. Sic similiter in perjurio potest accidere. Si Deum citas in testem, existimans eum mentiri posse, hæreticus es, & tuum perjurium ad secundum & primum præceptum spectat. Si autem mente non erras, sed linguâ; & Deum citas, non ut Deum decipias, sed ut nomine divino abutaris, & illud abutendo, & in vanum sumendo, decipias homines, non es hæreticus, & ideò non primum sed secundum præceptum violas.

An dentur perjuria hæreticalia?

1884 *Peccata cogitationis, loquutionis, & operationis.*

Pergo ulteriùs, & hoc clariùs dilucido. Peccare potest & solet homo, cogitatione, verbo, & opere. Deo ipsi in essentia & substantia sua, in attributis intrinsecis peccator opere (effectivè) nocere non potest; est enim Deus essentialiter immutabilis, & vicissitudinibus non subest: at potest cogitatione (affectivè) & verbo (loquutivè) Si mente aut voluntate existentiam aut attributum aliquod divinum auferat, peccat, in primum Decalogi præceptum homo: si benè de Deo sentiat, & illum odio non habeat, & tamen verba proferat, quæ si essent vera, Deum tollerent, secundum ejusdem legis præceptum temerat.

1885 *De hæresi purè vocali.*

Hinc patet quomodo peccet, qui fidem verbis tantum violat. Hermannus Busenbaum *lib. 2 tract. 1. cap. 4. dub. 3. num. 1.* [Non est hæreticus, qui extrinsecùs tantum fidem negat, aut adorat Idolum. Ratio, quia non errat. Neque talis incurrit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, etsi in foro externo secundũ externa procedatur. Ita Filliuc. *tr. 22. cap. 6. quæst. 4.*] Non est hæreticus, quia non peccat mente aut cogitatione: at peccat verbo, quia adsumit nomen Dei in vanum.

1886 *De peccatis oris.*

Vt hoc altiùs intelligas, audis Petrum dicentem, *Ego occidam Ioannem, & spoliabo Ferdinellum.* qui tamen nec occidendi illum, nec spoliandi hunc animum & intentionem habet. [Pone hæc verba ad neutrius (Ioannis, aut Ferdinelli) notitiam pervenire posse: ne fortè illos perturbare & terrere dicantur, & hinc novam malitiam indepisci.] An-ne violaverit quintum & septimum Præceptum? minimè:

minimè : nec enim illa aut de facto violavit, aut violare voluit : ſed eſt mentitus, & violavit octavum, eodem modo ac ſi ſine jactantia ſed narrativè dixiſſet, *Ego occidi Ioannem, & ſpoliavi Ferdinellum.* Ergo, qui dicit hæreſim, quam non ſentit; qui pejerat, & tamen ſcit Devm mentiri non poſſe; in primam peccat Tabulam, & in Deum ipſum, ſed verbo, & hæc peccata ad ſecundum ejuſdem primæ Tabulæ Præceptum reducuntur.

PRÆCEPTVM IV.

Non ſolùm ad naturales, ſed ad Patresfamilias extenditur, ad Iudices, ad Principes, ad Seniores. Et eſt quadruplex; nam in illud peccat Filius, occidendo, laſciviendo, furando, & mentiendo. Ipſammet literam Textum divinorum conſidera.

EXODI 20. 12.

HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM, VT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM.

1888 COnſonant alia loca; expreſſiora ſubjungam. EXOD. 21. 11. *Qui percuſſerit Patrem aut Matrem, morte moriatur.* Ibid. 21. 17. *Qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur.* EXOD. 22. 28. *Diis non detrahes, & Principi Populi tui non maledices.* Deorum nomine Superiores intelligit, juxta illud, *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* DEVT. 16. 18. *Iudices & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum juſto judicio.* Etiamnum in Oriente locus conſilii *Porta* dicitur. LEVIT. 19. 32. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis; & time Dominum.*

Quinâ Deorum nomine intelligâtur?

Porta quid ſignificet?

1889 Ni aliunde conſtaret Legiſlatoris intentio, ex verbis Exodi videretur potiùs pœnale præceptum, quàm morale. Sed tenendum eſt eſſe mixtum : morale enim eſt, & conſcientias obſtringit; pœnale etiam, & tranſgreſſori pœnam, præmium obedienti deſignat.

An hoc præceptum ſit morale?

1890 Peccat contra hoc præceptum filius, ſi non obediat naturali Parenti in re ad utilitatem familiæ & regimen domus pertinenti. Cum hac limitatione loquor; cenſeo enim non licere Parentibus fræna ſuæ laxare tyrannidi, & filiis jubere quidquid volunt; ſed poſſe illa præcipere, quæ ad familiæ ædificationem conducunt; inhibere, quæ in deſtructionem vergunt; eorum enim authoritas nata à Deo; qui Paulo teſte, dedit poteſtatem hominibus ad ædificationem. Peccat etiam ſervus & famulus, & generaliter loquendo, quicumque ſubditus, qui omittit quæ ſui muneris ſunt; & quidem graviter, ſi inde grave damnum reſultet aut emergat.

Qui illud violent?

An Parentes poſſint jubere filiis quidquid volunt?

1891 Pulchra ſunt & fortiſſima illa Pauli verba quibus Romanos reverentiam erga Parentes & Præpoſitos docet. *Omnis anima*, inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Conſultò *animas* dixit, ut præcluderet viam jam tunc ſerpenti errori, qui conabatur ſtatuere Principes pœnis affligere corpora poſſe, non autem jus habere in animas, nec poſſe ligare conſcientias. Et cur Superiorum legibus ſubditorum animæ & conſcientiæ ſubduntur? *Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo : quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati* (Superiori) *Dei ordinationi* (præcepto, voluntati) *reſiſtit :* nam Deus in quarto Decalogi præcepto & Superioribus dedit authoritatem præcipiendi, & inferioribus obediendi obligationem & neceſſitatem impoſuit. *Qui autem reſiſtunt* (non obediunt) *ipſi ſibi damnationem adquirunt.* Si omnes homines Dei præcepta ſervarent, non eſſent neceſſarii Principes & Prælati : at, quia plerique omnes illa temerant, coërceri debuerunt humanitùs; & ut coërceri poſſent, debuerunt inſtitui Principes & Prælati divinitùs : *nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali :* ſed & interdum Principes mali ſunt, quoniam non raro [Dat veniam corvis, vexat cenſura columnas.] Sed de his, qui authoritate cælitùs conceſsâ abutuntur [Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo] inquit Dominus. *Vis autem non timere Poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter, vindex eſt in iram ei, qui malum agit.* Et ne ſuſurret aliquis, Superiores neceſſarios non eſſe, ſed poſſe unumquemque proprio arbitrio committi, audite. *Ideò* (quia ſinguli non ſufficiunt ſibi, ſed Rectore & Magiſtro indigent) *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram* (quando leges merè pœnales ſunt) *ſed etiam propter conſcientiam* (videlicet, cùm ſunt morales.)

Cur poſſint?

Rom. 13. 1.

An Principes leges morales ferre poſſint?

Cur Principes & Prælati denominantur?

1892 *De Præpoſitis malis.*

Prælatus eſt miniſter Dei.

An ſit in communitate neceſſarius?

HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM.

1893 DEhonorantur homicidio, fornicatione, furto, mendacio. Homicidium & Parricidium differre ſpecie omnes ſciunt, item fornicationem & inceſtum : cur non furta & mendacia erunt diverſa, ſi contra parentes aut contra alios proximos fuerint commiſſa? Caret authoritate, at fulcitur fortiſſimâ ratione diſtinctio.

Quomodo violetur hoc præceptum?

An in Parricidio ſint gradus?

An in Parricidio, ſicut in inceſtu erunt gradus? An aliud erit Patrem, aliud fratrem, & aliud cognatum occidere?

1894 Puto occidere & carnaliter cognoſcere Patrem aut Matrem eſſe contra quartum præceptum & inſtitutionem divinam. Hoc præceptum Eccleſiæ in laſciviæ genere ad quartum gradum realis cognationis extendit.

Vnde

Vnde omnes copulæ uſque ad quartum gradum incluſivè ſunt inceſtuoſæ, at ejuſdem ſpeciei, execrabiliores tamen quò ſint magis propinqui, qui illas habent : ſicut Eccleſia quartum præceptum in laſciviæ genere per gradus extendit, potuit in genere homicidii; at non fecit. Quamobrem termini, qui inceſtum à ſimplici fornicatione diſtinguant inter gradum quartum & quintum collocantur, qui verò Parricidium ab homicidio ſimplici inter primum rectæ lineæ, & primum lineæ collateralis. Hinc eſt graviùs peccare, qui fratrem, quàm qui cognatum : graviùs qui cognatum, quàm qui externum occidit : at qui occidit fratrem non eſt parricida, nec tenetur hoc explicare.

Gradus in genere luxuriæ.

An dentur in genere homicidii?

PRÆCEPTVM V.

1895 *Remanſerunt in homine peccati originalis reliquiæ, duæ potentiæ; nimirum, Iraſcibilis & Concupiſcibilis, ex quibus præcipuè Concupiſcentia coaleſcit, quæ cùm ad agonem relicta ſit, aſſerente Concilio Tridentino, non conſentientibus, ſed per Dei gratiam reſiſtentibus, nocere non valet. Iraſcibilem hoc præceptum, Concupiſcibilem ſextum compeſcet; ſed quia Concupiſcentia nonnunquam in ſolo corde latitat, & aliquando verbis aut etiam operibus ſe prodit, voluit fragilitatem noſtram Deus articulis iſtis roborare : videlicet actus externos quinto, & ſexto; ſcandala decimo, & actus purè internos nono.*

EXODI 20. 13.

NON OCCIDES.

1896 HVc ſpectant alia ejuſdem Teſtamenti loca LEVIT. 16. 13. *Proximum vi non opprimes.* DEVT. 24. 16. *Non interficientur patres pro filiis, nec filii pro patribus.* & hæc de operatione, de Verbo. LEVIT. 16. 14. *Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum; ſed timebis Dominum Deum tuum.* Et de cogitatione, LEVIT. 16. 17. *Ne oderis fratrem in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

1897 *An occidi homines poſſint publicâ authoritate?* Anxii & ancipites hunc Legis articulum Authores legunt; ex una enim parte vident interdici homicidia, ex altera occidi homines in Rebuſpublicis benè gubernatis. Si Deus homicidia interdixit, inquiunt, quî ſtrangulatur latro? quî comburitur ſaga? quî ſcelerati homines ultimâ ſententiâ condemnantur?

1898 *An ſolummodo innocentè occidere interdicamur?* Reſpondent aliqui hac lege inhiberi tantummodò innocentum excidia; ſed perperam; quia, ſi hoc verum, peccatores poſſent privatâ authoritate occidi, quod nemo prudenter admittet.

1899 *An liceat reipublicæ occidere?* Alii cautiùs hanc legem impoſitam putant privatis hominibus, non Magiſtratui & Principi. Sed ex hac ſolutione graviora inconvenientia orirentur; nam ex ea ſequeretur licere Principi, aut etiam Magiſtratui, quemcumque innocentem occidere, quòd in omnium ſententia falſum eſt. Sequeretur, ſecundò aliis articulis Reges & Principes ſupremos non obſtringi, adeóque poſſe adulteria & idgenus reliqua publica authoritate committi, vel detur diſparitatis ratio.

An adulteria, &c. poſſint publicâ authoritate committi?

1900 *Quintũ præceptum omnes obligat.* Ego quidem ſemper tenui & teneo quintum Decalogi præceptum omnibus eſſe impoſitum, & neminem poſſe ullo prætextu aut titulo ab illius obligatione eximi. Peccat privatus homo, ſi alium occidat directè; & peccaret Reſpublica, ſi idem faceret. Nec tamen inde ſequitur ultimas ſententias, quæ contra ſceleratos feruntur, eſſe illicitas; hujuſcemodi enim Reipublicæ peſtes nunquam occiduntur directè. Rem explico. Petrus privatus homo, habet jus defendendi ſuam vitam, & ſi invadatur, poterit illam defendere etiam perdendo invaſorem; cùm autem non ſolùm ſuæ vitæ ſit dominus, ſed etiam honoris & divitiarum (imò horum potiùs quàm vitæ) poterit etiam ſuam authoritatem propugnare, ſuas divitias defendere, etiam cum invaſoris excidio, ſi aliter nequeat. Id ipſum quod privato homini in omnium ſententia conceditur, à fortiori concedendum venit Reipublicæ. ſcelerati homines cùm alios occidunt aut expoliant, corporis myſtici membra præcidunt, Reipublicæ divitias abſorbent, communem tranquillitatem turbant; &, ſi permitterentur, redderent vrbes inhabitabiles : Reſpublica igitur ſuo jure utens, ſuorum membrorum vitas, divitias, & quietem primariò & directè propugnans, invaſores indirectè : &, ſi benè loqui velimus, præter intentionem occidit : ſtat igitur illæſa quinta Lex Decalogi, quin ab ejus obligatione aliquis eximatur. Naſcitur quidem invaſorem occidendi facultas ex dominio innato, & ex dominio proprietatis, quod habent homo privatus & publicus, ut fuſiùs libro primo & ſecundo dictum & expoſitum eſt.

An ſceleratè licitè plectãtur capite?

1901 *Poteſt invaſorem occidere privatus homo:*

poteſt Reſpublica.

Scelerati à Republica præter intentionem occidunturs

NOTA.

IN Officio divino, verbi gratiâ, non ſolùm eſt mortale totum, ſed etiam notabilem partem omittere, ſic in peccatis commiſſionis non ſolùm eſt mortale rem totam facere, ſed illam graviter incipere : unde contra quintum Decalogi præceptum peccant, non ſolùm, qui occidunt, ſed etiam qui mutilant, qui vulnerant, qui verberant : &c. Et de hac materia multa *à n.* 1563. in noſtra Theologia Fundamentali reperies.

1902 *Qui peccant contra quintum præceptum?*

1903 *Homicidium interdictum à Deo & à Republica nõ differunt ſpecie?*

Interdicit Deus homicidia, interdicit Reſpublica, ſed quia ſub eodem motivo præceptum ſecundum non inducit diverſam ſpecie obligationem; eſt enim repetitio & intimatio quædam primi. Ita Franc. Amicus *tomo 3. diſp. 18. n. 21.* Clerici percuſſio interdicitur à Deo & ab Eccleſia ſub diverſo motivo: à Deo quà hominis, ab Eccleſia quà perſonæ Deo ſacræ, & ideò hæc præcepta duas inducunt obligationes differentes ſpecie. Ita Amicus *ibid.*

Occidere Clericum eſt diverſa ſpeciei, quàm occidere laïcum.

PRÆCEPTVM VI.

1904 *Authores plurimi neſcio quali ſpeculatione præventi auſi ſint dicere non poſſe Deum in fornicatione diſpenſare, & mihi tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam Theologicam malitiam involvere, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omni rationi diſſonum videatur. Diſputant Theologi, An res ſint malæ, quia prohibitæ; an verò ſint prohibitæ quia malæ? & ego demonſtraturus illud prius, argumentum ex fornicatione deſumo; multa enim ſexto hoc Decalogi præcepto interdicta reperio, quæ præciſa à præcepto non ſolùm dicerentur indifferentia, ſed & bona. Ipſam literam examinemus.*

EXODI 20. 13.

NON MOECHABERIS.

1905 *De adulterio. De inceſtu.* PRohibentur matrimonia & copulæ cum Patre & Matre LEVIT. 19. 7. cum Noverca 19. 8. cum ſorore 19. 9. cum nepte 19. 10. cum ſorore prævigna 19. 11. cum amita & matertera 19. 12. & 13. & hoc in gradibus conſanguinitatis; nam, ſi affinitatem reſpiciam, copulæ & matrimonia cum uxore patrui interdicuntur 19. 14. cum nuru 19. 15. cum uxore fratris 19. 16. cum filia & nepte prævigna 19. 17. cum ſorore uxoris 19. 18. ſed & ſimplex fornicatio interdicitur his verbis: *De meretricibus.* *Ne proſtituas filiam tuam.* LEVIT. 19. 29. *De mollitie.* *Non erit meretrix de filiabus Iſraël*, Mollities interdicta iſtis, DEVTERON. 23. 17. *De ſemine tuo non dabis Idolo Moloch.* At quia poſſet quis dicere illum apud Ethnicos actum eſſe idololatriam, recurrendum eſt ad Paulum, textum exponentem his verbis, *Molles regnum Dei non poſſidebunt.* Sodomia interdicitur iſtis LEVIT. 17. 21. *Cum omni maſculo non commiſcearis.* & Beſtialitas iſtis, *Cum omni pecore non coïbis.*

De Sodomia.

De Beſtialitate.

NON MOECHABERIS.

1906 *Auguſtini ſententia de ſexto præcepto Decalogi.* CItavi Auguſtinum ſuperiùs cùm Decalogi darem Paraphraſin: verba nunc addo. *Dico*, inquit Sanctus Doctor, *& aliter eſſe conjugium, ubi proles niſi per concubitum non poteſt procreari: ſi enim aliter poſſet, & tamen concumberent conjuges* (N. B.) *apertiſſimè libidini cederent, atque illo malo uterentur malè. Cùm verò propter quod ſexus ambo inſtituti ſunt, niſi eorum commixtione non naſcatur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur benè. Si autem de libidine quærunt etiam in concumbendo voluptatem, venialiter malè.* Ita *libri 5. contra Julianum cap. 12.*

1907 *An matrimonialis copula eſſet peccatum, ſi aliter homines generarentur?* Incidit in hunc textum Cornelius Ianſenius, in ſui Auguſtini *tom. 2. lib. 3. cap. 10. columna 343.* illúmque hoc Scholio dilucidat. [*Addo amplius, ut plenius conſtet, quàm immobiliter verum ſit, nihil omninò propter carnis voluptatem poſſe fieri.* Si proles ipſa, propter quam commiſcentur conjuges, aliter quàm commixtione libidinis ſuſcipi poſſit, etiam concumbendo delinquerent. *Quod quamvis eadem rationis ſublimitas veriſſimum eſſe convincat, docere tamen non auderem, niſi Auguſtinus ante diſertiſſimè docuiſſet.*]

1908 Ecce Lex omnem laſciviam & immunditiam interdicit. Sed quia voluit Deus, ut per parentum commixtionem homines gignerentur, diſpenſavit in hac lege quoad conjuges: unde, ſi finis diſpenſationis deſineret; putà ſi homines, ſic diſponente Deo, tali ſufflante vento, ut de equis Beticis narrat Ariſtoteles, vel tali hauſto potu in poſterum forent procreandi, ceſſaret finis diſpenſationis, ac propterea ipſamet diſpenſatio, & manente lege in ſuo primo rigore, etiam matrimonialis copula eſſet peccatum.

1909 *An Deus diſpenſaverit in ſexto hoc præcepto quoad aliqua cum Chriſtianis?* Ante Chriſtum & inſtitutionem Sacramenti Matrimonii accedere ad uxorem libidinis causâ fuiſſe peccatum mortale, & eſſe nunc apud Chriſtianos veniale, clariſſimè docuit multis locis. *Libri contra Iulianum quarti cap. 10.* ſic ait. *Sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propaginis. Si autem vicerit, & propter ſe ipſam, & non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit,* (ut planè contingit, quando quis ad annoſam, effœtam, gravidam, aut ſterilem venit) *voluptas veniale peccatum fit propter nuptias Chriſtianas.* Ergo, ſi non eſſent nuptiæ Chriſtianæ, eſſet mortale. Ergo apud Ethnicos, Iudæos & Mahometanos apud quos non ſunt nuptiæ Chriſtianæ, etiamnum eſt mortale. Ergo diſpenſavit Deus cum Chriſtianis ut quod anteà erat mortale, & nunc etiam apud Infideles eſt mortale, ſit veniale tantummodò. Et hinc duo ſequantur: alterum, poſſe Deum diſpenſare in Decalogo: alterum, poſſe rem gravem præcipere ſub culpa levi.

Potrò

1910 *De Luxuria ſpeciebus.*

POrrò Luxuria eſt peccatum genericum & ſub ſe ſpecies theologicas, philoſophicas, & politicas habet. ſic ſolet dividi.

1911 Primò dividitur Luxuria in eam, quæ ſecundùm naturam eſt, & eam quæ contra. Illa ſubdividitur in varias ſpecies, quæ tamen nec ſunt omnes ſimplices, nec omnes theologicæ.

Quid ſimplex fornicatio ſit?

SImplex fornicatio, ut illam P. Acacius March de Velaſco *tom. 2. verb.* Luxuria *reſol. 200. num. 6.* definit, *Eſt inordinatus concubitus naturalis, quo ſolutus ſolutam in vaſe naturali cognoſcit.* Illa ſyncategorematica *inordinatus*, & *naturalis* tolli poſſunt; ſi enim inter ſolutos eſt, inordinatus eſt; &, ſi in vaſe à natura deſtinato, naturalis.

1912 *Quid ſtuprũ ſit?*

STuprum *eſt illicita virginis defloratio*, ut vult D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 6.* Acacius *reſol. 204. num. 1.* & alii. Sanè ſtuprum, ſi ſit volentis defloratio, eſt ſpecies politica, & non theologica Luxuriæ: eſt politica, quia aliter punitur fornicator, aliter defloror; quia hic ex lege tenetur defloratam ducere aut dotare: unde S. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 6. ad 3.* ſtans communibus moribus & Caietanus *ibid.* ait: *Puella dotetur ſecundùm ſuum ſtatum, ita ut detur ei talis dos, quæ cum dote ſua ſuppleat defectum virginitatis; & aliquid addatur ob contumelioſam vitam, quam cum alio viro patietur cognito virginitatis defectu.* An hoc tenebitur ante ſententiam Iudicis, ſi puella conſenſerit liberè? ſi vir ſit dives & opulentus debere dare dotis partem docent Bañez, Salonius, & Acacius citati. Non eſt theologica, quia non eſt in confeſſione explicanda: ſcienti enim & conſentienti non fit injuria. *Eſtando en eſta opinion*, ait Acacius, *conſiguientemente ſe dize, que el que deſfloró la donzella que conſiente, comete peccado de ſimple fornicacion, aunque eſté debaxo de la tutela del padre.* Et *tom. 1. verb.* Docella *reſol. 272.* citat pro hac opinione Dianam *de circumſtantiis. part. 1. reſolut. 11.* Leſſium *lib. 2. cap. 10. dub. 6. num. 5.* Sotum *in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* Sanchez. Navarr. *de reſtit. lib. 2. cap. 3. n. 419.* Vaſquez *in opuſc. de reſt. cap. 3 §. 1. dub. 1. num. 6.* contra Bonacinam, Azorium, Sylveſtrum, Nugnum, Villalobos, & alios: & poſtèa *tom. 2. reſol. 204.* eamdem reponit opinionem, & pro illa allegat Sotum *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* Petrum de Navarra *lib. 2. de reſtitut. cap. 3. p. 4.* Vaſquez *1. 2. quæſt. 74. art. 8. diſp. 112. num. 1. & 3.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſ. 24. num. 5.* Leſſium *de Iuſt. lib. 4. cap. 3. dub. 9.* & *lib. 2. cap. 10. dub. 1.* & Marchantium in *Horto Paſtorum cap. 5. reſol. 6.* Et addit hanc ferè omnium modernorum eſſe ſententiam. Hinc patet fœminam, quæ ſecum habuit tactus illicitos, aut procuravit pollutionem, non teneri in Confeſſione explicare, an ſit virgo? nec debere de hoc à Confeſſario interrogari, ut ait Fagundez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 7.* [Et nota hîc obiter ex hypotheſi, quod mulier hanc circumſtantiam aperire in Confeſſione teneretur; non ſequi teneri etiam virum, in hoc enim ceſſant rationes, quæ contra fœminam formantur. Ita Ledeſma *1. part. Summæ. tract. de pœnit. cap. 19. diff. 5.* & *2. part. tract. 27. cap. 10. §. Ad hanc difficultatem.*]

An ſit ſpecies politica?

An fœmina teneatur in Confeſſione explicare, an ſit virgo?

An & vir?

1913 *Violentia in quocumque eſt peccato explicanda.*

Si Stuprum *eſt puellæ virginis repugnantis illicita defloratio*, ut vult Cotonius *verb.* Stuprum, *num. 1.* nec prima defloratio maſculi eſt ſtuprum, nec defloratio puellæ conſentientis. Tunc violentia addit novam ſpeciem non novam differentiam genus contrahens: & æquè tenetur confiteri circumſtantiam violentiæ, qui puellam virginem cognovit, quam qui non virginem, quam qui puerum: quam etiam in aliis peccatis, putà ſi Ioannem quis coëgerit ut occideret Paulum. Deflorans virginem per vim ſatisfacere in Confeſſione dicendo, *Cognovi ſolutam per violentiam.* aliqui viri docti aſſerunt apud Ioannem Sancium *in ſelectis diſp. 29. num. 8.* & benè fortè viderentur diſcurrere, nam ſi virginis volentis defloratio eſt ſimplex fornicatio, virginis nolentis defloratio erit ſimplex fornicatio per volentiam: tota enim differentia in eo conſiſtit, quod illa volens, hæc nolens; illa ſine violentia & hæc violenter cognoſcatur. Sed hanc, & meritò doctrinam, ipſemet Sancius non admittit: teſte Diana *part. 1. tractat. 7. reſol. 11. §. Notandum*, & Cotonio *in Summ. verb.* Circumſtantia *num. 25.* Et quidem non debet hoc neceſſariò admitti, etſi defloratio virginis volentis eſſe ſimplex fornicatio dicatur: quia fornicando illa perdit multa, quæ volens, poteſt cedere, quibus tamen non poteſt invita & repugnans privari. [Sed hîc non importunè adduci debet ille verſus Ovidii.

Si defloretur per violentiã puella, debet explicari virginitatis circumſtantia.

Pugnabat Cloris, tanquam quæ vincere nollet:

nam & ipſe meretrices optant videri honeſtæ, & ſæpè fingunt ſe nolle fœminæ, quæ concupiſcunt: iraſcuntur, ſi vir audeat; &, ſi non auderet, magis iraſcerentur.]

Non ſunt omnes fœminæ invitæ, quæ videntur.

1914 *An ad Raptũ requiratur abductio?*

RAptus, ut vult Gratianus *in c. raptoribus. 36. quæſt. 1.* & Thomiſtæ communiter, accidit, *cùm perſona aliqua ex loco in locum abducitur, libidinis causâ; nempe per vim; nupta aut innupta ſit, corrupta aut virgo: ſive vis ſoli illi inferatur, vel ſoli illi ſub cujus poteſtate eſt, ſive utrique.* Eſt ergo neceſſaria primò, ex loco ad locum tranſlatio, quâ deficiente non eſt raptus: *porque, ſi la hizieren, fuerça donde ella eſtaba, ſin ſacarla de alli, no ſerá rapto, ſino fuerça, como es conſtance*, inquit Acacius March de Velaſco *tom. 2. reſ. 205. num. 3.* Eamdem ſententiam retulerat *tom. verb.* Copula. *reſol. 215.* & pro illa citaverat Hurtadum *de Sacram. diſp. 23. diff. num. 11. ex leg. unic. de*

Raptu. Præpositum *in 3.part.quæst.7.de impedi. matr.dub.16.n.148.* Sylvium *in 2.2.quæst.154. art.1.* & alios. Producit etiam Gesualdum *in Theol.Moral.tom.1.tract.35.cap.7.num.10.* dicentem. *Vt raptus sit peccatum luxuriæ distinctum à fornicatione simplici, opus est ut fiat abductio mulieris.* quod adfirmat nomine Sylvestri & aliorum. Secundò requiritur, ut abducatur libidinis causâ, si enim abduceretur in captivitatem, non esset raptus, de quo agimus, ut monet D.Thomas 2.2.*quæst.154. art.7.* An requiratur copula, an verò sufficiat intentio? dubitant Iuristæ & Theologi. Bald. *in leg. Si quis non dicam. in fin. Cod.de Episc. & Cleric.* abductionem respiciunt, & aiunt Raptum esse, si de facto libidinis causâ abducatur, etsi non tangatur lascivè: alii eum, qui potuit, & non habuit copulam, dicunt non esse puniendum pœnâ ordinariâ; secùs, si non fecit, quia non potuit. Abduci per vim debet; unde si volens abduceretur, & nolens cognosceretur, raptus non esset, sed vis, Hisp.*fuerça.* Acacius March de Velasco *tom.2. resol.205.num.3.* Quid, si cognosci volens, & abduci nolens, abduceretur? Non abduceretur libidinis causâ, hæc enim posset sine abductione expleri: ergo non esset raptus libidinosus. Tertiò, si vis ipsa consideretur, Raptus erit triplex; nam violentia fit ipsi puellæ, etsi illi sub quorum est potestate, consentiant; hoc enim ad Raptum sufficit, ut docent Sanctus Thomas 2.2. *quæst.154. art.7.* Navarrus *cap.16.num.3.* Sylvester *verb.* Luxuria *quæst.1.* & alii. Vel fit violentia his, sub quorum potestate est puella, & si illa consentiat, ut constat *ex lege 1.Vsque adeo. ff.Iure,* Sylvestro *ubi suprà.* Sanchezio & aliis. Vel fit utrisque: & tunc esset duplex violentia.

Qualis ea esse debeat?

1915 *Violentia in Raptu triplex.*

Abductionem non esse necessariam, sed solam violentiam sufficere, ut raptus formalis dicatur, docuit S.Thomas 2.2.*quæst.quæst.54. art.7.* Sanchez *lib.7.de matrim. disp.12.num.7. & disp.14. num.7.* Pellizarius *in Man. Regul. tom.1.tractat.4.cap.3.sect.4.num.70.* Interim si ipsa & abduci & cognosci vellet abductorem & violatorem simplicem tantum fornicationem committere docuerunt Viti docti, & ex ipsis Diana *part.1.tract.7.resol.11.* & Antonius Cotonius *in Summ.verb.* Circumstantia *n.25.* Raptor, & omnes, qui auxilio aut consilio cooperati, sunt excommunicati ipso facto, perpetuò infames, & dignitatum incapaces, & si Clerici sint, veniunt ex proprio gradu dejiciendi. sic disponente Tridentino Concilio *sess.24. de reform. cap.6.* Raptus hoc modo expositus dirimit matrimonium, nec hoc validè potest contrahi quamdiu puella sit in raptoris potestate, etsi ipsa velit.

Raptus volëtis an differat à simplici fornicatione?

1916 *De raptu sponsæ.*

Sed hîc obiter notandum est, si sponsalia de futuro præcesserint, etsi puella consenserit, invitis his sub cujus est potestate abduci non posse: & si abducatur Raptum committi *ex leg.unic. C.de raptu virginum.* Sed hanc legem corrigit textus *in cap. de raptib.* ut sentit Sanchez & Acacius. Et quidem, si non est Raptûs reus, qui non sponsam volëtem abducit, ut paulò antè Diana & Coton.nos docuerûnt, à fortiori non erit hujus criminis reus, qui sponsam de futuro volëtem consentientemq; è potestate parentum aut tutorum extraxerit.

His omnibus benè consideratis Raptum non esse rigorosam speciem luxuriæ naturalis, pronuncio: nam Logica & Metaphysica postulant, ne species constituantur per differentias communes, & hæ quæ Raptum constituunt præscindendo à præcepto Ecclesiæ naturali & contranaturali communes sunt: æquè enim in raptu Europæ & in Ganimedis reperiuntur. Et inveniri possunt in aliis peccatis: nam etiam quis ut colat Idolum, aut ut occidat hominem &c. posset invitus ex loco ad locum abduci. Est ergo Raptus quædam communis multis culpis violentia; quæ, si personæ invitæ fit & libidinis causâ, habet deformitatem specialem Ecclesiasticam ob censuras.

1917 *An raptus sit species rigorosa luxuriæ?*

Sed, quomodo debebit confiteri, qui raptum; quomodo, qui stuprum commisit? Puto, non benè confiteri dicens, *Ego semel crimen raptus, & semel stupri commissi:* nam cùm hæ voces sumantur æquivocè, aut vitari debebunt, aut per alias adjunctas limitari & exponi. Cognovit, verbi gratiâ, Petrus virginem per violentiam: hoc crimen alii Authores stuprum, alii Raptum appellant: malitia non dependet à nomine, sed à re: ergo benè se explicabit dicendo, *Virginem defloravi per vim.* malè dicendo, *Raptum commisi*, quia hoc nomine multi abductionem cum fornicatione; alii abductionem solam; nemo defloration em intelligit: malè etiam confiteretur dicendo, *Commisi stuprum:* quia multi hoc nomine non intelligunt vim, sed defloration em tantummodò, quæ si volentis puellæ sit in multorum sententia à simplici fornicatione politicè, non autem theologicè differt.

Quomodo se debeant in Confessione explicare, qui raptum, aut stuprum commiserint?

Voces Stuprũ *&* Raptus, *sunt aquivocæ.*

In Confessione omnis est aquivocatio vitanda.

Debet igitur pœnitens in confessione explicare fornicationem. Si puella fuerit virgo, & consenserit, non debet explicari virginitatis circumstantia: si non consenserit debet explicari; & violentia & virginitas. Si non fuerit virgo, & per vim fuerit cognita, debet exponi vis, &, si abducta fuerit, etiam abductio: tum, quia hæc est nova injuria: tum quia addit novam deformitatem: nam raptus dirimit matrimonium, & copula inter eos, qui matrimonium inire nequeunt, habet malitiam specialem. Vnde, quia quamdiu est in potestate raptoris, matrimonium dirimitur; quamdiu est in potestate raptoris, etsi volens cognoscatur, hæc nova non aberit à fornicatione malitia: aliud enim est (N.B.) abduci volentem; & aliud abduci invitam, & postea tangi ab amasio non invitam.

Circumstantia, quæ in Confessione exponi debẽt.

De illorum copula, qui matrimoniũ inire non possunt.

1918 *Copula cum conjugata, etsi maritus consentiat in foro divino est adulterium:*

ADulterium dicit etiam malitiam supra fornicationem, quam seorsim difficulter exponas. Hæc malitia partim civilis, & partim Theologica est. Quà Theologica à conjugis voluntate non pendet, & marito consentienti fit injuria, non enim potest licitè aut validè consentire: & hanc ob rem verum est Adulterium quoad Deum, etsi ex conjugis consensu committatur. Sed quoad homines? Respondet Eligius Bassæus *tom.2. verb.* Adulterium *num.9.* dicens. [Si adulterium commissum est de voluntate, aut consensu mariti, quia id illi suasit, vel quia id illi permisit sciens ac potens id impedire, nec impedivit: de quorum numero est is maritus, qui homines

an etiam in foro Politico.

homines in domum ſuam inducebat illóſque cum uxore ſua relinquens recedebat, admonitúſque ab uxore, quod ab illis ſollicitaretur ad peccandum, id non curabat. Ita habetur *cap. diſcretionem, de eo qui cognovit conſang. uxor.* Ex eo autem quòd maritus illi occaſionem adulterii præbeat, non tribuendo illi neceſſaria, aut illam malè tractando, vel expellendo illam domo ob iram, vel alia ſimili ratione, non cenſetur velle ac conſentire in illius adulterium. Vt tamen maritus, qui conſenſit in uxoris adulterio, ſi velit illam accuſare, repellatur, eáque adultera à tali accuſatione abſolvatur, neceſſe eſt ut uxor id illi opponat ante litem conteſtatam, atque tunc ſi illi id probet punitur maritus de lenocinio uxoris, & tam adultera quàm adulter ab accuſatione mariti abſolvuntur. Vide Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſp.* 5. *num.* 3. 4. 5.

1919 *Quid facere maritus debeat, ut in adulterio conſentire dicatur?*

An accuſare uxorem ob adulterium poſſit, ſi conſenſit?

1920 *Quid Inceſtus ſit? Quotuplex?*

Ad quos gradus ſe extendat?

INceſtus eſt copula inter conſanguineos aut affines in gradibus prohibitis. Videtur in Decalogo ſolam copulam in primo gradu lineæ rectæ interdici (videlicet, inter patrem & filiam, filium & matrem) Hanc legem extendit Eccleſia ad alios gradus conſanguinitatis: nempe uſque ad quartum incluſivè. Eamdem ad affinitatem uſque ad eumdem gradum. Eamdem ad commixtionem fornicariam uſque ad gradum ſecundum incluſivè. Eamdem etiam ad cognationem ſpiritualem, ita ut nec ſuſcipiens nec ſuſceptus nec parentes ſuſcepti poſſint matrimonium contrahere: & hoc in Baptiſmatis & Confirmationis Sacramento. Eamdem ad cognationem legalem: ſed quia hoc illa vix in uſu exſcribam ex Cotonio *in Summa. verb.* Impedimentum, *num.* 7. hanc periodum. [Legalis cognatio contrahitur per adoptionem alicujus in filium. Eſt autem duplex: perfecta, quæ dicitur *Arrogatio*, qua ſcilicet adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, ſitque ejus neceſſarius hæres de poteſtate ſupremi Principis tantùm: & imperfecta, quæ retinet nomen generis, qua nimirum adoptatus remanet ſub poteſtate patris carnalis, nec fit hæres neceſſarius adoptantis teſtantis, ſed tantùm inteſtati, adque eam ſufficit authoritas Magiſtratus. Et quidem in ſententia Præpoſiti *in* 3. *part. quæſt.* 7. *dub.* 13. *num.* 109. & aliorum utriuſque adoptionis cognatio irritat matrimonium; quia jura indiſtinctè loquuntur: ſed Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 63. *num.* 8. probabiliùs tenet ſolam cognationem adoptionis perfectæ dirimere, & ita interpretanda eſſe jura, quia in re pœnali reſtringi debent; præſertim, quod periculum incontinentiæ ex cohabitatione, ait D. Thomas fuiſſe motivum hujus impedimenti ſtatuendi, non procedit in adoptatione imperfecta in qua adoptatus non habitat in domo adoptantis, & in hac ſententia eſt ipſe D. Thomas *in part.* 3. *quæſt.* 57. *art.* 2. ut colligitur ex ratione citata, quam aſſignat; ex quibus Ludovicus de S. Iuan *de matrim. quæſt.* 6. *art.* 11. *dub.* 2. *concluſ.* 4. docuit, ex adoptione imperfecta oriri ſolùm impedimentum impediens, quod tamen etiam negat Ochagavia *de Sacram. tract.* 3. *quæſt.* 58. *num.* 5. *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 120. *& part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 54.

Adoptio duplex: perfecta & imperfecta.

An utraque matrimoniũ dirimat?

1921 *Ceſſante fine legis in particulari, ceſſat lex.*

An imperfecta inferat impedimentum impediens.

1922 Sed quomodo inter ſe diſtinguuntur Inceſtus? ſunt, qui cognationem ab affinitate, & poſteà cognationem naturalem ab ſpirituali, & alterutram à legali Theologica ſpecie diſtinguant: imò ut Ethicam dicent, etiam gradum à gradu. Sed mihi ſummopere placet parcus naturæ genius: & quia de Ethicis philoſophor, ſicut de Phyſicis, genium Ethicæ parcum eſſe deſidero, & ideò P. Acacio March de Velaſco *tom.* 2. *verb.* Luxuria. *reſolut.* 209. *num.* 10. aſſerenti omnes inceſtus eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei, animo libenti ſubſcribo: *Algunos Doctores*, ait, *defienden, que los grados de la conſanguinidad afinidad ſon de la miſma eſpeciei porque como lo ſignifica S. Tomas en el lugar citado, tienen una miſma deformidad, y todos ſe oponen a la virtud de la piedad ſolamente: y en eſta opinion baſta que el penitente diga en la Confeſſion auer cometido un pecado de inceſto, tantas vezes, ſin dezir que era con hermana. Eſta ſentencia deuen ſeguir los que affirman que ſolo las circumſtantias que mudan ſpecie ſe deuen confeſſar, y no las que notablemente agrauan. Y parece, ſe deue ſeguir eſta opinion por facilitar la difficultad que ay en confeſſar eſtos pecados: y en materias morales es razon aliuiar las conciencias, quando ay fundamento para hazerlo.*

An Inceſtus differant ſpecie?

1923 *An circumſtantia aggravantes debeant in Confeſſione exponi?*

An debeat Theologus ſequi benigniores ſententias?

SAcrilegium eſt copula contra votum: quando ſcilicet alteruter voto caſtitatis obſtringitur, vel uterque. Hinc eſt ſacrilegium in ſimplex & duplex ſubdividi: illud eſt quando altera perſona, hoc quando utraque voto caſtitatis obſtringitur.

1924 *Quid ſit Sacrilegium & quotuplex? ſimplex: duplex.*

Qui in Presbyteri & Monialis copula duas malitias puro numero diſtinctas reperiunt (nam diſtinctas ſpecie apud neminem legiſſe me memini; & puto me eſſe primum, qui hanc viam iniverim; non quidem reſolutivè, nam ſpecierum novas multiplicationes non deſidero; ſed propoſitivè, ſi fortè hac via Thomiſtæ ſine inconſequentia poſſint tueri, tam in adulterio, quàm in ſacrilega fornicatione debere in Confeſſione aperiri ſimplicis & duplicis malitiæ diſtinctionem.)

An in Ethicis ſint multiplicandæ ſpecies?

Qui in Presbyteri, inquam, & Monialis copula duas malitias puro numero diſtinctas reperiunt, obnoxii ſunt huic argumento, quod benè ſolvi, nondum vidi.

1925 *An malitia quæ inveniũtur in adulterio aut ſacrilegio duplici, differãt ſpecie?*

Probabile eſt nec duas formas ſubſtantiales puro numero diſtinctas in eadem materia, nec duas accidentales puro numero diſtinctas in eodem ſubjecto eſſe poſſe. Patet: quia licèt oppoſitum doceat Scotus, & ejus Schola communiter, hæc eſt Angelici Doctoris & omnium Thomiſtarum doctrina: nam ubi Scotiſtæ ponunt duas partes albedinis in eodem indiviſibili ſubjecto, & dicunt hoc habere plures gradus ſeu partes albedinis: Thomiſtæ unicam albedinem collocant, quæ magis radicetur, & intimiùs habeatur, & omne majoris & minoris intenſionis diſcrimen ad majorem formæ radicationem reducunt. Et quis eſſe dubitet utramque opinionem probabilem?

An forma puro numero diſtincta in eodem ſubjecto poſſint eſſe ſimul?

Atqui ſicut de Phyſicis phyſicè, ſic etiam de Moralibus eſt moraliter philoſophandum. Hanc ſemper ut certam ſupponit D. Thomas; ſicut enim de Moralibus ſic de Phyſicis philoſophatur.

Ergo probabile eſt, duas malitias puro numero diſtinctas 1926

An malitia puro numero distincta in eodem actu?

distinctas non posse reperiri in eodem actu. Ergo in Adulterio, quando uterque est conjugatus, & in Fornicatione quando uterque est religiosus, debet Scotista duas malitias reperire, at Thomista unicam magis radicatam & actus illos inficientem intimiùs.

Quomodo cõfiteri debeat, qui duplex adulterium, aut duplex sacrilegium commisit?

Ergo Thomista, vel dicturus est, illas duas malitias distingui specie: & hoc apud neminem legi: *Vel aliàs, si non distinguantur specie, cùm duæ puro numero distinctæ in eodem esse actu non possint, in Adulterio duplici, & sacrilegio duplici esse unicam tantùm malitiam; ac propterea non teneri pœnitentem in Confessione circumstantiam hanc aperire, quod docuit Sà hoc argumento convictus.* Sed hanc Sà doctrinam Magister sacri Palatii (& ipse semper est doctissimus Dominicanus) in Summæ Emanuëlis Sà Romanâ Editione correxit; & in aliis libris Romani Censores non tolerant. *Vel tandem duas malitias distinctas puro numero in eodem actu collocare.* Sed hoc est fundamenta D. Thomæ relinquere, & ad Scotistas confugere.

Dignetur, quæso, pius Lector hujus argumenti lineas singulas considerare.

1927 *An species Luxuriæ naturalis sint metaphysica & veræ?*

HInc patet non dividi Luxuriam in has species more Dialectico aut Metaphysico, ut Animal in Rationale & Irrationale, sed sicut Homo in Album, Nigrum, Equitem, &c. nam aliæ sunt species accidentales Luxuriæ, ut vidimus: aliæ addunt novam speciem; nam sicut Eques dicit duo (Hominem, Equúmque) sic sacrilegium dicit duo (Fornicationem, & Violationem voti) quæ tam per accidens conjunguntur, ut possint in Confessione separari.

1928 *Differentia vera debet omni & soli competere.*

Sanè has esse improprias Luxuriæ species, est certissimum & omnibus notum: qui enim Logicam sciunt, & legerunt Porphyrii prædicabilia, essentiam & proprietates differentiæ ignorare non possunt, inter quas est, ut omni & soli debeat convenire. At ratio raptûs, violentiæ, irreverentiæ sanguinis, sacrilegii, &c. quæ species luxuriæ naturalis dicuntur constituere, conveniunt etiam non solùm peccatis contra naturam, sed aliis etiam peccatis. Ergo sunt differentiæ communes, quæ vel sunt accidentariæ, & speciem non mutant, ut patet in defloratione aut etiam raptu puellæ consentientis; quæ accidentaliter tantùm differt à simplici fornicatione, eo videlicet modo, quo Homo albus & niger: vel sunt substantiales seu essentiales, & tunc ad Prædicamentum Habere pertinent, nam sacrilegium à simplici fornicatione, ut Eques à Pedite distinguitur: nam sicut Eques dicit duas substantias separabiles (videlicet, Hominem & Equum) & Pedes dicit tantùm unam (Hominem) sic sacrilegium hîc dicit duo peccata separabilia (Fornicationem & Violationem voti) & simplex Fornicatio unicam (nempe, solam Fornicationem.)

Defloratio & raptus puellæ consentientis non differt à simplici fornicatione.

Sacrilegæ & simplicis fornicationis differentia.

1929 *P. Philippus de Ss. Trinitate, de speciebus naturalis Luxuriæ.*

Hanc communem & demonstratam doctrinam, quam nescio quo facto negat Borgias, in quarta parte Theologiæ Fundamentalis uberiùs & clariùs demonstro; modò breviter affirmo P. Philippi de Sanctissima Trinitate severum & doctum Thomistam producendo. Ipse enim *tract. de actibus humanis, disp. 20. dub. 5. §. Posset. pag. 295. a.* inquirit, *An quando actus aliquis habet duplicem speciem, vel plures species moralitatis, sive bonitatis sive malitiæ moralis* (bonitas enim & malitia sunt oppositæ, & eadem est oppositorum ratio) *unam ab objecto, aliam vel alias à circumstantiis, tunc una species sit essentialiter sub alia? & quænam sub alia? vel utrùm sint in tali casu plures species disparatæ?* Rem exagitat, omnia perpendit, & quia ita esse debet Theologus, ut etiam Philosophus & Dialecticus sit, hoc ultimum debere omninò dici his verbis claris & doctis pronunciat. *Respondetur nunc breviter*, ait, *quòd illæ duæ vel plures species sunt disparatæ, nec una continetur sub alia, ut docet D. Thom. hîc artic. 7. unde quando alibi comparat adulterium, stuprum, &c. ad luxuriam tanquam species ad genus, ibi accipit genus & speciem non logicè & propriè, sed moraliter & largè; ita ut propter aliquam analogiam ad genus logicum & speciem logicam, illud dicatur genus morale quod est aliquomodò superiùs respectu alterius; & illud dicatur species, quod est aliquomodò inferiùs respectu alterius.*] Sed hæ loquutiones ut pluries advertit sunt impropriæ, nam verè loquendo illæ species sunt disparatæ, & conjunguntur per accidens, ut Homo & Equus in Equite, homo & navis in navigante, homo & arma in cataphracto, &c. Insistit Divi Thomæ vestigiis Pater Philippus: nam Angelicus Doctor articulo illo septimo, quem citavit, sic inquit. [*Respondeo dicendum, quod objectum exterioris actus dupliciter potest se habere ad finem voluntatis. Uno modo sicut per se ordinatum ad ipsum, sicut benè pugnare per se ordinatur ad victoriam. Alio modo per accidens: sicut accipere rem alienam per accidens ordinatur ad dandum eleemosynam. Oportet autem, ut Philosophus dicit in 7. Metaph. quod differentiæ dividentes aliquod genus, & constituentes speciem illius generis, per se dividant illud, si autem per accidens, non rectè procedit divisio, putà si quis dicat animalium aliud rationale aliud irrationale; & animalium irrationalium aliud alatum, aliud non alatum. Alatum enim & non alatum non sunt per se determinativa ejus quod est irrationale. Oportet autem sic dividere, animalium aliud habens pedes, aliud non habens pedes: & habentium pedes, aliud habet duos, aliud quatuor, aliud multos: hæc enim per se determinant priorem differentiam: sic igitur quando objectum non est per se ordinatum ad finem differentia specifica, quæ est ex objecto non est per se determinativa ejus quod est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis. Unde dicimus quod ille qui furatur ut mœchetur committit duas malitias in uno actu.*] Teneo Conclusionem & doctrinam, ajo eum, qui furatur vt mœchetur, uno actu duo peccata disparata committere, unde in Confessione satisfaciet, si dicat, *Furatus sum, Habui intentionem mœchandi:* nec tenebitur explicare ordinem medii & finis, quia ille non est ordo per se, sed per accidens. Addo tamen divisionis exemplum allatum à Sancto Thoma non placere. *Animal in rationale & irrationale dividitur per se.* Esto, etsi negetur à P. Valeriano Magno. *Animal irrationale in alatum & non alatum non dividitur per se.* Esto. *At in habens pedes & non habens dividitur*

Genus morale quale sit? An habeat suas species morales?

1930 *Species Luxuriæ sunt impropriæ.*

Ordinatio ad finẽ duplex: per se, & per accidens.

Quomodo debeat genus dividi?

An Irrationale bene per alatũ & non alatum dividatur? An bene per habens pedes & non habens?

dividitur per ſe. Hoc non intelligo.Cur genus potiùs contrahent per ſe pedes, quàm alæ? Vt hæc diviſio fieret, oporteret ſcire, quid ſit *Irrationalitas?* fortè enim eſt mera rationalitatis negatio : fortè aliquid poſitivum negativo nomine ſignificatum. Eſſet etiam neceſſarium ſcire, an Equus, verbi gratiâ, addat aliquam formalitatem ſubſtantialem ſuprà Animal irrationale : fortè enim bruta differunt ſolis accidentibus, ut inter Homines Æthiops & Albus, Pygmæus & Gigas, ſed de hoc alibi. Subjungit Sanctus Doctor poſt pauca. [*Ad primum ergo dicendum, quod ſecundùm ſubſtantiam ſuam non poteſt aliquid eſſe in duabus ſpeciebus quarum una ſub altera non ordinetur. Sed ſecundùm ea quæ rei adveniunt, poteſt aliquid ſub diverſis ſpeciebus contineri : ſicut hoc pomum ſecundùm colorem continetur ſub hac ſpecie, ſcilicet* albi : *& ſecundùm odorem ſub ſpecie benè redolentis : & ſimiliter actus, qui ſecundùm ſubſtantiam ſuam eſt in una ſpecie naturæ ſecundùm conditiones morales ſupervenientes ad duas ſpecies referri poteſt ut ſuprà dictum eſt.*]' Teſte igitur Angelico Doctore, quando actus ad duas ſpecies morales pertinet, utraque aut ſaltem altera eſt accidentalis. D.Thomæ & ejus diſcipulis conſonat D.Carolus Mallettus *tom.2.tract.de ſexto præcepto Decalogi. malleatione 34. bractea 1. §. ſciendum.* ubi lego. [Sciendum eſt ſextò, non eſſe omnes propriè ſpecies, ſed tantùm moraliter & ſecundùm communem loquendi modum, non metaphyſicum. Ratio eſt quia deformitas, quæ tanquam differentia contrahit materiam luxuriæ ad aliquam ſpeciem debet eſſe intra idem genus malitiæ, quod contrahit : at deformitas, quæ conſtituit adulterium, vel raptum, vel ſtuprum, &c. eſt diverſa à deformitate luxuriæ ; nam in primis tribus eſt injuſtitia, quæ non addit deformitatem, quæ ſit contra caſtitatem, ſicut eſt deformitas vaſis indebiti, quæ conſtituit peccatum contra naturam, vel deformitas perſonarum debito vinculo non connexarum ut eſt in ſimplici fornicatione, in inceſtu verò deformitas propria eſt contra pietatem, & in ſacrilegio contra religionem ; ideóque non erunt propriè ſpecies, nam differentia contrahens debet eſſe intra idem genus rei, ut rationalitas eſt quædam animalitas conſtituens hominem : diſcretio eſt quædam quantitas conſtituens numerum, & ſic de aliis. Dixi eſſe moraliter ſpecies luxuriæ, tum quia luxuria in iis ſe habet tanquam finis, injuſtitia verò vel vitia oppoſita pietati aut Religioni per accidens ſe habent, nam adulterium committitur, non ut fiat injuria marito ſed propter delectationem carnalem, & ita de aliis ; malitia verò injuſtitiæ vel impietatis, vel irreligionis admiſcetur minùs principaliter, & quaſi per accidens, tum quia hujuſmodi peccata committuntur in materia luxuriæ, ideóque potiùs dicuntur ſpecies luxuriæ quàm injuſtitiæ, magis enim apparens eſt ratio luxuriæ quàm aliarum.

An poſſit aliqua res duas ſpecies habere?

Non poteſt eſſentiales : poteſt accidẽales.

1932 *Luxuria connaturalis nõ habet proprias ſpecies.*

Quales eſſe differẽtiæ debeant, ut per ſe genus contrahant?

1933

Nota illud, per accidens.

Et iterum illud, per accidens.

1934 *Quid ſit peccatum contra naturam?*

PEccatum contra naturam illud eſt quod realiter non tendit in prolis generationem, ſed voluptatem ſolummodò, & definiri poteſt, *Deciſio ſeminis extra vas naturale.* Conſultò illud *realiter* poſui : nam ſolutorum & ſæpè conjugum intentio, non eſt gignere, ſed libidinari ; & tamen illorum concubitus non ſunt contra naturam ; quia, quidquid ſit de intentione operantium, realiter ipſi ad generationem ordinantur. Porrò hoc peccatum in Pollutionem, Sodomiam, Beſtialitatem, & huc communiter reducitur Incubi & Succubi Dæmonis copula. Pollutio in ſimplicem & duplicem ſubdividitur : illa propriis, hæc alienis tactibus procuratur. Sodomia eſt copula in vaſe præpoſtero. Beſtialitas eſt copula cum aliena ſpecie, viva tamen. In Dæmonis copula præter beſtialitatem, reperitur irreligioſitatis circumſtantia, quæ addit novam ſpeciem.

Quotuplex?

Copula naturalis maris & fœminæ per accidens erit contra naturam ; primò, ſi vir ſit eunuchus aut frigidus : ſecundò, ſi ſe ſubtrahat ante ſeminationem, & extra vas naturale ſeminet : tertiò, ſi fœmina receptum ſemen ultrò emittat : quartò, ſi ſit menſtruata, gravida, effœta, & qualitercumque ſterilis. De his Antiqui Theologi ſcripſerunt ſeverè, Iuniores nimis laxè aut benignè

1935 *An naturalis copula cõtra naturam reddi queat?*

De Eunucho & frigido audi Antonium Cotonium, cujus periodis meos libros frequenter honoro ; amavi virum lectum, veneratus ſum viſum : nam in ipſo ſcientia & modeſtia de primatu concertant : & eſſet orandus, ut omnes ingenii ſui fœtus ſemel tandem in lucem ederet ; habebit enim multa, quæ ſuſpiciat Schola, & ſera admiretur poſteritas. Hic igitur *in Summa. verb.* Circumſtantia. *num.*14. ſic inquit. [Frigidus vel Eunuchus meretricem cognoſcens ſecundùm Henriquez *lib.5.cap.6. num.3.in gloſſ. litt. M.* tenetur confiteri circumſtantiam impotentiæ, quæ facit talem copulam eſſe contra naturam, quia non habet finem à natura intentum. Sed de hoc dubitat Filliucius *tom.1. tract.10. parte 2.cap.1. num.23.* Vide Dianam *part.3. tractatu 4. reſol.139.*]

1936 *Antonius Cotonius laudatus.*

An fornicatio frigidi & eunuchi ſit contra naturam?

De ſecundo caſu non eſt cur multa ſcribam, eſt enim evidens, & qui ſic ſe cognoſcunt, peccant contra naturam. Ita Cotonius *in Summa.verb.* Copula.*num.*2.Pontius *lib.*10. *cap.*11.*num.*3. Diana *part.*3.*tract.*4.*reſol.*204. §. *Addit.* & omnes nullo excepto. At verò hîc cum Pontio notandum id poſſe interdum ſine culpa contingere ; putà, ſi vir calidus, dum congredi conatur, ſemen extra profundat : nam illa feſtinatio non eſſet voluntatis, ſed naturæ.

1937 *Incipere intra vas & abſolvere extra eſt contra naturam.*

An ſi fœmina ſemen effundat poſt copulam peccet contra naturam?

De tertio major eſſe poſſet difficultas.Bellochius *de caſib.reſerv.part.*2.*quæſt.*4.*num.*365. judicat caſum eſſe impoſſibilem : quia matrix habet virtutem attractivam & retentivam ſeminis ; unde fœmina non poſſet illud refundere, etſi vellet. At ego exiſtimo hanc doctrinam non eſſe ita certam, ut Bellochius exiſtimat ; non enim omnes fœminæ ejuſdem ſunt conſtitutionis, & in hoc malo Medicis, quàm Theologis fidere. Fagundez *in Decal. tract.*2.*lib.*6.*cap.*3. *num.*10. non ſolùm judicat caſum eſſe poſſibilem, ſed & licitum, ſi juſta ſubſit cauſa. At illum meritò reprehendit Cotonius *in Summa.verb.* Conjugatus.*num.*2. & *verb.*Copula.*num.*9. ubi pro ſe citat Leandrum. Vt ut res ſit, ſi fœmina aut ſurgendo, aut

aut etiam mejendo, expellere ſemen procuraret, ſaltem voluntate & affectu delinqueret contra naturam.

1938 *An mẽſtruatam cognoſcere ſit contra naturam?* De quarto ſunt variæ Theologorum ſententiæ. Accedere ad menſtruatam voluerunt aliqui eſſe mortale : alii veniale : Sanchez *diſput.* 21. *num.*2. probabile putat nullum eſſe peccatum. Si peccatum eſt, & menſtruata dicatur non poſſe concipere, erit contra naturam : ſi poſſit illa concipere, ſed hæc copula ſit ſaluti nociva, erit contra quintum præceptum Decalogi.

1939 *An gravidã?* Accedere ad gravidam graviter incriminati ſunt nonnulli : Pontius *cap.*14. *num.*7. putat eſſe veniale ; at Coninck *diſput.*34. *dub.*9. *concl.*4. docet nullum eſſe peccatum.

1940 *An ſterilem?* Accedere ad uxorem ſterilem non eſſe peccatum, eámque poſſe petere & reddere debitum tam certum exiſtimant Diana *part.* 5. *tract.*14. *reſol.*37. & Cotonius *in Summa. verb.* Copula. *num.* 3. ut inde probare nitantur alterum conjugem non teneri expectare ſeminationem alterius, etſi commodè poſſit : ſemen mulieris nec activè nec neceſſariò ad generationem concurrere : Ita Sanchez *tom.* 3. *lib.*9. *de matrim. diſp.*17. *num.*9. [Imò ait Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.*6. *diſp.*4. *num.*35. uxorem parum calidam, poſſe mentem aliò divertere, dum reddit debitum, & remanere frigidam, & non ſeminare, quia hoc ſufficit ad generationem.] Porrò, ſi accedere ad ſterilem peccatum eſt, contra naturam illud eſt. Si ſemen fœmineum ad generationem requiritur, Præpoſiti non venit admittenda ſententia : copula enim & ſeminis incompleta deciſio, eſſet contra finem naturæ. Si ad generationem requiritur ſeminationum ſimultas, ſe debent expectare conjuges, vel aliàs in regulas naturæ impingent.

An alter expectare alterũ debeat?

An ſemen muliebre concurrat ad generationem?

An fœmina poſſit non concurrere?

An convenire poſſint conjuges, ſi proles non edatur viva? Sterilibus accenſeri illæ poſſunt, quæ abortum faciunt, quæ ante tempus enitunt. Quæritur, An maritus, qui ſcit uxorem ſuam hoc laborare morbo, poſſit illam cognoſcere? Aſſerit Baucius *tom.* 2. *opuſc.* 1. *quæſt.*10. & citat Sanchez *lib.*8. *de matrim. dub.*102. *num.*8. dicentem poſſe adinvicem reddi debitum inter conjugatos, etſi cognoſcant prolem non edi vivam. Contrariam, quam ſequuntur Diana *part.*10. *tract.*13. *reſol.*41. & Cotonius *in Summa. verb.* Conjugatus. *num.*4. & alii, aſſerunt eſſe communem. Hoc peccatum, ſi abortus ſit ante animationem prolis, ad lineam contra naturam referetur : ſi poſt animationem prolis, ad homicidium.

Quâ die fœtui rationalis anima infundatur? Et quia hîc de Abortu incidit mentio, nota opinionem Thomæ Fieni, Lovanienſis Doctoris, docentis ſecundâ aut tertiâ ad ſummum die embryoni animam rationalem infundi noviſſimè defendi à Claudio Bonnetio Avenionenſi Doctore Medico in Epitome

An illa ex traduce ſit? doctrinæ Senerti. Et nota Senertum minùs catholicè de Anima rationali ſcripſiſſe, illam enim traducit in ſemine : & Bonnetium illum corrigere & ad opinionem Catholicam reducere : & tamen correctionis loco opinionem hac Fieni ſubrogat, exeſſe juſsâ Senertinâ. Præ ſe fert hæc Epitome Vniverſitatis Avenionenſis Approbationem, cui præter Rectorem & Decanum novem alii Doctores ſubſcribunt. Sanè, ſi eſt vera hæc doctrina, rarò continget abortus fœtus inanimati.

1941 *An copulam inceptam abrumpere liceat?* Conjuges, qui copulam inchoant, & abrumpunt, non congrediuntur liberorum procreandorum, ſed meræ libidinis causâ. De illis Cotonius *in Summa. verb.* Copula. *num.*6. ſic inquit. [Conjuges de communi conſenſu copulam inchoantes, & abrumpentes ne noceat ſaluti, non peccant mortaliter. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.*31. *quæſt.*3. *art.*2. *caſu* 5. Et Diana *part.*3. *tract.*4. *reſol.*204. §. *Nota.* & *reſol.* 217.] & *ibidem. verb.* Conjugatus. *num.*1. citat Martinum de S. Ioſeph, Leandrum, Cajetanum, Tabienam, &c. Et proſequitur dicens : [Imò nec venialiter, ſi neuter ſeminet, & abſit periculum ſeminationis extra vas. Ita Sanchez *tom.*3 *lib.*9. *diſp.*19. *num.*3. & Diana *reſol.*227. *citatâ* §. *Difficultas :* quamvis poſteà *tract.*6. *reſol.*95. probabilius putet id eſſe mortale.] ſi mortale, quia eſt contra naturam.

1942 *An poſt ſeminis æciſionẽ copulam continuare liceat?* Poteſt vir poſt emiſſionem ſeminis copulam continuare, ut uxor ſemen emittat : & contrà. Ita Pontius *lib.*10. *cap.*11. *num.*5. Diana *part.*3. *tract.*4. *reſol.*104. §. *Notandum. in fin.* Cotonius *in Summa. verb.* Copula. *num.*3. Sed quid, ſi ſe maritus ſubtraxerit antequam uxor ſeminaret ? poterit-ne hæc ſe tactibus adjuvare, ut etiam ſeminet ? an-ne illam maritus poterit concitare tactibus ? Sanchez *diſp.*17. *num.*12. & alii exiſtimant poſſe : quia quamvis ſemen mulieris ad generationem non ſit neceſſarium ; multum tamen ad illam confert ; unde illa provocatio dici poteſt complementum copulæ connubialis : alioquin fœminæ, cùm ſæpè viri priùs ſeminent, exponerentur evidentiſſimo periculo peccati mortalis. Sed opinio contraria eſt Dianæ *part.*10. *tract.*13. *reſol.*42. Rodriguez *in Summa. part.*3. *cap.*88. *num.*4. Cotonii *in Summ. verbo* Copula. *num.*3. & *verb.* Tactus. *num.* 4. dicentium hanc excitationem & ſeminis effuſionem eſſe molles, & contra naturam. Hæc eſt opinio docenda & tenenda in praxi : at illam poſſet impugnare Sanchez dicendo. Vxor in caſu poſito non tenetur è lecto egredi, ſed poterit in lecto & in ſui mariti amplexu manere : at ſic tandem complebit copulam & ſemen emittet : ergo quid refert tactus fore hos vel illos, ſi idem effectum ſortiantur. An illam ex lecto abire Diana jubebit ? eſſet durum. An manere ? redit inconveniens per alios qualeſcumque tactus. Quid ergo ? Tu Dianæ ſententiam tene, & quid debeat huic inſtantiæ reſponderi conſidera.

An fœmina, ſi non ſeminaverit, poſſit copulam tactibus complere?

Objectio ſolutione digna.

1943 *De Tactu pueri nondũ doli capacis. An permittẽdi puelli ſint in monaſterio Monialium.* IVbentur pueri poſt ſeptimum ætatis annum in Monialium aſceteria non ingredi, & meritò : permittuntur minores, & hîc Theologi aliter & aliter ſentiunt. Clauſæ juvenes ſanguinis ebullientis impetu multa conari poſſunt : det Deus, ne faciant : at Superiores, ne poſſint, cooperari tenentur. Ego, fateor, ut parvuli ingrediantur, licentias non libenter concedo. Sed quidquid de facto ſit, quale eſſet peccatum, quod cum puello nondum doli capaci committeretur, breviter explicabo.

Prima ſententia. Cajetanus 2. 2. *quæſt.*154. *art.*11. docet, eum, qui ſe polluit tangendo puerum, puellámve nondum doli capaces, vel verenda alicujus beſtiæ, non teneri has circumſtantias in

Confeſſione

Confeſſione declarare : hi enim tactus, cùm ratio ſcandali ceſſet, non addunt novam ſpeciem pollutioni.

Secunda ſententia.

Diana *part. 7. tract. 12. reſol. 15.* Cotonius *in Summa. verb.* Circumſtantia, *num.* 17. & alii, docent hanc circumſtantiam debere in Confeſſione explicari : in prima enim pollutione additur circumſtantia numeri : in ſecunda ſpeciei : nam illa procuratur tactibus alîus hominis, hæc tactibus beſtiæ.

Interim negari non poterit eſſe minùs gravia peccata, quàm eſſent, ſi prior pollutio eſſet tactibus juvenîs doli capacis : & poſterior in vaſe beſtiæ.

1944 *De Tactu fœminæ dormientis.*

PEtrus reperit dormientem Antoniam & eam tetigit, quouſque in pollutionem venerit, & qualiter peccaverit, quærit.

Prima ſententia.

Reſponderet Cajetanus, ſicut paulò antè ſimplicem pollutionem habuiſſe ; nam ſicut puellus doli incapax, quia abeſt circumſtantia ſcandali, non addit pollutioni numerum nec ſpeciem : ſic vir dormiens, aut fœmina : quia Petrus ſolus peccavit tangens, & ad peccatum perſonæ tactæ non fuit cooperatus ; quia perſona tacta non peccavit.

Secunda ſententia.

Diana autem & Cotonius debent hîc dicere Petri pollutionem fuiſſe tactibus alienis procuratam, & ideò deformiorem pollutione ſimplici : fuiſſe ſine ſcandalo alterius, & ideò minùs deformem, quàm ſi non dormientis tactibus procuraretur.

1945 *De copula cũ fœmina dormiente.*

AVfridus fœminam dormientem reperit, & illam cognovit carnaliter : & modò pœnitens, quo debeat modo confiteri, quærit ; & quale commiſerit peccatum, interrogat.

Quomodo cõfiteri reus debeat?

Si confiteatur, dicens, *Cognovi fœminam dormientem*, benè confitebitur, & ſe & nos à longa diſputatione liberabit. At quia ſcire deſiderat, An hanc circumſtantiam explicare teneatur ? caſum benè conſideremus, & quid Authores ſentiant, breviter perpendamus.

1946 *An commiſerit fornicationem?*

Diceret aliquis, non commiſiſſe fornicationem ; quia hæc eſt duorum peccatum ; & hîc unus peccavit tantùm, nam fœminam non voluiſſe aut conſenſiſſe ante ſomnum ſupponimus. Si non ſit fornicatio, erit pollutio : ſi pollutio erit contra naturam. Sed quomodo contra naturam, ſi ex hujuſmodi copula interdum ſequitur generatio. Ergo dicendum eſt ad fornicationem, ut duo committantur peccata, non requiri ; ſed ſufficit, ſi ſit illegitima commixtio maris & fœminæ : nam, qui cum impedimento dirimente bonâ fide contraxerunt, cœlibes manent, nam illud matrimonium eſt nullum : cohabitant, & materialiter fornicantur, nam non peccant, quamdiu bonâ in fide permaneant. Si alter impedimentum reſciat, & alter non ; ille fornicando peccabit, & hunc ſalvabit ignorantia invincibilis. Dicendus igitur eſt Auſtridus fornicationem commiſiſſe : ſed qualem?

An pollutionem?

1947 *An adulterium, ſtuprũ, ſacrilegium, &c.*

Pellizarius *in Manual. Regul. tom. 1. tract. 4. cap. 3. ſect. 4. num. 70.* duas Concluſiones ſtatuit. Pronunciat in *Prima* Auſtridum commiſiſſe peccatum ſtupri, ſi illa erit virgo ; adulterii, ſi conjugata ; ſacrilegii, ſi monialis, aut voto caſtitatis obſtricta ; & in *Secunda*, hoc ipſo quòd dormientem cognoverit, perpetraſſe crimen raptus formalis. Citat pro ſe Sanchez, *lib. 7. de Matrim. diſ. 14. num. 7.* jubétque hanc raptus circumſtantiam in Confeſſione explicari.

An raptum?

Cajetanus, ſi ſtaret doctrinæ de tactibus pueri doli incapacis, quam paulò antè propoſui, circa primum aliquas reperiret difficultates : nam, ſi ſtuprum ſit defloratio virginis repugnantis, illa defloratio non eſt ſtuprum, quia fœmina dormiens non repugnat. Adulterium, quando fœmina eſt copulata conſiſtit in infidelitate fœminæ erga conjugem, ad quam cooperatur adulter : & tamen hæc fœmina non eſſet ſuo marito infidelis, ergo neque adultera ; ergo neque eſſet adulter Auſtridus, nam adulterium eſt crimen, quod à duobus committitur. Prætereà, circumſtantia ſacrilegii non videtur in hac fornicatione reperiri : non enim Auſtridus voto caſtitatis obſtringitur, ergo non violavit proprium votum : ſed neque illa votum à ſe emiſſum violavit, nam dormiebat : ergo neque Auſtridus, ut illa votum violaret, cooperatus eſt.

1948 *Quid ſtuprũ ſit?*

Reſpondeo tenendam eſſe primam Pellizarii Concluſionem : nam Divus Thomas & Thomiſtæ ad ſtuprum violentiam aut fraudem non requirunt, ſed illud conſtituunt in defloratione : unde, qui cognoſcit virginem conſentientem, ſtuprum committere aſſeritur. Quod ſi ad ſtuprum violentia requiri dicatur, dormienti vis infertur, nam defloratur invita : repugnat enim virtualiter & moraliter ; quæ, ſi eſſet expergefacta repugnaret. Vt firmem hanc doctrinam pono exemplum in furto. Fur eſt, qui rem alienam capit invito domino. Pone Petrum ab Antonio dormiente 100. aureos ſubripuiſſe. Eſt fur : quia Antonius etiam dormiens, ſi non realiter, moraliter & virtualiter invitus eſt. *Prætereà*, qui conjugatam invitam opprimit, etiam adulter eſt ; & tametſi oppreſſa non peccet, non ideò ipſe ab adulterio excuſatur. Auſtridus igitur adulterium commiſit, ſi erat copulata, quam cognovit. De Moniali major eſt difficultas. Llamas *part. 3. cap. 8. §. 14.* contra Megalam *part. 1. lib. 5. cap. 11. num. 7.* Dianam *part. 1. tractat. 7. reſol. 7.* & Cotonium *in Summa. verb.* Circumſtantia. *num.* 22. docet eum, qui Novitiam cognoſceret (& eam, quæ à Novitio cognoſceretur) committere ſacrilegium, & debere hanc circumſtantiam explicare ; quia perſonâ Deo dicatâ abutitur. Ergo conſequenter, qui Monialem cognoſceret ; perſonam Deo dicatam macularet, & ut illa votum violaret, cooperaretur ; & ideò duplex ſacrilegium committeret. Ex his duobus ſacrilegiis Llamas, ſi non ſecundum, ſaltem primum in fornicatione cum Moniali dormiente reperiret : ſed Auſtridus ſe illud commiſiſſe negare poſſet, nam Domini Llamas opinio in Schola non obtinet. Quærendum ergo eſt, an ſecundum ſacrilegium commiſerit ? Monialem non peccaſſe video, ergo non fuit cooperatus Auſtridus ſacrilegio & peccato Monialis. At dices, habuiſſe Auſtri-

Qui conjugatam invitam cognoſcit eſt adulter.

An, qui Novitiam ſacrilegus?

An, qui Monialem profeſſam, duo ſacrilegia committat?

dum animum continuandi copulam, etsi excitaretur & repugnaret Monialis. Quid, si hunc non habuit animum, sed tantummodò voluit illa dormiente uti, discessurus omninò, si excitaretur. Hæc quæso Pellizarius perpendat, videntur enim solutione indigere: interim primam ejus Conclusionem non deseramus.

1949 Secunda Pellizarii Conclusio duas difficultates involvit. Prima est, an vim dormienti fornicator intulerit? Secunda, an vis ad raptum formalem sit satis?

An fraus sit virtualiter vis?

Vt decidam primam, fraudem æquivalere violentiæ ajo; nam, ut benè docet Fagundez *tom.2.in Decal.lib.6.cap.*10.*num.*3.& Acacius *tom.*1. *resol.*225. *num.*2. qui operatur deceptus, vim virtualiter patitur, ita enim se habet ac si vim pateretur; facit enim vi deceptionis, quod non faceret, si non esset deceptus. Quamobrem, si Aufridus dedit pharmacum soporiferum, ut illam sopiret; vel finxit se discedere, ut illa se ad somnum componeret, vigilatura aliàs, si ille non discederet: fraudem commisit, & in ipsa fornicatione sicut fraus, sic etiam reperitur violentia.

1950 *Cognoscere dormientem est inferre vim.*

Sed quid, si nec pharmacum dedit, ut sopiretur illa; nec illam decepit; sed casu dormientem invenit? Etsi non reperiretur in tali fornicatione fraus, reperiretur vis, cognoscitur enim fœmina invita, quæ repugnaret & contradiceret, si non dormiret, quæ sibi atrocem fuisse illatam injuriam conqueretur, cùm expergiscatur. Ergo est fornicatio per vim.

1951 *An sit rapere?*

An Raptus formalis, ut Pellizarius voluit? Respondeo illam fœminam non fuisse abductam de loco in locum: ergo videndum, an abductio formaliter raptum constituat? superiùs duas esse vidimus Theologorum sententias; alia ad raptum putat vim sufficere: alia præter vim postulat abductionem. Stando primæ sententiæ Raptor Aufridus est: non autem stando secundæ.

Acacius *tom.*1. *resol.*225. *num.*5. putat Aufridum non commisisse Raptum formalem: quia aliàs incurrisse dicendus esset in pœnas à Canonibus stabilitas, quod durum videtur. Sed ratio non debet hinc, sed ex abductione desumi: nam si hæc ad raptum necessariò requiritur Aufridus non commisit raptum.

1952 *De copula cũ fœmina mortua.*

CAmperius fœminam mortuam cognovit: horrendum crimen: quod licèt non sit ita rarum apud Mahometanos in Asia, in qua Regulos nonnullos legimus, mortuas adhuc retinere uxores, quamdiu fœtor & corruptio permittat: apud Christianos rarius est. Interim Diana *part.*9. *tract.*9. *resol.*1. & ex eo Acacius *loc.cit. num.*6. in Italia accidisse testatur. Et anno 1656. grassante peste, talia audivi, quæ non scirem sine magno stupore referre. Ergo occasione Camperii: quale sit hoc crimen discutiamus.

An aliquando hoc crimen accidat?

1953 *An fornicatio sit?*

Quidam volunt esse fornicationem, nam luxuria tactibus corporis expletur; & hoc corpus esse vivum, aut non, est per accidens. Sed non adquiesco: nam fœmina mortua non est homo, hic enim constat corpore & anima. Hæc est ratio Fundamentalis & sufficiens; ne alia indigemus. Interim uberioris doctrinæ causâ rationem Acacii perpendamus, quam ad terminos sequentes reduco. sic inquam. [Oculus corporis mortui, ut *lib.* 4. *Meteor. cap.* 12. nos docet Aristoteles, non est propriè oculus, sed æquivocè, aut saltem analogicè. Ergo fœmina mortua, propriè & rigorosè loquendo, tam est fœmina, quàm fœminæ statua aut imago. At, qui statuam cognosceret, non committeret fornicationem: ergo, nec ille, qui cognosceret mortuam.] Respondeo negando antecedens, non enim illa Aristotelis doctrina placet. Oculus est organum, & organi ratio non in vita, sed in partium figura consistit. Calamus etiam mortuo Scribâ est verum scribendi instrumentum; Cælum, sculptoris; acus, sartoris; ergo oculus, animalis. Sanè oculus dupliciter potest considerari, ut organum, & ut videns: ut organum dicit dimensiones legitimas, ut videns sensum. Oculus est quidam tubus opticus naturalis: & tubus est oculus quidam artificialis: & tamen mortuo illo, qui eo utebatur, non est æquivocè tubus.

An ne oculus corporis mortui est æquivocè oculus.

Pellizarius *in Man. Regul. tom.*1. *tractat.*4. *cap.*3.*sect.*4. *num.*70. & Gesualdus *tom.*2.*tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 43. Camperium bestialitatis damnant. *Peccatum bestialitatis*, ait Gesualdus, *esse peccatum luxuriæ contra naturam mediante copulâ habitâ cum individuo sive supposito alterius speciei, sive sit bestia, sive diabolus in corpore assumpto, sive cadaver*, &c.

1954 *An mortuam cognoscere sit bestialitas?*

Hanc opinionem non carere difficultate inquit Bassæus *tom.*2.*verb.* Fornicatio,*num.*7. decipi hos Authores, ait Acacius *loc. cit. n.* 8. & quidem nascetur resolutio ex Bestialitatis definitione, quam omnes Theologi aliter, quam Pellizarius & Gesualdus exponunt: nam si Bestialitas sit *concubitus cum re animata, quæ non sit homo.* concubitus cum mortua non esse bestialitatem certum est. Affirmat hanc resolutionem Acacius duas rationes producens. *Prima* est; nam ubi bestialitas reservatur, qui haberet copulam cum bestia mortua, etsi seminaret intra vas, non committeret casum reservatum. Ita Ignatius de Lupo *in casibus reservatis part.*2. *cas.* 10. §. 3. *num.*8. Ergo ad bestialitatem vita requiritur. Ergo copula cum fœmina mortua non est bestialis. Sed neque est fornicatio: nam, si copula cum animante mortua non est bestialitas: copula cum fœmina mortua non est fornicatio. Quid ergo? *Secunda* ratio, quâ etiam utitur Bassæus, est hæc: Bestialitas est ad divortium sufficiens: at non est sufficiens copula cum bestia mortua: Ergo hæc non est bestialitas. Minorem probant authoritate Sanchezii *tom.*4. *lib.*10. *disp.*4.*num.*14.

1955 *Quid sit bestialitas?*

An debeat esse cum supposito vivo?

An copula cũ bestia mortua sit bestialitas?

Acacius, & Bassæus citati hanc copulam putant esse meram pollutionem simplicem: nam Sanchez *loc. cit.* docet pollui tactibus mulieris mortuæ esse idem ac pollui tactibus unius statuæ. At pollutio, quæ statuæ tactibus procuratur, est simplex: ergo & quæ tactibus fœminæ mortuæ. Confirmat hanc sententiam Tamburini doctrinâ, nam *opusc.* 1. *lib.*2.*cap.*7. §. 10.*num.*39. dicit, *Inanimatum instrumentum, quo quis se polluat, non facere mutationem speciei.* At, qui habet pollutionem cum

1956 *An mortuam cognoscere, sit simpliciter pollui?*

Quid sit tactibus statua pollui?

An inſtrumentum inanimatum pollutionis addat ſpeciē?

cum fœmina mortua, procurat pollutionem cum inſtrumento inanimato. Ergo talis copula non inficitur novâ aliquâ malitiæ ſpecie. Vnde concludit Acacius, etſi hæc circumſtantia notabiliter aggravat pollutionem, non debere in Confeſſione explicari, nam ſatisfaciet pœnitens in Confeſſione dicens, *ſemel me pollui.*

1957
An Inanimitas ſit Beſtialitate gravior?

Supereſt, ut meum ſenſum aperiam. Si peccata contra naturam non diſtinguuntur ſpecie, non eſt cur multum in hac quæſtione fatigemur. Si autem diſtinguuntur ſpecie, ego non video, cur non debeat addi poſt Beſtialitatem Inanimitas, quæ ſit copula cum re inanimata & ipsâ horribili beſtialitate deformior. Hanc ſpeciem admiſiſſe videntur illi Iudices, quorum meminit Angelus Maria Vetricellius *tract.4. de Caſtit. quæſt.9. num.4.* dicens. [Fœminæ, quæ invicem vitreo inſtrumento ſe corruperant, combuſtæ ſunt: & tamen ibi non eſt ulla ſeminis effuſio intra vas. Ita deciſum refert Gomez *in leg.80. Tauri. num.24.* Peguera *deciſ.72.* Boërius *deciſ.116. in fin.* Menochius *caſ.286. num.37. & 38.* Farinacius *de delictis Carnis quæſt.148. num.40. & 41.*] Ergo copula cum ſtatua, aut fœmina mortua non debet ad ſimplicem pollutionem reduci, ſed ad Inanimitatem.

An fœmina quæ inanimato inſtrumento ſe corrumpunt ſint comburenda?

1958
Vtrum in copula cum fœmina mortua poſſint circumſtantiæ adulterii, ſtupri, raptus, inceſtus, ſacrilegii, &c. inveniri?

Qværis, An in copula cum fœmina mortua poſſint ſtupri, inceſtus, adulterii, & ſacrilegii circumſtantiæ novam addentes ſpeciem reperiri?

Aſſerit Acacius dicens. *Suppongo, que el que tiene la copula con muger muerta, no tiene otro affecto differente de la polucion; porque ſi con la polucion tuvieſe affecto a adulterio, o inceſto, &c. ternia tambien aquel acto malicia de adulterio, eſtupro, &c.* Hæc verba Latinè reddidit Baſſæus. *Si copula cum fœmina mortua*, ait, *haberetur ab homine peccante cum alio affectu fornicario diverſo à pollutione, tunc cum pollutione adeſſet aliud peccatum, fornicationis, adulterii, inceſtus, &c. & hæc circumſtantia eſſet in Confeſſione explicanda.* Ita noviſſimè Diana *part.9. tract.9. reſol.1.* probabiliter.

1959
Sed quid eſt habere affectum fornicarium? Si Camperius diceret, *Hac ego fœmina libenter uterer viva, ſed quia vivâ non poſſum, utor mortuâ:* tunc eſſet conſenſus in fornicationem, & inficeretur malitiâ defloorationis, inceſtus, adulterii, ſacrilegii, &c. Si illa eſſet virgo, cognata, conjugata, Monialis, &c. at hoc eſſet peccatum deſiderii non actû.

NOTA.

VT hæc omnia, quæ diximus profundiùs intelligantur & ſciantur, addam Reſolutiones aliquas, & pleraſque hypotheticas, quæ exponant res quales in tali aut tali hypotheſi eſſent, ut hinc clariùs quales ipſæ ſunt, cognoſcamus.

1960
Cur commixtio ſolutorum ſit mala?

Dico igitur primò, *Si Deus fornicationem non interdixiſſet, non eſſet mala, nec peccatum.* Et ut puto evidenter oſtendam; quia ſi duorum ſolutorum commixtio ſecundùm ſe peccaminoſa eſt, vel quia naturaliter mala ipſis, vel quia naturaliter mala proli; neutrum poteſt dici; ergo. Non primum; quia ſæpè contingit eſſe utrique ſalubrem, & in tali caſu non eſt utrique naturaliter mala: accedit, quòd ſi quando inſalubris dicatur, cùm graviter inſalubris non ſit, non poſſit eſſe graviter peccaminoſa. Nec poterit dici ſecundum; fornicatio enim mala proli non eſt, primò enim non poteſt dici mala phyſicè, quæ in cauſa eſt ut homo, qui aliàs in rerum natura non eſſet, producatur: quia ſi injurius homini, qui illum occidit; beneficus omninò, qui illum generat; imò beneficentior genitor, quàm injurius occiſor; iſte enim non poteſt facere, quod homo qui eſt, omninò non ſit; at ille efficit, ut qui omninò non eſt eſſe incipiat.

An fornicator ſit proli concipiendæ injurius?

Aliqui ad educationem recurrunt, fatentur enim ipſam fornicationem eſſe proli phyſicè utilem, ſed nocivam moraliter; ſed hoc eſt verbis ſolis obludere; PRIMO enim velim ex facie & nomine cognoſcere illam prolem, cui in fornicatione, ut malè educetur; in mollitie, ne omninò producatur, efficitur. Vbi illa? in Omnipotentiæ theſauris. Quid illa? actu nihil. An homo exiſtens injuriam poteſt facere nihilo? An nihilum habet jura & dominium. Dicuntur, ſed dicuntur. Nihili nullæ ſunt reales & poſitivæ paſſiones, nullæ reales & poſitivæ proprietates. Nihilum in rem realem & poſitivam nec jus in re, nec in rem habet. Injuſtitia fit ſubſtantiæ intellectuali exiſtenti: & creatura poſſibilis præter creatricem potentiam nihil eſt. Sic Auguſtinus, ſic me Patres, ſic me Philoſophi, ſic me ratio ipſa docet: oppoſitum dicitur ut aliquid ſaltem dicatur, non quia evidenti aliquo fundamento ſubſiſtit: imò videtur evidens, quòd nullo fundamento ſubſiſtit. Porrò prolem, quæ non eſt, nullum habere jus, nullam injuriam pati. doctiſſimè ediſſerit Sanchez *tom.2. lib.7. diſp.14. num.5. v.4.* & meus optimus amicus & Dominus Franciſcus Verde, contra Borgiam *quæſt.5. ad object.10.* & alii. Hanc opinionem tueri tenetur Vaſquez, qui *1. 2. quæſt.71. art.4. in comm. §. ult.* aſſerit furtum 30. regalium, verbi gratiâ, majus eſſe peccatum ſodomiâ: quia peccata ſunt graviora, quæ nobiliori virtuti opponuntur, & Iuſtitia, cui opponitur furtum, nobilior eſt Caſtitate, cui ſodomia opponitur. Tunc ſic: In peccatis contra caſtitatem quà talem nulla injuſtitia committitur; ergo neque in prolem, cui negant exiſtentiam peccata contra naturam, cui fornicatio vaga concedit quidem exiſtentiam, negat autem debitam educationem. Ergo proles, quamdiù nondum eſt, nullum jus ad exiſtentiam aut ad debitam educationem habet. Conſultò dixi, *contra Caſtitatem quà talem*, quia raptus adulterium, &c. ſunt peccata duplicia contra Caſtitatem & Iuſtitiam ſimul, & de illis non loquitur Vaſquez. Suam ſententiam Vaſquez didicit à Durando, quem ibi citat. Ergo etiam Durandus creaturam poſſibilem nullum jus ad exiſtentiam, nullum ad alia habere neceſſariò concedit. Ego ex alio capite peccata contra Caſtitatem graviora eſſe furto ſuadeo, ut poſt decimum præceptum, quando de præceptorum ordine diſputo, luculenter oſtendo. *Præterea*, ſi Auguſtinus dixit, *melius eſſe*

1961
An fornicatio, ideò mala ſit, quia proles educabitur malè? Non Ens jura non habet. Non Enti nulla fit injuria. Quid ſit creatura poſſibilis?

Cur Adverſarii ad non Ens recurrant?

1962
An furtum majus ſit peccatum quàm ſodomia?

Vnde gravitas ſpecifica peccatorum ſumatur?

damnari, quàm annihilari, item diceret *melius esse proli malè educatam esse, quàm absolutè in rerum natura non esse.* Et sanè malam prolium educationem potiùs ex paupertate, quàm ex fornicatione suboritur, Principum enim nothos optimè educatos videmus, cùm tamen nulli disciplinati mores sint inter homines viles & mendicos. Potiùs igitur pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm divitum fornicationes. Sed inquiunt esse per accidens quod filii illegitimi Principum benè educentur; dicunt, non tamen probant; verosimilius enim videtur esse per se, quod filii pauperum malè educentur. Sed esto, sit inter divites bona nothorum educatio omninò accidentalis, ergo si per accidens contingit quod filii fornicarii Principum benè educentur, etiam per accidens continget quod parentes fornicantes non peccent: & probo sic: ideò fornicatio interdicitur, quia ex illa mala prolium educatio sequitur; ergo si hæc non sequeretur, non interdiceretur illa: finis igitur hujus inhibitionis bona educatio est; atqui probabile est, quod quando finis cessat per accidens in aliquo particulari, lex etiam cesset per accidens in particulari; ergo siquidem admittitur quod finis legis fornicationem prohibentis soleat in aliquo particulari cessare, per accidens, admittendum omninò est ipsam legem cessare. Si dicas cessante fine legis in particulari cessare legem in particulari, non quidem divinam sed humanam, putabis te aliquid dicere, & nihil omninò dices; legum enim humanarum finis aliquando universaliter cessat; at naturalium non aliter quàm per accidens & in particulari cessare potest. Patet in homicidio indirectè patrato; invasorem enim occidere possum non obstante quinto præcepto Decalogi; tunc enim per accidens & in particulari cessat præcepti finis, adeóque etiam ipsum præceptum; nec dabitur casus in quo legis naturalis finis cesset universaliter. *Tunc sic:* nulla ratione naturali ostendi potest simplicem fornicationem esse malam, & tamen mala esse in Sacris literis asseritur; ergo dicendum est, non esse malam intrinsecè & ex natura sua, sed extrinsecè ratione interdictionis: adeóque non esse prohibitam, quia mala; sed potiùs malam solummodò esse, quia prohibita.

Vnde mala prolium educatio nascatur.

An matrimonia sint licita inter pauperes?

1963
An cessante fine Legis in aliquo particulari, cesset ejusdem Legis obligatio quoad illum particularē?

Lex Naturalis nunquam cessat in communi: sed si cessat, cessat tantummodò in particulari.

Fornicatio est mala, quia prohibita.

1864
Vbi prohibita sit?

Sed ubi prohibita? est nova difficultas; nam si textum Legis legamus, ubi Latinus habet *Non mœchaberis*, textus Hebræus ponit *Non adulterabis*, adeóque si litera severè accipiatur, adulteria & non fornicationes interdicit: sed nihilominus Legislatoris mens ex aliis locis innotescit; fornicatores apertè Apost. condemnat, & communi PP. DD. & Scholasticorum consensu, quæcumque extramatrimonialis copula est peccatum mortale.

1965
Mollities est mala, quia prohibita.

Dico secundò. *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpè esset bona, & aliquando per accidens obligatoria sub peccato mortali.* Multa brevibus verbis congesta, quæ indigent clariori expositione. Mollities est feminis effusio voluntaria, & si mala secundùm se, de ipsius malitia hominibus constare debet: sed quid semen? *Doctores certant & adhuc sub judice lis est.* Aliqui sudorem, alii spumam, nonnulli lac, plerique sanguinem semen esse contendunt: & tamen esse contra ipsam naturam sudorem, spumam, sanguinem, lac & similia corporis nutrimenta vel excrementa ex rationabili causa decidere, nullus Dialecticus probare poterit. Nec juvat dicere illud ad generationem ordinari; nam & muliebre lac ordinatur ad nutritionem prolis, sanguis ad propriam, & tamen utrumque sine culpa deciditur. Igitur siquidem mollities mala est, & tamen contra naturam, ubi ad salutem propriam conducit, non est, dicenda venit omnem suam malitiam habere à prohibitione.

Quid semen sit?

Dices ideò illam malam, quia si permitteretur, nulla essent hominum matrimonia, sedandæ enim concupiscentiæ sufficeret, & nemo vellet se curis connubialibus implicare. Cæcus sum, quia illationem non video; cæcus, quia malitiam consequentis non cognosco. Non esse illationem legitimam demonstrant Mahometani; quibus non solùm mollities permissa, sed & Sodomia tolerata, & tamen non fugiunt matrimonia, sed potiùs tot uxores ducunt quot alere possunt. Sed esto sit bona consequentia, *Mollities permittitur, ergo matrimonia non erunt:* quis ostendet esse malum naturæ, quod nulla dentur matrimonia? Multæ fuerunt Respublicæ, quæ benè gubernari creditæ, & tamen caruere matrimoniis. Græcam reformare contendebant excellentissimi Philosophi; & inter alias Politicas hypotheses uxorum communionem posuerunt, asserentes matrimonia non solùm non esse utilia, sed & politico statui perniciosa; ergo ut matrimonii bonitas defendatur, non ad rei naturam, sed iterum ad divinam institutionem recurrendum, dicendúmque ideò ipsa esse bona, quia à Deo instituta; ideò fornicationem malam, quia interdicta; adeóque nec illa futura esse bona, nec istam malam, si Deus non instituisset illa, non inhibuisset istam.

1966
An si mollities liceret matrimonia non essent?

An sit bona consequētia? An sit malū consequens?

Plato abstulit matrimonia in sua Republica.

Cur matrimonium bonum sit?

Sublatâ Dei interdictione posse contingere, quòd homo ad mollitiem sub peccato mortali teneretur, clarissimè probari poterit; æger enim tenetur adhibere remedia, quæ sunt præcisè ad vitæ conservationem necessaria, & scimus dari morbos, qui in feminis quantitate & qualitate consistunt, morbos quidem lethiferos à quibus aliter quam effusione seminis curari non possis. Ergo si aliunde non obstaret, in tali casu uti effusione seminis ut remedio præcisè necessariò tenereris; atqui nunc debes potiùs mori, quàm tale remedium admittere; ergo evidens est quòd detur alia circumstantia extrinseca, nimirùm divina interdictio, quæ illud remedium illicitum reddat: nam si Deus crastina die sanguinis diminutionem, quâ in morbis laudabiliter utimur, absolutè interdiceret, qui hodie sanguinem diminuere, ne morereris tenebaris, die crastino potiùs mori, quàm sanguinem diminuere tenerêris. Et quidem eodem modo de feminis effusione philosophor. Esum pomi aliàs indifferentem primis hominibus interdixit, quia voluit & potuit, utpote rerum universarum & Creator & Dominus;

1967
An dari casus possit in quo mollities esset obligatoria?

An in morbo possem diminuere sanguinem, si interdiceret Deus?

Esum pomi Adamo interdixit Deus, quia voluit.

Dominus; ſeminis etiam effuſionem inhibet; non quod ipſa ſit mala ante præceptum, ſed quod ipſe ſit Dominus, nos ſervi; ipſe Creator, nos creaturæ; ipſi competat præcipiendi authoritas, nobis obediendi gloria relicta ſit.

1968 *An poſſit mater contra fœtum procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ?*

Sed & dicta adhuc fortiùs urgebo. Proximiùs ad generationem & nativitatem accedit embryo & infans ipſe nondum natus, quàm ſemen; atqui poteſt gravida parens contra inanimatum fœtum procedere, ſi aliter vitam conſervare non poſſit; ergo à fortiori poſſet contra ſemen, ſi ſolummodò conſiderarentur rationes naturales; ergo ſiquidem procurare poteſt abortum licitè, ut vitam tueatur; & tamen procurare mollitiem propter eandem cauſam non poteſt, eſt argumentum infallibile, quòd mollitiei malitia à rerum natura non dependet, ſed à voluntate interdictoris.

1969 *An peccata contra naturam ſint ejuſdem ſpeciei?*

Cur furtum peccatum ſit?

Cur effuſio ſeminis contra naturam?

Dico Tertiò, *Mollities, Sodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ*, Sententia Expreſſa eſt Divi Thomæ: illam defendunt Authores in meo Commentario, in Regul. Benedict. citati, & tam clara videtur, ut contraria videatur error in Philoſophia. *Oſtenditur:* ideò furari argentum & furari armenta, non ſunt peccata diſtincta ſpecie, quia tametſi animantes & metalla ſpecie aut pluſquam ſpecie diſtinguantur, in his duobus furtis non dantur duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, ſed tota ſpecifica illa diſtinctio ſe tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contranaturalibus philoſophor: ideò ſunt mala aut interdicta, quia in abuſu conſiſtunt, & ſemen extra vas naturale deciditur; atqui hoc eodem modo reperitur in mollitie, beſtialitate & ſodomia, ergo ſunt peccata ejuſdem ſpeciei; omnia enim ſunt puræ pollutiones, quæ diverſimodè procurantur; nam ſicut mollities manuum tactibus procurata non diſtinguitur ſpecie à procurata tactu veſtium, tametſi manus & veſtes ſpecie diſtinguantur: ſic nec procurata cujuſcumque corporis partis contactu, cujuſcumque animalis, cujuſcumque materiæ; univerſarum enim harum immunditierum malitia in hoc ſolùm formaliter conſiſtit, quod ſemen extra vas naturale effundatur: unde inter conjugatos, modò ſemen legitimè decidatur, ſordes reliquæ dicuntur licere, aut ſaltem non eſſe mortaliter peccaminoſæ.

Inquiris, An Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſint peccata in Confeſſione explicanda?

1970 *An debeant in Confeſſione diſtingui, ſi non ſint reſervata?*

Quid, ſi ſint reſervata.

Negat Diana, negat Antonius Cotonius, negavi etiam Ego aliquando huic argumento inſiſtens, quod videbatur ſolutione carere. *Tenetur pœnitens in Confeſſione numerum & ſpecies peccatorum explicare diſtinctè. Ergo, ſi dicantur ſpecie non diſtingui hæc peccata, non debere explicari in Confeſſione dicendum eſt.* Huic rationi dans manus Antonius Cotonius *in Summa Dianæ. verbo* Confeſſio. *numero* 32. ſic ait, [*In Confeſſione non eſt aperienda circumſtantia Sodomiæ (niſi propter reſervationem) ſi cum fœmina vel cum maſculo illam commiſit: ſed ſatis eſt dicere, peccavi contra naturam. Vide Dianam* parte 8. tractatu 7. reſolutione 86. & parte 9. tractatu 8. reſolutione 66.] & in margine. [*Si Sodomia eſt peccatum reſervatum, aperienda eſt ejus circumſtantia.*] Cæterùm licèt hæc doctrina in Hiſpania, Gallia, Belgio, Germania, &c. fortè tolerabilis eſſet, quia in his Provinciis vix ex nomine Sodomia noſcitur: in Græcia, Aſia, Africa, &c. ubi hoc vitium obtinet, non debet admitti; & quia non debemus duas conformare Theologias, ideò in praxi docemus oppoſitum tenendum eſſe: debetéque pœnitentem ſicut adulterium duplex, & ſacrilegium duplex, ſic etiam peccata hæc diſtinguere ob malitias aliquas numero diſtinctas, quæ intercurrunt. Vide meæ Theologiæ Fundamentalis *tom.2. à num.* 1647. & *à num.*1701. *ad num.*1707. præcipuè.

Concluſio *Debent in Confeſſione diſtingui.*

Adulterium duplex, & ſacrilegium duplex debent exponi.

PRÆCEPTVM VII.

1971 *An Legiſlator ordinem bonum in præceptis obſervet?*

Miro eoque optimo ordine Deus non primam ſolùm, ſed & ſecundam Tabulam tradidit. Parentes reliquis hominibus præpoſuit, & agens quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, de proximi quiete & ſecuritate, quinto præcepto fecit, ut ſecurus frueretur vita, homicidia interdicens. ſexto, ut uxore, inhibens adulteria, & quaſcumque alias carnis extra matrimoniales delectationes. ſeptimo, ut divitiis, condemnans furta & latrocinia. & tandem octavo, humana ſocietate, omnia mendacia, etiam officioſa proſcribens. Hìc ſpecialiter agendum de ſeptimo; & ne erremus, ducem habeamus Sacram Paginam.

EXODI 20. 13.

NON FACIES FVRTVM.

1972 *Varia furtorum genera ſunt, & omnia condemnari diſtinctè & expreſsè videntur.*

HVc ſpectant, LEVIT. 19. 11. *Non deciepiet unuſquiſque proximum ſuum.* EXOD. 22. 21. *Non contriſtabis nec affliges advenam & peregrinum; quia & vos peregrini fuiſtis in Ægypto.* Item ibidem & DEVT. 10. 18. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeris eos, clamabunt ad me, & ego exaudiam eos, percutiámque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli.* LEVIT. 19. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in regula, in ponderе, in menſura.* Et ibidem. *Statera juſta, & æqua pondera ſint, juſtúſque modius, æquúſque ſextarius.* DEVT. 25. 13. *Non habebis in ſaculo diverſa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor.* DEVT. 19. 14. *Non transferes terminos proximi tui.* LEVIT. 19. 15. *Non facies quod injuſtum eſt, nec injuſtè judicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis.* DEVT. 16. 18. *Non accipies perſonam nec munera, quia munera excœcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* LEVIT. 24. 18. *Qui percuſſerit animal, reddet vicarium (id eſt, animal pro animali.)*

Nota illud Vicarium.

Peccat contra legem hanc *primò*, qui rem alienam aufert ab invito domino. *Secundò*, qui rem alienam retinet domino invito. *Tertiò*, qui recipit ab homine coacto & involuntario; tunc enim tametſi illam phyſicè tradat verus dominus, non dat, non donat libertatis defectu. Huc refer illa omnia quæ per vim extorquentur; vectigalia & impoſitiones imprudentes, quibus gravantur ſubditi ſine cauſa; uſuræ, terminos communes prætergreſſæ; ſubornationes & omnia illegitima munera, & idgenus alia.

1973 *Furtum. Injuſta retentio. Extorſio.*

Injuſta vectigalia.

Subornationes.

Vtrùm calumniæ contra hoc præceptum militent, Doctores diſputant; aliqui enim cenſentes homines eſſe honoris ſicut & divitiarum dominos, calumnias furtis & latrociniis adjungunt: alii verò hoc negantes dominium, illas quinto præcepto opponi, honorem eſſe vitam hominum civilem & moralem exiſtimant: infames enim in Rebuſpublicis moraliter & virtualiter non ſunt, quoad officia enim & publicas omnes functiones ita ſe habent ac ſi in rerum natura non eſſent. Sed nos ſuperiùs honorem neceſſarium à non neceſſario diſtinximus; & illum vitæ, iſtum ſaluti & opibus adjudicavimus.

1974 *An huc ſpectet honoris detractio.*

Honor duplex, neceſſarius, & non neceſſarius: ille ſubſtantialis, & hic accidentalis eſt.

PRÆCEPTVM

PRÆCEPTVM VIII.

Interdicuntur hoc Præcepto univerſa mendacia; Pernicioſa, Officioſa, Iocoſa: nam diſſolveretur humana ſocietas, ſi omnibus mentiri liceret. Pacta privata aut publica promiſſione firmantur, Reſpublicæ veracitate reguntur; niſi enim veritas cognoſceretur, vita communis eſſet chaos.

1975 *An mendacia officioſa ſint peccata?*

MAGNÆ olim velitationes inter bonos Theologos circa hujus Præcepti intelligentiam; erant innumeri, qui ſibi perſuadere non poterant mendacia officioſa interdici; nos verò rem clariùs intuentes, meliùs examinantes, omnia mendacia ſive officioſa ſive nonofficioſa eſſe peccaminoſa tenemus.

An Sancti homines mẽtiti fuerint?

Dices hanc reſolutionem multis Teſtamenti veteris Patriarchis, multis Patribus novi eſſe injuriam; ipſi enim mentiri nonnunquam videntur, & poſſent à peccato ſalvari ſi dicerentur mendacia officioſa eſſe licita; aliàs enim debent peccatoribus adnumerari.

1976 *Reſponſio prima.*

Reſpondeo huic inſtantiæ bifariam. *Primò*, aſſerendo eſſe veroſimile illos non peccaſſe; non quod mendacia officioſa interdicta non ſint, ſed quòd hoc ſub illud tempus non erat ita examinatum, adeóque potuiſſe legis rigorem inſuperabiliter ignorare; multa enim priores noſtri probabiliter tenuerunt, quæ hodie certa; multa hodie probabiliter tenemus, quæ olim conſtabunt; & tamen probabiliter judicare nihil eſt aliud quàm veritatem invincibiliter adeóque inculpabiliter ignorare. *Secundò*, faciliùs & meliùs, aſſerendo illos omnes, quos mentitos Sacra Pagina, & authenticæ hiſtoriæ tradunt, peccaviſſe de facto venialiter; dicendóque non eſſe cur hoc illis peccatum non imputetur, cùm fide tenendum ſit præter Beatam Virginem reliquos puros homines tametſi pios & juſtos aliquot peccata venialia commiſiſſe, inter quæ hoc ipſum, de quo agimus, exprimi poteſt. Imò cùm hoc ſit omnium minimum, videtur potiùs eorumdem Patrum authoritati proſpici, cùm peccata illa venialia, quæ habuiſſe certum eſt, ad minima leviſſimáque reducuntur. Cæterùm, ut in præpoſita doctrina firmeris, literam Sacri Textus conſidera.

Opinionum probabilitas ſuos caſus & occaſus habet.

Deipara nũquam peccavit venialiter.

EXODI 20. 14.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMVM TVVM FALSVM TESTIMONIVM.

1977 HVc ſpectant, Exod. 23. 1. *Non ſuſcipies vocem mendacii.* ET IBIDEM. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* ET IBIDEM, VERS. 7. *Mendacium fugies.* LEVIT. 19. 16. *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* ET IBIDEM, VERSV 13. *Non facies calumniam proximo tuo.*

Petis, An mendacium ex natura ſua ſit peccatum mortale?

1978 *Gravitas & levitas peccati ſumitur à quantitate materiæ: non ab internis prædicatis.*

Reſpondent aliqui omnia peccata, quæ ſunt contra reliqua præcepta Decalogi ex natura ſua eſſe mortaliter peccaminoſa, & ſolùm per accidens eſſe venialia defectu materiæ; nimirùm, ſi ſit materia parva: addúntque mendacium ſecundùm ſe eſſe veniale, ni per accidens damnum magnum inde reſultet. At mihi ſemper diſplicuit hæc ſolutio. Qui enim omnia alia peccata ex conceptu ſuo mortalia aſſerunt, & ſolummodò per accidens defectu materiæ magnæ venialia eſſe contendunt; cur non eodem modo poſſent dicere omnia ſecundùm ſe & ex conceptu ſuo eſſe venialia, & per accidens reddi mortalia ratione magnitudinis; nimirùm, ſi materia notabilis ſit? Præterea, Si ſecundùm ſe ſunt mortalia, quomodo per accidens & defectu materiæ poſſint fieri venialia non intelligo, quia juxta commune idque veriſſimum Philoſophorum aſſertum, *Si quid convenit ſubjecto per ſe; ejus oppoſitum nec per ſe, nec per accidens poteſt competere;* homini enim, cui per ſe competit rationalitas, ejus oppoſitum, nempe irrationalitas, nec per ſe, nec per accidens competere poteſt, nam ſive materia ſit magna ſive parva, homo ſemper erit rationalis, nunquam irrationalis: ergo ſimiliter, ſi furtum ex natura ſua & per ſe eſt peccatum mortale, ſive materia ſit magna ſive parva, ſemper erit mortale. Atqui certum eſt eſſe aliqua furta venialia; ergo hæc ſolutio toleranda non eſt.

1979 *Quæ opponũtur eſſentialibus, nec per ſe, nec per accidens poſſunt cuipiam cõpetere.*

1980 *Præſcindendo a materia nõ dantur peccata gravia aut levia, ſed peccata ut ſic.*

At ego de omnibus & ſingulis Decalogi præceptis eodem prorſus modo philoſophor, & teneo eorum prævaricationes ſecundùm ſe eſſe malas, eſſe peccaminoſas, non verò mortaliter aut venialiter, ſed ut ſic; non ſecus ac animal, quod ſecundùm ſe eſt vivens ſenſibile, ut ſic, non verò rationale aut irrationale, album aut nigrum, magnum aut parvum. Sentio venialis & mortalis taleitates eſſe accidentarias peccati differentias, deberéque à materiæ quantitate deſumi; ita ut dicatur peccaviſſe mortaliter, qui violaverit legem in materia gravi, venialiter, qui in levi. *Inferes.* Ergo peccatum mortale & veniale ſunt ejuſdem ſpeciei. Conſequentiam judicas eſſe bonam; quia, ſi diviſio peccati in mortale & veniale eſt ſubjecti in accidentia, illa non diſtinguuntur ſpecie, ſed numero. Conſequens nihilominus judicas falſum, quia veniale & mortale videntur toto cælo differre. *Reſpondebo* ponendo ob oculos P. Philippi de Sanctiſſima Trinitate Carmelitæ Excal-

An veniale & mortale diſtinguantur ſpecie?

ceati, optimi Thomiſtæ Concluſionem ponendo. *Peccatum veniale & mortale, quæ ſunt circa idem objectum, ſi conſiderentur phyſicè ſecundùm materiale, quod important, ſunt ejuſdem ſpeciei: ſi autem conſiderentur moraliter ſecundùm formale quod important* (aliud enim opponitur gratiæ aliud non) *diſtinguuntur eſſentialiter & analogicè.* Ita ille 1. 2. *tract. de vitiis & peccatis. diſp.* 8. *dub.* 4.

Hinc ad mendacia veniens, exiſtimo ea ex ſuo conceptu ſolùm habere quod ſint contra legem, adeóque quod mala ipſa ſint, at à materia ſumere gravitatem; mortalia futura, ſi materia fuerit notabilis, & venialia, ſi levis.

1981 *Quæ ſit materia, ex qua ſumitur mẽdacii gravitas?*

Mendacii materia non eſt objectum quod aſſeritur; quia ſive mendaciter dicas te habere unum florenum, ſive decem mille, non niſi leviter peccabis; ſed eſt perſona, cui aſſeritur; mendacium enim interdicitur, non quà aſſerit, ſed quà decipit, adeóque ſi fides privata decipiatur, exiſtimo eſſe peccatum veniale, & mortale ſi publica. Hinc eſt, quòd in tribunali teſtes teneantur veritatem dicere, etſi non adjurentur; tunc enim mortaliter peccaturi mentiendo, quando pejerantes peccarent, videlicet, quando non in aliqua circumſtantia ad proceſſum, qui à Iudice inſtituitur nihil aut parum pertinente, ſed in ipſa rei gravis ſubſtantia (levia in tribunalibus nunquam aguntur) vel in aliqua circumſtantia ad eamdem ſubſtantiam graviter pertinentem, mentirentur. Hinc eſt, quod literarum publicarum effictio, & quæcumque adulterini inſtrumenti præſentatio, & quicumque alius modus decipiendi Rempublicam ſit peccatum mortale, tametſi alii ſuclament, ut ſuo loco videbimus, cùm hæc eadem ſecundo, ſed uberiore calamo reſumemus.

An fingere inſtrumenta ſit mortale?

Mentiri Regibus, Principibus, Iudicibus, &c. etſi mendacium non roboretur juramento, eſſe rem gravem, demonſtrant ſententiæ juridicæ, quæ multos graviſſimè ob hoc crimen punierunt: demonſtrant leges, quæ de hoc fuerunt latæ. In Comitiis Generalibus Lamegenſibus hanc reperio.

An mentiri Regi ſit grave peccatũ?

Nobiles, ſi fugerint de lide (conflictu;) *ſi percuſſerint cum ſpata* (gladio) *aut lancea mulierem; ſi non liberaverint Regem, aut filium ejus, aut ejus pendonem* (labarum) *pro ſuo poſſe in lide* (conflictu:) *ſi juraverint falſum teſtimonium; ſi non dixerint* (N. B.) *veritatem Regibus: ſi malè falaverint* (loquuti fuerint) *de Regina, & filiabus ejus: ſi fuerint* (iverint, ſeu transfugerint) *ad Mauros; ſi furtaverint* (furati fuerint) *de alienis; ſi blaſphemaverint ad Ieſum-Chriſtum; ſi voluerint matare* (occidere) *Regem; non ſint nobiles; neque illi, neque filios* (filii) *eorum per ſemper.*

Lex Lamegi in Luſitania in Comitiis Regni generalibus lata.

N. B. *Illo ævo inter arma nõ erat major labii Latini puritas.*

Vide meum Philippum Prudentem *lib.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *pag.* 104. in Editione Antuerpienſi: & Antonii Brandao Monarchiam Luſitanicam *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 13. & ſingula conſidera; nam ex criminibus, quibuſcum mendacium Regi dictum componitur, & ex pœna, quâ illud punitur, clarè colligi poteſt, ſcelus graviſſimum eſſe horum Legiſlatorum opinione.

Vnde prõbetur culpæ gravitas?

PRÆCEPTVM IX. & X.

Noni & decimi Præcepti diſtinctio paucis nota: videntur omninò coincidere: ſed nos illa diſtingui putamus. Sanè ſtando literæ Græcæ aut Latinæ non poteſt oſtendi hæc diſtinctio, Hebraicæ verò ſtando poteſt. Vide, quæ diximus parte primâ hujus libri, nonum & decimum Præceptum juxta Hebraicum Textum dilucidantes: nam, ſi nonum legatur in הפעיל, HIPHIL. *& decimum in* פעל PAHAL *aut in* PIHEL (*diſcrimen in punctis conſiſtit*) *peccata cogitatione verbo & opere committentur. &* octo prioribus *præceptis* (*ut ibi diximus*) *opera externa interdicentur: nam & mendacium etiam opere externo committitur:* nono *damnabuntur ii, qui aliis ſuadent, ut peccent; hæc ſuaſio fit verbis expreſsè, publicis peccatis implicitè: nam ſcandalum vocem & linguam habet, ut puſillos in peccatum inducat: &* tandem decimo *omnes malæ cogitationes & improbæ peccandi interdicentur intentiones.*

1982 *Primus Atheus & blaſphemus, quis?*

FERVNT in ævo veteri notabiles de Decalogi obligatione errores, & videntur majores adhuc fuiſſe antequam in monte divinitùs promulgaretur. Primogenitus primi hominis Caïn, ut conſtat ex Targum Chaldæo vel Atheus fuit, negando divinam exiſtentiam, vel ſaltem blaſphemus negando divinam juſtitiam; aiebat enim nec eſſe Deum, nec ſæculum alterum. Ejus filii & diſcipuli rationibus aliorum convicti errores paulatim remiſerunt, quos viſi poſt diluvium excitaſſe Cham & ejus filii, à quibus ſuborti veteris Teſtamenti hæretici, quos ad paucas claſſes reducam.

Cham revocat Caini obſoletos errores.

1983 *An Decalogus ſit lex merè pœnalis?*

Fuit primus error, illorum qui tenuerunt Decalogum eſſe legem pœnalem, non moralem, adeóque prævaricatores non incurrere culpam, ſed pœnæ debitum. Sed & ipſi in duas ſententias diviſi, alii enim putabant obſervatores Decalogi in hac vita præmio donandos,

nandos, prævaricatores miſeriis & infortuniis affligendos: alii verò alterum etiam ſæculum concredentes immortales animos corpore exutos habituros legitima ſtipendia meritorum putabant. Vtrique errori ſubſcripſiſſe reperies plurimos Zaducæos in Teſtamento veteri, aliquos Hæreticos in novò; inter quos Petrus Abaïlardus ſeveriſſimè à multis oppetitur, quòd omnia peccata negaverit, & ſolummodò debitum pœnæ conceſſerit. Videbatur huic modo dicendi favere Sacra Pagina, quæ plerumque Præceptis præmium vel pœnas adjungit: vel diſcurramus per ſingula. Primum his verbis fertur: Exod. 20. 4. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis Zelotes: non habebis Deos alienos coram me.* Omnia & ſingula verba videntur ſpirare horrorem; *Dominus* enim ille dicitur, qui poteſt rem deſtruere; *Deus*, qui debet timeri, juxta illud, *Primos in orbe Deos fecit timor. Fortis* etiam aſſeritur, ut viribus humanis diffidamus; *Zelotes*, ut zelum & ſeveritatem habere judicemus. Conſonat etiam rigor, Deuteron. enim cap. 13. verſ. 2. & 6. lego; *Si ſurrexerit Prophetes, frater, filius, filia aut uxor, & dixerit eamus & ſerviamus Diis alienis, non acquieſces ſed ſtatim interficies;* & ibid. cap. 16. verſ. 24. commendat divinum cultum ſacer Textus, dicens, *Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* Secundum ejuſdem Decalogi præceptum etiam comminatorium eſt Exod. 20. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; neque enim habebit inſontem Dominus eum qui id fecerit.* & Levit. 19. 12. *Non perjurabis in nomine, nec pollues nomen Domini Dei tui.* Tertium ſub pœna capitis debere ſervari conſtat ex illo, qui colligens ligna repertus, ultimâ ſententiâ damnatus. Quartum fertur his verbis, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Quinto eſt commentario vox Chriſti dicentis, *Qui gladio percuſſerit, gladio peribit.* & Levit. 24. 17. *Qui percuſſerit & occiderit hominem, morte moriatur.* De ſexto lego Levit. 20. 10. *Mœchus & adultera morte morietur.* Furta etiam graviter lege divinâ ſunt punita. Exod. 22. 2. *Occidens furem nocturnum innocens habeatur*, & Deuteronom. 24. 7. *Plagiarius, qui furatur hominem ut vendat, occidatur.* Mendacia etiam gravi pœnæ ſubjecta, Deuter. 19. 15. *Teſtis falſus crimen talione luat, dátque animam pro anima.* Ergo ex iſtis & plurimis aliis Deuter. & Levit. legibus poſſet inferri Decalogum eſſe legem pœnalem. Reſpondeo tamen nullum prudentem hîc ambigere; probant ipſi eſſe legem pœnalem quod concedimus, ſed non probant eſſe purè-pœnalem; dicimus enim eſſe legem mixtam, pœnalem ſimul & moralem.

An Anima immortalis Hebræorum opinione ſit? Abailardi error.

1984 *Pœnas prævaricatoribus minatur Deus.*

Decalogus eſt lex mixta: pœnalis & moralis ſimul.

1985 *An de actibus occultis judicet Eccleſia? An Deus?*

Error ſecundus eorum fuit qui putarunt actus merè internos nulli judicio, nulli legi eſſe ſubditos: & quidem, ſi agamus de legibus humanis (Eccleſiaſticæ ipſæ aut ſæculares) actus internos non eſſe ſubditos probabilius eſt, juxta illud, *De occultis Eccleſia non judicat:* At ſi agamus de authoritate & juriſdictione divinâ, internas hominum cogitationes imperio divino non ſubeſſe delirium eſt. Vt igitur Deus doceret ſe poſſe & velle ipſoſmet internos hominum actus legibus gubernare & dirigere, tulit nonum & decimum præceptum Decalogi hiſce verbis:

DEVTER. 5. 20.

NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TVI. NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI, NON AGRVM, NON SERVVM, NON ANCILLAM, NON ASINVM ET VNIVERSA QVÆ ILLIVS SVNT.

1986 IN quibus verbis tametſi omnes actus interni non videantur expreſſi, multi exprimuntur ut euidenter innoteſcat quid à paritate rationis ſentiendum & dicendum ſit de cæteris: ut clarè conſtet eſſe ſerroneam illam ſententiam, quæ tenet, Decalogum actus internos non dirigere nec gubernare.

ORDO

ORDO
PRÆCEPTORVM DECALOGI.

1987 *An ſit aliquis ordo in præceptis Decalogi?*

OMITTO ſtolidam illorum Authorum ſententiam, qui in præceptis Decalogi nullum ordinem neceſſarium cognoſcunt, aſſerentes ſic fuiſſe congeſta per accidens, & aliter æquè bene potuiſſe; venio ad eos qui rationabilem hunc ordinem judicant; & quare ſibi mutuò præcepta ſuccedant, exponunt.

1989 *VVendelini opinio.*

Clariſſimus Vir VVendelinus, in Aſtronomicis ad miraculum magnus, omnia ad cæleſtes numeros reducit; ita ut exiſtimet ætheream planetarum armoniam aliarum rerum exemplar. Audit Prophetam Regem Pſal. 18. dicentem; *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum.* Sed quæ opera? multa ſunt, & grandia ſed inter illa maximæ majeſtatis gloriæ & poteſtatis argumentum, Decalogus: unde poſtquam alia breviter recenſuiſſet, ſubjunxit. *Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis.* Sed quomodo Cæli & Firmamentum enarrant gloriam Dei immaculatam legem pronunciantis? Syſtemati Copernicano inſiſtens conſiderat cælum empyreum orbes univerſos concludens, in eo Dei præſentiam & gloriam contemplatur, ſibíque videtur ipſummet audire Creatorem dicentem; *Non habebis Deos alienos coram me.* Contemplationis alis ad firmamentum, fixarum ſtellarum ſedem, prolapſus laudat Authorem, *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* & quia hæc omnia ſunt finitæ participationes divini: ait, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Deſcendens inferiùs Saturnum reperit lento pede vaſtiſſimum iter metientem, & ſubjungit, *Memento ut diem Sabbati* (hoc eſt, diem Saturni) *ſanctifices.* Iovis ſphæram adiit, impietate contra patrem famoſi, ejúſque petulantiam deteſtans ſubnectit, *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Ioviali ſphærâ egreſſus Martialem neceſſariò invadit, cujus influxui iraſcibilis videtur ſubdita; belláque ſeditiones & homicidia deteſtatus infit, *Non occides.* Martis globo Veneris ſphæra concluſa, Veneris inquam amorum Deæ & illicitarum delectationum Antiſtitis, contra cujus ethnicam divinitatem effulminat, *Non mœchaberis.* Sed quia infra ipſius circulos breviori orbitâ vafer ille Mercurius, qui aſſeritur furum magiſter, latronúmque numen exorbitat, hujuſmodi ſcelera averſatus inclamat; *Non furtum facies.* Et tandem in ſyſtematis centro reperiens Apollinem tot mendaciis quot oraculis celebrem, veracitatem commendat, & ait: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Sic vir ſubtiliſſimus pulchrè quidem & ornatè diſcurrit, & ut rerum digeſtio comprobat, appoſitiſſimè; Nec cauſeris, cùm videas à VVendelino ſyſtema Ariſtarchi ſupponi; nam, licèt illud falſum ſit, terra enim in æternum ſtat, non ſolùm rerum exiſtentium, ſed & poſſibilium idæis Moralitates ſuccollantur: & illud ſyſtema, quod ſupponit hic Doctor, tametſi de facto non ſit, poſſibile nihilominus eſt.

Cæli enarrãt & adnunciant præcepta Decalogi.

Videlicet Empyreum primum.

Aplanes ſecundum.

Saturnus tertium.

Iuppiter quartum.

1989 *Mars quintum.*

Venus ſextũ.

Mercurius ſeptimum.

1990 *Sol octavum.*

Sed cur hoc Præcepta ordine quidquid de Cælis ſit, Legiſlator indixit? Cur non alio?

1991 *In Decalogo peccata graviora præcedunt, & virtutes nobiliores præponuntur.*

Sentio igitur voluiſſe Deum docere homines quænam virtutes eſſent excellentiores, quænam graviora crimina, ut hæc cautiùs fugerent, illas ſtudioſiùs amarent. Ita igitur articuli Decalogi diſpoſiti, ut virtuti nobiliori ignobilior, & graviori peccato minùs grave ſuccedat. Primò totus Decalogus in Tabulas diſtinctus duas; quarum prima Deum reſpicit, ſecunda proximum; prima nobilior, ſecunda minùs nobilis, non ſolùm ratione objecti, ſed & ratione operationum. Tabulæ primæ objectum Deus, ſecundæ homo, actus quibus Deus tangitur ſupernaturales, & naturales, quibus homo. Debuit igitur primæ ſecunda ſuccedere, vel aliàs inverteretur ordo dignitatis & authoritatis. In prima Tabula præcepta tria quibus ordo non eſt arbitrarius: prima enim hominis obligatio eſt Deum amantem redamare, nota etiam Ethnicis apud quos lego, *Vis ut ameris? ama.* Secunda amati Dei excellentias & perfectiones confiteri, inter quas prima eſt veritas tam in eſſendo quàm in aſſerendo; Deus enim quia verus in eſſendo eſt, falli nequit; & quia verus in aſſerendo, decipere non poteſt: veritatem igitur divinam omnium attributorum fontem commendat & confitetur qui ſanctè jurat, & contemnit qui peierat. Tertia hominis obligatio eſt cultum Deo exhibere, & hunc ejuſdem primæ Tabulæ ultimum præceptum indîcit. Clariùs in ſecunda relucet ordo dignitatis. Strictiùs tenemur erga Patres, quàm erga reliquos; atque adeò primo loco præcipitur illorum cultus. Inter humana bona primo loco recenſetur vita, ſecundo uxor, tertio divitiæ, vir enim honeſtus & prudens mavult expoliari pecuniis quàm tolerare adulteram, & mavult uxore carere quàm vitâ; quamobrem quintum, ſextum & ſeptimum Legis Præceptum popoſcerunt hunc ordinem. Minima injuria quæ proximo fieri poteſt, videtur in officioſo mendacio conſiſtere, adeóque octavum Præceptum ſubjungitur fidelitatem & veracitatem indicens. Sed quia gravius proximus lædítur externis injuriis quam pravo & inordinato verbo vel affectu, qui prioribus Legis articulis, ne quis proximo effectivè noceret, inhibuerat charitatis

Prima Tabula eſt nobilior ſecundâ.

Primum Præceptum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octavum.

Nonum. Decimum.

tatis terminos propagaturus, ne quis vel affectivè noceat nono & decimo Præcepto indicit,

Objectio.

1992 *An homicidio sit præponenda fornicatio?*

TOta difficultas vertitur circa Fornicationem, quam multi judicant indebito in loco constitui.

Primò enim Author Expositionis Decalogi, quæ ex Typographæo Blaeviano prodiit, Fornicationem Homicidio præponi debere contendit: allegátque Philonem, Tertullianum, & Cleantem.

An postponẽda furto?

Secundò Vasquez 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 4. *in comm.* §. *ult.* Furto Fornicationem postponit; & hanc Conclusionem statuit. *Furtum triginta regalium, verbi gratiâ, majus peccatum est, quàm sodomia.* Eam à Durando didicit, & videtur ex D. Thomæ principiis per necessariam consequentiam deduci. Argumentatur sic.

1993 *Vnde sumatur peccatorũ gravioritas?*

Peccatum eò in sua specie gravius est, quò opponitur nobiliori virtuti. Ita S. Thomas 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 4.

An Iustitia sit melior Castitate?

Sed Iustitia virtus est Castitate nobilior. Ita idem S. Doctor *ibid. quæst.* 66. *art.* 4.

Ergo peccata, quæ Iustitiæ opponuntur in specie ipsa sua graviora sunt illis, quæ opponuntur Castitati.

At Furtum opponitur Iustitiæ, sodomia Castitati.

Vtrùm furtũ sit culpa gravior quam sodomia?

Ergo Furtum secundum suam speciem sodomiâ gravius peccatum est.

Consequentiæ sunt legitimæ: major & minor D. Thomæ: utrumque ergo consequens ab Angelico Doctore & Thomistis est necessariò concedendum. Vide etiam eumdem S. Thomam *ibid. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 1.

Responsio.

1994 *Gravius est occidere, quã fornicari.*

DIco ad primum Homicidium esse Fornicatione gravius. Philonis, Tertulliani & Cleantis testimonia non urgent; illa, dum illustrarem Textum Græcum, Præcepto V. insinuavi: Præcepto VI. posui & exposui; nec est cur eadem iterum repetamus.

Gravius est fornicari, quã furari.

Dico ad secundum, Vasquezium non bene examinasse D. Thomæ sententiam, quia docet ipse omnia peccata Luxuriæ esse contra Iustitiam, ut statim videbimus.

1995 *An semper Aristoteles veritatem invenit.*

Interim, quidquid de Durandi mente sit, duæ sunt præcipuè Virtutes, quæ ab Aristotele & post ipsum ab universis Ethicis malè exponuntur: videlicet Prudentia & Iustitia. Considera Categoriam.

VIRTVS, sive PRVDENTIA.
- LIBERA. *Huc omnes Virtutes pertinent, quæ non obligant, sed homini consuluntur tantummodò.*
- NECESSARIA. *Et hæc vocatur* IVSTITIA, *& ad illam omnes virtutes pertinent, quæ sunt præceptæ.*

An Prudentia sit specialis virtus?

Porrò *Virtus* & *Prudentia* sunt duo nomina & una res. Prudentia non est aliqua singularis Virtus, sed conceptus genericus Virtutis, quæ ad diversas materias contrahitur. Prudentia in muneribus indebitis dandis, vocatur *Liberalitas:* Imprudentia, si deficiat, dicitur *Avaritia,* & *Prodigalitas* si excedat. Et vitia omnia, quæ Prudentiæ liberæ opponuntur, sunt mala philosophicè non theologicè. Prudentia omnia Decalogi præcepta percurrit. S. Thomas, ut docet D. Carolus de Thomasiis 2. 2. *Aphor.* 56. *art.* 1. hanc Conclusionem habet. *Præcepta Decalogi omnia pertinent ad Prudentiam, secundùm quod ipsa est directiva omnium virtuosorum actuum.* Prudentia, si præcepta sit, transit in Iustitiam: nam Iustitia relucet in omnibus præceptis Decalogi. S. Thom. apud eumdem D. Carolum de Thomasiis 2. 2. *Aphor.* 122. *art.* 1. sic habet. *Omnia præcepta Decalogi sunt præcepta justitiæ, quia sunt ad alterum, ut Iustitia: & tria prima sunt de actibus Religionis, quæ est pars potissima Iustitiæ: quartum autem præceptum est de actibus Pietatis, quæ est pars Iustitiæ secundaria: alia verò sex dantur de actibus Iustitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.* Ergo ad mentem D. Thomæ tam furtum, quàm sodomia opponuntur Iustitiæ; quia hæc dividitur in Iustitiam erga Deum & Proximum, & subdividitur in præcepta Decalogi. Dixerit Divus Thomas illa esse graviora peccata, quæ nobiliori Virtuti opponuntur. Esto. Sed quænam erit nobilior Virtus? unde ordo Virtutum sumetur? Ordo Virtutum sumitur ab ordine præceptorum Decalogi.

An Iustitia sit specialis virtus?

1996 *An omne peccatum sit inobedientia? An omne sit injustitia?*

Sanè omne peccatum est inobedientia, omnis inobedientia est injustitia, quia Deo obedire tenemur: & hæc est ratio quædam communis & generica, quæ per speciales injustitias contrahitur. Tota secunda Tabula proximum in suarum rerum possessione conservat, injustéque expoliatum in integrum quà potest fieri restituit realiter, moralitérve. Quamobrem Homicida, injustus; Fornicator, injustus; Fur, injustus; Mendax, injustus est. Vnde Christus, qui dixit, *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ Dei Deo.* nos format divinâ institutione, ut dicamus, *Reddite, quæ sunt proximi, proximo; &, quæ Dei, Deo.*

1997 *Enervatur argumentum Vasquezii.*

Hinc ad argumentum Vasquezii. *Peccatum eò in sua specie gravius est, quò opponitur nobiliori præcepto.* Aio majorem non carere difficultate. Esse incertam asserit Lorca 22. *sect.* 3. *disp.* 31. *num.* 13. putat enim non semper graviora peccata opponi nobiliori virtuti. Eamdem falsam judicat S. Bernardus *lib. de præcept. cap.* 39. dicens. (Attende) *Ea propter in talibus hæc generalis Regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis, obeditio gratior, quàm gravior prævaricatio judicetur: & in facilioribus minúsque oneroſis contemptus damnabilior, quàm actus laudabilior æstimetur.* Interim ne quæstiones implicemus quæstionibus, illam majorem condono; & addo illam esse nobiliorem virtutem, quæ priori Decalogo præcepto correspondet. *At Iustitia virtus est Castitate nobilior.* nego minorem: Nam, si *Iustitia* sumitur ut sic, & in genere, se habebit ad Castitatem, ut genus ad speciem, ut Animal ad Hominem: & tamen genus non esse nobilius specie certum est. Si autem *Iustitia* sumitur, ut ad bona fortunæ contracta, ut sit quæ tribuit unicuique bona temporalia, quæ sua sunt, tunc iterum Castitas Iustitiâ contractâ est nobilior:

Vnde Virtutũ nobilioritas sumenda sit?

An Castitas sit nobilior Iustitiâ?

An genus sit nobilius specie?

lior : nam in rebus altioris ordinis damnum proximo infert lascivus, quàm fur.

1998 *Cuinam injurius sit homicida, lascivus, fur, & mendax?*

Hoc aliqui (vocentur hi Peripatetici) conantur persuadere sic. Homicida est injurius homini, quem vitâ privat : qui peccatum contra naturam perpetrat, proli, cujus existentiam impedit : fornicator, proli, cujus non jam impedit vitam, sed debitam educationem : fur bonis fortunæ hominem spoliat : & mentiens, in jus peccat, quod habent singuli, ne decipiantur. Sed minus malum est officiosè decipi, quàm bonis fortunæ spoliari : minùs est malum his bonis exui, quàm malè educari ; minus est malum malè educari, quàm impediri, ne sit : minus crimen impediri ne sit, quàm postquam de facto fuerit, vitâ privari; Omnia alia videntur clara, hoc ultimum probant, quia minus crimen est impedire ne pecunias adquiras ex liberalitate donatoris, quàm postquam illas habueris, te te illis exuere. Ergo de vita, eodem modo philosophandum est. Homo igitur antequam sit, habet jus in vitam ; postquam est, habet jus in vita. Sed minor deformitas est in actione illa, quæ impedit ne possessionem adeas, quàm in illa, quæ te re possessâ spoliat. Ergo.

Quo ordine disponenda sint ha injuria?

1999 *An fieri injuria possit creaturæ possibili?*

Ego verò, qui jura non-entis rideo, aliter philosophari debeo : & hanc ob rem hanc viam ingredior. Omnia, quæ de homicidio, furto, & mendacio, edisserunt Peripatetici libenter admitto: quæ de injuria facta proli non existenti non intelligo, & ideò aliter in sexto Decalogi præcepto discurro. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, illud privans, &c.* inquit Paulus primæ ad Corinthios sexto-decimo. Semen igitur non est, ut opinantur aliqui, spuma, sudor, excrementum, sed vera corporis humani pars, quæ ideò decidi dicitur, quòd à corpore scindatur & separetur. Corpus virgineum est integrum, & corruptum est mutilum, non secus ac illud, cui deficit digitus, auríve. Ergo sicut peccaret, qui corpus suum digito vel aure privaret ; sic, qui semen decîdit. Ergo, qui lascivit, non peccat in prolem, quæ non est, & nullum jus ad vitam aut ad educationem habet, sed in se ipsum. Et quis dubitet auferre vitam esse peccatum gravius, quàm auferre digitum : & auferre digitum quàm auferre pecunias ? Lasciviens igitur non in creaturam possibilem, sed in existentem delinquit. Decidere digitum Deus quinto præcepto inhibuit, at quia melius est mutilari quàm mori ; ut decidatur digitus, ne homo moriatur, clementissimè indulsit. Et quia ex illa materia, quæ vocatur *semen* homines oriri decrevit, tametsi omnem seminis commotionem absolutè interdixerat, quando inter primos homines (Adamum, Evámque) matrimonium instituit, non in ordine ad vitæ conservationem, sed in ordine ad generationem, intra connubii legitimum usum semen decidi indulsit. Quo fine in aliquo particulari casu cessante, & ipsammet dispensationem in illo eodem casu particulari cessare voluit. *Libro 5. contra Iulianum cap. 12.* Augustinus. *Dico & aliter bonum esse conjugium, ubi proles nisi per concubitum non potest procreari : si enim aliter posset, & tamen concumberent conjuges, apertissimè libidini cederent, atque illo malo uterentur male. Cùm verò propter quod sexus ambo instituti sunt, nisi eorum commixtione non nascatur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur bene. Si autem de libidine quærunt etiam concumbendo voluptatem, venialiter male.* Sic discurrit S. Doctor agens de matrimonio B. Virginis & S. Iosephi, qui sine concubitu Christum Dominum susceperunt, quos ex hypothesi, quòd Deus decreverat alia prodigiosâ viâ prolem dare, cessante concessionis fine cessasse dispensationem concessam cæteris in matrimonio existimat. Vnde Cornelius Iansenius Iprensium Episcopus, in sui Augustini *tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 10. column. 343.* dilucidè hanc doctrinam reponit: inquit enim. [*Addo amplius, ut plenius constet, quàm immobiliter verum sit, nihil omninò propter carnis voluptatem posse fieri ;* si proles ipsa, propter quam miscentur conjuges, aliter quàm commixtione libidinis suscipi posset, etiam concumbendo delinquerent. *Quod quamvis eadem rationis sublimitas verissimum esse convincat, docere tamen non auderem, nisi Augustinus ante disertissimè docuisset.*] Sic Iansenius, qui tametsi ubi agitur de libero arbitrio malè fuerit Augustinum interpretatus, hîc, quia clarissimè S. Pater loquitur, ejus mentem non assequi, & illam exponere malè non potuit.

1.Cor.16.18. *In quem lascivus peccat?*

Integritas virginea quid sit?

Licet excidere digitum ad vitam servandam.

Licet decidere semen in matrimonio ad prolem suscipiendam.

2000 *An, si aliter filios generare possent cõjuges, possent licitè commisceri?*

An præscindendo à voto peccasset S. Ioseph, si consummasset matrimonium? :

BIBLIOTECA PROVINCIAL

Capit. Top.
Est. 26
Tab. 5
Num. 6

25

Miscellanea Historica

27-58
2.811